Digitized by Google

3.2.3

Digitized by Google

3.2.3
I

GRAMMATICA HEBRAICA ET CHALDAICA,

EX OPTIMIS, QUÆ HACTENUS prodierunt, nova facilique methodo concinnata.

AD SYNTAXIM,

In qua peculiares omnes Scripturæ loquutiones, quos vocant Idiotiſmos, fuſe & accurate explicantur,

ACCEDUNT

VARIA LITERATURAM HEBRAICAM SPECTANTIA, & multiplicis generis INDICES locupletiſſimi.

TOMUS I.

Complectens Grammaticæ Hebraïcæ analogiam, ſeu etymologiam, cum Syntaxi ejus ſimplici.

Auctore Domno PETRO GUARIN, *Preſbytero & Monacho Ordinis Sancti Benedicti, è Congregatione S. Mauri.*

LUTETIÆ PARISIORUM,
Typis JACOBI COLLOMBAT, Regis Chriſtianiſſimi Typographi ordinarii, &c. viâ Jacobæâ, ſub ſigno Pelicani.

M. DCC. XXIV,
CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google



דברי חכמים כדרבנות כמשמרות נטועים בעלי אספות נתנו מרעה אחד ו קהל׳ פר׳ יב פס׳ יא

PRÆFATIO.

Cum in more poſitum ſit apud pleroſque Grammaticos, ut linguæ, cujus elementa tradunt, antiquitatem, ſi quam habeat, dignitatem, utilitatemque commendent; Hebraïcæ, quæ ceteras his aliiſque dotibus facile vincit, meritis ſuis laudibus exornandæ hîc eſſet locus. Verum cum partes illas præoccupaverint, qui ante nos erudite, copioſeque de hoc argumento diſputarunt; longiorem hac de re ſermonem inſtituere haud operæ pretium eſſe arbitror. Paucis itaque dicere ſufficiat eam eſſe linguæ hujus antiquitatem, ut illam mundi coævam, primiſque noſtris parentibus à Deo ipſo conceſſam putent eruditi quamplurimi, iique nec ſpernendis rationibus adducti.

Dignitatem ejus probant, quæ hoc idiomate, majorem ſui partem, ſcripta ſunt ſacra Teſtamenti Veteris oracula. Hinc nobiliſſimis לְשׁוֹן יְהוָה *linguæ Domini*, לְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ *linguæ ſanctæ*, לְשׁוֹן מַלְאָכִים *linguæ angelorum*, לְשׁוֹן צַדִּיקִים *linguæ juſtorum*, & לְשׁוֹן לִמּוּדִים *linguæ eruditorum*, titulis decoratur.

Ejus denique utilitatem ad perfectam univerſæ Scripturæ ſacræ cognitionem habendam cordatus, opinor, diffitetur nemo. At innumeros videas, qui, quod linguam illam ignorent, vel ut leviſſimum ejus addiſcendæ laborem defugiant, ejus inficientur neceſſitatem. Hi quanto in errore verſentur, oſtendemus in prima hujuſce præfationis parte, in qua etiam argumenta, quibus opinionem ſuam conantur

ã ij

pent : Attamen Divinum illud exemplar cum omnibus nativis ejus coloribus ac lineamentis ut referant, quam longe abeſſe videntur eruditis ! Enim vero quæ vocum ſingularium Hebraïcarum proprietas ? quæ virtus ? quæ efficacitas, qua *ſermo Dei omni gladio ancipiti penetrabilior, uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum pertingit ?* Quam ſimplex & naturalis earum inter ſe collocatio, quæ ſimpliciſſimam auctoris ſui naturam quodam modo videtur imitari ! Quanta in ſententiis gravitas ! Quanta denique, & quam digna Deo loquente in tota oratione majeſtas, quæ humanam eloquentiam tantum ſupereminet, *quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.* Heb. 4. v. 12. Virg. Eclog. 1. v. 26.

Teſtes appello Linguæ Sanctæ peritos, qui quidem ea omnia ſentiunt, alii vero minime. Neque id mirum ; *οὐ γὰρ ἰσοδυναμεῖ αὐτὰ ἐν ἑαυτοῖς Ἑβραϊστὶ λεγόμενα, καὶ ὅταν μεταχθῇ εἰς ἑτέραν γλῶσσαν, non enim eandem vim habent hæc, cum in ſeipſis Hebraïce dicuntur, atque cum ad alteram transferuntur linguam.* Sive, ut Vulgati interpretis Latini verbis utar : *deficiunt verba Hebraïca, quando tranſlata fuerint ad alteram linguam.* Quî aliter fieri poſſit, cum lingua quælibet ſuos habeat tropos, ſua idiomata, ſuos peculiares loquendi modos, ſua proverbia ; &c. quæ in aliam linguam converſa, aut frigent, aut intereunt ? Id non ſemel expertus eſt S. Hieronymus, trium linguarum licet periciſſimus. Quapropter exponens illud : *qui* (Spiritus ſanctus) *eſt pignus hæreditatis noſtræ in redemtionem τῆς περιποιήσεως adoptionis* (ſic Itala vetus), ita loquitur : *Non habet in Græco υἱοθεσίαν* (*ADOPTIONEM*), *ſed περιποίησιν, quam nos ACQUISITIONEM, ſeu POSSESSIONEM poſſumus dicere : nec tamen vim ſermonis expreſſimus ; multa enim verba ſunt, quæ nec de Græco in Latinum transferri valent, nec de Hebraïco in Græcum ; & reciproce, nec de Latino in Græcum, nec de Græco in Hebræum.* Idem confirmat ex Origene S. doctor. *Licet & illud in libris ſuis, quos ἐξηγητικὰς* (commentarios) *vocant, Origenes aſſerat propter vernaculum linguæ uniuſcujuſque idioma non poſſe* (verba quædam Hebraïca) *ita apud alios ſonare, ut apud ſuos dicta ſunt ; & multo melius eſſe non interpretata ponere, quam vim eorum interpretatione tenuare.* Origeni & Hieronymo ſuccinit Auguſtinus. *Latinæ linguæ homines*, inquit, *duabus aliis ad Scripturarum Divinarum cognitionem opus habent, Hebræa ſcilicet & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas. Quanquam & Hebræa verba non interpretata ſæpe inveniamus in libris, ſicut* Amen, Halleluia *&* Racha *&* Hoſanna..... *ſunt enim quædam verba certarum linguarum, quæ in uſum alterius linguæ per interpretationem tranſire non poſſunt..... Sed non propter*

Prolog. Eccli. — Epheſ. cap. 1. v. 14 — Tom. 4. nov. edit. part. 1. col. 333. — Epiſt. ad Marcellam, tom. 2. nov. edit. col. 75. — Lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 11. tom. 3. nov. edit. part. 1. col. 25.

hæc pauca, quæ notare atque interrogare facillimum eſt, ſed propter diverſitates interpretum, illarum linguarum eſt cognitio neceſſaria. Qui enim Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt, numerari poſſunt: Latini autem interpretes, nullo modo. Ut enim primis cuique fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari. Sed quid opus eſt, congeſtis pluribus Patrum teſtimoniis, fuſius approbare, quod ad ſingula pene verba experiuntur etiam interpretum doctiſſimi? Aliis itaque ſuperſedeo, ut eorum, qui Scripturam univerſam ſine linguæ Hebraïcæ ſubſidio perfecte intelligere ſe poſſe arbitrantur, rationibus, quam breviſſime potero, faciam ſatis.

§. II.

Adverſariorum argumenta proponuntur ſimul & confutantur.

I. ARGUMENTUM

Ex Hebræo textu in Chriſtianæ religionis odium à Judæis, literas & voces quod attinet, depravato petitum.

» NON deſunt cum ex veteribus Eccleſiæ Patribus, tum ex recentioribus Scriptoribus, qui textum Hebræum à Judæis Chriſtianæ religionis odio corruptum exiſtiment, idque exemplis non paucis oſtendant. Inter veteres recenſentur [a] Juſtinus, [b] Origenes, [c] Euſebius, [d] Chryſoſtomus, [e] Hieronymus, &c. Inter recentiores, [f] Lyra, [g] Paulus Burgenſis, [h] Porchetus, [i] Nebienſis, [k] Canus, [l] Lindanus, [m] Leo Caſtrius, [n] Garcias, [o] Salmero, [p] Auguſtinus Steuchus, [q] Mercennus, [r] Gregorius de Valentia, [ſ] Serarius, [t] Gordonus, & alii non pauci. Fruſtra igitur perfectam Scripturæ intelligentiam in Hebræo textu hodierno quæſieris, qui ad verſiones antiquas emendandus, reſtituendusque potius eſt, quam verſiones illæ ad eum exigendæ.

a *Dialog. cum Tryph. p.* 297. *edit. Pariſ.* 1615. b *Homil.* 16 *in Jerem. tom.* 1. *p.* 157. *edit. Huet. Pariſ.* 1668 c *L.* 4. *hiſt. cap.* 18. *pag.* 140. *edit. Pariſ.* 1659. d *Homil* 5. *in Matth. p.* 57. *edit. Pariſ.* 1636. e *In cap.* 3. *Epiſt. ad Galat. tom* 4. *novæ editionis, part.* 1. *col.* 257. *Et in Mich.* 5. *v.* 2. *tom.* 3. *col.* 1532. *Et Epiſt.* 74. *alias* 89. *ad Auguſtinum, tom.* 4. *part.* 2. *col.* 627. f *In Oſe.* 9. *v.* 12. g *In Pſalm.* 21. *Hebr.* 22 h *In victor. contra Judæos, part.* 1. *cap.* 2. & 15. i *In Pſalm.* 21. *Hebr.* 22. k *Loc. lib* 2. *cap.* 13 l *De opt. gen. interpr. lib.* 1. *cap.* 2. m *Prolegom. in Iſaiam.* n *Contra perfid. Jud.* o *Prolegom* 4. p *In recognitione Veteris Teſtamenti.* q *In Geneſ.* 3. *v.* 18. r *Analy. lib.* 8. *cap.* 5. ſ *Prolegom. cap.* 12. *quæſt.* 2. t *Controv.* 1. *cap.* 9. *Vide* Morinum, *l.* 1. *Exercit. Bibl. cap.* 2.

Digitized by Google

CONFUTATIO.

HEBRÆI textus, Chriſtianæ religionis odio, à Judæis depravati commentum tot viri eruditi, totque gravisſimis argumentis confutarunt, ut quæſtionem hanc fuſius eo loci retractare ſupervacaneum ſit atque inutile. Sufficiat igitur his, quibus librorum illorum copia non ſuppetit, Origenem veteri illi calumniæ breviter dilucideque, ex Hieronymi verbis, audire reſpondentem. *Quod ſi aliquis dixerit Hebræos libros à Judæis eſſe falſatos, audiat Origenem, quid in octavo volumine explanationum Iſaiæ huic reſpondeat quæſtiunculæ, quod nunquam Dominus & Apoſtoli, qui cetera crimina arguunt in Scribis & Phariſæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuiſſent.* Pergit S. Doctor. *Sin autem dixerint poſt adventum Domini Salvatoris & prædicationem Apoſtolorum libros Hebræos fuiſſe falſatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangeliſtæ, & Apoſtoli ita teſtimonia protulerint, ut Judæi poſtea falſaturi erant.* Eodem argumento evincitur codices Hebræos ab Apoſtolis, ad ætatem uſque Hieronymi à Judæis corruptos non fuiſſe; quovis enim tempore non defuerunt ex eis, qui Chriſto nomen dederint, quique fraudem, ſi qua facta fuiſſet, Chriſtianis procul dubio retexiſſent. Neque etiam poſt Hieronymi tempora depravati exiſtimandi ſunt illi libri; niſi dixeris S. Doctorem eos vertiſſe, quomodo erant à Judæis adulterandi; ejus enim interpretatio, quales nunc habemus, eos exhibet, & ſi quid ab eis recedit, diſcrimen iſtud aliunde, quam ab eorum depravatione, repetendum. Præterea, ut recte obſervavit Bellarminus, *ſi Judæi falſare voluiſſent Divinas Scripturas in odium Chriſtianorum, ſine dubio præcipua vaticinia ſuſtuliſſent. Id autem minime fecerunt, ſiquidem ea, in quibus diſcrepant Hebræa à Græcis & Latinis, ſæpe nullius momenti ſunt, quantum attinet ad fidem & religionem; & ſæpe codices Hebræi magis Judæos vexant, quam Græci aut Latini.* Hoc ut probet doctisſimus Cardinalis, affert in exemplum נַשְּׁקוּ־בַר *oſculamini filium*, hoc eſt, *adorate filium*, cum videlicet de quo ſuperius dictum eſt: *Filius meus es tu, ego hodie genui te;* Orientales enim adorationem oſculo exprimebant, ut liquet ex Jobo: *Si vidi Solem..... & oſculatus ſum manum meam*, &c. Unde Symmachus, προσκυνήσατε καθαρῶς, S. Hieronymus, *adorate pure.* Vox בַּר & *filium*, & *pure*, pro diverſis radicibus & dialectis ſignificat. Septuaginta autem interpretantur: δράξασθε παιδείας, Vulg. Lat. *apprehendite diſciplinam.* Ex qua interpretatione *nihil aperte contra Judæos deduci poteſt*, pergit Bellarminus, *at in Hebræo OSCULAMINI FILIUM, locus eſt invictisſimus contra eos.*

Comment. in Iſai. cap. 6. tom. 3. nov. edit. col. 64.

Lib. 2. de Verbo Dei, cap. 2. col. 71. tom. 1. edit. Pariſ. 1608.

Pſal. 2. v. 12.

Ibid. v. 7.

Cap. 31. vv. 26. 27.

Anne igitur credibile eſt, concludit idem vir eruditiſſimus, *Judæos mutaſſe Scripturam, ut luculentius Dei filio teſtimonium perhiberent?*

Veteres, fateor, Eccleſiæ Patres & Scriptores Juſtinus, Origenes, Euſebius & Chryſoſtomus, Judæos, quaſi ex Hebræis codicibus quædam eraſerint, quædam etiam in odium Chriſtianorum corruperint, accuſant: ſed de Septuaginta, Aquilæ, Theodotionis & Symmachi verſionibus loquuntur, ut probant vel ipſa eorum verba, quæ, ſi vacat, locis in objectione citatis, potes conſulere. Utrum autem veritate fundata ſit iſthæc Patrum illorum criminatio, præſentis hujus inſtituti noſtri non eſt diſquirere. At ſilere non poſſumus, quod objiciunt ex Hieronymo, cujus maximi profecto ponderis eſt auctoritas, quippe qui omnium ætatis ſuæ Chriſtianorum in Hebræis literis fuerit exer-
Cap. 3. v. 10. ciratiſſimus. Is itaque exponens illud Epiſtolæ ad Galatas: *Maledictus OMNIS, qui non permanſerit IN OMNIBUS, quæ ſcripta ſunt in*
Cap. 27. v. 26. *libro Legis, ut faciat ea*, (qui contextus eſt Deuteronomii) poſtquam admonuit voces *omnis* & *in omnibus*, quæ apud Septuaginta leguntur, in Aquilæ, Symmachi & Theodotionis verſionibus, quas Latinas
Comment. in Epiſt. ad Gal. tom. 4. nov. edit. part. 1. col. 257. affert, necnon in Hebræo deſiderari, ſic loquitur: *Ex quo intelligimus Apoſtolum, ut in ceteris, ſenſum magis teſtimonii poſuiſſe, quam verba: & incertum habemus utrum Septuaginta interpretes addiderint OMNIS HOMO, & IN OMNIBUS: an in veteri Hebraico ita fuerit, & poſtea à Judæis deletum ſit. In hanc me autem ſuſpicionem illa res ſtimulat: quod verbum OMNIS & IN OMNIBUS, quaſi ſenſui ſuo neceſſarium ad probandum illud, quod quicunque ex operibus Legis ſunt, ſub maledicto ſint, Apoſtolus vir Hebrææ peritiæ, & in Lege doctiſſimus, nunquam protuliſſet, niſi in Hebræis voluminibus haberetur. Quam ob cauſam Samaritanorum Hebræa volumina relegens, inveni CHOL, quod interpretatur OMNIS, ſive OMNIBUS, ſcriptum eſſe: & cum Septuaginta interpretibus concordare. Fruſtra igitur illud tulerunt Judæi, ne viderentur eſſe ſub maledicto, ſi non poſſent omnia complere, quæ ſcripta ſunt: cum antiquiores alterius quoque gentis literæ id poſitum fuiſſe teſtentur.* Argumentorum omnium, quæ adverſus Hebræi textus ſinceritatem ex auctoritate ducuntur, illud videtur eſſe graviſſimum. Tamen ſi Hieronymi verba, & rationes, quibus conjecturam ſuam adſtruit, nonnihil attendas, id nullo negotio poſſe dilui, tute fateberis. Primo enim agnoſcit ipſe Hieronymus Apoſtolum in hoc contextu, ſicut & in ceteris, quos ex Veteri Teſtamento adducit, ſenſum magis quam verba poſuiſſe. Deinde cum S. Paulus Græcis ſcriberet, teſtimonia ex verſione Græca ipſis nota proferre magis debuit, quam ex Hebræo textu, quem plane ignorabant.

Digitized by Google

ignorabant. Tum dubitanter, non fidenter, loquitur S. Doctor: ***incertum habemus***, inquit, ***utrum***, &c. Denique, quod ſpectat ad textum Samaritanum, in quo legitur ࠊࠋ ***COL***, ſive, ut Hieronymus, ***CHOL***, ***omnis, omnibus***, præterquam quod, fatentibus omnibus, textus ille conſulto à Samaritanis ipſis corruptus eſt, Deut. 27. v. 4. ubi, Templo ſuo conciliandæ auctoritatis gratia, pro ࠏࠉࠁࠋ ***Hebal***, repoſuerunt ࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ ***Gerizim***, ſeu ***Garizim:*** is etiam aliis in locis inſigniter depravatus eſt, & ad Græcam Septuaginta interpretum verſionem refectus. Certe, ſi Pentateuchum Samaritanum Hebræo puriorem crediſſet Hieronymus, eum procul dubio vertiſſet potius, quam Hebræum; cumque id minime fecerit, hinc colligere eſt tantam non fuiſſe, nec eſſe debere ejus auctoritatem, quantam exiſtimavit Morinus.

Alia, quæ objiciunt S. Doctoris loca, nihil eorum cauſæ patrocinantur; in iis ſiquidem, vel dubitando loquitur; vel aliorum, tacitis eorum nominibus, non ſuam, refert ſententiam; vel denique per Judæos, quos depravati Hebræi textus inſimulare videtur, Græcos interpretes, Septuaginta, Aquilam, Symmachum, Theodotionem, &c. ut Juſtinus & alii Patres ſupra laudati, intelligit. Ea autem loca citantur maxime, 1°. ex commentariis in caput V. Mich. v. 2. ubi poſtquam animadvertit S. Doctor in Hebræo, Joſ. XV. poſt verſum 59. deſiderari urbes undecim, quas inter numeratur Ephratha, ſeu Bethlehem, quæque apud Septuaginta leguntur, hæc addit: ***Sive*** (iſtud) ***de veteribus libris eraſum ſit malitia Judæorum, ne Chriſtus de tribu Juda ortus videretur, ſive à Septuaginta additum, nequaquam liquido cognoſcentes, certum quid novimus.*** Dubitans, ut vides, & ſine aſſeveratione loquitur Hieronymus. *Comment. in c. 5. Mich. Tom. 3 nov. edit. col. 1532.* 2°. ex Epiſt. LXXIV. alias LXXXIX. ad Auguſtinum: ***Ego non tam vetera abolere conatus ſum, quæ linguæ meæ hominibus emendata de Græco in Latinum tranſtuli, quam ea teſtimonia, quæ à Judæis prætermiſſa ſunt vel corrupta, proferre in medium, ut ſcirent noſtri, quid Hebraïca veritas contineret.*** *Tom. 4. nov. edit. part. 2. col. 627.* De Septuaginta interpretibus S. Doctorem loqui, ex ejus verbis qui non videt, hic ſit talpa cæcior neceſſe eſt.

Recentiores nihil moror, quippe qui vel nihil diverſum à veteribus afferant; vel ſi quid dicant novi, illud confutatione non indigeat. Hi enim depravationi ſæpius adſcribunt, quod mendum eſt graphicum, aut varia lectio, quibus nec ipſum ſacrum Codicem plane immunem eſſe, poſt argumentum ſequens confutatum, oſtendemus.

Vocem כָּאֲרִי ***ſicut leo***, pro כָּאֲרוּ, aut potius כָּרוּ ***foderunt***, quam in meditatæ corruptionis exemplum non ſine aliqua veriſimilitudine adducunt, expendemus in libro III. cap. V. art. III. num. IV. *Pſal. 21. Heb. 22. v. 17.*

Digitized by Google

II. ARGUMENTUM

Ex eodem Hebræo textu à Maſſorethis, cum puncta ſua vocalia ei inſcripſerunt, corrupto elicitum.

» CONSTAT apud omnes eam eſſe literarum conſonantium natu-
» ram, ut vocalibus deſtitutæ nihil ſignificent; adeo ut, ſi literis
» iiſdem diverſas vocales adjunxeris, ut diverſos ſonos, ſic diverſos ſen-
» ſus efficias. Cum autem textus Hebræus à Moſe ad Maſſorethas
» uſque, ſine vocalibus, aut ſaltem cum vocalibus incertis admodum
» & ambiguis deſcriptus fuerit: Judæi illi, qui puncta hodierna judicio
» arbitrioque ſuo adjecere, pravum animi ſui erga Chriſtianos affectum
» ſequuti, punctis inſcriptis, quæ literas alienum in ſenſum deflecte-
» rent, textum illum plurimis in locis inſigniter depravarunt. Unum
» exemplum hîc ponere ſufficiat. Iſai. 9. v. 5. al. 6. *Parvulus enim natus*
» *eſt nobis.....,* ויקרא *& vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius,*
» *Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Hoc ut nobis eripe-
» rent invictum Chriſti Divinitatis argumentum, voci ויקרא puncta ſub-
» jecerunt, quæ illam ad ſenſum activum determinarent, hoc modo:
» וַיִּקְרָא *& vocavit,* ſeu *& vocabit nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius,*
» *Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Principem pacis;* adeo ut priora
» quinque nomina, ſeu epitheta, *Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis,*
» *Pater futuri ſæculi,* ad Deum Patrem referantur, poſterius vero *Prin-*
» *cipem pacis*, ad Meſſiam. Falſam, & ex pravo Maſſoretharum animo
» profectam eſſe hanc punctationem liquet ex Paraphraſte Chaldæo,
» Septuaginta, Aquila, Symmacho, & Vulgato interprete Latino, qui
» omnes vocem illam *paſſive* interpretati ſunt, quia eam *paſſive* lege-
» runt וַיִּקָּרֵא. Chald. ואתקרי *& vocabitur.* Septuaginta, καὶ καλεῖται, *& vo-*
» *catur.* Aquila, καὶ ἐκλήθη, *& vocatum eſt.* Symmachus, καὶ κληθήσεται, S.
» Hieronymus, *& vocabitur.* Ita quoque vocem illam exponunt veteres
» Eccleſiæ Patres, *SS. Ignatius, Irenæus,* &c. *Quo in loco Maſſoretharum*
» *inſidias omnes ab una licet diſcere.*

D. Maſclef. in prolegom. Grammat. Hebr. p. 38.

CONFUTATIO.

SI alias omnes Maſſoretharum inſidias ex his unis licet cognoſcere, illi ſane de textus Hebræi corrupti crimine non modo purgare ſe facile poſſunt, verum etiam accuſatores ſuos calumniæ, ſummæque primorum linguæ ſanctæ idiotiſmorum ignorantiæ accuſare. Quem enim unius aut alterius menſis tyrunculum fugit, tertias verborum

activorum perſonas cum ſingulares, tum plurales, *paſſive*, & *imperſonaliter*, ut loquuntur, ſæpius accipi? Quod tamen neſciunt boni illi viri, qui Maſſorethas de textus Hebræi corruptione poſtulant, quod in eo Iſaiæ loco voci ויקרא puncta vocalia activa ſuppoſuerint. Quas in ſententiæ ſuæ confirmationem adducunt veterum interpretationes, illæ magis magiſque produnt eorum imperitiam; quis enim neſcit Chaldæum Paraphraſten, maxime vero Septuaginta, alioſque Græcos interpretes, loquutionem Hebraïcam interdum retinere; ſæpius vero ad linguæ ſuæ indolem, quod hîc fecerunt, eam accommodare? Hinc Aquila in altera ſua verſione, quam *κατ' ἀκρίβειαν* elaboravit, & Theodotio, interpretati ſunt *καὶ ἐκάλεσε*, *& vocavit*. Legerunt ergo וַיִּקְרָא, ut vocem illam quadringentis fere poſt annis legerunt, punctaruntque Maſſorethæ. Chald. Septuaginta, Symmachus, & S. Hieronymus, eodem quoque modo illam legere potuerunt; ſed ſenſum ejus, non idiotiſmum, expreſſerunt.

Scio equidem contextum illum à RR. Davide Qimhhi, & Salomone Jarhhi, necnon ab omnibus fere Judæis recentioribus exponi pravo illo, qui Maſſorethis affingitur, ſenſu: at præterquam quod caſus diverſos comminiſcuntur, alios nominandi, alios accuſandi, quorum tamen in Hebræo nulla eſt diſtinctio; recedunt à veterum Judæorum, maxime Thalmudiſtarum ſententia, qui uni eidemque perſonæ, Ezechiæ ſcilicet, omnia illa nomina tribuunt, quamvis eorum nonnulla homini nequeant convenire. Thalmudis locum afferre juvat, eumque punctis vocalibus inſtruere, ut ab iis, qui in legendis Hebræis non punctatis rudes ſunt, facilius intelligatur. Hæc itaque in tractatu Sanhedrin legere eſt: יבא חזקיהו שיש־לו ח׳ שמות ויפרע מסנחריב שיש־לו ח׳ שמות חזקיהו דכתיב כי־ילד ילד־לנו בן־נתן־לנו ..... ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי־עד שר־שלום וגו׳, *veniet Ezechias, cui ſunt octo nomina, & ulciſcetur ſe de Sennacheribo, cui ſunt octo nomina. Ezechias, de quo ſcriptum eſt: quia parvulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis...... & vocabit*, hoc eſt, *vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater, Æternitas, Princeps, Pax, &c.* Sic nomina illa diſtinguenda ſunt & interpretanda, ut octonarius eorum numerus, ſecundum Thalmudiſtas, inveniatur. Cum igitur Maſſorethæ paulo poſt abſolutum Thalmud, hoc eſt, ſexto ineunte ſæculo, ut cenſet Elias Levita, puncta vocalia à ſe excogitata Hebræis voluminibus inſcripſerint; vero ſimile non eſt eos, ſubjectis voci ויקרא apicibus, qui illam ad activum ſenſum deflecterent, fraudem facere voluiſſe Chriſtianis. At etiam ſi voluiſſent, quid inde profeciſſent? Nonne ad prædictum

Comment. in h. l.

Cap. ult. fol. 94. pag. 1. paulo poſt medium.

Digitized by Google

Pag 531. can. 3.

idiotiſmum, quo nullus in Scriptura frequentior, ut exemplis quamplurimis in Syntaxi ſimplici oſtendemus, provocaſſent Chriſtiani? Præterea, ſi is fuiſſet Judæorum illorum animus, nunquid unum illum locum depravaſſent? Nonne ſollicitaſſent & alia? Quod tamen ab eis non factum modo, ſed ne tentatum quidem, probant cetera de Chriſto vaticinia, quæ intacta reliquerunt, quanvis fraude ſimili in alienum ſenſum ea facile potuiſſent detorquere, ut norunt viri Hebraïce periti.

Rom. 3. v. 2.

Denique argumenta, quæ pro Hebræi textus integritate probanda, ex ſingulari Dei providentia ducuntur, punctorum etiam vocalium auctoritatem adſtruunt. Judæis enim, ex Apoſtolo, ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, *credita ſunt eloquia Dei.* Si autem Deus ſolas literas conſonantes ſine vocalibus Judæis credidit, quid illis credidit, niſi naſum cereum, corpus expers animæ, & oracula Pythiis Dodonæiſque longe obſcuriora? Sic ſunt enim, ut jam monuimus, in qualibet lingua literæ conſonantes, ut vocalibus expreſſis aut ſubintellectis deſtitutæ, nihil ſonent, ſignificent nihil? Si ergo vocales una cum literis populo Judaïco creditæ non fuerunt, jam textus Hebræus nullus eſt: aut, ſi judicio arbitrioque ſuo illas Judæi addere potuerunt, is nullius eſt auctoritatis, cum pro earum varietate, alius atque alius exoriatur ſenſus. Fruſtra *per omnes fere terras genteſque, unius veri Dei providentia, diſperſi ſunt* (Judæi), *ut de codicibus eorum probetur, quod cum legeretur in noſtris, à nobis putaretur eſſe confictum.*

Aug. lib. 4. de Civit. Dei, cap. 34. tom. 7. nov. edit. col. 114.

Enarrat. in Pſal. 40. & 56. tom. 4. nov. edit. col. 333 334.

Sed irritum factum eſſe Dei conſilium cave exiſtimes; non enim fruſtra Judæi *capſarii librariique noſtri* ſunt, ut eos vocat idem Auguſtinus, quandoquidem ſacros codices puros integroſque nobis conſervant, non ſolum literas quod attinet, verum etiam vocales; adeo ut verborum grammaticam poteſtatem teneant, licet in iis, quæ ad Chriſtum pertinent, pravos & alienos ſenſus eis conentur affingere. *Quid enim eſt aliud hodie gens ipſa,* (inquit iterum Auguſtinus), *niſi quædam ſcriniaria Chriſtianorum, bajulans legem & Prophetas ad teſtimonium aſſertionis Eccleſiæ, UT NOS HONOREMUS PER SACRAMENTUM, QUOD NUNTIAT ILLA PER LITERAM?* Ergo Scripturæ literam, eo, quo diximus, ſenſu, intelligit Judæus. Aut ſi illam ignorat, quod certum eſt, ſi, quæ vocales cum literis conſonantibus conjungendæ ſint, neſciat; jam Chriſtianæ religionis Sacramenta incerto, proindeque ruinoſo nituntur fundamento. Jam fruſtra *codicem portat Judæus, unde credat Chriſtianus;* cum illum nec Judæus, nec Chriſtianus, queat intelligere.

Lib 12. contra Fauſt. tom 8. nov. edit. col. 238.

Aug enarrat. in Pſal. 56. tom. 4. nov. edit. col. 334.

Digitized by Google

Verum id argumenti fuſius in diſputatione ad tomi ſecundi calcem edenda proſequemur, in qua probabimus puncta vocalia, ſi ſpectes eorum ſignificandi vim, ejuſdem eſſe antiquitatis auctoritatiſque, cujus ſunt ipſæ literæ conſonantes, quanvis alia atque alia ratione, pro locorum diverſitate, à Judæis & Chriſtianis proferantur. In quo hallucinatus eſt non nemo, qui variam punctorum illorum pronuntiationem cum eorumdem poteſtate grammatica confundens, perperam colligit antiquam & genuinam linguæ Hebraïcæ prolationem hodie ignorari: quod quidem illi haud ægre conceſſerim, ſi antiquæ pronuntiationis nomine intelligat eoſdem plane ſonos, eaſdemque vocis inflexiones, quibus non ſolum vocales, verum etiam conſonantes literæ, Moſis aut Davidis temporibus, efferebantur. Quis enim id aſſerere audeat, cum linguarum longe recentiorum, Græcæ & Latinæ, eadem, quæ Demoſtenis & Ciceronis ætate vigebat, pronuntiatio ad nos uſque minime pervenerit? At ſi vocalium naturam, earumque cum literis compoſitionem ad certum ſenſum in qualibet Hebræi textus voce efficiendum intelligat (ut re vera debet intelligere, ſi ipſe ſibi conſentiat) quam longe opinione fallitur! Puncta enim vocalia hoc modo conſiderata, literis poſteriora non ſunt, ſed earum æqualia, licet figura illorum & inſcriptio à Maſſorethis inventa ſit atque excogitata. Rem exemplum illuſtrabit. In legendis tribus illis literis ברא, quæ ſunt ſecundi Geneſeos vocabuli conſonantes, jam inde à Moſis tempore ſupplebantur vocales, quæ illas ad activum ſenſum *creavit*, non vero paſſivum *creatus eſt*, determinarenr. Quæ lectio ad Maſſorethas uſque, ut in prædicta diatriba demonſtrabimus, perpetua & conſtanti traditione pervenit. Cum autem ob varia Judæorum exſilia, lingua Hebraïca magis magiſque in dies oblivioni traderetur; veriti Rabbini illi Tyberienſes, aut quivis alii, ne his tribus literis aliæ adjungerentur vocales, proindeque alius efficeretur ſenſus: ſuppleri ſolitas expreſſerunt figura (ּ), quam ipſis placuit appellare *qaméts*, quamque geminatam duabus prioribus literis ב & ר hoc modo ſuppoſuerunt: בָּרָא. Quavis autem ratione proferatur illa vox, ſive *bara*, ut eam nobiſcum pronuntiant Judæi Luſitani & Conſtantinopolitani; ſive *boro*, ut fere à Judæis Germanis effertur; apud omnes ſignificat *creavit*, quia inter omnes de hac ſignificatione convenit. Quemadmodum Græca vox *βῆμα*, ſive *bema*, ſive *vima* pronuntietur, ſemper eſt *tribunal;* vocalium enim natura, non ſonus, aut pronuntiatio, una cum literis, ſenſum efficit. Fruſtra vocales inter Græcas & Hebræas aliquid excogitaretur diſcriminis, quod illæ quidem perpetuo expreſſæ

fuerint, hæ vero ad Maſſorethas uſque ſubintellectæ; aliæ enim non ſunt aliis certiores; nam ſi Græcas retinuit ſcriptura, Hebræas conſervavit uſus, iſque, ex quo lingua deſiit eſſe vernacula, inter populi Judaïci Sacerdotes, primores & eruditos, ſingulari Dei providentia, minime intermiſſus. Enimvero, ſi in captivitate Babylonica, aut ſequutis proxime temporibus, antiqua linguæ Hebraïcæ pronuntiatio, hoc eſt, certa vocalium ſupplendarum cognitio periit, ut imprudenter aſſerunt quidam, periit etiam textus Hebræus, ut jam à nobis eſt obſervatum. Actum quoque eſt de Græca Septuaginta interpretum, & Vulgata Latina verſione, quarum auctores vocum Hebræarum intelligentiam habere minime potuerunt, cum potiorem earum partem, nempe vocales, ignoraverint. Quod non ſatis diligenter attendiſſe videtur *Grammaticæ Hebraïcæ à punctis aliiſque inventis Maſſorethicis liberæ auctor.* Sed de his in memorata diatriba fuſius.

Quanvis autem textus Hebræus, Christianæ religionis odio, ſive in literis, ſive in punctis vocalibus, à Judæis conſulto depravatus non ſit; eum tamen mendis quibuſdam graphicis, variiſque lectionibus, ſed nullius momenti, prorſus immunem non fuiſſe, nec etiamnum eſſe, probant I. Voces nonnullæ, quæ eruditis non paucis mendoſæ videntur, ut גֵּה גְּבוּל pro זֶה גְּבוּל, Ezech. 47. v. 13. quæ verba Septuaginta interpretantur, *ταῦτα τὰ ὅρια*, *hi ſunt termini.* Vulg. *hic eſt terminus.* Hi profecto legebant זֶה, unde mutato ז in ג amanuenſium incuria, cui anſam dediſſe videtur τὸ ג prima ſequentis vocabuli litera, factum eſt גֵּה. Quod tamen Qimhhi explicat per literarum commutationem
Cap. 4. art. 3. Qabbaliſticam, de qua lib. 3°. affertque exemplum aliud ex ejuſdem
Tab. 1. Alph. 5. & Tab. 2. Alph. 9. Ezech. cap. 25. v. 7. ubi pro לְבַז, quod Septuaginta vertunt, *εἰς διαρπαγὴν*, Vulg. *in direptionem*, legitur לְבַג cum ג loco ז. II. Decem & octo
Cap. 5. art. 3. Scribarum correctiones, quas vocant תִּקּוּן סוֹפְרִים, & de quibus in eodem lib. 3°. diſſeremus. III. כְּתִיבִים & קְרָיִים, hoc eſt, voces aliter *ſcriptæ* & aliter *lectæ*, de quibus etiam vide eundem librum, caput & articulum. IV. Verſuum quorumdam in nonnullis codicibus cum manuſcriptis, tum editis, alias accuratiſſimis, prætermiſſio. Exemplo eſt caput XXI. Joſue, in quo poſt verſum 35. omittuntur duo, qui urbes quatuor Meraritis in tribu Ruben aſſignatas continebant. Hos autem verſus in antiquis Hebræis codicibus exſtitiſſe liquet, cum ex Septuaginta & Vulgato interprete Latino, qui eos, illi Græce, hic Latine, converſos exhibent; tum ex verſibus 7. & 38. ubi filiis Merari duodecim civitates de tribu Ruben, de tribu Gad, & de tribu Zabulon conceſſæ leguntur, cum tamen verſibus 34. 35. 36. & 37. octo

duntaxat urbium nomina recenſeantur, quatuor nempe de tribu Zabulon, & quatuor de tribu Gad, nulla facta mentione tribus Ruben, & quatuor urbium ejus, quæ tamen ad numeri duodenarii complementum ſunt neceſſariæ. Deſideratur etiam in Pſal. 144. Heb. 145. qui *Alphabeticus* eſt, verſus à litera נ incipiens, de quo egimus lib. 1. pag. 4. col. 1. V. Locorum quorumdam ſecum invicem collatio. Conferas v. g. Pſal. 117. Heb. 118. cum 2. Samuelis, ſeu Regum cap. 22. & quatuor ſupra Septuaginta varietates, ſi illas accurate numeravit R. Abarbanel, invenies. Unde, quæſo, in uno eodemque Pſalmo tanta lectionum diverſitas, niſi ex codicum ipſorum varietate?

Huc etiam pertinent variæ lectiones *Ben Aſcher* & *Ben Nephtali*, quæ circa ſolos accentus & puncta vocalia verſantur: & variæ itidem Judæorum Orientalium & Occidentalium lectiones, quæ ſpectant literas, quæque, uti & præcedentes, nullius ſunt momenti, ut ex utrarumque catalogo in Bibliis Polyglottis Londinenſibus excuſo, judicare poteſt lector quilibet Hebraïce doctus. *Tom. 6. pagg. 8. & 14.* Et ſane, cur hujuſcemodi varietatibus immunis potius fuerit Hebræus Veteris Teſtamenti textus, quam Græcus novi, cujus innumeras pene varias lectiones ex SS. Patribus, codicibus manuſcriptis, verſionibus, & variis editionibus collectas edidit doctiſſimus *Millius*, plureſque adhuc prope diem editurus eſt vir antiquitatis cum ſacræ tum profanæ conſultiſſimus D. *Bentleius.*

III. ARGUMENTUM

Ex verſionibus perfectæ SS. Scripturarum cognitioni habendæ ſufficientibus ductum.

OMNES canonicæ Scripturæ libri in Græcum & Latinum ſermonem converſi ſunt à viris linguarum illarum peritiſſimis, iiſque temporibus, quibus Hebraïcæ linguæ longe major erat cognitio, quam iis, quibus eam pene oblivioni traditam inſtaurare ſe putaverunt Judæi, & poſt eos Chriſtiani: quo magis enim lingua demortua ab eo tempore, quo erat vernacula, recedit; eo magis ignoratur. Ex his autem verſionibus duæ ſunt, Græca ſcilicet, quæ ſeptuaginta Senibus tribuitur, & Vulgata Latina, quas non vituperare modo, verum etiam non ſequi, grande foret homini Chriſtiano piaculum. Primam Chriſti ipſius & Apoſtolorum teſtimoniis conſecratam quis graviſſimæ auctoritatis eſſe negaverit? Illam Eccleſia vel ab ipſis, ut aiunt, incunabulis adhibuit, Græca quidem uſu non interrupto, Latina vero ad ætatem uſque Hieronymi. Illam SS. Patres in ſcriptis

Digitized by Google

» cum Polemicis, tum Exegeticis uſurpare, imo Spiritus Sancti afflatu
» factam, ex eis nonnulli pronuntiare minime dubitarunt. Altera ver-
» ſio, quæ, maximam ſui partem, vel auctorem, vel emendatorem
» habet Hieronymum, viſa eſt Oecumenicæ Synodo Tridentinæ tanti
» eſſe pretii, ut, qui illam non reciperent, eos anathemate perculſos
» voluerit.

CONFUTATIO.

GRÆCAM Septuaginta interpretum, & Vulgatam Latinam verſionem in docendis dogmatis, & moribus informandis, Hebræo, ſenſum quod attinet, conſonare jam confeſſus ſum, idque pro certo habent omnes ad unum Catholici; Judæi vero, & heterodoxi quamplurimi, non item. Si igitur res tibi ſit cum hujuſmodi hominibus, qui, ſpretis illis verſionibus, rejectaque traditione, altera fidei noſtræ regula, ad unum textum Hebræum provocant; quî illos confutabis? Quî cornicum, ut aiunt, oculos configes, hoc eſt, quî Chriſtianæ Catholicæque veritatis hoſtes, ſuis ipſorum armis, ſi hæc ignoras, debellabis?

At, inquies, miſſa linguæ Hebraïcæ peritis, eorum, quæ nos inter & Judæos, hæreticoſque in controverſiam vocantur, diſceptatione; ad ſolam meam inſtitutionem augendam, alendamque pietatem, Sacra Volumina legere mihi propoſitum eſt, quo alio mihi opus eſt ſubſidio, quam Græca Septuaginta, & Vulgata Latina interpretatione, quibus alias etiam cum Græcas, tum Latinas, necnon ſanctorum Patrum, recentiorumque Scriptorum lucubrationes in locis difficilioribus adjungam?

Chriſtiana igitur Catholicaque ſigna deſeris, menſium aliquot laboris impatiens? Proh pudor! maxime ſi Sacerdotem agis; cum labia tua cuſtodire debeant ſcientiam, & ex ore tuo ſit requirenda lex. An non times ne, quia ſcientiam repuliſti, repellat te & Deus, ne fungaris ei ſacerdotio? Sed quî, amabo te, privatæ tuæ eruditioni augendæ adlaborabis, ſi ne ipſam quidem eruditorum linguam intelligas; &, ignorata clave ſcientiæ, non ſolum iis, qui introire volunt, aperire nequeas, ſed ne tu quidem ipſe poſſis introire? Pietatem quod attinet, animæ quidem cibus eſt Scriptura, ſed recte intellecta; quot enim, quantiſque mentis ludificationibus plerumque obnoxius eſt ſenſus myſticus, niſi literali, tanquam fundamento, nitatur? Quam multos reperire eſt, qui Spiritus ſancti nec ſenſum, nec ſcopum aſſequuti, quod ejus linguam non intellexerint, φαντασίας ſuas venerentur,

Malach. 2. v. 7. *Oſe. 4. v. 6.* *Iſai. 50. v. 4.* *Luc. 11. v. 52.*

venerentur, aliiſque cum gravitate vendirent. Quid plura? Solida pietas nonniſi veritate alitur. Ea fortaſſe veritas ſolo verſionum auxilio innoteſceret, ſi, quales ab auctoribus ſuis profectæ ſunt, illæ ad nos uſque perveniſſent ſinceræ. Verum ut à Græca Septuaginta interpretum, utpote omnium antiquiſſima, ducamus exordium, quot in locis ea vitiata eſt εἴτε ἀπὸ ῥᾳθυμίας τινῶν γραφέων, εἴτε ἀπὸ τόλμης *Origen. in* τινῶν, μοχθηρᾶς τε διορθώσεως τῶν γραφομένων, εἴτε καὶ ἀπὸ τῶν τὰ ἑαυτοῖς *Matth. pag. 381. edition.* δοκοῦντα ἐν τῇ διορθώσει προστιθέντων, ἢ ἀφαιρέντων, *tum propter Scribarum* *Huet. Pariſ.* *nonnullorum indiligentiam, tum propter quorumdam audaciam, pravamque* *1679.* *ſcripturæ emendationem, tum propter eos, qui dum corrigerent, quædam pro arbitrio addiderunt, vel detraxerunt?*

Id etiam non ſemel conqueſtus eſt Hieronymus, qui prætermiſſionum, quæ in hac verſione deprehenduntur, aliam inſuper affert *Præfat. in* cauſam; nempe quod *Septuaginta Ptolemæo regi Alexandriæ myſtica* *Quæſt. Hebr. tom. 2. nov.* *quæque in Scripturis ſanctis prodere noluerint, & maxime ea, quæ Chriſti* *edit. col. 506.* *adventum pollicebantur, ne viderentur Judæi & alterum Deum colere: quos ille Platonis ſectator, magni idcirco faciebat, quia unum Deum colere dicerentur. Sed & Evangeliſtæ, & Dominus quoque noſter atque Salvator, necnon & Paulus Apoſtolus, multa quaſi de veteri Teſtamento proferunt, quæ in noſtris codicibus non habentur. Super quibus in ſuis locis plenius diſſeremus.* Loca illa ex parte affert Hieronymus in ſua ad *Tom 4. nov. edit. part. 2.* Pammachium epiſtola. *col. 252.*

Depravatam adeo Septuaginta interpretum verſionem priſtinæ ſuæ integritati reſtituere conatus eſt Origenes. Hoc ut perficeret, quæ in illa deſiderabantur, quæque in Hebræo exſtabant, hæc ex aliis interpretibus, ſæpius autem ex Theodotione, præfixo aſteriſco, adjecit; quæ vero ſupervacanea erant, nec in Hebræo reperiebantur, ea, veru antepoſito, reſecuit. Sed Origenem ipſum de hoc ſuo labore diſſerentem audiamus: τὴν μὲν οὖν ἐν τοῖς ἀντιγράφοις τῆς παλαιᾶς *Loco ſupra* διαθήκης διαφωνίαν, θεοῦ διδόντος, εὕρομεν ἰάσασθαι, κριτηρίῳ χρησάμενοι *laudato.* ταῖς λοιπαῖς ἐκδόσεσιν. τῶν γὰρ ἀμφιβαλλομένων παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα διὰ τὴν τῶν ἀντιγράφων διαφωνίαν, τὴν κρίσιν ποιησάμενοι ἀπὸ τῶν λοιπῶν ἐκδόσεων, τὸ συνᾷδον ἐκείναις ἐφυλάξαμεν, καὶ τινὰ μὲν ὠβελίσαμεν ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ μὴ κείμενα, οὐ τολμήσαντες αὐτὰ πάντη περιελεῖν, τινὰ δὲ μετ' ἀστερίσκων προσεθήκαμεν, ἵνα δῆλον ᾖ ὅτι μὴ κείμενα παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα ἐκ τῶν λοιπῶν ἐκδόσεων συμφώνως τῷ Ἑβραϊκῷ προσεθήκαμεν. *Huic porro differentiæ, quæ in exemplaribus veteris Teſtamenti occurrit, Deo juvante, remedium attulimus reliquis editionibus uſi, ut ex iis judicium faceremus. Nam quæ apud Septuaginta interpretes, propter exemplarium varietatem,*

Digitized by Google

dubia erant, è reliquis editionibus æſtimatione facta, quæ cum illis conveniebant, retinuimus; quædam vero, utpote quæ in Hebraïco non exſtarent, obelis notavimus, ea penitus auferre non auſi: quædam autem alia cum aſteriſcis adjecimus, ut hinc indicaretur, nos ea, quæ in Septuaginta interpretibus non reperiebantur, ex reliquis editionibus, ut in Hebræo erant, adjeciſſe. Hanc Origenis emendationem, incorruptam & immaculatam Septuaginta interpretum tranſlationem appellat Hieronymus. *Illud breviter admoneo*, inquit, *ut ſciatis aliam eſſe editionem, quam Origenes, & Cæſarienſis Euſebius, omneſque Græciæ tractatores κοινὴν, id eſt,* communem *appellant, atque* vulgatam, *& à pleriſque nunc* Λυκιανὸς *dicitur; aliam Septuaginta interpretum, quæ & in ἑξαπλοῖς codicibus reperitur..... κοινὴ autem iſta, hoc eſt,* communis editio, *ipſa eſt, quæ & Septuaginta: ſed hoc intereſt inter utramque, quod κοινὴ pro locis & temporibus, & pro voluntate ſcriptorum, vetus corrupta editio eſt. Ea autem, quæ habetur in ἑξαπλοῖς, & quam nos vertimus, ipſa eſt, quæ in eruditorum libris INCORRUPTA & IMMACULATA Septuaginta interpretum tranſlatio reſervatur. Quidquid ergo ab hac diſcrepat, nulli dubium eſt, quin ita & ab Hebræorum auctoritate diſcordet.* Cave autem ex poſtremis illis Hieronymi verbis exiſtimes editionem hanc hexaplarem, adjectis quæ deſiderabantur, & quæ abundabant reſectis, de cetero Hebræum in omnibus exprimere; contrarium enim liquet ex locis quamplurimis, quæ ſenſum ab eo diverſum exhibent, quanvis in eis nihil additum, detractum nihil conſtet apud eruditos. Alia itaque S. Doctoris, cum hæc ſcriberet, mens non erat, quam ut in hac verſione aſteriſcis obeliſque notata, nihil reperiretur, quod in Hebræo non eſſet, nihil deſideraretur, quod haberet, ſi verba numeres, minime vero ſi ſenſum ubique attendas.

Epiſt. ad Sun. & Fretel. tom. 2. nov. edit. col. 627.

At incorrupta & immaculata diu non perſeveravit Origeniana hæc editio; aſteriſcis enim & obelis ab amanuenſibus, dum illam deſcriberent, neglectis; quæ addenda, quæque detrahenda notaverat Origenes, ea cum iis, quæ relinquenda cenſuerat, in codicibus hodiernis confuſe poſita reperiuntur. Imo quibuſdam in locis, verborum eorumdem geminam videas interpretationem, alteram Septuaginta, alius interpretis alteram. Cum enim Septuaginta verſio Hebraïcam veritatem accurate exprimere non videbatur Origeni, is, ea obelo aut potius lemniſco notata, aliam aſteriſco ſignatam adjiciebat. Exemplo eſt verſus 1. Pſalmi 28. Heb. 29. הָבוּ לַיהוָה בְּנֵי אֵלִים, quarum vocum duplex interpretatio in codicibus hodiernis legitur; prima Septuaginta, *ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ υἱοὶ θεοῦ, afferte Domino filii Dei:*

Digitized by Google

ſecunda alius interpretis, *ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ υἱοὺς κριῶν*, *afferte Domino filios arietum;* quia voces בְּנֵי אֵלִים & *filios Dei*, & *filios arietum* ſignificant. S. Hieronymus in ſua Pſalmorum ex Hebræo interpretatione, neglecta priori commatis hujus verſione (*afferte Domino filii Dei*), quam neque in Hebræo, neque apud alios interpreres, Aquilam ſcilicet, Symmachum, Theodotionem, &c. reperiri aſſerit Euſebius; *Comment. in h. l. pag. 107. edit. Pariſ. 1706.* poſteriorem (*afferte Domino filios arietum*) ſequutus eſt.

Fruſtra igitur puram Septuaginta interpretum verſionem hodie quæſieris, etiam in editione Romana, in qua non ſolum integra Danielis tranſlatio opus Theodotionis eſt; verum etiam non paucæ aliarum verſionum lectiones deprehenduntur. Exempla inter alios ſuppeditat liber Eccleſiaſtis, in quo haud obſcura Aquilæ tranſlationis reperire eſt veſtigia. Is *contentioſus interpres*, ut eum vocat Hieronymus, *qui non ſolum verba, ſed etymologias quoque verborum, & ſyllabas ac literas transferre conatus eſt*, *Epiſt. ad Pammach. tom. 3. nov. edit. col. 255.* voculam את vulgarem caſus accuſandi notam, inrerprerari ſolet *σὺν cum*, quæ eſt primaria ejus ſignificatio, ut: Gen. 1. v. 1. *In principio creavit Deus* אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ, Aquila, *σὺν τὸν οὐρανὸν, καὶ σὺν τὴν γῆν*, *cum cælum, & cum terram* tranſtulit. Eodem modo particula illa converſa legitur Eccle. 7. v. 29. al. 30. עָשָׂה הָאֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם יָשָׁר, *ἐποίησεν ὁ Θεὸς σὺν τὸν ἄνθρωπον εὐθῆ*, *fecit Deus cum hominem rectum*. Cap. 8. v. 15. וְשִׁבַּחְתִּי אֲנִי אֶת־הַשִּׂמְחָה, *καὶ ἐπῄνεσα ἐγὼ σὺν τὴν εὐφροσύνην*, *& laudavi ego cum lætitiam*. Et v. 17. כִּי לֹא יוּכַל הָאָדָם לִמְצוֹא אֶת־הַמַּעֲשֶׂה, *ὅτι οὐ δυνήσεται ἄνθρωπος τοῦ εὑρεῖν σὺν τὸ ποίημα*, *quia non poterit homo invenire cum opus*, &c.

Vulgata interpretatio Latina longe propius ad Hebræum accedit, quam Græca Septuaginta. Quare plurimi eam faciunt ipſorum etiam Proteſtantium doctiſſimi; idque non ſolum habita veteris Teſtamenti ratione, verum etiam novi; cum illa verſio ad veteres codices recentioribus nonnunquam accuratiores fuerit adornata. Hinc [a] *Theodorus Beza* eam ſe *maxima ex parte amplecti, & ceteris omnibus anteponere* profitetur. [b] *Iſaacus Caſaubonus* ejus lectionem Græco textui hodierno, ſuis in notis ad Evangelia & Actus, non ſemel prætulir. *Ludovicus de Dieu* de ejus auctore hæc ſcribit: [c] *Si Vulgatum interpretem, quiſquis is tandem fuerit, doctum, imo doctiſſimum virum fuiſſe aſſeram, non me peccaſſe judicavero. Suos habet nævos, fateor, habet ſuos barbariſmos, ſed quin paſſim ejus fidem, judiciumque admirer, etiam ubi barbarus videtur, negare non poſſum.* In eadem ſententia erat *Hugo Grotius*, qui, cur notas ſuas ad Vulgatæ textum retulerit, rationem reddens, teſtatur [d] *ſe Vulgatum interpretem ſemper plurimi feciſſe, non*

a *Præfat. in verſion. ſuam Nov. Teſt.*
b *Vide not. in Matth. 15 v. 39. c. 21. v. 7. Joan. c. 11. v. 40. c. 18. v. 1. Act. c. 3. v. 2. c. 12. v. 8 &c.*
c *Præfat. in not ad Evang.*
d *Præf. annot. in Vet. Teſt.*

modo quod nulla dogmata inſalubria contineat , ſed etiam quod multum habeat in ſe eruditionis , quanquam in dicendi genere ſatis horrido. Verſionis hujus præſtantiam plus omnibus commendat *Paulus Fagius.* Imo in ſciolos , qui eam , ſi quando ab Hebræo diſſentire videatur , reprehendunt , libenter invehitur. *Satis temere agunt* , inquit , *qui ſicubi Vulgatam Latinam illam editionem non ad literam per omnia textui Hebraico correſpondere vident , exſibilant , damnant , rejiciunt , atque penitus explodunt , non attendentes quid vel quem ſequitur Vulgatus auctor ; cum enim à veritate Hebraïca diſſentire videtur , vel Septuaginta , vel Paraphraſtem Chaldæum , vel aliquem ex Rabbinis ſequutum fuiſſe , fere ſemper deprehendo. Non eſt ergo temere nata Vulgata editio , ut quidam score ſtulte & imprudenter clamitant.* Denique vir doctiſſimus , & de Sacrarum Literarum ſtudioſis optime meritus *Brianus Waltonus* , licet verſionem illam *proprie authenticam* non agnoſcat , quia αὐθεντίας vocabulum aliter quam Synodus Tridentina , & docti omnes Catholici , vult intelligere ; concludit tamen eam *magni faciendam , & non temere proſcindendam , tum propter ejus antiquitatem , & uſum generalem per Occidentem per mille annos : tum propter interpretis , quem Hieronymum ex parte majore agnoſcimus , doctrinam & fidelitatem , quem de Eccleſia bene meruiſſe gratis animis prædicant Proteſtantium doctiſſimi.... Ob eaſdem cauſas eandem in hac noſtra Bibliorum editione exhibemus , reliquis Latinis hodiernis omiſſis , quæ cum omnes ex Hebræi veteris , & Græci novi Teſtamenti hodiernis codicibus factæ ſint ; haud æquum judicavimus inter antiquas , quæ propter canitiem ſuam venerabiles exiſtunt , neotericas haſce collocare.*

Not. in cap. 4. verſ. ſua Lat. Paraph. Chal. ad cap. 4. Gen. v. 8.

Prolegom. 10. num. 12.

Jure itaque optimo Vulgata Latina à Synodo Tridentina declarata eſt authentica , hoc eſt , in iis ſaltem , quæ ad fidem & mores pertinent , erroris expers. Neque enim audiendi ſunt , qui hoc decreto Hebræum Græcumque textum aut abrogatum , aut Vulgatæ poſtpoſitum volunt. Sane , Tridentini Patres & doctiores erant , & Hieronymi ipſius obſervantiores , quam ut , declarata ejus verſione authentica , ab ejuſdem ſententia tam immane diſcederent. Is autem ſexcentis in operum ſuorum locis , Hebræos Græcoſque fontes conſulendos ait , ſi qua Græcos inter & Latinos codices reperiatur diverſitas. Unum aut alterum hîc laudare ſufficiat. *Sicut in Novo Teſtamento , ſi quando apud Latinos quæſtio exoritur , & eſt inter exemplaria varietas , recurrimus ad fontem Græci ſermonis , quo novum ſcriptum eſt Teſtamentum : ita in veteri Teſtamento , ſi quando inter Græcos Latinoſque diverſitas eſt , ad Hebraïcam confugimus veritatem , ut quidquid de fonte*

Seſſ. 4. can. 2.

Epiſt. ad Sun. & Fretel. tom. 2. nov. edit. col. 627.

Digitized by Google

proficiſcitur, hoc quæramus in rivulis. Et alio in loco: *Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt: ita novorum veritas Græci ſermonis normam deſiderat.* Aureum iſtud Hieronymi effatum tanti momenti ſemper fuit in Eccleſia Romana, ut vim legis in jure Canonico obtinuerit. Hîc obſervatum velim Hieronymum, cum hæc ſcriberet, Bibliorum Hebræorum partem maximam in Latinum ſermonem jam tranſtuliſſe, proindeque in ea non fuiſſe ſententia, ut, publici juris facta ſua interpretatione, fontem Hebræum adire non liceret, cum eam inter & veterem Italam, reperiretur diverſitas. Ea profecto erat S. Patris & modeſtia & æquitas, ut, quem Septuaginta interpretibus Spiritus ſancti afflatum negaverat, eum ſibi non arrogaret. *Neſcio*, inquit, *quis primus auctor Septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo exſtruxerit, quibus diviſi eadem ſcriptitarent, cum Ariſteas ejuſdem Ptolemæi ὑπερασπιστὴς, & multo poſt tempore Joſephus, nihil tale retulerint, ſed in una baſilica congregatos contuliſſe ſcribant, non prophetaſſe. Aliud eſt enim vatem, aliud eſſe interpretem. Ibi ſpiritus ventura prædicit, hic eruditio & verborum copia, ea, quæ intelligit, transfert. Niſi forte putandus eſt Tullius Oeconomicum Xenophontis, & Platonis Protagoram, & Demoſthenis pro Cteſiphonte, afflatus rhetorico ſpiritu tranſtuliſſe.* Sed tantum abeſt, ut ſuam verſionem quaſi Divino afflatu confectam, nec veritatis Hebraïcæ trutina examinandam crediderit S. Hieronymus: ut è contrario, qui illam exagitabant, eos ſæpius ad Judæorum tribunal provocaverit. *Edidi aliquid*, inquit, *quod non habetur in Græco, vel aliter habetur, quam à me verſum eſt: quid interpretem laniant? Interrogent Hebræos, & ipſis auctoribus, interpretationi meæ vel arrogent, vel derogent fidem.*

Epiſt. ad Luc. tom. 4. nov. edit. part 2. col 579.

Grat. diſt. 9. cap. ut veterum.

Prolegom. in Gen. tom. 1. nov. edit.

Lib 2. adverſ. Ruff. tom. 4. nov. edition. col. 427. Vide etiam proleg. in Gen.

Eccleſia itaque Tridenti congregata, cum Vulgatam editionem Latinam authenticam declaravit, eam duntaxat Latinis aliis verſionibus, quæ tunc temporis circumferebantur, antepoſuit; ſeu, repudiatis aliis, unam hanc Catholicis ſequendam propoſuit. Rei hujus teſtis eſt locupletiſſimus Alphonſus Salmero, è Societate Jeſu, qui & ipſe Concilio, Summorum Pontificum Pauli III. Julii III. & Pii IV. Theologus, interfuit. Is autem ſic loquitur: *Jam ſecundo loco oſtendamus non ita fuiſſe Vulgatam Hieronymi editionem approbatam, ut propterea rejecta ſint intelligenda vel Græca, vel Hebraïca volumina: quod non eſt difficile oſtendere. Nihil enim ibi de exemplaribus aut Græcis, aut Hebræis agebatur; tantum inter tot editiones Latinas, quot noſtra ſecula parturierant, quænam ex illis præſtaret, ſermo erat: & rejectis reliquis Latinis, unam hanc Vulgatam reliquis tanquam veriorem, puriorem,*

Proleg. 3. pag. 24. edit. Colon. 1602.

dilucidiorem , ac ſuis fontibus , unde eſt orta , magis conſentientem pronuntiavit..... liberum autem reliquit omnibus , qui Scripturas profundius meditantur , fontes Græcos aut Hebræos , quatenus opus ſit , conſulere , quo noſtram vitio librariorum , vel temporum injuria corruptam emendare valeant...... voluit (enim) *ſancta Synodus ad hanc Latinam editionem amplectendam & in omnibus conſectandam nos arctare , non quidem ſimpliciter ; ſed dummodo eſſet à vitiis , quæ in eam irrepſerunt , & ab omnibus mendis & erroribus emaculata atque repurgata..... Licebit* (igitur) *nobis , ſalva concilii Tridentini generalis auctoritate , ſive Græci , ſive Hebræi exemplaris lectionem variam producere , eamque uti verum Bibliorum textum expendere & enarrare ; nec tantum bonos mores per eam ædificare , verum etiam fidei dogmata comprobare & ſtabilire ; atque adeo ab illa ſumere efficax argumentum , tanquam ex textu Spiritus ſancti.* Doctiſſimo Salmeroni adſtipulantur [a] *Andreas Vega* , qui & ipſe concilio interfuit , [b] *Ribera* , [c] *Serarius* , [d] *Bellarminus* , [e] *Mariana* , [f] *Adamus Contzen* , [g] *Bonfrerius* , [h] *Pallavicinus* , aliique plures eruditi cum Theologi , tum Scripturæ interpretes , qui Vulgatam editionem Latinam Hebræis , Græciſque fontibus à concilio Tridentino non ſolum prælatam non fuiſſe ſentiunt , ſed nequidem in iis , quæ ad fidem & mores non ſpectant , declaratam authenticam , niſi quatenus emendatam. Et ſane ſi alia fuit Patrum Tridentinorum ſententia , quorſum Pius IV. Pontifex Maximus , [i] *lectiſſimis aliquot S. R. E. Cardinalibus , aliiſque tum ſacrarum Literarum , tum variarum linguarum peritiſſimis viris , eam provinciam demandavit , ut Vulgatam editionem Latinam , adhibitis antiquiſſimis codicibus manuſcriptis , inſpectis quoque HEBRAICIS GRÆCISQUE BIBLIORUM FONTIBUS , conſultis denique veterum Patrum commentariis , accuratiſſime caſtigarent ?* Cur idem inſtitutum proſequuti ſunt Pius V. & Sixtus itidem V. & alii , qui eos exceperunt , Summi Pontifices , donec tandem ſub initium Pontificatus Clementis VIII. [k] *quanta fieri potuit diligentia caſtigata* , ex Vaticana typographia prodiit ? Neque enim præfationis hujus auctores editionem illam *omnibus numeris abſolutam , pro humana imbecillitate* affirmare audent : ſed aiunt duntaxat eam *ceteris omnibus , quæ ad hanc uſque diem prodierunt , emendatiorem , purioremque eſſe , minime dubitandum.* Imo fatentur *in hac pervulgata Lectione , ſicut nonnulla conſulto mutata , ita etiam alia , quæ mutanda videbantur , conſulto immutata relicta ; quod ita faciendum eſſe , ad offenſionem populorum vitandam , ſanctus Hieronymus non ſemel admonuit* , &c.

a *Lib. 5. de Juſtif. c. 9.*
b *In cap. 9 Oſe. num. 11.*
c *Proleg. Bibl. c. 19. qq 11. 12*
d *Lib 2. de Verb Dei c 10.*
e *Tract. de Vulg. Lat. c. 9.*
f *Polit. lib. 5. c. 23.*
g *Præloq. in Script. S c. 14.*
h *Hiſt. conc. Trid. l 6. c. 17.*
i *Præfat. in Bibl. Sixti V. juſſu recognita , & Clem. VIII. auctoritate edita.*
k *Ibid.*

Alias verſiones cum Græcas Aquilæ , Theodotionis , Symmachi , &c.

quarum fragmenta poſtremus omnium auctiora edidit noſter D. *Bernardus de Montfaucon ;* tum Latinas recentiores ad veritatem Hebraïcam adornatas, locis Sacrorum Voluminum difficilioribus intelligendis perutiles eſſe haud inficiamur, ſed quibus hominibus ? Hebraïce peritis tantum, qui illas ad textum Hebræum exigere poſſunt, & de earum ἀκριβείᾳ judicare. Aliis autem plus obeſſe ſolent, quam prodeſſe ; cum varia unius ejuſdemque vocis interpretandæ ratio ſuſpenſos incertoſque teneat eorum animos, & quam, utpote Hebræo magis conſentaneam ſequantur, neſciant. Hinc ſæpe illis accidit, *quod ſapientiſſimo cuidam apud Græcos* ætate ſua contigiſſe teſtatur Hieronymus, *ut interdum Scripturæ ſenſum relinquens, uniuſcujuſlibet interpretis ſequeretur errorem.* Is autem Græcorum ſapientiſſimus, ſed Hebræarum literarum rudis, videtur eſſe Apollinarius, de quo paulo poſt idem S. Doctor : *Prætermitto Apollinarium, qui bono quidem ſtudio, ſed non ſecundum ſcientiam, de omnium tranſlationibus in unum veſtimentum pannos aſſuere conatus eſt, & conſequentiam Scripturarum, non ex regula veritatis* (Hebræo ſcilicet textu) *ſed ex ſuo judicio texere.* *Lib. 2. adv. Ruff. tom. 4. nov. edition. part. 2. col. 417.* *Ibid. col. 433.*

Fruſtra ſunt igitur, qui ſine linguæ Hebraïcæ ſubſidio, & ſolis verſionibus instructi, germanum univerſæ Scripturæ ſenſum aſſequi ſe poſſe exiſtimant. Et certe, ſi verum eſt axioma illud Rabbinicum : אין בתורה אפילו אות אחת שאין הרים גדולים תלויים בה *non eſt in Lege vel una litera, à qua non montes magni dependeant.* Si vera eſt iſthæc Chryſoſtomi ſententia : οὐδὲν ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχεν φθέγγεται ἡ θεία γραφή· ἀλλὰ κἂν συλλαβὴ τυγχάνῃ, κἂν κεραία μία, ἔχει τινὰ ἐγκεκρυμμένον θησαυρόν, *nihil temere vel fortuito loquitur Divina Scriptura ; ſed & ſyllaba, & apiculus unus reconditum habet theſaurum.* Et alio in loco : οὐδὲ συλλαβὴ, οὐδὲ κεραία μία ἐστὶν ἐγκειμένη παρὰ τῇ γραφῇ, ἣ μὴ πολὺς ἐναπόκειται θησαυρὸς ἐν τῷ βάθει, *neque ſyllaba, neque apiculus unus eſt in Scriptura, in cujus profundo non ſit ingens theſaurus.* Si hæc, inquam, vera ſunt, montes illi magni, ingenteſque ſenſuum reconditorum theſauri pereunt in verſionibus, quæ voces omnes integras, nedum earum ſyllabas & apiculos, omni ex parte nequeunt exprimere, ut jam ex Eccli. prologo, Origene, Hieronymo, & Auguſtino probatum dedimus, utque vel unico exemplo facile eſt oſtendere. Chriſtus Dominus v. g. non ſemel in Scripturis appellatur גאל, quam vocem Vulgatus interpres Latinus tranſtulit *redemtorem ;* ſed vocabulum iſtud nec modum redemtionis, nec redemtoris perſonam exprimit. Lxx. interpretati ſunt λυτρωτὴν, quæ vox innuit quidem pretium, quod in redemtione ſolvitur : at redemtoris qualitatem non aperit. Amplius adhuc ſigni- *Homil. 18. in Gen. tom. 4. nov. edition. pagg. 155. E. 157. A.* *Homil. 21. in Gen. ibidem pagg. 180. E. 181. A.*

Digitized by Google

ficat dictio Hebraïca גֹּאֵל; eum nempe, qui vel propinqui interfecti ſanguinem ulciſcitur; vel ejus bona, donatione, venditione, vel quoquomodo devoluta, aut quovis contractu implicata, jure propinquitatis ſibi aſſerit & vendicat. Ex quo patet qualem exoptaverint exſpectaverintque redemtorem Patriarchæ, Prophetæ, aliique quotquot exſtitêre in veteri Teſtamento Sancti. Is enim alius eſſe non poterat ab Homine-Deo, Chriſto videlicet Servatore noſtro, qui propinquus, imo & frater noſter, ut ſe ipſe vocat, necem noſtram ultus eſt ſua; & victo forti armato, univerſa ejus arma, in quibus confidebat, abſtulit; & ſpolia ejus, bona nempe, quibus ille nos ſpoliaverat, ſibi nobiſque poſtliminio reſtituit, aſſeruit, vendicavit. *Luc. 11. vv. 21. 22.*

Pereunt etiam, ut plurimum, in verſionibus propriorum nominum etymologiæ, quæ ſæpe myſterio non vacant, maxime cum à Deo vel Prophetis imponuntur. Quis enim Hebræi ſermonis imperito ſenſus, v. g. cum in Græca aut Latina tranſlatione legit Hevam primogenitum ſuum appellaſſe *Cain*, eo quod dixerit: *poſſedi hominem per Deum?* Quæ convenientia inter nomen *Cain*, & verbum *poſſedi*, quod in hac originatione reſpexit cunctorum viventium mater? Nulla ſane in verſionibus; at in Hebræo maxima. *Gen. 4. v. 1.* *Adam vero cognovit uxorem ſuam Hevam, quæ concepit & peperit* קַיִן *CAIN, dicens:* קָנִיתִי *CANITHI poſſedi hominem per Deum.* Heva eadem tertium filium ſuum vocavit *SETH*, vel, ut Hebræi pronuntiant, *SCHETH*, dicens: *POSUIT mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* *Ibid. v. 25.* Quæ analogia nomen inter *Seth*, & verbum *poſuit?* Hebræum intelligas, & voces illas inter ſe quam aptiſſime cohærere deprehendes; ideo enim nomen iſtud huicce filio ſuo indidit Heva, quia dixit: שָׁת *SCHATH poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Mitto nomina primis aliis hominibus impoſita, quorum origines in Hebræo plerumque inveniuntur, & ex quibus linguam hanc mundi coævam eſſe colligunt eruditi non pauci. Quod tamen argumentum aliis non videtur ἀποδεικτικόν. Quidni enim, inquiunt, fieri potuit, ut nomina illa Hebraïco ſermone fuerint à Moſe expreſſa, Hebræorum gratia, & in eundem ſignificatum, quem in primæva lingua obtinuerant? Rei hujus exempla ponere difficile non eſt. S. Hieronymus exponens illud: *Gen. 2. v. 23.* *hæc vocabitur* אִשָּׁה (iſchſchá) *quoniam* מֵאִישׁ (meiſch) *ſumta eſt*, eandem originationem nominibus Latinis eundem ſenſum, ſed diverſum ab Hebræis ſonum habentibus expreſſit: *hæc vocabitur VIRAGO, quoniam de VIRO ſumta eſt.* Eandem etymologiam in verſione ſua Græca retinuit quoque Symmachus: αὕτη κληθήσεται ἀνδρὶς, ὅτι ἀπὸ ἀνδρὸς

ἀνδρὸς ἐλήφθη, *hæc vocabitur VIRA, quia de VIRO ſumta eſt.*

Sed quid opus eſt in peregrinis linguis exempla quærere, cum in Hebraïca Moſes ipſe luculentum nobis ſuppediret? Sancti hujus legiſlatoris nomen putum putum Hebraïcum eſt; & tamen ex Ægyptiaca lingua ductum, quod ipſi primum impoſitum fuit. Nemo enim, opinor, finget ſibi Pharaonis filiam, Hebraïcæ, ut veriſimillimum eſt, ignaram linguæ, Hebraïcum nomen Moſi tribuiſſe. Sic tamen de ſe ipſe ſcribit: Heb. *Cum autem creviſſet puer, adduxit eum* (mater ejus) *ad filiam Pharaonis, fuitque illi in filium, & vocavit nomen ejus* מֹשֶׁה *MOSCHE, dicens: quia de aqua* מְשִׁיתִהוּ *MESCHITHIHOU extraxi eum.* Viden' & nomen iſtud, & verbum, ex quo fluit, eſſe Hebraïcum? Quod erat igitur nomen Moſis Ægyptium? Μωϋσῆς, aut Μωυσῆς, ut illud expreſſerunt Septuaginta, qui, cum in Ægypto verſionem ſuam confecerint, (ſi tamen & ipſi non fuerunt Ægyptii) nomen iſtud vel ab Ægyptiis accipere, vel traditione πατροπαραδότῳ ſcire facile potuerunt. At, inquies, quo fundamento nititur tua iſthæc aſſeveratio? [a] Philonis, [b] Joſephi, [c] Clementis Alexandrini, & [d] Euſtathii auctoritate, qui ſcribunt vocem Ægyptiacam μῶς, ſive μῶ, aut μῶϋ, *aquam* ſignificare; & [e] Joſephi [f] Euſtathiique verbis, quorum ille ait ὔσης, hic σὴς, *ſervatum* exprimere. Itaque ex μῶ & ὔσης, vel ex μῶϋ & σὴς, factum eſt nomen Μωϋσῆς, aut Μωυσῆς, ex *aqua ſervatus;* quod genuinum eſt Moyſi nominis etymon, cuique ex parte reſpondet Hebraïcum מֹשֶׁה, quod *extractum* ſignificat. Is enim, ut ſupra vidimus, ſic à filia Pharaonis appellatus eſt, quod extractus fuerit ex aqua; unde in ſuppoſititiis [g] Orphicis dicitur ὑδογενής, *in aqua genitus*, quod in ea natus crederetur, ex qua fuerat eductus At lingua Hebraïca hodierna, lingua ſit Adami, necne, parvi refert; cum θεοπνεύστους Veteris Teſtamenti Scriptores, in conſignandis Dei oraculis, ſi pauca capita Danielis & Eſdræ, quæ Chaldaïca ſunt, excipias, ea uſos eſſe conſtet apud omnes.

Sæpius etiam in aliis linguis evaneſcunt jucundæ illæ *paronomaſiæ*, luſuſque verborum, quibus puncti, aut literæ unius, pluriumve adjectione, detractione, trajectione, vel immutatione, alia efficitur ſententia; ut cum Abraham dicit ſe עָפָר וָאֵפֶר aphár vaépher, *pulverem & cinerem.* Item: *Exſpectavit* (Dominus) לְמִשְׁפָּט lemiſchpát *judicium, & ecce* מִשְׂפָּח miſpáhh *contumacia*, Vulg. *iniquitas*, לִצְדָקָה litſdaqá *juſtitiam, & ecce* צְעָקָה tſeaqá *clamor.* Et illud..... *quid tu vides Jeremia? Et dixi: virgam* שָׁקֵד ſchaqédh, Lxx. καρυΐνην, *nu-*

Exod. 2. v. 10.

a Lib. 1. de vita Moſ. pag. 605. edit. Pariſ. 1640.

b Lib. 2. Antiq. c. 5 pag. 56. edit. Genev. 1611.

c Lib. 1. Strom. pagin. 251. edition. Lugd. Batav. 1616.

d In Hexaem. pag. 79. edit. Lugd. 1629.

e Ibidem.

f Ibidem.

g Vide Voſſ. de Idol. lib. 1. c. 30. pag. 85. edit. Amſtel. 1700 & Huet. Demonſtrat. Evang. pagg. 61. 104. edit. Pariſ. 1679.

Gen. 18 v 17.

Iſai. 5. v. 7.

Jerem. 1. vv. 11. 12.

Comment. in h. l. tom. 3. nova edition. col. 530.

ceam, Theod. *ἀμυγδαλίνην*, *amygdalinam ego video. Et dixit Dominus ad me : bene vidiſti ; quia* שקד ſchoqédh *vigilabo ego ſuper verbo meo, ut faciam illud.* S. tamen Hieronymus, &, ipſo teſte, Aquila, necnon Symmachus, ut paronomaſiam Hebraïcam ſervarent, verterunt *virgam vigilantem.* Sed quid virga vigilans? Mitto innumeros alios orationis Hebraïcæ floſculos, quos in Syntaxi figurata reperies, quoſque in verſionibus fruſtra quæſieris; linguæ enim ſanctæ, ſicuti & aliis, ſuæ ſunt dicendi veneres, ſui Atticiſmi, ſui lepores; nedum inculta ſit & barbara, qualis ejus imperitis, aut parum in ea exercitatis, videtur.

IV. ARGUMENTUM

Ex Commentariis linguæ Hebraïcæ intelligentiam ſupplentibus conflatum.

» SI duobus abhinc ſæculis tanta linguæ Hebraïcæ comparata eſt
» intelligentia, quantam crepant ætatis noſtræ Hebraïzantes; in-
» numeros habemus in univerſam Scripturam commentarios à viris He-
» braïcæ peritiſſimis elaboratos, in quibus Hebræarum vocum poteſtas
» accurate diſquiritur, linguæ hujus idiotiſmi erudite explicantur, &
» reconditiora quæque illius myſteria Latine tantum ſcientibus aperiun-
» tur. Quid igitur opus eſt ut in addiſcenda lingua difficili, barbara,
» à Græca & Latina, noſtriſque vulgaribus idiomatis plane diverſa,
» tempus aliis in ſtudiis utilius ponendum conteramus?

CONFUTATIO.

Lib. 2. adv. Ruff. tom. 4. nov. editionis, part. 2. col. 427.

NON minor ſæpe eſt de ejuſdem vocabuli aut commatis ſenſu, in optimis etiam quibuſque commentariis, quam in verſionibus, opinionum diverſitas. Præterquam quod igitur, ut verbis Hieronymi utar, *magnorum ſumtuum eſt, & infinitæ difficultatis* (eorum) *exempla habere omnia : qui habuerint, & Hebræi ſermonis ignari ſunt, magis errabunt ignorantes quis è multis verius dixerit.* Vocum poteſtatem, ſermonis idiotiſmos, &c. in commentariis exponi non inficior equidem : at quomodo ipſos etiam commentarios intelliges, niſi aliqua ſaltem linguæ Hebraïcæ cognitione imbutus ad eos acceſſeris? Quomodo picturæ rudis variam egregiæ alicujus tabellæ pulchritudinem ab eximio licet pictore tibi oſtenſam poteris animadvertere, nedum mirari? *Quam multa enim*, inquit Tullius, *vident pictores in umbris & in eminentia, quæ nos non videmus? Quam multa*, ut cum

Acad. quæſt. IV num. Grut. 7. Vulg. 20.

Digitized by Google

eodem Tullio aliam è muſica ducamus ſimilitudinem, *quæ nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati, qui primo inflatu tibicinis, Antiopam eſſe aiunt, aut Andromacham, cum nos ne ſuſpicemur quidem?* Sed quid opus eſt in eo probando diutius immorari, quod veriſſimum eſſe quotidiana docet experientia? Quotus enim quiſque eſt, qui Hebræi ſermonis ignarus, iſtiuſmodi opera & perfecte intelligere, & iis, ſine ullo erroris periculo, uti poſſit? *Ibidem.*

Cum igitur & in literis, & in vocalibus, mendorum ſaltem alicujus momenti, purus atque integer, ſingulari Dei beneficio, ad nos uſque pervenerit textus Hebræus; ejuſque intelligentia ad genuinos Scripturæ ſenſus eruendos ſit neceſſaria: eam quovis pretio comparare debent SS. Literarum ſtudioſi. Nihil autem eſt, quod eis hac in re majori adjumento eſſe poſſit, quam accurata Grammaticæ Hebrææ cognitio. Nam ut recte ſcribit Qimhhi in fine Michlól:

אֲשֶׁר לָמַד וְתוֹרָה לוֹ לְקִנְיָן
וְלֹא לָמַד יְסוֹד דִּקְדּוּק וְלֹא בָן
כְּמוֹ חוֹרֵשׁ אֲשֶׁר יִנְהַג שְׁוָרִים
וְיָדוֹ מִבְּלִי מַלְמַד וְדָרְבָן

Qui diſcit, ut Lex (ſit) *ei in poſſeſſionem;*
Et non diſcit fundamentum Grammaticæ, neque intelligit,
(Eſt) *ſicut arator, qui agit boves,*
Et manus ejus (eſt) *ſine baculo aut ſtimulo.*

Qimhhio adjungimus *Aben-Eſram*, qui comment. in cap. V. Eccleſiaſtis ridet eos, qui Grammaticarum inſtitutionum ignari, cibis benedicendis obſcœnitatem adhibent. אנחנו חייבים לדעת דקדוק הלשון היטב שלא נטעה כמו המברכים ברכת המזון שיאמרו זננו ולא ידעו כי זננו הוא מן זנה כמו עננו מן ענה ולא יאמרו מן זן כי אם זוננו כמו שובנו אלהי ישענו וגו׳ *linguæ grammaticam ſcire accurate tenemur, ut non erremus ſicut ii, qui cibum benedicentes dicunt* זַנֵּנוּ, *& neſciunt* זַנֵּנוּ *eſſe à* זָנָה, *ſicut* עֲנֵנוּ (exaudi nos) à עָנָה; *neque dici à* זָן, *niſi* זוּנֵנוּ (ciba nos), *ut:* שׁוּבֵנוּ אֱלֹהֵי יִשְׁעֵנוּ converte nos Deus ſalutis noſtræ, &c.

Vides ad Hebræum intelligendum, recteque pronuntiandum, quantæ ſit neceſſitatis accurata grammaticæ cognitio. Jam noſtræ, in ſecunda præfationis hujus parte, exponenda eſt occaſio, diſtributio, & argumentum.

ō ij

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

§. I.

Suſcipiendi hujus operis occaſio, ejuſque in libros ac volumina diſtributio.

TAMETSI duobus abhinc ſæculis Grammaticarum Hebræarum numerus adeo excreverit, ut minuendus potius videatur quam augendus: nullam tamen hactenus publici juris eſſe factam, quæ & auctorum promiſſis, & legentium exſpectationi reſponderet, diu eſt quod queruntur eruditi. Ex iis enim, inquiunt, qui ad id ſcribendi genus animum adpulêre, alii, dum breves eſſe laborarunt, facti ſunt obſcuri; dumque in tabellas & compendia adornanda toti incubuerunt, maximam artis illius partem ſilentio prateriêre, quam tamen qui neſcit, is, cum Hebræi textus interpretationem aggreditur, in ſingulis pene verſibus, imo & verbis, hæreat neceſſe eſt. Ex quo fit, ut in comparandis prolixioribus Grammaticis, duplicem ſumtum facere cogatur; quod omnibus per eorum facultates non licet. Alios è contrario videas, qui omne punctum tuliſſe exiſtiment, cum omnia fuſe, ſæpius etiam & confuſe, ita proſequuntur; ut non tam neceſſaria perſpicue docendi conſilio, quam ſtudio nihil omittendi, Grammaticas ſcripſiſſe videantur. Arduum ſane opus ita brevitati ſimul & perſpicuitati ſtudere, ut nihil omittatur utile, & inutile ingeratur nihil. Geminum hunc ſcopulum ut declinarem, omni ope atque opera eniſus ſum. Utrum vero res ex ſententia ſucceſſerit, mediamque feliciter tenuerim viam, aliorum ſit judicium: eam certe, qua potui diligentia, inveſtigavi.

Ceterum nova hæc Grammatica tres in libros dividitur, quorum primus tractat Etymologiam, ſeu, ut accuratius loquar, Analogiam. Secundus tradit Syntaxim, ſeu vocum conſtructionem. Tertius varia cum ad grammaticam, tum ad literaturam Hebraïcam pertinentia complectitur; ita ut opus iſtud his, qui in Hebræis plus ſapere nolunt, quam oportet ſapere; ſed ſapere volunt ad ſobrietatem, bibliothecæ Hebraïcæ loco eſſe poſſe videatur.

Tres autem illi libri duobus voluminibus comprehenduntur, quorum primum quidem Etymologiam cum Syntaxi ſimplici continet; alterum vero Syntaxim figuratam & Grammaticæ Chaldaïcæ compendium, una cum variis tractatibus in quarto ſecundæ hujus partis paragrapho recenſendis, & indicibus.

Digitized by Google

§. II.

Libri primi argumentum.

LIBRUM primum quod attinet, id ante omnia cavendum in eo duximus, ne præceptionum mole, tyronum obrueretur memoria. Unde, quæ primo aut altero menſe diſcenda ſunt, ea majori charactere, & ducto per integram paginam verſu, edenda curavimus: quæ vero peritioribus, aut ſaltem per aliquod tempus hac in palæſtra exercitatis conveniunt, ea duplici columna, minoribuſque literis excuſa reperies. Paginarum itaque numero, & voluminis ſpiſſitate, nequaquam terreatur linguæ ſanctæ candidatus; omiſſis enim præſens in tempus Notis, Appendicibus, Exceptionibus, &c. pauca ſupererunt plane rudibus addiſcenda. Nam quemadmodum in omnibus perſpicuitati, ita & in iis, quæ aut facilia ſunt, aut quæ incipientibus non ſunt neceſſaria, brevitati conſuluimus. At quæ ſunt intricatiora, hæc paulo fuſiori oratione proſequuti ſumus, rati nihil nos in brevitatem peccaturos, modo ab omnibus intelligeremur, & regulas quaſdam ſatis difficiles, tyronum omnium captui accommodaremus. Quapropter punctorum vocalium in nominibus ob conſtructionem & affixa mutatio quadruplici ratione proponitur, ut, quibus hac forte non ſucceſſerit, alia aggrediantur via. Non ſolum verba perfecta, & ſimpliciter imperfecta: verum etiam quæ dupliciter imperfecta ſunt, aut ſpeciali aliqua ratione à perfectis, vel imperfectis diſcrepant, ſic integra flectuntur; ut nullam in poſterum exhibitura ſint, opinor, tyronibus moleſtiam. Præter integram conjugationem *Qál* verbi פָּקַד *tradidit*, cum affixis deſcriptam, exhibuimus etiam in appendice alias ejuſdem verbi conjugationes, quæ affixa ſuſcipiunt; necnon verborum imperfectorum perſonas ſingulas cum omnibus, aut ſaltem cum præcipuis affixis conjunctas: adeo ut quamlibet hujuſcemodi perſonam cum affixis compoſitam in textu Biblico invenerit candidatus, adeat prædictam illam appendicem, in ea perſonam illam, aut aliam ei ſimilem, reperiat. Quod quidem ſine prolixitate aliqua fieri non potuit; ſed eam non mediocri labore tyrones levaturam exiſtimo. Haud minori ipſis erunt adjumento alia ſchemata, ſeu paradigmata, quæ longe plura in hac Grammatica, quam in aliis, reperiuntur; cum enim regulas variis in locis traditas, uno in conſpectu collectas exhibeant; ad faciliorem earum intelligentiam ac recordationem non parum videntur conducere.

Ex variis modis, quibus regulas illas proponere licet, is à me ſelectus eſt, & aliis antepoſitus, quo illas ſtatim, aut ſaltem facilius, ab omnibus intellectas animadverti, cum ſodales meos linguam Hebraïcam, Chaldaïcam, & Græcam edocendi munus mihi à Præpoſitis meis decem annos & amplius aſſignatum ſuſtinerem. Quid plura? Prima linguæ Hebraïcæ & Chaldaïcæ rudimenta ea brevitate, eaque, ut mihi videtur, perſpicuitate tradita ſunt, ac per ſchemata & tabellas diſpoſita: ut bimeſtri ad ſummum labore, etiam qui præceptore deſtituuntur, ea facillime queant addiſcere, & utrumque textum haud mediocriter interpretari; modo ſtudii hujus feliciter inſtituendi rationem inferius proponendam accurate ſequantur. Nec vero arroganter aut ὑπερβολικῶς hoc dictum exiſtimari velim; nam præterquam quod rei hujus periculum jam fecit non nemo; alias aliis ſcientias concedens; quod eſt grammatici proprium, clare diſtinctéque artis hujus regulas tradere, quoniam in eo ſtudio maximam ætatis meæ partem conſumſi, ſi id mihi aſſumo, videor id meo jure quodam modo vindicare. His de etymologia generatim obſervatis, quædam etiam de notis, appendicibus, & exceptionibus ſpeciatim dicenda ſunt.

Præcipua notarum argumenta ſunt diſquiſitiones aliquot criticæ & hiſtoricæ; maxime vero fundamentorum, quibus pleraque artis hujus præcepta innituntur, expoſitio. Neque enim Lingua Hebraïca in otioſorum hominum loquacitate, aut arbitrio fundatur; ſed in ratione ipſa: adeo ut vel Deum ipſum auctorem habeat neceſſe ſit, ut arbitrantur quamplurimi; vel ipſam naturæ, quæ in primis hominibus totam ſe conſpiciendam exhibebat, ſimplicitatem. Si enim quæratur v. g. cur in verbis Latinis primæ conjugationis, ſecunda perſona ſingularis præteriti indicativi modi deſinat in *aviſti*, ut *amaviſti*, nulla alia ratio reddi poteſt, quam *ſic voluit uſus.* At in Hebræo ſecus eſt; אהבתה enim vel אהבת *amaviſti*, componitur ex verbo אהב *amavit*, & ultima pronominis ſecundæ perſonæ ſyllaba אתה vel את attá *tu.* Neque etiam primariæ vocis, cum ex maſculina fit feminina; aut cum ex ſingulari numero mutatur in dualem vel pluralem; aut cum recipit affixa, &c. puncta vocalia temere mutantur. Viciſſitudinis hujus cauſæ ſunt ex linguæ ipſius natura petitæ, quas his in notis paſſim expoſitas reperies; maxime vero in libri primi fine, & interdum etiam in obſervationibus mutationi illi præmiſſis, iiſque majori charactere excuſis. Cum enim opus iſtud non pueris, ſed viris ſubacto ingenio, qui fere ſoli apud Chriſtianos linguæ ſanctæ operam navant, adornatum ſit; futurum nihil credidimus, quod eos ad id ſtudii exacueret magis, quam ſi

Cap. XVII. Art. III pag. 413. & ſeqq.

Digitized by Google

regularum cum ratione ipſa, quoad ejus fieri poteſt, conſenſionem oſtenderemus.

Appendices ea complectuntur, quæ licet ad argumentum, de quo diſputatur, pertineant; incipientibus tamen non ſunt plane neceſſaria. Nihil enim eſt, quod diligentius præcavere debeat is, qui linguæ cujuſvis rudimenta tradit, quam ne regulis generalibus quid admiſceat, quod in aliud tempus differri poſſe videatur. Secus, tyrones præceptionum multitudine terrentur, & vix ſtadium ingreſſi deſpondent animum. Permagni intereſt igitur, ut non ſolum anomala ab analogis, verum etiam regulæ minus neceſſariæ ab iis, ſine quibus linguæ cognitio generalis haberi nequit, diligentiſſime ſecernantur.

In exceptionibus continentur voces anomalæ, quarum non minimam partem, fictis aliis nominum verborumque formis, ad analogiam revocare ſtuduimus. Cum enim unicus nobis ſuperſit liber purus putus Hebraïcus, Veteris nempe Teſtamenti codex, quî fieri poteſt, ut is omnes & nominum & verborum ſpecies complectatur? In definiendis autem vocibus analogis & anomalis, hanc ſequuti ſumus regulam: quas plures numero, ſive in conſtructione, ſive cum affixis, &c. eandem ſervare analogiam deprehendimus, ex his generales à nobis conſtitutæ ſunt regulæ; ex aliis vero ejuſdem formæ, ſed paucioribus, & diverſam ſequentibus analogiam, fecimus exceptiones. Cum autem anomaliæ illæ, ſive exceptiones, alia atque alia ratione à grammaticis exponantur, varias eorum, unà cum noſtra, ſententias attulimus, imo quamplures ex his anomaliis ad Chaldæorum Syrorumque dialectum, cum doctiſſimo *Altingio*, retulimus, ut quæ ſibi magis arriſerit explicandi ratio, eam ſequatur diligens vocum Hebraïcarum indagator. Cum etiam hæ anomaliæ in ſolis plerumque punctis vocalibus poſitæ ſint, hinc colligere eſt, ut jam obſervarunt viri eruditi, puncta illa à Maſſorethis non ad arbitrium ſuum, ſed ad traditionis fidem, Hebræis voluminibus adjecta eſſe; alioquin Rabbini illi & planiorem & expeditiorem nobis tradidiſſent lectionem. Hic etiam lectorem monitum velim, nos in ponendis regularum exceptionumque exemplis, Scripturæ loca, unde illa petuntur, ſæpius non laudaſſe: tum ne volumen iſtud, quod jam ſat ſpiſſum eſt, nimiam in molem excreſceret; tum quia vocum regularium exempla non pauca ex ipſa analogia, ut ea magis ac magis pateret, attulimus; tum denique quod id tyronibus ſupervacaneum duximus atque inutile; cum in alterius voluminis fine, dictionum anomalarum & difficilium indicem habituri ſint locupletiſſimum.

Lib. 1. Cap. XVII. Artic. I. II. pag. 406, & ſeqq.

Digitized by Google

§. III.

Libri ſecundi argumentum.

LIBER ſecundus in tradenda Syntaxi cum ſimplici, tum figurata, totus occupatur.

In Syntaxi ſimplici, ſingulis orationis partibus diligenter excuſſis, quod in earum qualibet Hebraïcæ linguæ proprium eſt, id & diſtinctis canonibus explicatur, & exemplis cum ex Veteri, tum ex Novo Teſtamento, ſæpius etiam ex profanis auctoribus, adductis confirmatur. Quanvis enim Novi Fœderis ſcriptores θεόπνευστοι Græcis vocibus uſi ſint; eorum tamen phraſis, pluribus in locis, ſapit Hebraïſmum; nec ſine accurata linguæ hujus notitia poteſt intelligi. Quid mirum? Cum enim Hebræi eſſent Apoſtoli, linguæ ſuæ idiotiſmum plerumque retinuerunt; adeo ut politioris literaturæ Græcis eorum ſcribendi ratio extranea videatur atque barbara. Unde doctiſſ. *Heinſius* non in uno exercitationum ſuarum in *Nonni* paraphraſin loco obſervat S. Joannem Evangeliſtam *Helleniſtica lingua ſcripſiſſe, ſed in Syriaca ea, qua ſcripſit, concepiſſe.* Eodem plane modo de Septuaginta Græcis interpretibus judicandum, quorum eloquutio non ſolum ſæpiſſime Hebraïca eſt, ſed voces etiam quamplurimæ ſenſu Hebraïco, & à puriori Græcitate diverſo ſunt accipiendæ; quod in Novo etiam Teſtamento faciendum. Hinc librorum illorum dialectus non male ab erudito quodam, *Synagoga Græciſmus* appellatur.

Rich. Simon. Hiſt. Crit. V. T. l. 2. c. 3. p. 200. col. 2. edition. Amſtel. 1685. Vide eund. in præf. verſ. ſuæ Gall. N. T. edit. Trevolt. 1702. paulo ante med.

Vera narras, inquies, de Græcis Veteris Teſtamenti interpretibus, & ſcriptoribus Novi. Sed quid profanis auctoribus cum Hebræis? Quid? Jam audies. Lingua Hebraïca, cum ſit omnium prima, aut ſaltem antiquiſſima, nihil ab aliis mutuatur, ſed non viciſſim; aliæ enim ab illa acceperunt non ſolum voces quamplurimas, quas collegerunt eruditi, verum etiam idiotiſmos non paucos, qui linguæ hujus imperitis vocantur ἀρχαϊσμοὶ archaïſmi, ſeu *veteres loquendi formulæ.* Ita Donato (aut ſaltem ſcholiorum, quæ ejus nomine inſcribuntur, auctori) appellatur Terentiana illa loquutio: *Neſcio quid profecto abſente nobis turbatum eſt domi.* Hæc in verba ſic ſcribit ille Grammaticus: *aut ſubdiſtinguendum eſt & ſubaudiendum* me; *aut* ἀρχαϊσμὸς *figura eſt*, abſente nobis, *pro* nobis abſentibus. Verum archaïſmus ille fundatur in Hebræo, in quo adjectivum ſingulare nonnunquam conſtruitur cum ſubſtantivo plurali; qua Syntaxi diſtributio ſignificatur. Vide hunc canonem in lib. II. pag. 467. exemplis tum ex Hebræo, tum

Eunuch. Act. IV. Sc. III. v. VII.

tum ex Varrone, Pomponio, Catullo, Tibullo, petitis confirmatum. Quanto igitur in errore verſantur, qui linguæ Hebraïcæ cognitionem ad unius Scripturæ intelligentiam utilem ad ſummum eſſe, quaſi ex tripode pronuntiant!

In Syntaxi figurata traduntur figuræ cum Grammaticæ tum Rhetoricæ. Utraque autem Syntaxis ex *Salomonis Glaſſii* Philologia Sacra, eruditis omnibus notiori, quam ut de illa uberius hîc prætari neceſſe ſit, maxima ex parte concinnata eſt. Neque enim doctiſſimi hujus viri opus ad verbum nobis tranſcriptum exiſtimes. Nam quæ minus neceſſaria viſa ſunt, ea ipſi reliquimus, maxime vero prolixas illas, in quas identidem excurrit adverſus Catholicos controverſias, ex quibus nullum ſolidum conficitur argumentum. Vice verſa, quæ deeſſe credidimus, hæc ex aliis auctoribus, qui in eodem argumento cum laude verſati ſunt, ſæpius etiam ex nobis, adjecimus. Quænam vero illa ſint, qui utriuſque operis contentionem fecerit, is facile, ut ego quidem arbitror, animadvertet. Unum hîc commemorabo, nempe rationem, quam identidem atque obiter attuli, cur in vertendo uno eodemque Scripturæ loco aut verbo, ſæpius & à ſe invicem, & ab Hebræo ipſo diſſideant interpretes. Ea autem eſt multiplex.

I. Literarum quarumdam ſimilitudine decepti, aliam pro alia legerunt, ut: *Maledicta terra* בַּעֲבוּרֶךָ *propter te.* Lxx. ἐν τοῖς ἔργοις σου, *in operibus tuis.* Vulg. *in opere tuo.* Legebant בַּעֲבוּדֶךָ cum ד loco ר, ab inuſitato nomine עֲבוּד, formæ חֲרוּל. Gen. 3. v. 17.

II. Codices eorum voces Hebraïcas cum unius aut plurium literarum trajectione exhibebant. Unius: כִּתְּרוּ אֶת־בִּנְיָמִן *cinxerunt Benjamin*, Jud. 20. v. 43.
vel *Benjaminitas.* Lxx. κατέκοπτον τὸν Βενιαμὶν, *conciderunt Benjamin.* Legebant כִּרְתוּ in piél hodie inuſitato, vel כָּרְתוּ in qál. Trajectis pluribus literis: *Ipſe diripiet* אוֹצַר *theſaurum omnis vaſis deſiderabilis.* Lxx. Oſe. 13. v. 15.
Ipſe areſaciet τὴν γῆν αὐτοῦ, *terram ejus, & omnia vaſa deſiderabilia ejus,* pro אוֹצַר *theſaurum*, legebant אַרְצוֹ *terram ejus.*

III. Literas ejuſdem organi quandoque invicem commutarunt. פֶּרֶא Ibid. c. 8. v. 9.
בּוֹדֵד לוֹ, Aquila, ὄναγρος μονάζων ἑαυτῷ, Vulg. *onager ſolitarius ſibi.* Theodotio & V. editio, ὄναγρος μονάζων καθ' ἑαυτον, *onager ſolitarius apud ſeipſum.* Lxx. ἀνέθαλε καθ' ἑαυτὸν, *refloruit apud ſeipſum.* Symmachus, ἀνέθαλλεν ἐν ἐμοὶ, *reflorebat in me.* Pro פֶּרֶא nomine ſubſtantivo, Lxx. & Symm. legerunt פָּרַח *floruit*, *refloruit*, in præterito qál verbi פָּרַח; aut א in ח ejuſdem organi literam commutandum exiſtimaverunt. Præterea Symmachus pro לוֹ *ſibi*, legit לִי *mihi*, vel בִּי *in me.*

IV. Voces hodie ſeparatas conjunxerunt. *Humiliavi omnes inimicos* 1. Paral. 17. v. 10.

ū

tuos, וְאַגֵּד לָךְ *& annuntio tibi*, &c. Vulg. *annuntio ergo tibi*, &c. Lxx. *καὶ αὐξήσω σε*, *& augebo te*, vel *magnificabo te*, &c. pro וְאַגֵּד לָךְ, conjunctim legerunt וַאֲגַדְּלָךְ, à גָּדַל in hiphil.

V. Vice verſa, voces conjunctas ſepararunt; idque vel ſimpliciter, vel mutata, aut addita aliqua litera.

Oſe. 11. v. 2. Simpliciter: *Vocaverunt eos, ſic abierunt* מִפְּנֵיהֶם לַבְּעָלִים יְזַבֵּחוּ *à facie eorum, Baalim immolabant*, &c. Sic Vulg. At Lxx. *καθὼς μετεκάλεσα αὐτοὺς, οὕτως ἀπῴχοντο ἐκ προσώπου μου, αὐτοὶ τοῖς Βααλεὶμ ἔθυον*, *ut vocavi eos, ſic abierunt à facie mea, ipſi Baalim immolabant.* Pro מִפְּנֵיהֶם diviſim legebant מִפָּנַי, aut in pauſa מִפָּנַי הֵם *à facie mea, ipſi*; juncto pronomine הֵם *ipſi* cum ſequenti pericope, *Baalim immolabant.*

Pſal. 4. v. 3. Mutata litera: *Filii hominum, uſquequo* כְבוֹדִי לִכְלִמָּה *gloriam meam* (vertetis) *in ignominiam?* Lxx. *Filii hominum, uſquequo βαρυκάρδιοι; ἵνα τί ἀγαπᾶτε ματαιότητα*, &c. *graves* (eſtis) *corde, ut quid diligitis vanitatem*, &c. Pro כְבוֹדִי *gloriam meam*, legerunt כִּבְדֵי *graves*, &. vocem לִכְלִמָּה tribuerunt in duas, nempe לִכ, ex qua fecerunt לֵב *cor*, mutato כ in ב, & לִמָּה, cujus loco legerunt לָמָּה *ut quid? quare?*

Pſal. 10. Heb. 11. v. 1. Addita litera: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: tranſmigra* הַרְכֶם צִפּוֹר (in) *montem veſtrum, ô avis?* Lxx. & Aquila, *εἰς* vel *ἐπὶ τὰ ὄρη, ὡς στρουθίον*, *in montes*, Vulg. Lat. *in montem, ſicut paſſer?* S. Hieron. *in montem, ut avis?* Diviſim legerunt הַר כְּמוֹ, adjecto (ו) ad ſecundæ vocis finem, unde factum eſt adverbium ſimilitudinis

Gen. 1. v. 9. כְּמוֹ, de quo pag. 376. col. 2. pro כְּ *ſicut*. Item: *Et dixit ad eos:* עִבְרִי אָנֹכִי Vulg. *Hebræus ego ſum.* Lxx. *δοῦλος κυρίου εἰμὶ ἐγώ*, *ſervus Dei ſum ego.* Legerunt עֶבֶד יָהּ אָנֹכִי, mutato ר in ד, & adjecto ה ad (י), quod ex priori voce detraxerunt, ut ex illo & ה addito, nomen Dei יָהּ efficerent. Vel ſic præ ſe ferebant eorum codices.

VI. Cum aliis vocalibus legerunt, ſeu alias inter legendum vocales

Gen. 47. v. 31. ſuppleverunt, quod omnium ſæpiſſime accidit. וַיִּשְׁתַּחוּ יִשְׂרָאֵל עַל־רֹאשׁ הַמִּטָּה, Aquila, *καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῆς κλίνης*, *& adoravit Iſraël ſuper caput lecti.* Symmachus, *καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλίνης*, *& adoravit Iſraël ſuper ſummitatem lecti.* Vulg. Lat. *adoravit Iſraël* (Deum) *converſus ad lectuli caput.* Lxx. autem,

Heb. 11. v. 21. &, qui eos ſequutus eſt, Apoſtolus: *καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ*, interp. Lat. *& adoravit Iſraël* (Græc. ſuper) *faſtigium virgæ ejus.* Pro הַמִּטָּה *lecto*, Lxx. legerunt הַמַּטֶּה *virgam*; quam

Tom. 2. nov. edit. part. 1. col. 544. lectionem non videtur approbare S. Hieronymus quæſt. in Gen. ubi ſic loquitur: *Et in hoc loco quidam fruſtra ſimulant adoraſſe Jacob ſummitatem ſceptri Joſeph, quod videlicet honorans filium, poteſtatem ejus adoraverit;*

cum in Hebræo multo aliter legatur, & adoravit, *inquit*, Iſraël ad caput lectuli, *quod ſcilicet poſtquam ei juraverat filius, ſecurus de petitione, quam rogaverat, adoravit Deum contra caput lectuli ſui.*

VII. Textus Hebræus quibuſdam in locis amanuenſium vitio potuit eſſe corruptus. אַךְ אִם־אַתָּה לוּ שְׁמָעֵנִי *veruntamen, ſi tu, quæſo, audias me.* Quæ verba obſcura ſunt, nec ſine vocum plurimarum ellipſi poſſunt intelligi. Vulg. *Quæſo, ut audias me*, voces אַךְ אִם־אַתָּה, ut ſenſum planiorem efficeret, neglexit. Lxx. *ἐπειδὰν πρὸς ἐμοῦ εἶ, ἄκουσόν μου, quandoquidem à me es, audi me*, hoc eſt, quandoquidem mihi faves, &c. Pro לוּ legebant לִי, ut habet etiam Samaritanus: ࠀࠌ ࠀࠕࠄ ࠋࠉ *ſi tu mihi es*, &c. Occurrit eadem loquutio 4. Reg. 10. v. 6. אִם־לִי אַתֶּם, Lxx. *εἰ ἐμοὶ ὑμεῖς, ſi mihi vos* eſtis. Vulg. *ſi mei eſtis*, i. e. ſi à me ſtatis, &c. Gen. 23. v. 13.

VIII. Verſiones ipſæ eadem librariorum indiligentia vel etiam imperitia depravatæ ſunt, quod frequentiſſimum eſt. צֵידָהּ בָּרֵךְ אֲבָרֵךְ mſ. Alex. & alii quidam, *τὴν χήραν αὐτῆς εὐλογῶν εὐλογήσω*, Vulg. Lat. & Æthiop. *viduam ejus benedicens benedicam*, quod mendoſum eſt, pro *τὴν θήραν venationem*, ut habent Lxx. Vatic. Theod. & V. editio. Eodem ſenſu Aquila *ἐπισιτισμόν*, Symmachus *σῖτον cibum, eſcam*, interpretantur. Et alio in loco: בַּלֹּתִי בְּשֶׁמֶן רַעֲנָן S. Hieron. *ſenectus mea in oleo uberi.* Symm. *ἡ παλαίωσίς μου ὡς ἐλαία εὐθαλής, inveteratio*, ſeu *ſenectus mea ut oliva florida.* Legebat כְּשֶׁמֶן cum כ pro ב. Lxx. Vatic. mendoſe: *τὸ γῆράς μου ἐν ἐλέῳ πίονι*, Vulg. Lat. *ſenectus mea in miſericordia uberi.* Recte editt. Aldina & Complutenſis: *ἐν ἐλαίῳ, in oleo*, &c. Quin & olim ita verterint Lxx. nullus dubito. Pſal. 131. Heb. 132. v. 11. Pſal. 91 Heb. 92. v. 11.

IX. Denique variis interpretationibus locum dedit, 1°. Varia unius ejuſdemque vocis Hebraïcæ, etiam eodem modo lectæ, ſignificatio, quam alia atque alia ratione, pro ut ſeries orationis ſibi poſtulare videbatur, reddiderunt interpretes. 2°. Diverſa commatum interpunctio; in antiquis enim Hebræis codicibus, ſicut & in Græcis ac Latinis, nulla erat ſententiarum, imo & vocum diſtinctio: ſed illæ eodem ductu, & nullo relicto ſpatio, ſcribebantur. Unde Doctores Thalmudici aiunt totam legem fuiſſe primo traditam, quaſi eſſet unum *paſóuq*, ſeu verſiculus. 3°. Minor, quam par erat, in quibuſdam interpretibus linguæ Hebraïcæ cognitio. In libris enim difficilioribus, puta Pſalmis, Jobo & Proverbiis, ipſi interdum Septuaginta ſic interpretantur, ut, aut alium codicem Hebræum habuiſſe, aut parum admodum in eo exercitati videantur eruditis quamplurimis. Sæpe tamen immerito caſtigantur, idque maxime in vocum quarumdam ſenſibus, quos interdum jure amplifi-

Digitized by Google

cant, cum eorum plerique in linguis ab Hebræa derivatis inveniantur. Præterea verbis Græcis, Hebræorum poteſtatem nonnunquam affingunt. Unde, quæ in aliis Græcis ſcriptoribus unicam & ſimplicem actionem ſignificant, aut etiam intranſitiva ſunt, in hac Græca interpretatione duplicem, more *hiphil* Hebræorum, includunt, ut [a] ἐξανατέλλειν, *oriri facere*, ſeu *producere*; [b] κατασκηνῶσαι, *habitare facere*, *collocare*; [c] βασιλεύειν, *regnare facere*, *regem conſtituere*, &c. Et in Novo Teſtamento, cujus oratio eadem fere eſt atque Septuaginta, [d] θριαμβεύειν, *triumphare facere*; [e] πλεονάζειν & περισσεύειν, *abundare & ſuperare facere*, &c. Ex his, aliiſque obſervationibus, quas brevitatis gratia prætereo, liquet Septuaginta & aliorum etiam Græcorum interpretum verſionem ad purioris Græcitatis normam ſemper exigendam non eſſe, ſed ſæpius ad linguæ Hebrææ indolem, ſine qua non poteſt intelligi.

a Gen. 2. v. 9. Pſal. 146. v. 8.
b Pſal. 7. v. 5.
c In libr. Reg. aliquoties.
d 2. Cor. 2. v. 14.
e 1. Theſſ. 3. v. 12.

4°. Quam ſibi non raro aſſumunt interpretes licentiam. Sæpe enim paraphraſtas agunt, & ſenſum magis quam verba curant reddere. Imo, ſenſus plenioris efficiendi gratia, voces nonnullas interdum adjicere nihil dubitant. Contra vero, ſententias, quas, ut in animis noſtris altius imprimeret, iteravit Spiritus ſanctus, ſæpe contrahunt. Quod Vulgato interpreti Latino præ ceteris accidit.

Hæ ſunt, ni fallor, præcipuæ regulæ, quibus explicari poſſunt varia & ab Hebræo, & à ſe invicem, interpretum diſſidia. Alias, quas hîc longius eſſet perſequi, qui in Hebræis Græciſque nonnihil verſatus fuerit, is facile, ut puto, reperiet. Adeat etiam *Ludovici Cappelli* Criticam ſacram, in qua tamen plures, quam neceſſitas ipſa rogabat, Hebræi textus varias lectiones excogitatas inveniet.

Erunt, ſat ſcio, qui de hac Syntaxi, quod ſit plus æquo prolixior, conquerantur: at ſi pluſculum temporis in ea evolvenda contriverint, illud, uti ſpero, abunde compenſabit, quam ex ea percipient utilitatem. Qui enim illam ſemel atque iterum attente legerit, is in peculiaribus Scripturæ ſacræ loquutionibus, lociſque difficilioribus, ſenſum literæ quod attinet, intelligendis nihil aut parum admodum laborabit; neque indigebit ponderoſis illis interpretum voluminibus, quæ nec ab omnibus comparari poſſunt, nec per temporis anguſtias legi.

§. IV.

Libri tertii argumentum.

LIBRUM tertium quod ſpectat; cum opus iſtud ea ratione, eoque conſilio à nobis ſcriptum ſit, ut parvæ cujuſdam bibliothecæ Hebraïcæ, aut plurium ſaltem librorum, quos ubique locorum minime

Digitized by Google

repereris, vices ſuppleret: plura in librum iſtum congeſta ſunt cum ad Grammaticam, tum ad Scripturæ Sacræ intelligentiam, literaturamque Hebraïcam, ut jam diximus, pertinentia, quorum hîc indicem texere ſufficiat. In eo itaque libro continentur,

I. Fuſior de Accentibus diſputatio; de iis enim, quantum ſatis eſt tyronibus, lib. I. cap. 3. pag. 19. & ſeqq. diſſeruimus. Cumque apiculi illi hodiernæ Judæorum muſicæ, qui in ſynagogis textum Hebræum non legunt modo, ſed etiam cantillant, inſerviat: Germanorum, Italorum, Hiſpanorumque Judæorum muſicam, curioſorum gratia, in æs curavimus incidendam.

II. Recens Hebræorum Poëtica; veteris enim natura prorſus ignoratur; aut potius ſatis conſtat poſitam eam non eſſe in certo ſyllabarum longarum aut brevium numero, & in ryrhmis magna cum cura conquiſitis: ſed in dicendi genere conciſo, ſublimi, allegorico hyperbolicoque, & quibuſlibet figurarum luminibus illuſtri; ſive, ut loquitur Scaliger, *in mere ſoluta oratione charactere poëtico animata*. *Animad. in Chron. Euſeb. pag. 6. col. 2. edit. Amſtelod. 1658.*

III. Numeri tum literis, ſeu notis arithmeticis, tum vocibus integris expreſſi; necnon peculiaris eorum conſtructio.

IV. Qabbalæ, vel, ut alii ſcribunt, Kabbalæ, aut Cabbalæ, triplicisque ejus ſpeciei adumbratio, cui ſubjiciuntur tres tabulæ varia Alphabetha Qabbaliſtica complexæ; ut quo fundamento nitatur illa ſcientia, lectis ſeptem aut octo paginis, intelligatur.

V. Maſſoræ cum magnæ tum parvæ notio, cum utriuſque ſpecimine.

VI. Breviſſima Thalmudis recenſio, ut, quæ ex eo in Chriſtianorum Judæorumque ſcriptis citantur loca, ab iis, qui ea conſulere voluerint, facilius inveniantur.

VII. Kalendarium Hebraïcum, in quo de Judæorum horis, diebus, hebdomadis, menſibus, & annis; item de feſtis ac jejuniis, variiſque eorum ritibus, quantum ad loca quædam Scripturæ intelligenda ſatis eſt, diſſeritur. Neomeniæ menſis *Tiſchri*, à quo incipit annus Judæorum civilis, & neomeniæ *Niſan*, qui anno ſacro dat initium, & omnium gentis hujus in quolibet anno propoſito feſtorum inveniendorum ratio traditur. *Paraſchoth*, ſive majores Pentateuchi ſectiones, & *Haphtaroth*, ſeu ſectiones Propheticæ, quæ illis reſpondent, deſcribuntur; ſimulque exhibentur quatuor & decem Kalendaria, quorum ope facile inveniet conſuetudinum Judaïcarum curioſus, quænam Paraſcha cum ſua Haphtara, quovis ſabbatho aut feſto in Germanorum Hiſpanorumque ſynagogis, cum illæ à ſe invicem diſcrepant, legatur.

VIII. Nummorum, ponderum, menſurarumque Hebraïcarum æſti-

Digitized by Google

matio, & cum noſtris inſtituta collatio. Utque cavarum menſurarum capacitas ab iis etiam intelligeretur, qui menſuras noſtras ignorant; earum æſtimationem à D. *Le Pelletier* Rothomagenſi, viro doctiſſimo, mihique, dum viveret, amiciſſimo, per pollices cubicos habitam exhibui. Siclos etiam aliquot antiquis literis Hebraïcis, hoc eſt, Samaritanis inſcriptos una cum integro veterum literarum illarum alphabetho, & nummo Phœnicio, in æs incidi curavi.

IX. Deſcriptiones & figuræ 1°. תְּפִלִּין *Tephillín*, ſeu Phylacteriorum. 2°. Indumenti צִיצִית *Tſitsíth*, ſive טַלִּית *Talléth* nuncupati. 3°. מְזוּזָה *Mezouzá*, ſeu duarum Legis pericoparum, quæ dextro januæ poſti infiguntur. 4°. תָּגִין *Taghín*, ſeu corollarum, aut cuſpidum, quibus literæ quædam in libris, iiſque præſertim ad uſum ſynagogarum, manu exaratis, coronantur.

X. Exercitatio grammatica in Canticum Moyſi, Exod. XV. cujus textus literis Hebræis quadratis, rotundis ſeu Rabbinicis, & Samaritanis hodiernis, eorum gratia, qui Pentateuchum Samaritanum legere voluerint, deſcribitur.

XI. Grammaticæ Chaldaïcæ compendium ad intelligendas SS. voluminum partes hoc idiomate ſcriptas adornatum; cui ſubjicitur etiam exercitatio grammatica in diploma Artaxerxis, 1. Eſdræ, cap. VII.

XII. Principiorum, quibus innitur *Nova Grammatica à punctis aliiſque inventis Maſſorethicis libera*, confutatio; & punctorum Maſſorethicorum, naturam ſeu poteſtatem eorum in ſignificando quod attinet, antiquitas vindicata.

XIII. Triplicis generis indices copioſiſſimi, quorum primus eſt locorum S. Scripturæ, qui fere innumeri vel integri, vel ex parte explicantur. Secundus vocum anomalarum, & difficilium, quæ præſertim in etymologia expenduntur. Tertius denique rerum & verborum.

Ea eſt operis hujus ratio, quod, ut vel in ipſa ejus fronte declaravimus, ex optimis, quæ hactenus prodierunt tum Grammaticis, tum Philologiis ſacris adornatum eſt. Neque enim is ego ſum, qui non multo reddere mutuum, quam in furto deprehendi malim. Quapropter vel à limine gratum erga eos, per quos profecimus, & quorum opera uſi ſumus, teſtamur animum. Sed audire mihi videor, qui id nobis vitio vertant, atque in eo diſputent, ſic contaminari non decere Grammaticas. At, pace illorum dixerim, faciunt ne intelligendo ut nihil intelligant; auctores enim habemus eruditos non paucos, qui Grammaticas Hebræas, Græcas, & Latinas, quæ apud omnes maximo habentur in pretio, eadem ratione ac methodo ſcripſerunt; & quorum æmulari

Digitized by Google

exoptamus negligentiam potius, quam aliorum quorumdam inutilem ſatis diligentiam. Lectis igitur optimis, quæ ad nos, amicoſque noſtros pervenere, Grammaticis; quæ convenerunt, in noſtram hanc fatemur tranſtuliſſe, atque uſos pro noſtris. Hauſimus itaque judicio arbitrioque noſtro, quantum, quoque nobis viſum eſt modo, è fontibus *R. Davidis Qimhhi*, *Sanctis Pagnini*, *Buxtorfii*, *Glaſſii*, *Altingii*, noſtri *D. Thomæ Du Four*, aliorumque plurimorum, quos longius eſſet appellare. Sed præterire nequeo noſtrum itidem *D. Antonium Pouget*, virum religioſiſſimum, & in linguis Orientalibus, ſi quis unquam fuit, verſatiſſimum. Is ab annis viginti & amplius è Vaſconia in Normanniam accitus, me, meoſque ſodales in Hebræis Græciſque literis, ſuis prælectionibus erudivit; nihil enim de linguis illis, magno earum detrimento, publici juris fecit; tanta erat docti hujus viri modeſtia. Verum ſi ſcriptis ſuis alios non docet mortuus, eos ſaltem diſcipulis, quos vivus bene multos inſtituit, docet ſuis; ex quo enim ſtudiorum illorum, eo moderante, inſtaurata ſunt curricula, ea nunquam in Congregatione fuerunt intermiſſa. Breviſſimam hanc, in quam me conjecit erga præceptorem ſumma mihi obſervantia, quoad vixero, colendum, grati animi teſtificatio, digreſſionem ignoſcat lector benevolus.

De operis hujus oratione ac ſtylo dicere nihil attinet; perſpicuitati enim magis, quam elegantiæ ſtuduimus, quandoquidem *ornari res ipſa negat contenta doceri.* Sive, ut Tullii verbis utar, quamvis eorum poſtrema mihi arrogare nolim: *omne, quod de re bona dilucide dicitur, mihi præclare dici videtur. Iſtiuſmodi autem res dicere ornate velle, puerile eſt: plane autem & perſpicue expedire poſſe, docti & intelligentis viri.* Nonnullas itaque voces, quibus uti ſolent Grammatici, quaſque apud Tullium, ceteroſque purioris Latinitatis auctores minime repereris, interdum uſurpare nulla nobis fuit religio.

Manil. lib. 3. v. 39.

De fin. lib. 3. num Grut. 5. vulg. 19.

Adhibitam in emendandis ſpeciminibus curam atque diligentiam, operæ quoque pretium non eſt commemorare; eam ſiquidem facile animadvertet lector in Hebræis Græciſque nonnihil exercitatus. Quanvis igitur menda quædam oculorum noſtrorum aciem effugerint, & in folia, dum prelo committerentur, irrepſerint (quod vix aliter fieri poteſt); tamen nullum fortaſſe hujus generis opus eo emendatius in lucem hactenus prodiiſſe, haud temere poſſumus affirmare.

Verum officio noſtro ex parte deeſſe videremur, niſi eorum gratia, qui magiſtrum non habent, Hebraïci ſtudii feliciter inſtituendi, & noſtra Grammatica utendi rationem in ultima præfationis hujus parte traderemus.

Digitized by Google

PARS TERTIA.

Studii Hebraïci feliciter inſtituendi, & hac Grammatica utendi ratio.

ID in primis linguæ ſanctæ tyronibus cavendum, ne varias ſimul grammaticas legant. Quamlibet igitur in manus ſumſerint, ei uni adhæreſcant. Alioquin varia elementorum tradendorum ratio maximam in eorum animis pariet confuſionem, ex qua procul dubio conſequetur linguæ faſtidium. Qui hac noſtra grammatica uti voluerit, ea ſolummodo legat, quæ majori charactere, & ducto per integram paginam verſu excuſa ſunt; notas vero, appendices, exceptiones, &c. in aliud tempus differat; ne, lectis ſimul generalibus regulis & earum exceprionibus, analoga cum anomalis, &, vice verſa, anomala cum analogis confundat.

Hæc præmonitus tyro, literarum omnium figuram curioſe inſpiciat, earum, quæ fere ſimiles ſunt, diſcrimen pag. 9. aſſignatum diligenter obſervet, & omnium poteſtatem pagg. 3. 5. 6. 7. 8. notatam accurate expendat. Utque iſthæc omnia magis magiſque ejus memoriæ inſigantur, & characteribus eleganter pingendis paulatim adſueſcat, alphabethum integrum ſæpius deſcribet, aptato calamo, formatiſque characterum ductibus, eo, quem pag. 13. præſcripſimus, modo. Idem faciet in punctis vocalibus, quorum figura & poteſtate cognita, ad lectionis regulas accedet, quas in praxi pag. 41. ipſis attexta periclitabitur, occultata prius ſuperiori linea, in qua voces Hebraïcæ Latinis characteribus exarantur. Sic autem inter legendum pronuntiet, ut ſe ipſe ſaltem audiat; ſi enim oculis tantum legerit, nunquam accurate & expedite leget. Idque cum accentuum ſynopſi, pag. 19. ſit primæ hebdomadis penſum.

Sequenti hebdomada diſcat quæ ſpectant nomina; nempe eorum genera, numeros & caſus; præſertimque punctorum mutationem, quam experiuntur, cum mutantur è ſingulari in dualem aut pluralem numerum, & è maſculino in femininum genus. Perſpecta atque cognira illa mutatione, nihil aut parum negotii faceſſet ea, quæ fit itidem in nominibus ob affixa & regimen; in multis enim utrique convenit. Utramque tamen ſeorſim tradendam duximus, ne ſimul propoſita nimio foret tyronibus impedimento.

Tertiæ hebdomadis labor erit in addiſcendis pronominibus cum integris ſeu ſeparatis, tum mutilis ſeu affixis; & quam poſtrema illa pronomina efficiunt in nominibus, quibus affiguntur, punctorum mutationem,

Digitized by Google

tionem, cui etiam adjunximus eam, quam inducit regimen; ſeu ſtatus, quem vocant conſtructum; cum videlicet nomen aliquod regit aliud in gignendi caſu. Cumque pars illa Hebrææ grammaticæ ſit intricatior, auctores candidato noſtro ſumus, ut, lectis novem obſervationibus pagg. 85. 86. & 87. mutationi illi præmiſſis, diſcat tantum ſynopticam puncta illa murandi rationem, quæ pag. 103. & ſequentibus traditur, poſteaque adeat varias nominum in regimine & cum affixis compoſitorum formas, quæ exhibentur pag. 111. & ſeqq. illæ enim ad regulas generales cum facilius intelligendas, tum ad uſum revocandas, haud mediocriter conducent.

Quarta hebdomada, caput ſeptimum, quod de verbis perfectis eſt, aggrediatur. Cognitis conjugationum characteribus & formis, maxime vero perſonarum in quolibet tempore inflexionibus, quæ verborum omnium, etiam imperfectorum, communes ſunt; verbum integrum מָסַר *tradidit*, cujus paradigma exhibetur pagg. 154. & 155. memoriter addiſcat. Flectat ad ejus normam unum aut alterum verbum, cujus nulla è tribus literis radicalibus ſit gutturalis, aut daghéſch recipiendi incapax, ut לָמַד *didicit*, מָשַׁל *dominatus eſt*, &c. Tum legat pagg. 156. & 157. canones de ſchevá ſub litera gutturali dilatatione, daghéſch ex gutturali aut ר ejecti compenſatione, & patháhh furtivi inſcriptione, quorum omnium uſum diſcat in verbo ficto אָחַע pagg. 158. & 159. quod ſi tenuerit, omnia verba perfecta facile expediet. Maximi autem momenti eſt, ut verba illa non dimittat, quin ea prius ad unguem perſpecta explorataque habuerit. Alioquin imperfecta nunquam, ut par eſt, ſciet.

Quintam hebdomadam verbis imperfectis ediſcendis aſſignamus. Ea, notis perfectis, non erunt multum difficilia; nam præterquam quod plurimorum ex eis non pauca tempora, imo & conjugationes integræ, ſequuntur analogiam perfectorum; quæ ab ea recedunt, quæque imperfecta vocantur, exceptiones potius & anomalias conſtituunt, quam novos flectendi modos. Ceteris paulo difficiliora ſunt defectiva & quieſcentia ע״ו; ſed quæ deſcripſimus ſchemata pagg. 213. & 245. in quibus forma eorum tum perfecta, tum imperfecta in primariis illorum vocibus exhibetur, eorum expedient flexionem. Verba dupliciter imperfecta nonnihil etiam negotii ſolent faceſſere: ſed eorum integra, quæ pag. 308. & ſequentibus eduntur paradigmata, difficultatem tollunt omnem.

Sexta hebdomada verborum cum perfectorum tum imperfectorum cum pronominibus affixis conjunctioni addiſcendæ ſufficiet. Cognita enim punctorum, quæ fit in nominibus ob affixa, mutatione; nullam

Digitized by Google

poteſt tyronibus exhibere moleſtiam ea, quam verba ob eadem pronomina, experiuntur.

Septima denique hebdomada facile diſcentur, quæ ſuperſunt incipientibus neceſſaria, nempe adverbia tum ſimplicia, tum cum affixis conjuncta; præpoſitiones itidem ſimplices & cum hiſce pronominibus compoſitæ; conjunctiones & interjectiones.

Septem itaque hebdomadis, aut, ſi tempus iſtud nonnullis brevius videatur, duobus ad ſummum menſibus, prima linguæ ſanctæ rudimenta tyro quilibet facile poteſt addiſcere. His imbutus ad Hebræi codicis interpretationem accedat, incipiatque à libris hiſtoricis, utpote facilioribus, à quibus ad propheticos poëticoſque procedat. Interea temporis relegat regulas generales cum exceptionibus, notis & appendicibus; ut, cum in vocem aliquam anomalam aut difficilem inciderit, ſciat ubinam illa, aut ejus ſimilis, quærenda ſit; neque ad indicem paſſim cogatur recurrere. Si magiſtro caret, ſit ipſe ſibi magiſter; nullamque vocem abire ſinat, quin prius grammaticam ejus analyſin, qua potuerit diligentia, expenderit. Si nomen eſt, v. g. quærat à ſe utrum maſculinum ſit an femininum, ſingulare an plurale, abſolutum an conſtructum, ſimplex an cum affixo compoſitum. Si jungatur affixo, videat quale ſit iſtud affixum; maſculini an feminini generis; ſingularis an pluralis numeri; abſoluti an conſtructi ſtatus; primæ, an ſecundæ, an tertiæ perſonæ; utram punctorum mutationem inducat, analogam an anomalam, &c. Eandem diligentiam in verbis, aliiſque orationis partibus adhibeat. Quapropter exercitationes aliquot grammaticas inſtar illius, quam in caput XV. Exodi compoſuimus, ſibi poterit adornare.

Iſthæc tam accurata vocum omnium diſquiſitio bene multis, ſat ſcio, minime probabitur, qui multum ſe profeciſſe putant, cum multa legerint. At quantum hallucinantur! Cum enim voces eædem ſæpius recurrant, niſi eas ſtatim perſpectas exploratasque habuerint, illæ perpetuum ipſis faceſſent negotium; ac in iis denuo alibi expendendis tantumdem fere temporis inſument, quanto ipſis opus erat, ut vel prima vice perfecte enuclearentur. Contra vero, qui unum aut alterum Scripturæ librum ſic accurate interpretatus fuerit, is nullo negotio ceteros intelliget, ſeque hac in lingua progreſſum ſpe ſua majorem intra paucos menſes habuiſſe mirabitur. In his tamen adhibendus eſt modus; neque enim regulis grammaticis tyronem plus æquo volumus immorari. Imo auctores ipſi ſumus, ut, cum in aliqua difficultate excutienda nonnihil temporis fruſtra contriverit, ulterius progrediatur; quod enim ignorat modo, id ſciet poſtea.

Digitized by Google

Cognita vocum analogia, diſcat linguæ indolem in Syntaxi cum ſimplici, tum figurata, in quam non minori diligentia, quam in etymologiam incumbet; in ea ſiquidem peculiares linguæ Hebraïcæ loquutiones fuſe & accurate tractantur, ac innumerorum fere Scripturæ locorum ſenſus grammaticus & literalis exponitur.

Tametſi liber tertius plurima non minus utilia, quam curioſa complectatur; poteſt tamen in aliud tempus differri ejus lectio; nihil enim eſt, quod tyroni antiquius eſſe debeat, quam ut linguæ notitiam quantocyus ſibi comparet; quem enim progreſſum in ea ſe feciſſe deprehenderit, is addet ipſi animos, ac in dies ad ſtudium illud proſequendum alacriorem efficiet. Maximo autem ad id erit ipſi adjumento, ſi cum regularum lectione, Hebræi codicis interpretationem indefeſſo labore conjungat.

De grammatica Chaldaïca præfari nihil attinet; qui enim Hebræam noverit, is quindecim ad ſummum diebus Chaldæam, quantum ad interpretanda Danielis & Eſdræ capita hoc idiomate ſcripta neceſſe eſt, facile intelliget.

Hebræa ſine punctis legendi methodum hîc etiam fruſtra præſcriberemus; cum nulla uſu ipſo certior ſit atque expeditior. Quis enim eſt, qui, ſi punctis inſtructos codices bis terve attente legerit, eoſdem poſtea hiſce apiculis deſtitutos facile & expedite non legat?

Haud multo etiam difficilius erit Rabbinorum in Vetus Teſtamentum commentarios legere atque intelligere, modo adſit accuratior Hebrææ, & mediocris Chaldææ grammaticæ peritia. Qui hujuſcemodi ſtudio delectatur, incipiat à R. Davide Qimhhi ſcriptore terſo, facili, & ſtyli Biblici æmulo. Ab eo ad Aben-Eſram, à quo ad Salomonem Jarhhi progrediatur. Ut autem Rabbinorum illorum ſcripta facilius intelligat, legat inter alios libros, clariſſimi Joannis Leuſdeni *Joëlem explicatum*, in quo eorum commentarii Latinitate donati, brevibus, ſed eruditis notis philologicis illuſtrantur. His addat, quibus Rabbini frequenter utuntur, abbreviaturas à clariſſ. Buxtorfio collectas, & à doctiſſimo Wolfio haud mediocri acceſſione locupletatas. *Biblioth. Heb. part. 2. pag. 575. edit. Hamburg. 1721.*

Ea eſt, Sodales amantiſſimi, quorum potiſſimum in uſus opus iſtud elaboratum eſt, quam in edocenda lingua Hebraïca ſequuti ſumus methodum. Faxit Deus, ut ea duce, & citius & facilius illam diſcere, & Divinam Spiritus ſancti verborum ἐνέργειαν ſentire atque intelligere valeatis. Vobis, quos abſcondit Deus in abſcondito faciei ſuæ, datum eſt noſſe myſterium regni ejus, & videre non per ſpeculum & in ænigmate, ſed quaſi facie ad faciem. Quid igitur cum plebe in atriis ſtan-

Digitized by Google

tes è longinquo ſacra contuemini? Quin potius cum Sacerdotibus in ipſa penetralia admiſſi, omnium, quæ intus aguntur, teſtes eſtis & arbitri. Pudeat alienis oculis cernere, quod facile & cito veſtris intueri licet. Cur à recta, brevi, & plana veritatis Hebraïcæ via ſponte aberratis, ut flexuoſas, longas, &, ne quid amplius dicam, aſperas interpretum ſemitas ineatis? His enim quantacunque tribuatur terræ ſanctæ itinerum ſcientia, non ſunt tamen ubique certi duces exiſtimandi; cum & ipſi non rato viam quæſierint potius, quam aliis commonſtraverint. Sive, ut miſſa metaphora, & ſecundum naturam cum [a] Hieronymo loquar, *rationem verbi uniuſcujuſque magis opinati ſint, quam expreſſerint.* Quare denique relicto fonte puriſſimo, ex quo limpidiſſimas aquas nullo fere negotio poteſtis haurire, [b] *cænoſos rivulos bibitis?* Purius, mihi credite, & dulcius ex ipſis hauritur fontibus unda. Macti igitur, qui Divina eloquia melle & favo dulciora vobis eſſe deſideratis. Iſthæc ab ore Dei potius, quam interpretis, accipite.

Eo majori ſtudio ad linguæ hujus cognitionem adipiſcendam ferri debetis, quod ſit omnium facillima, ejuſque principia rationibus fere geometricis innitantur. Enim vero quis eam, quod ſit difficilis, merito conquetatur? Longe paucioribus anomaliis, quam alia pleraque idiomata, laborat; & quæ in ea reperiuntur, illæ majorem ſui partem regulis, quas hîc illic tradidimus, ad analogiam facile revocantur. In illa non variantur nominum caſus. Verba, ſi variam temporum inflexionem attendas, deſtituuntur modis. Septemplex eorum flectendorum ratio, quæ inexpertos terrere ſolet, & facilior & brevior eſt, quam vel unica Latini verbi activa aut paſſiva conjugatio. Vocum in oratione ſeries inſtitutum à natura ſequitur, ut plurimum, ordinem; neque illæ, ut in Græca & Latina lingua fieri ſolet, fere trajiciuntur. Denique in uno Veteri Teſtamento continentur vocabula omnia, quæ ſuperſunt, pura puta Hebraïca. Ex quo fit, ut, qui menſium aliquot laborem hoc in ſtudio impenderit, is haud mediocrem Hebræi codicis adepturus ſit intelligentiam.

Ad id etiam ſtudii maxime ſtimulare atque excitare vos debet primis Congregationis noſtræ inſtitutoribus obtemperandi cupiditas. Hi enim quantæ foret neceſſitatis ad Scripturam perfecte intelligendam linguæ ſanctæ notitia, uſu atque exercitatione edocti, ſtudia Hebraïca in ſingulis provinciis inſtituenda ſanxerunt. In quo etiam morem geſſere Paulo V. Pontifici maximo, cujus ſuper ea re diplomatis ſummam huicce præfationi attexere, ab inſtituto noſtro non erit alienum.

[a] *Epiſt. ad Marcellam, tom. 4. nov. edit. part. 2. col. 62.*

[b] *Idem. ibid.*

PAULUS EPISCOPUS,

Servus ſervorum Dei.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Felicis recordationis Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri, quantum conditio temporis patitur, veſtigiis inſiſtentes..... hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione ſancimus, ſtatuimus, & ordinamus, ut in cujuſcumque Ordinis, & inſtituti Regularium....ſtudiis omnibus, trium linguarum hujuſmodi Hebraïcæ videlicet, Græcæ & Latinæ; in majoribus vero ac celebrioribus, etiam Arabicæ, doctores Regulares quidem, & ejuſdem Ordinis, ſi in illo harum linguarum ſufficientem notitiam habentes ſint: ſin minus, ſæculares, aut alterius Ordinis Regulares, qui illas actu & diligenter doceant, habeantur; ſi ſtudia in urbibus & locis exiſtunt, ubi Linguarum prædictarum peritos conducendi facultas eſt: ſtudiis vero locorum, ubi hujuſmodi doctores deſunt, cum primum in aliis ſtudiis, ubi hujuſmodi Linguæ docebuntur, ſcholares tantum profecerint, ut docendis aliis idonei ſint, de iiſdem ſcholaribus provideatur. Quod ut citius & facilius fieri poſſit, & ſperati fructus ex Linguarum hujuſmodi ſtudio appareant; omnibus & ſingulis Regularium Superioribus ſub indignationis noſtræ pœna, eadem auctoritate tenore præſentium præcipimus & mandamus; &, ſi ipſi negligentes fuerint, eorumdem ordinum Regularium apud Nos & Sedem Apoſtolicam protectoribus injungimus, eorum conſcientias deſuper onerantes, ut omni cura & ſollicitudine quantocius provideant, ut ſcholæ linguarum hujuſmodi quamprimum inſtituantur, ac doctores prædicti deputentur, earumdemque linguarum lectionibus ſcholares aſſignentur, qui illis ſedulam & aſſiduam operam navent. Hi vero ſcholares, ut alacrius huic ſtudio incumbant, volumus & decernimus, ut in promotione ad doctoratus gradus, & ad alios ſui ordinis honores, illi, ceteris paribus, præferantur, qui in cognitione trium ſaltem linguarum profecerint, ita ut ad illas docendas apti ſint.... Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſanctionis, ſtatuti, ordinationis, præcepti, mandati, injunctionis, onerationis, voluntatis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Marcum prid. Kalend. Auguſti, Incarnationis Dominicæ M. DC. X. Pontificatus noſtri anno ſexto.

SYLLABUS

Eorum quæ in hoc Tomo primo continentur.

LIBER PRIMUS.

De Etymologia, ſeu Analogia.

CAPUT I. *De Literis.* pag. 1

ARTICULUS I. *De literarum fere ſimilium diſcrimine.* 8

ARTIC. II. *De literarum diviſione.* 10

CAPUT II. *De Vocalibus.* 13

CAPUT III. *Accentuum Hebræorum ſynopſis.* 19

CAPUT IV. *De ſcripturam Hebraïcam legendi ratione.* 22

ARTIC. I. *De punctorum vocalium ſitu, & eorum prolationis ordine.* 23

ARTIC. II. *De literis* אהוי éhevi. 24

ARTIC. III. *De* דגש daghéſch. 27

ARTIC. IV. *De lectione* (ְ) ſchevá. 33

ARTIC. V. *De ratione diſtinguendi* qaméts *magnum à* qaméts hhatoúph. 38

ARTIC. VI. *Lectionis Hebraïcæ praxis.* 41

CAPUT V. *De orationis partibus ſecundum Hebræos.* 47

CAPUT VI. *De Nomine.* 49

ARTIC. I. *De nominum Hebræorum generibus.* ibid.

ARTIC. II. *De nominum Hebræorum numeris.* 52

ARTIC. III. *Mutatio punctorum ob motionem ſingularis numeri in dualem & pluralem, & maſculini in femininum genus.* 56

§. I. *Mutatio* (ָ) *in penultima.* 58

§. II. *Mutatio* (ָ) *in ultima.* 59

§. III. *Mutatio* (ַ) *in penultima.* ibid.

§. IV. *Mutatio* (ַ) *in ultima.* 60

Digitized by Google

§. V. *Mutatio* (ו) *in penultima.* 61
§. VI. *Mutatio* (ו) *in ultima.* ibid.
§. VII. *Mutatio* (.) *&* (-) *ejus vicarii in penultima.* 62
§. VIII. *Mutatio* (.) *&* (-) *ejus vicarii in ultima.* 63
§. IX. *Mutatio* (ֵ) *vicarii* τῦ (.). ibid.
§. X. *Mutatio* (ֵ) *non vicarii* τῦ (.). 64
§. XI. *Mutatio punctorum quorumdam vocalium, quæ vulgo non ſunt mutationi obnoxia.* ibid.
§. XII. *Dualia & pluralia quædam ſpecialiter anomala.* 66
ARTIC. IV. *De nominum Hebræorum caſibus & eorum articulis.* 67

CAPUT VII. *De Pronomine.* 71
ARTIC. I. *De pronominibus ſeparatis.* ibid.
§. I. *De pronominibus primitivis ſeu perſonalibus.* 72
§. II. *De pronominibus demonſtrativis.* 73
§. III. *De pronominibus relativis.* 74
§. IV. *De pronominibus interrogativis.* 75
ARTIC. II. *De pronominibus conjunctis ſeu inſeparabilibus.* 76
§. I. *Pronominum affixorum ex primitivis origo.* ibid.
§. II. *Orationis partes quibus affixa conjunguntur.* 77
§. III. *De obliquis pronominum primitivorum caſibus, & pronominibus poſſeſſivis.* ibid.
SCHEMA *pronominum primitivorum cum obliquis eorum caſibus.* 80
ARTIC. III. *De pronominibus affixis cum nominibus.* 81
SCHEMA *pronominum affixorum cum præviis eorum motionibus.* 83
SCHEMA *pronominum affixorum cum nominibus conjunctorum.* 84
§. I. *Mutatio punctorum in nominibus ob affixa & regimen.* 85
§. II. *Mutatio* (.) *in penultima.* 87
§. III. *Mutatio* (.) *in ultima.* 89
§. IV. *Mutatio* (-) *in penultima.* 91
§. V. *Mutatio* (-) *in ultima.* 93
§. VI. *Mutatio* (ו) *in penultima.* 95
§. VII. *Mutatio* (ו) *in ultima.* 96
§. VIII. *Mutatio* (.) *in penultima & in ultima ſyllaba.* 97
§. IX. *Mutatio* (-) *&* (ֵ) *vicariorum* τῦ (.). 99
§. X. *Mutatio* (-) *genuini, ſeu non vicarii* τῦ (.). 101
§. XI. *Mutatio punctorum ob* ה *locale nominibus additum.* 102
ARTIC. IV. *Generalis mutationis punctorum ob affixa & regimen ſynopſis.* 103

Digitized by Google

§. I. *Mutatio* (ָ) *in penultima & in ultima ſyllaba.* ibid.
§. II. *Mutatio* (ַ) *in penultima & in ultima ſyllaba.* 104
§. III. *Mutatio* (ֹ) *in penultima & in ultima ſyllaba.* 105
§. IV. *Mutatio* (ֵ) *& vicariorum ejus* (ַ) *&* (ֶ) *in penultima & in ultima ſyllaba.* 106

ARTIC. V. *Alia mutationis punctorum ob affixa & regimen ſynoptica ratio.* 107

ARTIC. VI. *Varia nominum in regimine & cum affixis conjunctorum formæ; necnon dualium abſolutorum, conſtructorum, & cum affixis conjunctorum formatio.* 110

§. I. *Nomina formæ* דָּבָר verbum. 111
§. II. *Nomina formæ* צְדָקָה juſtitia. ibid.
§. III. *Nomina formæ* מִלְחָמָה bellum. ibid.
§. IV. *Nomina formæ* מַלְכָּה regina. 112
§. V. *Nomina formæ* זָקֵן ſenex. ibid.
§. VI. *Nomina formæ* לֵבָב cor. ibid.
§. VII. *Nomina formæ* סֵפֶר liber. 113
§. VIII. *Nomina formæ* כּוֹרֵם vinitor. ibid.
§. IX. *Nomina formæ* קֹדֶשׁ ſanctitas. ibid.
§. X. *Nomina formæ* אֹהֶל tabernaculum. 114
§. XI. *Nomina formæ* בֶּגֶד veſtis. ibid.
§. XII. *Nomina formæ* בַּעַל dominus. ibid.
§. XIII. *Nomina formæ* מִקְנֶה poſſeſſio. 115
§. XIV. *Nomina formæ* פְּרִי fructus, עֲדִי ornamentum, חֳלִי morbus. ibid.
§. XV. *Nomina formæ* מָוֶת mors. ibid.
§. XVI. *Nomina formæ* זַיִת oliva. 116
§. XVII. *Monoſyllaba formæ* צַר hoſtis. ibid.
§. XVIII. *Monoſyllaba formæ* דָּם ſanguis. ibid.
§. XIX. *Monoſyllaba formæ* גַּן hortus. 117
§. XX. *Monoſyllaba formæ* עֵת tempus. ibid.
§. XXI. *Monoſyllaba formæ* עֹז robur. ibid.
§. XXII. *Nomen* אָב pater. 118
§. XXIII. *Nomen* אָח frater. ibid.
§. XXIV. *Nomen* אָחוֹת ſoror. ibid.
§. XXV. *Nomen* בֵּן filius. 119
§. XXVI. *Nomen* בַּת filia. ibid.
§. XXVII. *Nomen* חַטָּאת peccatum. ibid.
§. XXVIII. *Nomen* יוֹם dies. 120

Digitized by Google

LIBR. CAP. ARTIC. PARAGR. &c.

§. XXIX. *Nomen* רֹאשׁ caput. ibid.
§. XXX. *Nomen* כְּלִי vas. ibid.
ARTIC. VII. *Speciales quædam nominum in regimine & cum affixis compoſitorum anomaliæ.* 121
§. I. *Anomalia in regimine.* ibid.
§. II. *Anomalia cum affixis.* 125

CAPUT VIII. *De Verbo & Participio.* 129

DE VERBIS IN GENERE.

ARTIC. I. *De conjugationum Hebraïcarum numero, nomine, ac poteſtate.* 130
ARTIC. II. *De conjugationum Hebraïcarum characteribus.* 133
ARTIC. III. *De conjugationum Hebraïc. formis, temporibus, & modis.* 136
ARTIC. IV. *De verborum Hebræorum generibus, numeris, & perſonis.* 141
ARTIC. V. *De præteritis.* ibid.
ARTIC. VI. *De participiis.* 144
ARTIC. VII. *De infinitivis & gerundiis.* 146
ARTIC. VIII. *De imperativis.* 149
ARTIC. IX. *De futuris.* 151

DE VERBIS PERFECTIS.

PARADIGMA *conjugationum omnium verbi perfecti* מָסַר tradidit. 154. 155
ARTIC. X. *De dilatatione (ָ) ſub gutturali & ejus concurſu. De Daghéſch ex litera gutturali aut* ר *excidentis compenſatione. De (ַ) furtivo* ה, ח, ע *ultimis, &* ח *aut* ע *penultimis vocum literis ſuppoſito.* 156
§. I. *De dilatatione (ָ) ſub gutturali, & ejus concurſu.* ibid.
§. II. *De Daghéſch ex gutturali aut* ר *excidentis compenſatione.* 157
§. III. *De (ַ) furtivo* ה, ח, ע, *ultimis, &* ח *aut* ע *penultimis vocum literis ſuppoſito.* ibid.
PARADIGMA *conjugationum omnium verbi ficti* אָחַע. 158. 159
ARTIC. XI. *De verborum perfectorum anomaliis, ac ſpeciatim de punctorum vocalium mutatione ob accentus pauſantes, literas* ה *&* ן *paragogicas, & maqqáph,* 160
§. I. *Conjugationis* Qal *appendix ſeu anomalia.* 162
§. II. *Conjugationis* Niphal *appendix ſeu anomalia.* 170
§. III. *Conjugationis* Piel *appendix ſeu anomalia.* 173
§. IV. *Conjugationis* Puál *appendix ſeu anomalia.* 179
§. V. *Conjugationis* Hiphil *appendix ſeu anomalia.* 182

Digitized by Google

§. VI. *Conjugationis* Hophál *appendix ſeu anomaliæ.* 187
§. VII. *Conjugationis* Hithpaél *appendix ſeu anomaliæ.* 189

DE VERBIS IMPERFECTIS.

CAPUT IX. *De Verbis imperfectis.* 194
Artic. I. *De verbis defectivis.* 196
§. I. *De verbis defectivis* Pé נ. 197
Paradigma *verborum defectivorum* Pé נ. 198. 199
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Qál. 200
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Niphál. 202
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hiphíl. 203
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hophál. 206
Mantiſſa *de verbo* נתן dedit. ibid.
§. II. *De verbis defectivis* ע Aïin. 209
Schema *complectens voces primarias cum perfectas, tum imperfectas omnium conjugationum verborum defectivorum* ע, 213
Paradigma *verborum defectivorum* ע. 214. 215
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Qál. 216
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Niphál. 219
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Poël. 222
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Poál. 223
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hiphíl. 224
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hophál. 226
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hithpaél. 227
Artic. II. *De verbis quieſcentibus.* 228
§. I. *De verbis quieſcentibus* Pé א. 229
§. II. *De verbis quieſcentibus* Pé (י). 230
Paradigma *verborum quieſcentium* Pé (י). 232. 233
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Qál. 234
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Niphál. 236
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hiphíl. 238
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hophál. 241
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hithpaél. 242
§. III. *De verbis quieſcentibus* Aïin (ו) *vel* (י). ibid.
Schema *complectens voces primarias cum perfectas, tum imperfectas omnium conjugationum verborum quieſcentium* ע. 245
Paradigma *verborum quieſcentium* ע. 246. 247
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Qál. 248
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Niphál. 252

Digitized by Google

LIBR. CAP. ARTIC. PARAGR. &c.

Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Poél. 254
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Poál. 256
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hiphíl. ibid.
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hophál. 261
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hithpoél. 262
MANTISSA *de verbis* בּוֹא venire, נוּא frangere, *&* קוֹא vomere. 263
§. IV. *De verbis quieſcentibus* Lámedh א. 267
PARADIGMA *verborum quieſcentium* Lámedh א. 268. 269
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Qál. 270
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Niphál. 273
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Piél. 275
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Puál. 277
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hiphíl. ibid.
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hophál. 279
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hithpaél. ibid.
§. V. *De verbis quieſcentibus* Lámedh ה. 281
PARADIGMA *verborum quieſcentium* Lámedh ה. 282. 283
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Qál. 284
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Niphál. 291
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Piél. 294
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Puál. 297
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hiphíl. 298
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hophál. 303
Appendix ſeu anomaliæ conjugationis Hithpaél. 304
ARTIC. III. *De verbis dupliciter imperfectis.* 307
PARADIGMA *verborum defectivorum* Pé נ *& quieſcentium* Lámedh א. 308. 309.
PARADIGMA *verborum defectivorum* Pé נ *& quieſcentium* Lámedh ה. 310. 311.
PARADIGMA *verborum quieſcentium* Pé א, *&* Lámedh ה. 312. 313
PARADIGMA *verborum quieſcentium* Pé (י) *&* Lámedh א. 314. 315
PARADIGMA *verborum quieſcentium* Pé (י) *&* Lámedh ה. 316. 317
ARTIC. IV. *De verbis quatuor aut quinque literis conſtantibus.* 318
CAPUT X. *De verborum ac participiorum cum perfectorum, tum imperfectorum cum pronominibus affixis conjunctione.* 320
SCHEMA *pronominum affixorum, quæ verbis conveniunt, una cum præviis eorum motionibus.* 322
ARTIC. I. *Generalis punctorum in verbis ob affixa mutatio.* 323

Digitized by Google

§. I. *Mutatio punctorum in præterito* Qál. ibid.
§. II. *Mutatio punctorum in benoni* Qál. 324
§. III. *Mutatio punctorum in infinitivo* Qál. 325
§. IV. *Mutatio punctorum in imperativo* Qál. ibid.
§. V. *Mutatio punctorum in futuro* Qál. 326
PARADIGMA *conjugationis* Qál *cum affixis.* ibid.
ARTIC. II. *Mutatio punctorum ob affixa in conjugationibus* Piél *&* Hiphíl; *in infinitivis* Niphál, Puál *&* Hithpaél, *& in verbis imperfectis.* 334
ARTIC. III. *De anomaliis in conjunctione affixorum cum verbis tum perfectis, tum imperfectis.* 337
Appendix ſeu anomalia præteriti. 338
Appendix ſeu anomalia bénoni. 347
Appendix ſeu anomalia paoúl. 350
Appendix ſeu anomalia infinitivi. 351
Appendix ſeu anomalia imperativi. 356
Appendix ſeu anomalia futuri. 359
MANTISSA I. *De verbo* יֵשׁ eſt, ſunt, *&c. cum affixis.* 372
MANTISSA II. *De affixorum cum verbis tranſitivis, intranſitivis, aut etiam paſſivis compoſitorum reſolutione.* ibid.

CAPUT XI. *De Adverbio.* 373
ARTIC. I. *Adverbia ſimplicia, ſeu cum affixis non compoſita.* ibid.
Appendix de adverbiorum quorumdam natura & motionibus. 375
ARTIC. II. *De adverbiis cum affixis.* 376
Appendix ſeu anomalia adverbiorum cum affixis. 377

CAPUT XII. *De Præpoſitione.* 378
ARTIC. I. *De præpoſitionibus abſolutis.* 379
Appendix de præpoſitionum quarumdam natura & motionibus. ibid.
ARTIC. II. *De præpoſitionum tum conjunctarum, tum disjunctarum, cum pronominibus affixis compoſitione.* 380
Appendix de præpoſitionum cum pronominibus affixis conjunctarum anomaliis. 382

CAPUT XIII. *De Conjunctione.* 383
Appendix de variis conjunctionis (ו) *motionibus.* 384

CAPUT XIV. *De Interjectione.* 385

CAPUT XV. *De Nominum Hebræorum forma & origine.* 386

Digitized by Google

LIBR. CAP. ARTIC. PARAGR. &c.

ARTIC. I. *Nomina ex verbis perfectis & imperfectis, ſed perfectorum normam ſequentibus, derivata.* 387
§. I. *Nomina ex* Qâl *derivata.* ibid.
§. II. *Nomina ex* Piél *derivata.* 390
§. III. *Nomina ex* Hiphíl *&* Hophál *derivata.* 391
ARTIC. II. *Nomina ex verbis imperfectis derivata.* 393
§. I. *Nomina ex defectivis* Pé נ *&* Pé (י) *derivata.* ibid.
§. II. *Nomina ex defectivis* ע *ſeu in ſecunda radicali derivata.* ibid.
§. III. *Nomina ex quieſcentibus & defectivis* Pé (י) *derivata.* 394
§. IV. *Nomina ex quieſcentibus* Aïin (ו) *vel* (י) *derivata.* 395
§. V. *Nomina ex quieſcentibus* Lámedh א *derivata.* 396
§. VI. *Nomina ex quieſcentibus* Lámedh ה *derivata.* 398
ARTIC. III. *Nomina quatuor aut quinque literis conſtantia.* 400
§. I. *Nomina quorum radicales geminantur.* 401
§. II. *Nomina quorum radicales diverſæ ſunt.* 402

CAPUT XVI. *De Thematis ſeu radicis inveſtigatione.* 403

CAPUT XVII. *De Chaldaïſmis, Syriaſmis, ſeu Syriſmis, & fundamentis, quibus nititur punctorum vocalium, & literarum quarumdam mutatio.* 406
ARTIC. I. *De Chaldaïſmis.* ibid.
ARTIC. II. *De Syriaſmis & anti-Syriaſmis.* 411
ARTIC. III. *De mutationis punctorum fundamentis.* 413
§. I. *De mutatione punctorum ob ſyllabæ complementum.* 414
§. II. *De mutatione punctorum ob daghéſch ejecti, & literæ quieſcentis, aut etiam excidentis compenſationem.* 415
§. III. *De mutatione punctorum ob accentum tonicum tum communem, tum pauſantem.* ibid.
§. IV. *De mutatione punctorum, & literarum quarumdam itidem mutatione & metatheſi ob euphoniam.* 416

LIBER II.

De Syntaxi.

PARS I.

De Syntaxi ſimplici.

CAPUT I. *De articulo.* 420

Digitized by Google

ARTIC. I. *De Hebræorum articulis, ac præſertim* ה. ibid.
ARTIC. II. *De Græcorum articulo.* 423

CAPUT II. *De Nomine.* 429
ARTIC. I. *De nomine proprio.* ibid.
§. I. *De nominis proprii formatione.* 430
§. II. *De nominis proprii impoſitione.* 439
§. III. *De peculiari nominis proprii uſurpatione.* 451
ARTIC. II. *De nomine appellativo.* 454
§. I. *De nomine ſubſtantivo.* 456
§. II. *De nomine adjectivo.* 459
De ejuſdem conſtitutione. 460
De ejuſdem ellipſi. 465
De ejuſdem enallage. 467
§. III. *De adjectivi comparatione, ſeu de comparativo gradu.* 469
§. IV. *De ſuperlativo gradu.* ibid.
§. V. *De graduum inter ſe enallage, ſeu permutatione.* 473
§. VI. *De nominum Hebræorum genere.* 474
§. VII. *De nominum Hebræorum numero.* 476
§. VIII. *De nominum Hebræorum caſu.* 479
§. IX. *De nominum Hebræorum regiminis ſtatu.* 481
De ejus idiotiſmo in genere conſiderato. ibid.
De ejuſdem idiotiſmo in ſpecie conſiderato. 487
§. X. *De nominis conſtructi pleonaſmo.* 492
§. XI. *De nominis conſtructi ellipſi.* 494
§. XII. *De nominis conſtructi enallage.* 496
§. XIII. *De nominis conſtructi hypallage.* 497

CAPUT III. *De Pronomine.* 498
ARTIC. I. *De pronomine demonſtrativo.* ibid.
§. I. *De pronominis demonſtrativi repetitione.* 499
§. II. *De pronominis demonſtrativi & reciproci pleonaſmo.* ibid.
§. III. *De pronominis demonſtrativi enallage.* 500
ARTIC. II. *De pronomine relativo.* 502
§. I. *De pronominis relativi idiotiſmo.* ibid.
§. II. *De pronominis relativi enallage.* 504
§. III. *De pronominis relativi ellipſi.* 511
§. IV. *De pronominis relativi, & , ad quod refertur, ſubſtantivi pleonaſmo.* 513

CAPUT IV. *De Verbo.* 515

Digitized by Google

ARTIC. I. *De verborum idiotiſmo.* ibid.
§. I. *De ſignificatione verborum in genere.* 516
§. II. *De ſpeciali verborum ſignificatione.* 529
§. III. *De verborum conſtructione.* 533
ARTIC. II. *De verborum enallage.* 539
§. I. *De modorum enallage, & optativo modo.* ibid.
§. II. *De temporum enallage.* 543
§. III. *De perſonarum enallage.* 547
§. IV. *De numerorum enallage.* 548
§. V. *De generum enallage.* 551
ARTIC. III. *De verborum ellipſi.* 552
ARTIC. IV. *De verborum pleonaſmo.* 553

CAPUT V. *De Participio.* ibid.
ARTIC. I. *De participiorum enallage.* 554
ARTIC. II. *De ſingulari participiorum conſtructione.* 556
§. I. *De peculiari participiorum conſtructione cum nomine.* 557
§. II. *De peculiari participiorum conſtructione cum verbo.* 558

CAPUT VI. *De Adverbio.* 559
ARTIC. I. *De adverbio in genere conſiderato.* ibid.
ARTIC. II. *De adverbio in ſpecie conſiderato.* 561
§. I. *Adverbia loci.* ibid.
§. II. *Adverbia temporis.* 562
§. III. *Adverbia numeri.* 566
§. IV. *Adverbia demonſtrandi.* 567
§. V. *Adverbia confirmandi.* 568
§. VI. *Adverbia negandi.* 569
§. VII. *Adverbia dubitandi.* 575
§. VIII. *Adverbia excludendi.* 576
§. IX. *Adverbia comparandi.* ibid.
§. X. *Adverbia limitandi.* 580

CAPUT VII. *De Præpoſitione.* 581
ARTIC. I. *De præpoſitionum quarumdam ſeparabilium conſtructione.* ibid.
ARTIC. II. *De præpoſitionum quarumdam ſeparabilium ſignificatione.* 582
§. I. *De præpoſitione* אֶל *vel* אֱלֵי־ ad. ibid.
§. II. *De præpoſitione* אַחַר *vel* אַחֲרֵי post. 585
§. III. *De præpoſitionibus* אֵת־ , עִם , עִמָּד cum, 586
§. IV. *De præpoſitione* עֵבֶר trans, 588

§. V. *De præpoſitione* עַל ſuper. 589
§. VI. *De præpoſitione* תַּחַת ſub. 590
Artic. III. *De præpoſitionum inſeparabilium conſtructione & ſignificatione.* 591
§. I. *De præpoſitione præfixa* ב. ibid.
§. II. *De præpoſitione præfixa* כ. 594
§. III. *De præpoſitione præfixa* ל. 595
§. IV. *De præpoſitione præfixa* מ. 598
Artic. IV. *De ſpeciali Græcarum quarumdam præpoſitionum, ratione Novi Teſtamenti, ſignificatione.* 602

I.	Ἀνὰ.	602	IX.	Κατὰ.	606
II.	Ἀντὶ.	ibid.	X.	Μετὰ.	ibid.
III.	Ἀπὸ.	603	XI.	Παρὰ.	607
IV.	Διὰ.	ibid.	XII.	Περὶ.	ibid.
V.	Εἰς.	ibid.	XIII.	Πρὸς.	608
VI.	Ἐκ vel ἐξ.	604	XIV.	Σὺν vel Ξὺν.	ibid.
VII.	Ἐν.	ibid.	XV.	Ὑπὲρ.	ibid.
VIII.	Ἐπὶ.	605	XVI.	Ὑπὸ.	610

CAPUT VIII. *De Conjunctione.* 610
Artic. I. *De Conjunctione copulativa.* 611
Artic. II. *De Conjunctione conditionali.* 617
Artic. III. *De Conjunctione disjunctiva.* 620
Artic. IV. *De Conjunctione adverſativa.* 621
Artic. V. *De Conjunctione cauſali.* 623
Artic. VI. *De Conjunctione concluſiva.* 627

CAPUT IX. *De Interjectione.* 628
Mantissa *de voce Hebraïca* סֶלָה Sela, *& Græca* ΔΙΑΨΑΛΜΑ Diapſalma. 630

Vocum

Vocum quarumdam abbreviatarum, aliarumque apud grammaticos frequentium explicatio.

NE quid hoc in opere legendo moretur candidatum, abbreviaturas, quibus ad minuendam hujus voluminis ſpiſſitatem uſi ſumus; necnon voces quaſdam grammaticorum aliorumque auctorum proprias, hîc non ab re fuerit explicare.

Abſ. Abſol. Abſolut. abſolutus.
Æthiop. Æthiops, Æthiopicus.
Aff. Affix. affixum.
Al. alius, aliàs.
Ald. Septuaginta interpretum Aldina editio.
Alex. mſ. codex Alexandrinus.
Ἀναμάρτητος, erroris expers, qui falli nequit.
Antepen. antepenultima, ſeu tertia ante finem ſyllaba aut litera.
Aphæreſis [ἀφαίρεσις] detractio literæ initio dictionis.
Apoc. Apocope [ἀποκοπὴ] detractio literæ in fine dictionis.
Ἀποδεικτικὸς, demonſtrativus, demonſtrandi vim habens, &c.
Apoſiopeſis [ἀποσιώπησις] reticentia.
Aq. Aquila, Græcus interpres.
Arab. Arabs, Arabicus.
Auxeſis [αὔξησις] augmentum, incrementum.
Begh. beghadh, ſeu בגד.
Ben. bénoni.
Buxt. D. Buxtorfius.
Cacophonia [κακοφωνία] injucunda pronuntiatio, ſonus aſper.
Cantab. mſ. codex Cantabrigienſis.
Chald. Chaldæus.
Cod. codex.
Codd. codices.
Com. Commun. communis.
Comm. Comment. commentarii.
Compl. Complut. Septuaginta interpretum Complutenſis editio.
Conjug. conjugatio.
Conſt. Conſtruct. conſtructio, conſtructus.
Curcell. mſ. codex Curcellæus.
Dagh. daghéſch.
Deſ. Defect. defectivus.
Dual. dualis numerus.
Ellipſis [ἔλλειψις] defectus.
Emphaſis [ἔμφασις] ſignificationis efficacia.
Emphaticus, habens ſingularem ſignificandi vim.
Emphatice, ſignificanter, efficaciter.
Enallage [ἐναλλαγὴ] immutatio, commutatio.
Ἐνέργεια, vis, efficacia.
Epentheſis [ἐπένθεσις] adjectio literæ in medio dictionis.
Epentheticus, in medio dictionis adjectus.
Euphonia [εὐφωνία] ſuavis & jucunda pronuntiatio.
Euphonicus, ad pronuntiationis jucunditatem pertinens.
Exegeticus [ἐξηγητικὸς] explanatorius.
Fem. femininus.
Fut. futurum.
Gut. Gutt. Guttur. gutturalis.
H. e. hoc eſt.
H. l. hic locus.
Heb. Hebræus, Hebraïce.
Hhol. hhólem.
Hiph. Hiphil.
Hith. Hithpaél.
Hoph. Hophal.
Hypallage [ὑπαλλαγὴ] vocum aut ſententiæ membrorum inverſio.
Hyperbaton [ὑπερβατὸν] vocum in oratione trajectio.
I. id eſt.
Imperat. imperativus.

Digitized by Google

Infin. Infinit. infinitivus.
Interp. interpres.
Interpp. interpretes.
Keph. kephath, ſeu כפת.
L. locus.
Legeb. legebat, legebant.
Loc. locus, localis.
Lxx. Septuaginta duo interpretes Græci, qui numero rotundo dicuntur Lxx.
Maſc. maſculinus.
Maſſor. Maſſora, Maſſorethæ.
Meioſis [μείωσις] imminutio, extenuatio.
Metatheſis [μετάθεσις] trajectio.
Metonymia [μετωνυμία] tranſnominatio, poſitio nominis pro nomine.
Mill. D. Millius.
Mut. Mutt. mutat, mutant, mutatur, mutantur, &c.
Mſ. manuſcriptus codex.
Mſſ. manuſcripti codices.
Niph. Niphal.
Orig. Origenes.
Ox. Oxon. mſ. codex Oxonienſis.
Paragoge [παραγωγὴ] adductio, adjectio literæ in fine.
Parag. paragogicus, in fine adjectus.
Paraph. paraphraſis, paraphraſtes.
Pen. Penult. penultima, ſive ſecunda ante finem ſyllaba aut litera.
Perſ. perſona.
Pleonaſmus [πλεονασμὸς] abundantia, redundantia.
Pleonaſticus, redundans, abundans.
Pleonaſtice, redundanter, abundanter.
Plur. Plural. pluralis.
Polemicus [πολεμικὸς] hic ad controverſiam pertinens.
Præc. Præced. præcedens, &c.
Præt. præteritum.
Proſtheſis [πρόσθεσις] adjectio initio dictionis.
Proſtheticus, adjectus initio dictionis.
Q. d. quaſi dicas, quaſi diceretur.
Quieſc. quieſcens.
Quieſcent. quieſcentes.
R. Rabbi.
RR. Rabbini.
Rad. Radic. radix, radicalis.
Reg. Regim. regimen.
Samar. Samaritanus.
Seq. ſequens.
Seqq. ſequentes, ſequentia.
Sing. ſingularis numerus.
Steph. mſ. codex Stephani.
Sup. Supp. ſupple.
Sym. Symmachus, Græcus interpres.
Synchyſis [σύγχυσις] confuſio.
Synecdoche [συνεκδοχὴ] acceptio totius pro parte, & viciſſim.
Synt. ſyntaxis.
Syr. Syrus interpres.
Thalm. Thalmud.
Theod. Theodotio, Græcus interpres.
Thren. Threni ſeu lamentationes Jeremiæ.
Tmeſis [τμῆσις] ſectio, diviſio.
Vª. edit. quinta editio, ſeu interpretatio Græca Hierichunte ab Origene reperta.
VIª. edit. ſexta editio ab eodem Nicopoli ad Actium inventa.
VIIª. edit. ſeptima editio ab eodem, ſed loco incerto, reperta.
Vat. Vatic. Vaticana editio Lxx. interpretum.
Veleſ. mſ. codex Veleſii.
Ult. ultima ſyllaba aut litera.
Ὑπερβολικῶς, *hyperbolice, ſupra fidem.*
Vulg. Vulgatus interpres Latinus, Vulgata editio Latina.

Alia abbreviaturæ voceſque omnibus, opinor, erunt perviæ. Imo quædam in hoc ſyllabo poſita ſunt, quæ nonnullis procul dubio minus neceſſaria videbuntur. At cum rudibus potius quam eruditis ſcribamus: operam noſtram abundare malumus, quam in ulla re deficere. Verum antequam præfari deſinamus, quædam monendus eſt lector.

I. Duos Samuëlis libros nomine primi & ſecundi Regum, prout à Catholicis laudari ſolent, citavimus. Qui igitur apud Hebræos primus Samuelis

Digitized by Google

vocatur , is apud nos primus Regum dicitur ; & quem Samuëlis ſecundum nominant , eum nos ſecundum Regum nuncupamus. Quod vero pertinet ad duos libros Regum , hi tertius & quartus Regum à nobis appellantur. Eſdræ etiam & Nehemiæ libros ſic interdum laudavimus , ut , qui Nehemiæ liber eſt , is ſecundus Eſdræ dicatur. Sæpe tamen libri illi auctorum ſuorum nominibus indicantur.

II. Hebræi , Græci , Latinique verſiculi ſibi invicem ubique non reſpondent. Quapropter ſicubi verſum aliquem loco citato minime repereris , ſuperiorem aut inferiorem conſulas neceſſe eſt. Interdum etiam diverſa ſunt capita , quod vulgo curavimus adnotandum. Præterea cum Pſalmum ix. in duos tribuant Hebræi , & vice verſa ex cxlvi. & cxlvij. unicum efficiant ; Pſalmos intercurrentes ita numerant , ut , qui Græcis & Latinis decimus eſt , is Hebræis ſit undecimus. Pſalmorum ſequentium eadem eſt ratio ad cxlviij. in quo numerando Hebræi cum Græcis & Latinis conſentiunt ; idque diſcriminis perpetuo à nobis eſt obſervatum.

III. In vertendis Hebræis Græciſque Scripturæ locis , quos in exempla propoſuimus , ſequuti ſumus fere Vulgatum interpretem Latinum , à quo utpote peritiſſimo & interdum etiam elegantiſſimo , quam rariſſime fieri potuit , receſſimus. Eum itaque non deſeruimus , niſi cum vel ipſe ab Hebræo nimis recedere videtur , in iis videlicet , quæ ad fidem & mores non pertinent ; vel cum ipſi , ut candidatis noſtris , quæ ſit linguæ indoles oſtenderemus , loca quædam verbo ad verbum reddenda curavimus.

IV. Sanctorum Patrum teſtimonia , quæ interdum hoc in opere citantur , ex eorum editionibus , quas adornarunt noſtri , protulimus. Cum etiam R. Davidis Qimhhi Michlól *ſive Grammatica ſæpius laudetur , ea uſi ſumus , quam Daniel Bombergus Venetiis anno* 1545. *in octavo , ut vocant , modulo typis mandavit.*

V. Locorum S. Scripturæ , quas propoſuimus explanationes , Eccleſiæ Catholicæ ſolius ἀναμάρτητε Scripturarum interpretis judicio libentiſſime ſubjicimus. Si quid igitur in eis præter animum nobis exciderit , quod rectæ fidei non ſit plane conſentaneum , illud revocatum jam volumus ac damnatum.

VI. Denique licet ex variis ſenſibus , quibus interdum ſubjectus eſt unus idemque Scripturæ locus , eum duntaxat , qui & commodior nobis viſus eſt , & ex orationis ipſius ſerie naturaliter magis fluere , attulerimus : non idcirco tamen alios , modo veritate nitantur , improbamus. Neque enim nos fugit veriſſima illa , quam Catholici amplectuntur , Auguſtini ſententia. Quando ex eiſdem Scripturæ verbis , *inquit* , non unum aliquid , ſed duo vel plura ſentiuntur , etiamſi latet quid ſenſerit ille qui ſcripſit , nihil periculi eſt , ſi quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis Sancta-

rum Scripturarum doceri poteſt ; id tamen eo conante, qui divina ſcrutatur eloquia, ut ad voluntatem perveniatur auctoris, per quem Scripturam illam ſanctus operatus eſt Spiritus ; ſive hoc aſſequatur, ſive aliam ſententiam de illis verbis, quæ fidei rectæ non refragatur, exſculpat, teſtimonium habens à quocunque alio loco divinorum eloquiorum. Ille quippe auctor in eiſdem verbis, quæ intelligere volumus, & ipſam ſententiam forſitan vidit; & certe Dei Spiritus, qui per eum hæc operatus eſt, etiam ipſam occurſuram lectori vel auditori, ſine dubitatione prævidit ; immo ut occurreret, quia & ipſa eſt veritate ſubnixa, providit. *S. Aug. lib. 3. de Doct. Chriſt. cap. 27. tom. 3. nov. edit. part. 1. col. 56.*

APPROBATIO.

JUbente illuſtriſſimo Galliarum Cancellario, legi librum cui titulus: *Grammatica Hebräica & Chaldäica*, &c. in quo nihil reperi quod fidei, boniſque moribus adverſetur. Imo inveni opus omni doctrina, eruditione ac pietate refertum, quod in totum textum Hebraïcum, Græcum & Latinum totius S. Scripturæ legitimus & completus commentarius dici poſſit. Datum Pariſiis anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimo vigeſimo ſecundo, die vero quinta menſis Februarii.

PINSSONNAT.

PERMISSIO

RR. Superioris Generalis Congregationis S. Mauri.

F. DIONYSIUS DE SAINTE MARTHE, Superior Generalis Congregationis S. Mauri, Ordinis S. Benedicti, facultatem concedimus cariſſimo fratri noſtro *D. Petro Guarin*, ejuſdem Congregationis Preſbytero & Monacho, ut librum, cui titulus eſt: *Grammatica Hebräica & Chaldäica*, &c. duobus tomis in 4°. comprehenſum, quem elaboravit, quemque vir clariſſimus & eruditiſſimus Dominus Jacobus PINSSONNAT Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, SS. Literarum profeſſor, necnon librorum cenſor Regius, jubente illuſtriſſimo Galliarum Cancellario, approbavit, in lucem edere poſſit. In cujus rei fidem has literas propria manu ſubſcriptas, & à Secretario noſtro ſubſignatas dedimus. Pariſiis in Monaſterio S. Germani à Pratis, die decima quinta menſis Maii, anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quarto.

Fr. DIONYSIUS DE STE MARTHE,
Superior Generalis.

De mandato Reverendiſſimi Patris Superioris Generalis.
Fr. JOSEPHUS CASTEL,
Secretarius.

Digitized by Google

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaire de notre Hôtel, Grand Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, SALUT. Notre bien-amé JACQUES COLLOMBAT l'un de nos Imprimeurs ordinaire, & le ſeul à notre Service pour notre Cabinet, Maiſon, Bâtimens, Arts & Manufactures ; Nous ayant fait remontrer qu'il deſireroit imprimer & donner au Public un Manuſerit intitulé, *Grammatica Hebraica & Chaldaïca ; cum Lexico Hebraïco & Chaldaïco*, &c. s'il Nous plaiſoit luy accorder nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires. A CES CAUSES, Nous voulant favoriſer ledit Collombat, & luy marquer la ſatisfaction où nous ſommes de ſon attachement auprès de notre Perſonne, Nous luy avons permis & aceordé, permettons & accordons par ees Preſentes, d'imprimer ou faire imprimer ledit Livre ci-deſſus ſpecifié en un ou pluſieurs volumes, conjointement ou ſeparément, marge & caractere, & autant de fois que bon luy ſemblera ; de le faire vendre & debiter par tout notre Royaume, pendant le temps & eſpace de quinze années entieres & conſecutives, à compter du jour de la date des Preſentes ; durant lequel temps faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre Royaume. Comme auſſi à tous Imprimeurs, Libraires & autres, d'imprimer ou faire imprimer, vendre, faire vendre & debiter, ni contrefaire ledit Livre en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits, ſous prétexte d'augmentation, correction, changement de titre ou autrement, ſous quelque prétexte que ce puiſſe être, ſans le conſentement par écrit dudit Expoſant, ou de ſes ayans eauſes, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de ſix mil livres d'amende, (de confiſcation des Exemplaires contrefaits, Preſſes & Caracteres qui auront ſervi à ladite contrefaçon, que Nous entendons être ſaiſis en quelque lieu qu'ils ſoient trouvez ;) dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages & interêts. A la charge que ces Preſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles. Que l'impreſſion de ce Livre ſera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformement aux Reglemens de la Librairie ; & qu'avant que de l'expoſer en vente, le Manuſcrit ou Imprimé qui aura ſervi de copie à l'impreſſion dudit Livre, ſera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, és mains de notre tres-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur Fleuriau d'Armenonville, Commandeur de nos Ordres ; & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit tres-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur Fleuriau d'Armenonville, Commandeur de nos Ordres ; le tout à peine de nullité des Preſentes : Du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Expoſant ou ſes ayans cauſes pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la Copie deſdites Preſentes, qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Livre, ſoit tenu pour duëment ſignifiée, & qu'aux Copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, foy ſoit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, Charte-Normande, & Lettres à ce contraires ; Car tel eſt notre plaiſir. DONNE' à Paris le quatriéme jour du mois de May, l'an de grace mil ſept cent vingt-quatre, & de notre Regne le neuviéme. Par le Roy en ſon Conſeil. *Signé*, CARPOT.

Regiſtré ſur le Regiſtre V. de la Chambre Royale des Imprimeurs & Libraires de Paris, num. 846. folio 532. conformement aux anciens Reglemens, confirmez par celuy du 28. Fevrier 1723. A Paris le vingt-ſix May mil ſept cent vingt-quatre. Signé, BRUNET, *Syndic.*

Digitized by Google

ADMONITIO AD TYRONES.

Linguæ S. candidatum, qui hac grammatica uti voluerit, denuo monitum volumus, ut primum ea ſolummodo diſcat, quæ majoribus excuſa ſunt literis, & ducto per integram paginam verſu. Quæ vero minoribus typis, & columna duplici edita ſunt, iſthæc in aliud differat tempus; utpote quæ ſint cum minus neceſſaria, tum forte etiam paulo difficiliora, quam ut ab eo poſſint intelligi.

Tomi I. menda ſic emenda.

IN Præfat. pag. x. l. 27. lege ἐκλήθη. In Opere, pag. 40. c. 1. l. 11. חֲרִקִיץ. Pag. 43. c. 2. l. 8. בְּמַעְגְּלֵי. Pag. 48. c. 1. l. 20. מֵאוּנִי. Pag. 59. l. penult. סֵפֶר. Pag. 75. c. 2. l. 14. שִׁעֲשָׁה. Pag. 82. l. 27. תַּלְמִיד. Pag. 92. c. 1. l. 27. שְׁאֵלַת. Pag. 93. c. 2. l. 4. ante fin. חֵבֶל. Pag. 102. c. 1. l. 13. מֵימֵי. Pag. 138. in Hiphil, *Forma infinitivi, imperativi & futuri* ( ) *ſub prima radicali*, &c. Pag. 174. l. 1. & c. 2. l. 10. פָּרָשֵׁי. Pag. 230. c. 2. l. 15. *pluralis*. Pag. 243. l. 23. *bénoni hiphil*. Pag. 271. c. 2. l. 9. ante fin. צֵאת. Pag. 278. c. 1. l. 4. ante fin. *invenire fac.* Pag. 280. c. 2. l. 3. ante fin. וַיַּשֵּׁא. Pag. 298. c. 2. l. 19. dele & ( ) *in* ( ); & pro יִשְׂנָא lege יִשְׂנָא. Pag. 380. c. 1. l. 24. בְּקֹדֶשׁ, בַּמִּקְדָּשׁ. Pag. 414. c. 2. l. 19. *eandem*. Pag. 429. l. penult. lege *ſecundi*. Pag. 547. c. 2. l. penult. ἤλπιζον. Pag. 580. c. 1. l. 23. παρασυνεβλήθη. Pag. 622. c. 1. l. 18. ἀποκτείνας. Pag. 623. c. 1. l. 12. *ferrati*. Alia emendet lector benevolus.

GRAMMATICA

Digitized by Google



GRAMMATICA HEBRAICA.

LIBER PRIMUS.

De Etymologia.

CAPUT PRIMUM.

De Literis.

HEBRÆI, [a] necnon cæteri Orientales, [b] & antiquitùs Græci, inter legendum & ſcribendum incipiunt à dextrâ ſiniſtram versùs. Eorum Grammatica definitur: *Ars purè loquendi Hebraïcè.* Rabbinis dicitur דִּקְדּוּק diqdóuq, id eſt, *ſubtilitas*, quia ſubtiliter & accuratè literas, puncta, inflexiones, & vocum omnium naturam conſiderat.

NOTÆ.

[a] *Necnon cæteri Orientales.* Chaldæi, Syri, Perſæ, Arabes, Turcæ, &c. à dextrâ pariter ad ſiniſtram ſcribunt. Hallucinatur *Quinquarboreus* cùm Grammaticæ ſuæ initio dicit Phœ-

LITERARUM HEBRAICARUM

Numerus & Ordo.	*Figura* Antiqua, seu Samaritana.	Hodierna, seu Chaldaica.	*Quinque literæ finales.*	Rotunda, seu Rabbinica.	*Quinque literæ finales.*	*Nomen* Hebraicè	Latinè exaratum.	*Poteſtas* Grammatica.		Numerica.
1	ࠀ	א		א		אָלֶף	Áleph.	(')	Aſpiratio leniſſima, qualis eſt ſpiritus lenis Græcorum. *Vide Appendicem.*	1
2	ࠁ	ב		ב		בֵּית	Béth.	b *vel* bh. *ſeu* V.	*b* cum puncto in medio, ſic: בּ; *bh* vero, ſive *v* conſonans ſine puncto, ſic: ב.	2
3	ࠂ	ג		ג		גִּימֶל	Gímel.	g *vel* gh.	*g* cum puncto in medio, ſic: גּ; *gh* verò, ſine puncto, ſic: ג. *Vide Appendicem.*	3
4	ࠃ	ד		ד		דָּלֶת	Dáleth.	d *vel* dh.	*d* cum puncto in medio, ſic: דּ; *dh* verò, ſine puncto, ſic: ד.	4
5	ࠄ	ה		ה		הֵא	Hé.	h.	Aſpiratio denſa ut ſpiritus aſper Græcorum, aut *h* in voce Gall. *heros.*	5
6	ࠅ	ו		ו		וָו	Váv.	V *vel* W *ſeu* u *Græc.*	*Vide Appendicem.*	6
7	ࠆ	ז		ז		זַיִן	Zaíin.	z.	Melius *ſ* litera leniſſima inter duas vocales. *Vide Appendicem.*	7
8	ࠇ	ח		ח		חֵית	Hhéth.	hh.	Aſpiratio denſior. *Vide Appendicem.*	8
9	ࠈ	ט		ט		טֵית	Téth.	t.	*Vide Appendicem.*	9
10	ࠉ	י		י		יוֹד	Jódh.	j *conſon.*	*Vide Appendicem.*	10
11	ࠊ	כ	ך	כ	ך	כַּף	Cáph.	c *vel* ch. k *vel* kh.	*c vel k* cum puncto in medio, ſic: כּ; *ch* verò, ſeu *kh* ſine puncto, ſic: כ.	20
12	ࠋ	ל		ל		לָמֶד	Lámedh.	l.		30
13	ࠌ	מ	ם	מ	ם	מֵם	Mém.	m.		40
14	ࠍ	נ	ן	נ	ן	נוּן	Nún.	n.	*Vide Appendicem.*	50
15	ࠎ	ס		ס		סָמֶךְ	Sámech.	ſ *durum*	*Vide Appendicem.*	60
16	ࠏ	ע		ע		עַיִן	Aíin.	hhh *vel* h *aut* (') *græ*	Aliis eſt aſpiratio vehementiſſima; aliis verò leniſſima. *Vide Appendicem.*	70
17	ࠐ	פ	ף	פ	ף	פֵּה	Pé.	p *vel* ph. *ſeu* φ *græc.*	*p* cum puncto in medio, ſic: פּ; *ph* verò ſine puncto, ſic: פ.	80
18	ࠑ	צ	ץ	צ	ץ	צָדִי	Tſadhé.	tſ *vel* tz. *aut* ſſ.	Sic vulgò literam illam pronuntiant, ſed melius effertur per ſimplex *s. Vide App.*	90
19	ࠒ	ק		ק		קוֹף	Qóph.	q.	*Vide Appendicem.*	100
20	ࠓ	ר		ר		רֵישׁ	Réſch.	r.		200
21	ࠔ	שׁ } שׂ		ש		שִׁין Schín. } שִׂין Sín.		ſch. } ſ	*Vide Appendicem.*	300
22	ࠕ	ת		ת		תָּו	Táv.	t *vel* th. *ſeu* θ *græc.*	*t* cum puncto in medio, ſic: תּ; *th* verò, ſeu *θ* Græcum ſine puncto, ſic: ת.	400

&c. א̈	ץ	ף	ן	ם	ך
1000.	900.	800.	700.	600.	500.

Literæ quæ ad dextram כ, מ, נ, פ, צ, pinguntur, eædem ſunt, ſed finales de quibus infrà art. 2. Alphabethum Rabbinicum ſuas etiam habet finales; Samaritanum vero minimè.

De hac poteſtate numerica Literarum ſpeciatim agemus infrà lib. 3. cap. 3. ubi Hebræorum arithmeticam tradémus.

Digitized by Google

NOTÆ.

Numerus & ordo literarum Hebraïcarum colligitur cum ex praxi, tum ex quibuſdam S. Scripturæ locis in quibus verſus incipiunt à ſingulis Alphabethi literis. Ea autem loca inter cætera ſunt cap. ult. Prov. à verſu 10. ad finem uſque capitis. Thren. capp. 1. 2. 3. 4. ſed in capp. 2. 3. 4. ע & פ librariorum, ut videtur, oſcitantiâ tranſponuntur. Pſalm. 33. Heb. 34. ſed deeſt ו, aut ה & ו in verſu 6. comprehenduntur, ut quibuſdam placet. Pſal. 144. Heb. 145. at in eo deficit verſus à נ incipiens, qui tamen adfuiſſe videtur tempore LXX. Interpretum qui eum ſic reddidere : Πιστὸς Κύριος ἐν πᾶσι λόγοις αὐτοῦ, καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ. Veroſimile eſt eos in Hebræo ſuo codice ſic legiſſe : נאמן יהוה בכל־דבריו וחסיד בכל־מעשיו *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis : & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Hic tamen verſus in Hebræo deſiderabatur jam à Divi Hieronymi temporibus ; neque etiam apud Græcos Interpretes Aq. Sym. Theod. &c. exſtabat, teſte antiquo ſcholiaſtâ. Denique in Pſal. 118. Heb. 119. octoni verſus à ſingulis Alphabethi literis ſumunt exordium ; quare Pſalmus iſte *Alphabethum magnum* appellatur.

Figura literarum quibus exarati ſunt Sacri codices à captivitate Babylonicâ, alia eſt ab eâ quâ ante id temporis utebantur Hebræi ; characteres enim Phœnicios ſive Samaritanos, ante Templi Jeroſolymitani à Chaldæis everſionem, Judæis & Samaritanis communes fuiſſe, teſtificantur veteres cum Chriſtiani tum Judæi.

Origenes in fragmento mſ. cod. Regii num. 1818. fol. 10. à noſtro D. Bernardo *De Montfaucon* in Palæogr. Græcâ pag. 119. & in Hexaplis Origenis pag. 86. Prælimin. edito, ſic ſcribit : ἐν τοῖς ἀκριβέσι τῶν ἀντιγράφων, Ἑβραϊκοῖς ἀρχαίοις γράμμασι γέγραπται, ἀλλ' οὐχὶ τοῖς νῦν· φασὶ γὰρ τὸν Ἔσδραν ἑτέροις χρήσασθαι μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν, *in accuratioribus exemplaribus, antiquis Hebraïcis literis ſcriptum eſt* (nomen Dei tetragrammon יהוה) *ſed non hodiernis : aiunt enim Eſdram aliis uſum fuiſſe poſt captivitatem.* Græci Judæos imitati, idem tetragrammon Dei nomen literis Hebraïcis ſed hodiernis, ſuis etiam in libris interdum ſcribebant, *quod quidam non intelligentes propter elementorum ſimilitudinem, cùm in Græcis libris repererint*, ΠΙΠΙ (pro יהוה) *legere conſueverant*, ſcribit S. Hieron. Epiſt. ad Marcellam, tom. 2. nov. edit. col. 705. Hi nimirum à ſiniſtrâ ad dextram, more Græcorum legentes, ה pro Π, ו autem & י pro I accipiebant. Vide ibidem col. 276. Evagrii fragmentum in quo pro יהוה ſcribitur ΠΙΠΙ. Lege pariter notas Editoris in hoc fragmentum.

Euſebius in Chron. ad annum mundi 4740. *Fuit Eſdras eruditiſſimus Legis divinæ..... affirmatùrque divinas Scripturas memoriter condidiſſe ; & ut Samaritanis non miſcerentur* (Judæi è captivitate Babylonicâ reduces) *literas Judaïcas commutaſſe.* Quæ ſunt autem antiquæ illæ literæ quibus Dei nomen tetragrammon in accuratioribus exemplaribus Hebraïcis ſcribebatur, teſte Origene ; & quas commutavit Eſdras, ſecundùm Euſebium ? Procul dubio Samaritanæ, ut diſertè aſſerit S. Hieron. præfat. in libros Reg. tom. 1. nov. edit. col. 317. *Certum eſt*, inquit, *Eſdram Legis Doctorem, poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem Templi ſub Zorobabel, alias literas repperiſſe quibus nunc utimur : cùm ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.* Quod ait S. Hieronymus alias ab Eſdra repertas fuiſſe literas, id intelligendum non eſt quaſi novas cuderit ; ſed quod Chaldaïcas quibus aſſuefacti erant Judæi tempore captivitatis, ſuâ authoritate invexerit, aut ſaltem permiſerit.

Antiquis Chriſtianis ſuccinunt Judæi veteres. In Thalmude Babylonico, tractatu Sanhedrin, ſect. 2. fol. 21. hæc leguntur : בתחלה נתנה תורה לישראל בכתב עברי ולשון הקדש: חזרה ונתנה להם בימי עזרא בכתב אשורית ולשון ארמי ביררו להן לישראל כתב אשורית ולשון הקדש והניחו להדיוטות כתב עברית ולשון ארמית *Initio data eſt lex Iſraëli cum ſcripturâ Hebraïcâ & Linguâ Sanctâ. Deinde data eſt ipſis in diebus*

Digitized by Google

Eſræ cum ſcripturâ Aſſyriacâ & Linguâ Aramæâ (ſive Chaldaïcâ). *Elegerunt autem pro Iſraëlitis ſcripturam Aſſyriacam & Linguam Sanctam : & reliquerunt Idiotis ſcripturam Hebraïcam & linguam Aramæam.* Cùm dicit *Mar-Zutra* in hoc contextu Legem datam eſſe ſub Eſdrâ ſcripturâ Aſſyriacâ, linguâ autem Aramæâ ſeu Chaldaïcâ ; ſenſus non eſt Legem tranſlatam fuiſſe ab Eſdrâ in Chaldæorum linguam ; ſed vulgus Judæorum quod linguam & characteres Chaldaïcos melius callebat quàm Hebræos, exemplaria Legis lingua & literis Chaldaicis ſibi deſcripſiſſe : quæ exemplaria abrogavit Eſdras retento ſolùm charactere Aſſyriaco ſeu Chaldaico ; relictis verò Hebræo, & verſionibus Chaldaïcis לְהֶדְיוֹטוֹת *idiotis*, h. e. Cuthæis ſeu Samaritanis, ut explicat ibidem Rabbi Hhaſda. Et ſane Pentateuchi Samaritana verſio parùm à Chaldaicâ dialecto recedit.

In eodem tractatu Sanhedrin, capite 1. Rabbi Joſe Eſdram cum Moſe comparans ſic ſcribit : *Quanquam autem data non fuerit Lex per manum ejus* (Eſdræ) *immutata eſt per manum ejus Scriptura...* לָמָּה נִקְרָאת אַשּׁוּרִית שֶׁעָלָה עִמָּהֶם מֵאַשּׁוּר *Quare* (Scriptura per Eſdram mutata) *vocata eſt Aſſyria ? Quia aſcendit cum eis ex Aſſyria.* Nihil moror ridiculam Rabbinorum quorumdam expoſitionem, quâ volunt ſcripturam hodiernam vocari אַשּׁוּרִית quòd ſit *beata*, à verbo אִשֵּׁר *beavit*, quaſi verò literæ & linearum ductus beatitatis eſſent capaces. Haud ſolidiori fundamento nititur characteris Hebraïci in ſacrum & profanum diſtinctio, quam inter alios Ludov. Capellus in eruditâ ſuâ de antiquis Hebræorum literis diatribâ, invictis argumentis confutavit.

Jure itaque Samaritanos characteres, utpote vetera Linguæ Sanctæ elementa, è regione Judaicorum ſeu Chaldaicorum edendos curavimus eâ quam in Bibliis impreſſis habent figuram ; ut qui Pentateuchum Samaritanum legere voluerit, is alio non indigeat Alphabetho. Qui veteres eorum formas inſpicere deſiderat, adeat lib. 3. cap. 8. ibi deprehendet veriſſimum eſſe quod ſcribit Origenes in cap. 9. Ezech. τὰ ἀρχαῖα στοιχεῖα ἐμφερὲς ἔχειν τὸ Ταῦ τῷ τοῦ σταυροῦ χαρακτῆρι, *vetera elementa* Tav *crucis figuræ ſimile præferre.* Et S. Hieronym. in eumdem locum, col. 754. tom. 3. nov. edit. *Antiquis Hebræorum literis quibus uſque hodie utuntur Samaritani, extrema* (Alphabethi) Tav *litera crucis habet ſimilitudinem.* Eam ſiquidem crucis formam [+] in Nummis Samaritanis paſſim obſervavit doctiſſimus *Toinardus.* Immeritò igitur S. Doctorem caſtigat Voſſius lib. 1. de Arte Grammaticâ, cap. 32. in fine, *quòd figuram quidem crucis videre ſit in Græco* T, inquit, *at non item* Tav *Hebræo vel Samaritano.* Verùm hallucinatur Voſſius qui procul dubio literas Samaritanas alias ab iis quæ in libris editis excuſæ ſunt, non viderat : ut ipſe ibidem innuit vir alioquin doctiſſimus.

APPENDIX

De Literarum quarumdam poteſtate fuſiùs explicatâ.

Cum per chartæ ſpatium, literarum quarumdam prolationem ac poteſtatem ſatis explicare non licuerit, hic de iis paulò fuſius operæ pretium eſt diſſerere.

אָלֶף *Aleph.* Aſpiratio leniſſima fallens magis quàm feriens aures ; non enim ſonus ejus auditur, ſed tantùm motionis quâ afficitur, ut : אַל ál *non*, אֵל él *Deus*, &c. non *hál*, *hél*, &c. neque *aál*, *aél*, &c. nam א non eſt *h*, aut *a* ; ſed ſola aſpiratio leniſſima.

גִּימֶל *Gimel.* Profertur ubique *Guimel*, ſive ut *g* antè *a*, *o* & *u*, non ut *j* conſonans, ſive *g* in voce Gallicâ *regir.* ג itaque cum *i* & *e* pronunciatur ut *g* in vocibus Gallicis *guitarre*, *guérir.*

וָו *Vav* cum *v* conſonante in fine, non *Vau* cum *u* vocali ; nam ultimum elementum ו in hac voce וָו *vav* non minùs eſt litera conſonans, quàm primum. Eâdem de causâ proferendum eſt *Tav*, non *Tau.*

Cæterum ו quodammodo reſpondet τῷ *v* conſonanti Latinorum. Quare Qimhhi in *Michlol* fol. 96. col. 2. monet diſtinguendum inter ב lene ſeu Daghesch deſtitutum, & inter ו; quod argumento eſt ſonum literæ ו ad ſonum ב lenis accedere; ו enim quiddam craſſius denſiuſve ſonat τῷ ב leni quod valet *v* conſonans Latinorum. Judæi tamen Orientales ו per *ou* efferunt; v. gr. וָ per *oua* monoſyllabωs, ut w Germanicum. Græci quoque hanc literam exprimunt per *υ*, ut: וַיְחִי *ὑαιεὶ* (ſic enim legebant) *& vixit.* Iidem etiam *v* conſonans Latinorum per *υ* interdùm expreſſere, ut Σευῆρος *Severus*, Οὐῆρος *Verus*, Οὐάρων *Varon*, Οὐεσπασιανὸς *Veſpaſianus*, &c.

זַיִן *Zâin.* Græci hanc literam ſemper exprimunt per Z; ſed melius effertur per *ſ* lene, ſeu inter duas vocales, ut in voce *Miſericordia*; nam Z conſtat ex *d* & *ſ*, quæ compoſitio Hebræis ignoratur. מִזְמוֹר itaque pronuntiandum eſt *miſmór*, non *mizmór.*

חֵית *Hhéth.* Aſpiratio denſior, qualis eſt halitus hominis ex nimio curſu, aut alio quovis labore fortiter ſpirantis ac reſpirantis: aut cùm quis rigentes digitos ex imo fovet gutture. Græci & Latini characterem huic literæ reſpondentem non habent. Lxx. Interpretes eam per χ ſæpius exprimunt, ut יְרֵחוֹ Ἱεριχὼ, חַרְמִית Χαρμιὶθ, &c. Hos ſequuntur Grammatici non pauci, ſed perperam. Si enim ח proferatur per χ aut *ch*, ſonus ejus confundetur cum ſono τῷ כ lenis quod effertur per *ch.* S. Hieron. in nominibus de Geneſi, ad vocem *Cham* hæc ſcribit: *Sciendum eſt quod* Chi *literam in Hebræo non habeat; ſcribitur autem per* Heth *quæ duplici aſpiratione profertur.* Vide eumdem comm. in Jerem. 19. v. 2. Cùm itaque ח ſit aſpiratio denſior; ſive ut ſcribit Sanct. Hieron. cum duplici aſpiratione proferatur; hanc literam per duplex *h* exprimimus.

טֵית *Téth.* Ore pleniore ac voce craſſiori proferendum eſt quam *t* Latinum; illud enim format lingua latior anteriora palati pulſando. Hinc docet Qimhhi in loco Michlol ſuprà laudato, diſtinguendum inter ט & ת Daghesch affectum, quod ת cum illo Daghesch ſonat ut noſtrum *t.* Præterea in 7. Conjugatione Verborum quæ incipiunt à צ, mutatur ת cum Daghesch notatum in ט euphoniæ gratiâ. Quod evincit ת & ט non eodem planè modo ſonare; proindeque ט ſonum nonnihil diverſum à *t* Latino obtinere.

יוֹד *Iódh.* Melius יוֹת *Ióth.* Euſebius enim lib. 10. de Præp. Evang. legit Ἰώθ. Cod. mſ. PP. Jeſuitarum Collegii Ludovici Magni, in Thr. Jeremiæ: Codex Coiſlinianus N. 191. aliique innumeri Codd. Græci mſſ. habent Ἰώθ, unde ἰῶτα Græcorum, mutatâ aſpiratâ in tenuem. Pſalterium noſtrum S. Germani undecim ſaltem abhinc ſæculis deſcriptum, & Alphabethum Murbacenſe mille circiter annorum, habent pariter *Ioth.* Porrò י eſt quidem *j* conſonans, ſed non profertur ut noſtrum *j* in vocibus Gallicis *jour*, *jardin*, &c. verùm ſonat ut *ï* in *faïence*, vel ut *y* in *Mayence.* Sic etiam profertur י à Judæis Orientalibus, Syris & Arabibus. Atque ita proferendum eſſe probat quod docet Qimhhi in Michlol folio 71. col. 1. nempè in אֶפְקֹד eppaqédh *viſitabor*, א affici (ֶ) quamvis aliæ literæ characteriſticæ hujus Futuri afficiantur *hhiriq qaton*, ne, ſi proferretur אִפְקֹד *ippaqédh*, prima illa perſona, quantùm ad ſonum attinet, confunderetur cum tertiâ ſingulari maſculinâ יִפְקֹד *iippaqédh.* Quod ſane non accideret, ſi pronuntiaretur *gippaqédh*; h. e. ſi י ſonaret ut *g* molle, aut noſtrum *j* conſonans. Proferendum itaque *ioth* monoſyllabωs, non *joth*; יוֹם iom, monoſyll. non jom, *dies.*

כַּף *Cáph.* Eodem modo profertur ante *i* & *e*, ac ante *a*, *o* & *u.* Sic כִּי Ki, non çi, *quia.* כֶּלֶב Kélev, non çélev, *canis.*

נוּן *Noún* cum *u* German. quod reſpondet τῷ וּ: non *Nún* cum *u* Gallico quod ſonat ut (ֻ) Sic Græc. Νοῦν, non Νῦν.

סָמֶךְ *Sámech.* S durum, ut initio dictionum *Sanctus*, *Sacerdos*, &c. Eumdem ſonum retinet in media dictione, etiam inter duas vocales, ut חֲמָסִים hhamasim, vel potius hhamacim, ut nos Galli pronuntiamus *c* ante *i*, non hhamazim, *violentia.*

עַיִן *Aîin.* Aſpiratio denſiſſima Judæis Orientalibus, Syris & Arabibus, qui hanc

literam ſummi gutturis & narium adminiculo proferunt. Quare poteſtatem ejus triplici *h* in Alphabetho expreſſimus. Aliis è contrariò ע ferè pronunciatur ut א. Unde monet Qimhhi folio 96. col. 2. unicuique diligenter cavendum eſſe ne, cùm א profert, audiatur ע; cùm verò ע, audiatur א. Quod oſtendit ע & א affinis eſſe ſoni; proindeque τῷ ע tantam non eſſe aſpirationem quantam ipſi aſſingunt nonnulli. Veteres etiam Rabbini, teſte eodem Qimhhi loco mox laudato, monuerunt cùm legeretur illud Deuteronomii capite 11. v. 9. אֲשֶׁר נִשְׁבַּע יְהוָה לַאֲבֹתֵיכֶם *quam* (terram) *juravit Dominus patribus veſtris*, &c. ע verbi נִשְׁבַּע diſertè eſſe proferendum; ne quis dici ac legi putet נִשְׁבָּה *captivus abductus eſt.* Ex mente igitur veterum illorum Rabbinorum ע ferè ἄφωνον eſt, i. e. *mutum*; nam ה in fine vocum planè ſilet, ut videbimus infrà. Cùm autem litera ע Græcis & Latinis barbara ſit, ſicuti ח de quo ſuprà; eam exprimere conati ſunt modò Græci per γ, Latini per *g*, ut: עַזָּה Γάζα *Gaza*, עֲמֹרָה Γομόῤῥα *Gomorrha*, &c. Modò eam planè omiſerunt, ut: עָדָה Ἀδά *Ada* Lamechi uxor, עֵשָׂו Ἡσαῦ *Eſau*, &c. Nos quoque hanc literam in vocibus Hebraïcis Latino charactere ſcribendis omittemus.

צָדֵי *Tſadhé* vel *Tzadhé*. Melius *Sadhé*. Eſt enim *S*, at denſius aliquanto & plenius quam ס *Samech*: Hebræi enim compoſitionem ex *ts* aut *tz* non agnoſcunt. Cùm tamen litera illa ſic communiter ſcribatur, pronuntieturque: nos quoque vulgarem in hac & in aliis quibuſdam, modum ſequemur. De ejus prolatione ſic S. Hieronym. comm. in cap. 9. Iſai. tom. 3. novæ edit. col. 99. *Sciendum eſt quod hic* Nezer *per* Sade *literam ſcribatur, cujus proprietatem & ſonum inter* z *&* s *Latinus ſermo non exprimit; eſt enim ſtridulus, & ſtrictis dentibus vix linguæ impreſſione profertur.* Idem in nominibus de Matthæo, in voce Nazareth; tom. 2. col. 65. novæ edit. *Scribitur autem non per* z *literam, ſed per Hebræum* Sade *quod nec* z *nec* s *literam ſonat.* Et in lib. de nominibus Hebraïcis ad vocem *Rameſſes*, col. 11. ejuſdem tomi & edit. Sade *noſtræ aures penitus reformidant.*

קוֹף *Qóph.* *Q* Latinum, ſive figuram, (modo tamen invertatur, i. e. ſcribatur à dexterâ ad ſiniſtram) ſive poteſtatem attendas; denſius enim profertur quam *C* Latinum aut Κ Græcum. Unde Qimhhi in Michlol fol. 96. col. 2. ſcribit diſtinguendum inter כּ Dagheſch affectum quod ſonet ut *C* Latinum, & inter ק cujus ſonus ſimilis eſt voci quam edit gallina facto ovo.

שִׁין *Schín.* } Figura illa ש cum puncto
שִׂין *Sín.* } in dextro cornu ſic: שׁ, profertur cum ſtridore, ut *ch* in vocibus Gallicis *charité*, *chemin*, *chien*, &c. ſive ut *ſch* Germanorum, aut *ſh* Anglorum. At cum punctum illud in ſiniſtro cornu pingitur ſic: שׂ, eumdem fermè ſonum obtinet ac ס *Sámech* cum quo à vulgo etiam Judæorum hodie confunditur. Imò Ephrathæi שׁ olim pronuntiabant ut שׂ; nempè שִׂבֹּלֶת *ſibbóleth* pro שִׁבֹּלֶת *chibbóleth*, aut *ſchibbóleth*; quo ſymbolo proditi, perierunt ex eis 42000. Vide lib. Judic. cap. 12. Quare שׂ dicitur *Sin Sibboleth*, ſeu Ephrathæum; שׁ verò *Schin Schibboleth*, ſeu Hebræum. Ceterùm literam illam, ſive in dextro, ſive in ſiniſtro cornu punctum habeat, Græci per Σ, Latini per *S* ſemper exprimunt. Unde S. Hieronym. comm. in Epiſt. ad Titum, tom. 4. nov. edit. col. 437. *Nos & Græci*, inquit, *unam tantùm literam* S *habemus*, *illi vero* (Hebræi) *tres*: Samech, Sade & Sin *quæ tres diverſos ſonos poſſident.* Quartam, nempè שׁ, non meminit S. Doctor; vel forte quia ſonus ejus, jam eâ ætate, cum fono τῷ ס confundebatur; vel quia *varietatem accentûs*, quæ mox explicabitur, pro ſoni & literæ diverſitate non accipiebat. Ex hoc, ut videtur, S. Hieronymi ſilentio, male colligit D. *Maſcleſius* Grammaticæ ſuæ pagg. 14 & 213. duplicem pronuntiationem שׁ & שׂ veteribus ignotam recentiores ab Arabibus accepiſſe: contrarium enim liquet ex plurimis Sancti Patris contextibus. Unum pro omnibus hìc afferre ſufficiat. Is quæſt. in Gen. tom. 2. nov. edit. coll. 509. & 510.

Digitized by Google

in hæc verba cap. 2. v. 23. *Hæc vocabitur mulier, quoniam ex viro ſumta eſt*, hæc adnotat: [*Non videtur in Græco & Latino ſonare cur* (Heva) *mulier appelletur, quia ex viro ſumta ſit: ſed etymologia in Hebræo ſermone ſervatur. Vir quippe vocatur* IS (אִישׁ) *& mulier* ISSA (אִשָּׁה.) *Rectè ab* IS *appellata eſt mulier* ISSA. *Unde & Symmachus pulchre etymologiam etiam in Græco voluit cuſtodire dicens: hæc vocabitur* ἀνδρὶς, ὅτι ἀπὸ ἀνδρὸς ἐλήφθη; *quod nos Latinè poſſumus dicere: hæc vocabitur* virago, quia ex viro ſumta eſt. *Porro Theodotio aliam etymologiam ſuſpicatus eſt dicens:* hæc vocabitur *aſſumtio*, quia ex viro ſumta eſt. *Poteſt quippe* ISSA *ſecundùm* varietatem accentûs, & aſſumtio *intelligi;*] nimirum ſi proferatur אִשָּׁה, & deducatur ex נָשָׂה vel נָשָׂא *ſumſit, aſſumſit.* Hîc, ut liquet, per *varietatem accentûs*, nihil aliud intelligit S. Hieronym. quàm variam literæ ש pronuntiationem; quod etiam conſtat ex pluribus aliis S. Doctoris teſtimoniis. Vide imprimis commentarium ejus in caput 27. Ezech. tom. 3. nov. edition. col. 887. & in cap. 12. Eccle. v. 5. tom. 2. ejuſd. edit. col. 784. Veteres itaque duplicem literæ ש pronuntiationem, quæcumque illa fuerit, nequaquam ignorarunt. Fruſtrà hîc opponeretur author libri Judic. qui, ut exprimeret Ephrathæum שִׁבֹּלֶת *ſibbóleth*, illud ſcripſit cum ס *Samech*, non vero cum ש *Sin*; quia cùm tunc temporis puncta non eſſent inventa, ſi ſcripſiſſet שבלת *Sibboleth*, diſtinctionem, & variam pronuntiationem שִׁבֹּלֶת & שִׂבֹּלֶת planè indicare non potuiſſet. Majoris itaque perſpicuitatis gratiâ, non quòd ignota eſſet duplex pronunciatio literæ ש, eo in loco uſurpavit *Samech*; ſcripſitque סבלת non שבלת.

Hæc ſunt quæ docent melioris notæ Grammatici circa literarum Hebraïcarum prolationem, de quâ plus æquo ſolliciti eſſe non debent Linguæ S. candidati, cùm ea ferè pro regionum varietate mutetur. Et ſane fieri non poteſt ut literæ illæ hiſce temporibus cum eâdem prorſus vocis inflexione proferantur, quâ eas pronuntiabant qui tempore Moſis, Davidis, aut captivitatis Babylonicæ Hebraicè loquebantur. Satis ſit, ut ipſa, ſi fas ita loqui, pronuntiationis *ſubſtantia* ſervata fuerit, quamvis ejus *accidentia* fuerint immutata.

Miſſas facio nominum literis Hebraïcis impoſitorum quas vulgò afferunt etymologias, ut אַלֻּף *Dux, Princeps*, בַּיִת *domus*, גָּמָל *camelus*, &c. quòd illæ vel incertæ ſint, vel nullæ; diverſæ ſiquidem à diverſis aſſignantur. Vide, ſi vacat, inter veteres Euſebium lib. 10. de Præpar. Evang. & S. Hieron. in Epiſt. ad Paulam, tom. 2. nov. edit. col. 709. ubi horumce elementorum nomina, etymologias & myſteria in eorum connexione expoſita reperies. Inter recentiores, Quinquarboreum, Bellarminum, &c.

Denique è regione characterum hodiernorum Hebraïcorum excuſi ſunt Rabbinici qui apud Judæos Hiſpanos & Italos in uſu ſunt; quique à Biblicis non diſcrepant niſi in formâ tenuiori, rotundiorique; & ad ſcribendi celeritatem magis accommodatâ.

ARTICULUS I.

De Literarum ferè ſimilium diſcrimine.

CUM plures alphabethi Hebraïci literæ pene ſimiles ſint, diſcrimen quod inter eas reperitur, diligenter eſt attendendum, ne inter legendum altera pro alterâ accipiatur. Ea autem differentia vel in *quantitate*, vel in *qualitate* poſita eſt. In quantitate, cùm lineæ ſive deorsùm, ſive in tranſverſum ductæ, aliæ alias ſuperant. In qualitate, cùm in quibuſdam literis anguli magis recti, in aliis ſunt obtuſiores.

Ut

Ut autem diſcrimen illud intuenti melius pateat, affines hujuſmodi literas unà congerendas, atque alias aliis ſupponendas duximus.

Béth.	Gimel.	Dáleth.	Dáleth.	Hé.	Váv.	Váv.	Váv.	Zaïn.	Hhéth.	Téth.	Sámech.	Aïn.	Sc'ín.
ב	ג	ד	ד	ה	ו	ו	ו	ז	ח	ט	ס	ע	ש:
כ	נ	ר	ך	ח	ז	י	ן	ן	ת	מ	ם	צ	ש:
Cáph.	Noún.	Réſch.	Cáph fin.	Hhéth.	Zaïn.	Iódh.	Noún fin.	Noún fin.	Táv.	Mém.	Mém fin.	Tſadhé.	Sín.

DISCRIMINANTUR

ב *béth* & כ *cáph*. Linea inferior τῦ ב *béth* lateralem tantillum excedit, & cum ea angulum rectum efficit; כ *cáph* verò ſupra & infra rotundum eſt ut C latinum ad ſiniſtram verſum.

ג *gímel* & נ *noún*. Ductus perpendicularis literæ ג *gímel* in apicem deſinit; idem vero ductus in נ *noún* ſine apice ad ſiniſtram continuo flectitur.

ד *dáleth* & ר *réſch*. Angulus cum interior, tum exterior τῦ ד *dáleth* rectus eſt: ר *réſch* vero ibidem rotundum eſt, ac fere medium circulum imitatur.

ד *dáleth* & ך *cáph* finále. ד *dáleth* lineam inferiorem non excedit: ך *cáph* vero finale infra eam protenditur.

ה *hé* & ח *hhéth*. Inter lineam lateralem ſiniſtram & ſuperiorem τῦ ה *hé* relinquitur ſpatium: ח *hhéth* vero ibidem clauditur.

ו *váv* & ז *zaïn*. In ו *váv* linea deorſum ducta recta eſt, & à dextra puncti quadrati ſuperioris inferne protenditur: in ז *zaïn* autem linea illa à mediâ fere parte puncti quadrati tenue ducit exordium, & in apicem deſinit.

ו *váv* & י *iódh*. ו *váv* ad extremam uſque lineam deſcendit: י *iódh* vero minime.

ו *váv* & ן *noún* finale. ו *váv* lineam inferiorem non excedit: contra vero ן *noún* finale.

ז *zaïn* & ן *noún* finale eadem fere ratione à ſe invicem diſcrepant.

ח *hhéth* & ת *táv*. In ח *hhéth* utraque linea lateralis recta eſt, & cum ſuperiori angulum rectum conſtituit: in ת *táv* vero linea dextra recta quidem eſt, ſed ſine angulo in ſuperiori ſui parte. Linea autem ſiniſtra paululum inflectitur, & in craſſiuſculum apicem ſiniſtram verſus deſinit.

ט *téth* & מ *mém*. ט *téth* ſuperne, מ *mém* vero inferne apertum eſt.

ס *ſámech* & ם *mém* finale. ס *ſámech* fere rotundum eſt; at ם *mém* finale quadratum.

Digitized by Google

ע *aïin* & צ *tſadhé.* Cauda τῦ ע *aïin* à dextra ad ſiniſtram curvatur : in צ *tſadhé* autem à ſiniſtra ad dextram ; & iterum à dextra ad ſiniſtram replicatur.

שׁ *ſchín* & שׂ *ſin.* שׁ *ſchín* habet punctum in dextro cornu ; שׂ *ſin* vero in ſiniſtro.

Ea ſunt præcipua literarum pene ſimilium diſcrimina. Cætera facile animadvertet qui eas diligenter inſpexerit, aut paginas aliquot evolverit.

ARTICULUS II.

De Literarum diviſione.

VIGINTI & duæ Hebræorum literæ dividuntur

I. In Literas quæ in principio, medio, & fine dictionis ſuam retinent figuram, & in Literas quæ cùm in fine vocis reperiuntur, ſuam ex parte immutant formam. Omnes alphabethi literæ, quinque exceptis, ubique ſunt eædem; at כ, מ, נ, פ, צ initio & in medio tantùm dictionis hanc ſervant figuram ; nam in fine, h. e. quando ſunt ultima vocis litera, hâc formâ deſcribuntur :

	Caph.	Mém.	Noún.	Pé.	Tſadhé.
Figura initio & in medio dictionis.	כ	מ	נ	פ	צ
Figura in fine dictionis tantum.	ך	ם	ן	ף	ץ

Quinque illæ literæ, memoriæ juvandæ gratiâ, in hoc vocabulo : כַּמְנַפֵּץ cammenappéts *ſicut diſpergens*, incluſæ ſunt.

II. In quinque claſſes, ſecundùm præcipua quinque organa quæ natura cuique ſono diſtinctè proferendo deſtinavit; nempe in Literas

1°. *Gutturis.*	ſcilicet	א ה ח ע	Quæ ſpiritu in gutture formato [illegible]	vulgò dictas	אֲהַחַע *Abhhá.*
2°. *Palati.*		ג י כ ק	Quæ aëre ad palatum oris protruſo efferuntur.		גִּיכַק *Gichâq.*
3°. *Linguæ.*		ד ט ל נ ת	Quæ linguâ ad radices ſuperiorum dentium adacta proferuntur.		דַּטְלְנַת *Datlenáth.*
4°. *Dentium.*		ז ס צ ר ש	Quæ dentibus anterioribus pulſatis ſonant.		זַסְצְרַשׁ *Zaſiſeráſch.*
5°. *Labiorum.*		ב ו מ ף	Quæ labiis compreſſis erumpunt.		בּוּמַף *Boumáph.*

Literæ illæ vulgò vocantur à gutture, *gutturales* ; à palato, *palatinæ* ; à linguâ, *linguales* ; à dentibus, *dentales* ; denique à labiis, *labiales.* Ex his autem literis *gutturales* & *labiales* à tyronibus potiſſimum obſervandæ ſunt, ac memoriâ tenendæ. Finales literæ, de quibus num. 1°.

ad eaſdem etiam claſſes pertinent, ad quas revocantur, cùm in principio, vel in medio dictionis collocantur.

III. In *ſonantes*, ſeu prolatas, aut pronuntiatas; & in *quieſcentes*, ſive mutas. Omnes literæ, ſi quatuor excipias, ſemper ſonantes ſunt, ſeu pronuntiantur. At quatuor illæ א ה ו י quæ memoriæ causâ his punctis vocalibus affectæ אֶהֱוִי *èhevî* nuncupantur, quando motione, ſeu vocali expreſſâ aut ſubintellectâ carent, non proferuntur. Quare vocantur *quieſcentes*, ſeu mutæ. De his infrà cap. 4. art. 2.

Ad literarum diviſionem quodammodo pertinent literæ *productæ*, ſeu protractæ. Hebræi enim in fine verſuum, ſeu linearum, voces non interſecant, ita ut pars dictionis lineam terminet, pars ſequentem lineam incipiat. Sed ne quid remaneat ſpatii, ſex illas literas אהל תמר his vocibus comprehenſas: אֹהֶל תָּמָר óhel Tamár, *tabernaculum Tamar*, latiùs in tranſverſum diducunt hoc modo: אהל תמר Rarius tamen ל & ר ſic producuntur.

APPENDIX.

Duæ & viginti Hebræorum literæ dividuntur inſuper in *Radicales* & *Serviles*. Radicales, quas etiam *fundamentales* appellant, ſic vocantur; quod ſint dictionis radix ac fundamentum, ejuſque eſſentiam conſtituant. Sic v. g. in voce Latinâ *amaverunt*, *a* & *m* literæ radicales ſunt, utpote quæ eſſentiam Verbi *amo* conſtituant; reliquæ vero ſerviles. Undecim porrò literæ radicales numerantur; videlicet:

ג ד ז ח ט ס ע פ צ ק ר

Undecim illæ literæ radicales quatuor his vocibus includuntur: טִפְסַר חָג זָע צֶדֶק tiphsár hhágh, zà tſédheq, *princeps tripudiavit, mota eſt juſtitia.*

Serviles literæ ſic dictæ ſunt, quod radicalibus additæ, numeris, generibus, perſonis, &c. formandis ſerviant. Sic in exemplo ſuperiùs allato *amaverunt*, præter duas priores literas *a* & *m*, reliquæ cenſentur ſerviles, & tertiam perſonam pluralem præteriti hujus perfecti conſtituunt. Undecim pariter numerantur literæ ſerviles, nimirum:

א ב ה ו י כ ל מ נ ש ת

Has undecim literas ſerviles complectuntur tria hæc vocabula: מֹשֶׁה כָּתַב אֵלֵינוּ Moſché chathàv elénou, *Moyſes ad nos ſcripſit.* Id autem diſcriminis eſt radicales inter & ſerviles; quod radicales munia ſervilium numquam obeant, niſi forte ד & ט quæ in ſeptima Verborum conjugatione interdum ponuntur loco ת. Sed de his ſuo loco. At ſæpe ſerviles naturâ, fiunt officio radicales. Imò voces non paucas reperire eſt quæ meris conſtent ſervilibus, ut tria ſuperiora vocabula מֹשֶׁה, &c. tuncque, cùm opus eſt, pro formandis modis, ſeu accidentibus dictionum in quibus ſerviles illæ ſunt radicales, aliæ ſerviles adjiciuntur. Qui Nomina & Verba leviter attigerit, is quandonam ſerviles literæ ſuas, aut radicalium partes agant, facilè intelliget.

Porrò omnes Alphabethi Hebraïci literæ, etiam finales; imò & puncta omnia vocalia, ſi *hhatéph qamèts hhatoùph* excipias, in hoc verſu octavo capitis 3. Sophoniæ continentur.

לָכֵן חַכּוּ־לִי נְאֻם־יְהוָה לְיוֹם קוּמִי לְעַד כִּי מִשְׁפָּטִי
לֶאֱסֹף גּוֹיִם לְקָבְצִי מַמְלָכוֹת לִשְׁפֹּךְ עֲלֵיהֶם זַעְמִי
כֹּל חֲרוֹן אַפִּי כִּי בְּאֵשׁ קִנְאָתִי תֵּאָכֵל כָּל־הָאָרֶץ׃

Quapropter exſpectate me (vulg. *exſpecta me*) *dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in æternum: quia judicium meum ut congregem gentes, ut colligam regna, ut effundam ſuper eos indignationem meam, omnem iram furoris mei; in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra.*

Digitized by Google

NOTÆ.

I. Quamvis literæ finales non reperiantur niſi in fine dictionum, ם tamen legitur in mediâ voce לְםַרְבֵּה *ad multiplicationem*, Iſai. 9. v. 7. quod Judæi & Chriſtiani quidam Myſterio adſcribunt. Exiſtimant enim hac literâ quæ in numeris 600. repræſentat, Prophetam indicare voluiſſe annos qui fluxuri erant à tempore quo vaticinium illud edidit, ad ortum uſque Meſſiæ quem eo loci prædicit. Vide horumce annorum computationem apud Petrum *Galatinum* lib. 4. de Arcan. Cath. veritatis, cap. 19. At in fere ſeſquiſeculo hallucinatur; Chriſtus enim natus eſt annis 735. poſt iſtud Oraculum. Conſule Annales *Uſſerii.* Chriſtiani quidam autumant hoc charactere clauſo, B. Mariæ Virginis integritatem poſt Divinum puerperium prænuntiari. Alii alia Myſteria comminiſcuntur.

E contrario Nehem. ſive 2. Eſd. cap. 2. v. 13. מ apertum, ſeu non finale videre eſt in fine vocis הֵמ *ipſi*, muri ſcilicet; quo murorum Jeruſalem aperturam pingere, atque ob oculos ponere voluiſſe prophetam hariolatur R. Abraham.

Sic Job. 38. v. 1. & 40. v. 6. legitur מִנ pro מִן *de*. Quæ priorum amanuenſium ſphalmata à poſterioribus ſcrupuloſiùs deſcripta eruditis non paucis videntur. Idem judicium ferunt de literis *Majuſculis* quæ in nonnullis Scripturæ locis occurrunt, ut: א 1. Paralip. cap. 1. v. 1. ב Geneſ. 1. v. 1. ג Levit. 13. v. 33. ד & ע Deut. 6. v. 4. ה Deut. 32. v. 6. ו Lev. 11. v. 42. & Eſth. 9. v. 9. ז Malach. 3. v. 3. ח Eſth. 1. v. 6. ט Job. 9. v. 34. Eccle. 7. v. 1. י Num. 14. v. 17. כ Pſal. 79. Heb. 80. v. 16. ל Deut. 29. v. 28. Lev. 11. v. 30. מ in titulo Proverbiorum. נ Exod. 34. v. 7. ן Num. 27. v. 5. ס Eccle. 12. v. 13. ע Deut. 6. v. 4. פ Dan. 6. v. 20. ף Gen. 30. v. 4. צ Iſai. 56. v. 10. ק Pſal. 83. Heb. 84. v. 4. ר Exod. 34. v. 14. ש in titulo Cant. ת Deut. 18. v. 13. & Eſth. 9. v. 29.

Minuſculis. א Levit. 1. v. 1. ב Prov. 30. v. 15. ג Job. 7. v. 15. ד Prov. 28. v. 17. ה Gen. 2. v. 4. ו Num. 25. v. 12. Pſal. 23. Heb. 24. v. 4. ז Eſth. 9. v. 9. ח Job. 33. v. 9. ט Thren. 2. v. 9. י Deut. 32. v. 18. כ Gen. 23. v. 2. ל Thren. 1. v. 12. ן Iſai. 44. v. 14. Jerem. 39. v. 13. Prov. 16. v. 28. ס Nah. 1. v. 3. Pſal. 26. Heb. 27. v. 5. ע Thren. 3. v. 36. פ Dan. 6. v. 20. צ Jerem. 14. v. 2. Job. 16. v. 14. ק Exod. 32. v. 25. Gen. 27. v. 46. ש Eſth. 9. v. 7. ת ibidem.

Suſpenſis, נ Jud. 18. v. 30. ע Pſal. 79. Heb. 80. v. 14. Job. 38. v. 13. 15.

Inverſis, נ Num. cap. 10. poſt v. 34. & 35.

Huc pertinet ו abſciſſum in voce שָׁלֹום *pax*, Num. 25. v. 12. Qui Rabbinorum ſententiam circa inſolitas hujuſmodi literas ſcire deſiderat, legat Clariſſ. *Buxtorfii* Tyberiadem, ſive Commentarium Maſſorethicum, Hiſtoricum & Didacticum, capp. 14. 15. & 16. ubi generatim ſignificari volũt literis *majuſculis* magnum aliquid ac ſingulari attentione dignum: *minuſculis* vile quid & contemtibile: *inverſis* populi Iſraëlitici, vel hoſtium ejus perverſitatem, &c. Verùm circa omnes illas literas neque Maſſora magna cum parva, neque libri mſſ. cum editis ubique concordant; quod argumento eſt myſticos ſenſus quos in iis latere volunt, nullo alio fundamento niti, quam mendis graphicis, ut mox diximus, & evanidis otioſorum hominum commentationibus.

II. Literarum in quinque claſſes diviſio non ſolum ratione præcipuorum quinque organorum inſtituta eſt; verum etiam quia ejuſdem ordinis elementa invicem facile permutantur. Sic V. G.

Ex *Gutturalibus*, א & ה, ut: שֵׁנָא, pro שֵׁנָה, *ſomnus*. ה & א, ut: מִקְשָׁה, pro מִקְשָׁא, *cucumerarium*, &c.

Ex *Palatinis*, ק & כ, ut: קוֹבַע & כּוֹבַע, *galea*.

Ex *Lingualibus*, ד & ת, ut: הִזְדַּמֵּן, pro הִתְזַמֵּן, *præparavit ſe*. ט & ת, ut: הִצְטַדֵּק, pro הִצְתַּדֵּק *juſtificavit ſe*.

Ex *Dentalibus*, ש & ס, ut: שִׂכְלוּת, & סִכְלוּת *ſtultitia*.

Ex *Labialibus*, ב & פ, ut: בָּצַע & פָּצַע, *vulneravit*.

Hæc autem literarum ejuſdem, ſæpe etiam diverſi ordinis permutatio frequens eſt in vo-

Digitized by Google

cibus quas Linguæ quæ cum Hebraïcâ affinitatem habent, puta Chaldaïca, Syriaca & Arabica, ab eâ mutuantur. Linguæ Chaldaicæ, ob eoſdem cum Hebraïcâ Characteres, nonnulla ex Doctiſſ. *Buxtorfio* proponemus exempla ; quæ ad linguam illam cujus Grammaticam infrà libro tertio trademus, inſtar iſagoges erunt.

Mutantur itaque :

א & י ; ראש Heb. ריש Chald. *caput.*
ב & פ ; ברזל Heb. פרזל Chald. *ferrum.*
ג & כ ; גפרית Heb. כברית Chald. *ſulphur.* ubi inſuper פ mutatur in ב.
ד & ט ; דבה Heb. טבה Chald. *infamia.*
ז & ד ; זהב Heb. דהב Chald. *aurum.*
כ & ק ; כפל Heb. קפל Chald. *duplicavit.*
ל & ר ; אלמנה Heb. ארמלה Chald. *vidua.* ubi præterea נ mutatur in ל.
מ & נ ; מלכים Heb. מלכין Chald. *reges.* & ſic ſemper in pluralibus terminationis maſculinæ.
ס & ז ; סר Heb. זר Chald. *receſſit.*
ע & א ; זרע Heb. זרא Chald. *ſemen.*
צ & ע ; ארץ Heb. ארע Chald. *terra.* צ & ט ; יעץ Heb. יעט Chald. *conſuluit.* צ & ס ; עץ Heb. קס Chald. *lignum*, ubi etiam ע mutatur in ק.
ק & ע, & א ; קרה Heb. ארע & ערע Chald. *evenit.* (ubi inſuper ה mutatur in ע.) item ק & כ ; תקן Heb. תכן Chald. *ordinavit.*
ש & ט ; קשר Heb. קטר Chald. *ligavit.* ש & ת frequentiſſime ; שלג Heb. תלג Chald. *nix.* ש & ס, שמר Heb. סמר Chald. *cuſtodivit.*
ת & ט ; תעה Heb. טעה Chald. *erravit.* &c.

HÆC de literis Hebraïcis ad quarum decorem & elegantiam pertinet ut lineæ ſuperiores & inferiores, rectæ vel tranſverſæ, pinguiores ſint lateralibus quæ macreſcunt & extenuantur. Punctum etiam quod quibuſdam virgulis dat initium & finem, debet eſſe craſſius, & quadratum imitari. Hæc autem ſingula commodè præſtabit calamus ſi cuſpis ejus æqualiter præciſa non fuerit; ſed pars ſiniſtra quæ inter ſcribendum pollicem reſpicit, dexterâ ſit paululo brevior.

CAPUT II.

De Vocalibus.

HEBRÆI vocales ſuas תְּנוּעוֹת tenouóth *motiones* vocant, quòd per eas *moveantur*, h. e. proferantur conſonantes; ſicuti per animam, ut volunt, movetur corpus. Dicuntur etiam *puncta vocalia*, quia punctis ut plurimum componuntur, & vocales repræſentant.

Triplicis autem generis ſunt *motiones* quæ in Bibliis punctatis reperiuntur. Aliæ magnæ, ſeu longæ. Aliæ parvæ, ſeu breves. Aliæ denique minimæ, ſeu breviſſimæ, quæque *puncta rapta* vocantur, quia raptim, & cum maxima celeritate proferuntur. Quinque magnas; quinque parvas, & quatuor minimas motiones numerant, quarum omnium figuram, nomen & poteſtatem ſchema ſequens exhibet.

Digitized by Google

PUNCTORUM VOCALIUM

	Figura.	*Nomen.*	*Poteſtas.*
Motiones magnæ, ſeu longæ.	ָ	קָמֶץ Qaméts.	ā. *Vide App.*
	ֵ	צֵרֵי Tſeré.	ē. *Vide App.*
	ִי	חִירֶק גָּדוֹל Hhiríq gadhól, ſeu *magnum.*	ī. *Vide App.*
	וֹ (ֹ) *	חוֹלֶם Hhólem.	ō. *Vide App.*
	וּ	שׁוּרֶק Schouréq.	ū. *Vide App.*
Motiones parvæ, ſeu breves.	ַ	פַּתַח Páthahh.	ă. *Vide App.*
	ֶ	סֶגוֹל Seghól.	ĕ. *Vide App.*
	ִ	חִירֶק קָטֹן Hhiríq qatón, ſeu *parvum.*	ĭ. *Vide App.*
	ָ	קָמֶץ חָטוּף Qaméts hhatoúph.	ŏ. *Vide App.*
	ֻ	קִבּוּץ Qibbúts.	ŭ. *Vide App.*
Motiones minimæ, ſeu breviſſimæ, vel puncta rapta.	ְ	שְׁוָא Schevá.	ĕ̆. *Vide App.*
	ֲ	חֲטַף פַּתַח Hhatéph páthahh.	ă̆. *Vide App.*
	ֱ	חֲטַף סֶגוֹל Hhatéph ſeghól.	ĕ̆. *Vide App.*
	ֳ	חֲטַף קָמֶץ חָטוּף Hhatéph qaméts hhatoúph.	ŏ̆. *Vide App.*

Motiones omnes conglobatæ, ac circa literam ב deſcriptæ.								
	בָ	בַ	בֲ		bā.	bă.	bă̆.	
	בֵ	בֶ	בֱ	בְ	bē.	bĕ.	bĕ̆.	bĕ̆.
	בִי	בִ			bī.	bĭ.		
	בוֹ	בֹ	בָ	בֳ	bō.	bō.	bŏ.	bŏ̆.
	בוּ	בֻ			bou.	bŭ.		

* *Hhólem* duplicis eſt generis; aliud cum ו otioſo, ut: קוֹל qól *vox*, quod *Hhólem* plenum vocatur. Aliud ſine ו, eſtque punctum ad latus ſiniſtrum, & ſuperius literæ cujus eſt vocalis, deſcriptum ſic: כֹּל cól *omnis*; illudque dicitur *Hhólem* deficiens, quia ו deficit. *Hhólem* hujus deficientis munere ſæpe fungitur punctum quod in *dextro*, vel *ſiniſtro* cornu שׂ שׁ pingitur.

In dextro, cùm litera præcedens caret motione, ut: חֹשֶׁן hhóſchen *rationale*. Tuncque punctum illud & *Hhólem* deficiens eſt, & *Schín* conſtituit.

In ſiniſtro, cùm figura illa ש motione deſtituitur, ut: שֹׂבַע ſóva *ſaturitas*. Ibi quoque punctum iſtud vices agit *Hhólem* deficientis, & *Sín* efficit.

Si utrumque cornu puncto coronetur ſic: שֹׁ; vel aliqua litera præcedit, vel non præcedit.

Si præcedit, vel motionem habet litera illa præcedens, vel eâ deſtituitur. Si motionem habet, punctum quod eſt in dextro cornu, *Schín* connotabit; quod vero eſt in ſiniſtro cornu, erit *Hhólem* deficiens, ut: מֹשֵׁךְ meſchóch *trahe*. Si litera illa præcedens motione careat; punctum dextrum erit *Hhólem* deficiens, ſiniſtrum vero *Sín* conſtituet, ut: עֹשֶׂה oſé *faciens*.

At quando nulla præcedit litera; punctum quod dextro cornu inſidet, *Schín* efficit: quod vero ſiniſtro imminet, *Hhólem* deficiens exprimit, ut: שֹׁנֶה ſchoné *iterans*.

Diligenter notandum eſt *Hhólem* iſtud deficiens quando poſt ו ſcribitur, ac ejus eſt motio; ne cum *Hhólem* pleno confundatur, ut: עֲוֹנוֹת avonóth, non עֲוֹנוֹת aonóth, *iniquitates*.

Cavendum quoque eſt ne ו cum daghesch in medio ſic וּ confundatur cum ſchouréq. In eo diſcriminantur quod ו cum daghesch ſemper habet infrà ſe, vel poſt ſe motionem, ut: קִוָּה qivvá *expectavit*. קַוֹּה qavvó *expectare*. Schouréq verò minime.

APPENDIX.

Motiones magnæ, ſeu *longæ*.

קָמֵץ (ָ) qaméts, *a* obſcurum & mixtum ex *a* & *o*; ita ut ſonus *a* prævaleat. Olim ſic pingebatur, ָ, atque ita facile à *qaméts hhatóuph* de quo infra, diſtinguebatur. Grammaticis Hebræis vulgo dicitur *qaméts gadhól*, i. magnum, ad diſcrimen תֵ (ֵ) *tſeré* quod etiam ab iis vocatur *qaméts qatón*, hoc eſt, *qaméts parvum*.

צֵרֵי (ֵ) tſeré, quibuſdam tſerí; *e* clarum & apertum ut *η* Græcorum: vel ut *e* in vocibus Gallicis *bête*, *fête*, *tête*, &c. Veteres illud etiam appellarunt *qaméts qatón*; vel ſimpliciter *qaméts*.

חִירִק גָּדוֹל (ִי) hhiríq gadhól, ſeu hhiriq magnum, *i* longum. Differt ab *hhiríq qatón* ſeu parvo, de quo infra, quod *hhiríq gadhól* præter punctum ſub litera quam afficit exaratum, habeat inſuper ad latus ſiniſtrum ejuſdem literæ י depictum. At vero *hhiríq qatón* conſtat puncto ſimplici infra literam cujus eſt vocalis, deſcripto.

חוֹלֶם (וֹ) hhólem *o* craſſum, quale eſt *ω* Græcorum. Sæpe etiam deficit ו, ut diximus ſupra, & conſtat puncto ſimplici ad latus ſiniſtrum & ſuperius literæ quam afficit, ſic notato: (ֹ), tuncque vocatur *hhólem* deficiens; & æque eſt magna motio atque *hhólem* plenum, ſeu *hhólem* cum ו; in quo hallucinati ſunt quidam Grammatici qui *hhólem* deficiens parvis motionibus annumerarunt. At

quandonam plenum, quandonam deficiens ſcribendum ſit; hac de re certas regulas tradere difficile eſt. Generatim tamen obſervatur Hhólem deficiens uſurpari 1. in penultimâ vocum deſinentium in (ֶ) aut in (ַ) cum litera ſonante in fine, & accentu in penultimâ, ut: קֹדֶשׁ qódeſch *ſanctitas*, גֹּבַהּ góvah *altitudo*. 2. Sæpè in fine pluralium fœmininorum conſtructorum, ut: צִדְקֹת אָדָם tſidhqóth adhàm *juſtitiæ hominis*. 3. Sæpius in ultimâ ſyllabâ infinitivi, imperativi, & futuri primæ conjugationis, ut: שְׁמֹר *ſchemór cuſtodire*, vel *cuſtodi*. יִשְׁמֹר iiſchmór *cuſtodiet*. 4. Cùm gutturalibus aut ר contiguum eſt, idque ſæpius, ut: אֱלֹהִים elohím *Deus* גָּאֹה ghaò *magnificando*, דֹּרֹתָיו dórotháv *generationes ejus*. 5. Interdùm cum in ſyllabâ immediatè ſequenti eſt י, aut alterum ו, aut ו mobile, ut: אֲדֹנָי adhonai *Dominus*, כְּבֹדוֹ kevodhó *gloria ejus*, לֹוֶה lové *mutuans*. 6. quandoque cùm ſequitur dagheſch forte, ut: סֹבִּי Sóbbi *circumda*.

שׁוּרֶק (וּ) ſchouréq, *u* Græcorum, vel *u* Germanicum, ſeu Italicum, h. e. ut Germani & Itali pronuntiant *u*; non *u* Gallicum, ſive ut nos Galli hanc vocalem pronuntiamus. Quare in vocibus Hebraïs Latino charactere ſcriptis, ו per *ou* expreſſimus.

Motiones parvæ, ſeu *breves.*

פַּתַח (ַ) páthahh, *a* clarum & apertum, quale eſt *a* Latinum. Hebræis vulgo dicitur *páthahh gadhól*, i. *páthahh magnum*, ad differentiam ־ִי (ֶ) *ſeghól* quod etiam *qaméts qatón*, h. e. *qaméts parvum*, appellant.

סֶגוֹל (ֶ) ſeghól, *e* apertum, ſed minus quam (ֵ) *tſeré*; profertur enim ut prius *e* in vocibus Gallicis *pére*, *mére*, &c. Rabbinis plerumque vocatur *páthahh qatón*, id eſt, *páthahh parvum*.

חִירִיק קָטֹן (ִ) hiriq qatón, hoc eſt, *hhiriq parvum*, ſeu *i* parvum, vel *i* breve. Eſt punctum infra literam quam afficit, notatum; in quo differt ab *hholem* deficiente quod etiam punctum eſt, ſed ad latus ſiniſtrum & ſuperius literæ cujus eſt vocalis, exaratum. In quo diſcriminetur ab *hhiriq gadhól*, vide ibi.

קָמֶץ חָטוּף (ָ) qaméts hhatoúph, h. e. *qaméts abbreviatum*, *correptum* (id enim ſonat vox חָטוּף hhatoúph) *o* breve, ſeu *o* Græcorum. Grammaticis Hebræis dicitur etiam *qaméts hhatéph*, *qibbúts*, & quandoque *ſchouréq*; quia tres illæ motiones facile invicem permutantur. Qua ratione diſtinguatur à *qaméts magno*, vide infra. cap. 4. art. 5.

קִבּוּץ (ֻ) qibbúts, *v* Græcorum, vel *u* Gallicum, ſeu *u* more noſtro Gallico pronuntiatum.

Motiones minimæ, ſeu *Puncta rapta.*

שְׁוָא (ְ) ſchevá, *e* breviſſimum ac mutum, quale eſt *e* in fine vocum Gallicarum *homme*, *femme*, &c. Hæc motio cum tribus aliis, nempe (ַ) *páthahh*, (ֶ) *ſeghól*, & (ָ) *qaméts hhatoúph* compoſita, ex parvis facit minimas, & ex brevibus breviſſimas; ſeu puncta rapta. Quare vocantur etiam *ſchevá páthahh*, *ſchevá ſeghól*, *ſchevá qaméts hhatoúph*.

חֲטַף פַּתַח (ֲ) hhatéph páthahh, ſeu שְׁוָא פַּתַח ſchevá páthahh, *a* breviſſimum.

חֲטַף סֶגוֹל (ֱ) hhatéph ſeghól, ſeu שְׁוָא סֶגוֹל ſchevá ſeghól, *e* breviſſimum.

חֲטַף קָמֶץ חָטוּף (ֳ) hhatéph qaméts hhatoúph, ſeu שְׁוָא קָמֶץ חָטוּף ſchevá qaméts hhatoúph, *o* breviſſimum.

NOTÆ.

CODICES Hebræos abſque certis ac definitis vocalibus olim exaratos fuiſſe opinantur doctiores cum Judæi, tum Chriſtiani. Enimvero literæ אהוי, vel, ut aliis placet, אוי quæ vocales erant, non eumdem ubique ſonum obtinebant. א ſiquidem ſæpe per *e*, ſæpius per *a*; interdum etiam per *i* & *o* pronuntiabatur. ה ſæpius per *e*; ſæpe etiam per *a* exprimebatur, teſte S. Hieron. quæſt. in Gen. tom. 2. nov. edit. col. 522. ו initio dictionis

ctionis per υ ſemper ; in medio autem & in fine, modo per υ, modo per *o* efferebatur. י denique *i* & *e* ſonabat.

Ex his colligere eſt difficilem admodum, & ambiguam olim fuiſſe Hebraicè legendi rationem ; idque tribus de cauſis. 1°. quia eadem litera pro diverſis vocalibus uſurpabatur ; nec cuique obvium erat divinare hujuſne, an illius obtineret locum. 2°. quia eædem literæ interdum ſuo, id eſt, conſonantium, interdum alieno, nempe vocalium munere fungebantur ; nec facile dijudicari poterat quando alio aut altero fungerentur officio. Sic in עור, v. g. ſecunda litera ו modo erat conſonans, ut : עִוֵּר ivvér *cœcus* ; modo vocalis, ut : עוֹר ór *pellis*, *cutis* ; עוּר oúr *evigilare*, *expergiſci*. 3°. Denique quia ſæpe nulla harumce literarum in vocibus Hebraicis exprimebatur, teſte S. Hieron. epiſt. ad *Evangelium*, al. *Evangelum*, tom. 2. novæ editionis, col. 574. *Nec refert*, inquit, *utrum* (שלם) SALEM, *aut* SALIM *nominetur*, *cùm vocalibus in medio literis perraro utantur Hebræi ; & pro voluntate lectorum*, *aut varietate regionum*, *eadem verba diverſis ſonis atque accentibus proferantur.* Et ſane Linguæ Hebraicæ, ſicuti & aliis, ſuas olim fuiſſe dialectos, nemo ſanus, opinor, negaverit. Præterea in nominibus propriis, quale eſt *Salem*, aliæ atque aliæ vocales, ſalvâ textûs Biblici authoritate, pro voluntate lectorum, aut varietate regionum poterant inter legendum ſuppleri : at non item in aliis vocibus, in quibus ſecundùm diverſas vocales cum literis conſonantibus compoſitas, diverſus, ut plurimum, exoritur ſenſus. Quapropter Judæi Tiberienſes veriti ne germana vocum Biblicarum pronuntiatio, proindeque genuinus earum ſenſus interiret, ſi privatorum indoctorumque hominum arbitrio vocales ſubintelligendæ permitterentur ; puncta, ſeu figuras pro ſingulis vocalibus exprimendis adinvenerunt ſexto ineunte ſæculo, ut cenſet *Elias Levita* Judæorum ætatis ſuæ peritiſſimus, qui præfat. lib. 3. *Maſſoreth Hammaſſoreth* id contigiſſe ſcribit anno poſt dirutum Templum ſecundum 436. hoc eſt, Æræ Chriſtianæ 506. Porrò Judæi illi in lectione SS. codicum definiendâ, haud præconceptas ſuas opiniones, neque aniles fabulas ſequuti ſunt, ut gratis aſſerunt nonnulli ; ſed traditionem πατροπαράδοτον apud eruditos omnes ; imo ipſos etiam *Qaraïtas* eorum hoſtes infenſiſſimos, & aliarum fere omnium traditionum oſores, receptam. Quare punctorum illorum authores *Maſſorethæ* dicti ſunt, i. e. traditionis ſequaces, ſeu interpretes ; à verbo מָסַר maſar *tradidit.*

Verum de hac punctorum vocalium ætate & origine inter omnes eruditos non convenit. Judæi quidam cum nonnullis Proteſtantibus, ea Moyſi ipſi accepta referunt ; quæ tamen in poſterum brevitatis gratiâ in libris deſcribendis fuerunt omiſſa. Alii Eſdram virosque Synagogæ Magnæ qui Sacros Codices recenſuere, punctorum authores, aut ſaltem inſtauratores faciunt. Sicque ſentit Judæorum neotericorum maxima pars, quorum plerique volunt puncta illa ore tenus à Moſe tradita Joſuæ & illius temporis Senioribus, deinde traditione ad Eſdram perveniſſe. Ceteri verò hæc ab Eſdrâ excogitata, ac Sacro Textui inſcripta contendunt. Alii denique ut Elias Levita qui XVI. ſeculo ineunte florebat, Maſſorethas qui poſt Talmud abſolutum, ac D. Hieronymi ætatem vixere, puncta vocalia reperiſſe, ac Bibliis appoſuiſſe, autumant. In hanc ſententiam concedunt Chriſtianorum Judæorumque peritiſſimi, quorum præcipua argumenta paucis hîc referemus.

I. Samaritani nulla puncta inſcribunt ſuo Pentateucho quem procul dubio receperunt à ſacerdote quem Rex Aſſyriæ miſit ut illos Legem & cultum Dei edoceret. Vide 4. Reg. cap. 17. Quod argumento eſt Codicem illum quem ſecum advexerat iſte Sacerdos, aut à Judæis Tribûs Juda mutuatus fuerat, punctis quoque fuiſſe deſtitutum. Neque etiam volumina ſacra quibus Judæi hodierni in Synagogis utuntur, cum punctis vocalibus deſcribuntur.

II. In toto Talmude, tam Miſchnâ quam Gemarâ, nulla fit punctorum mentio, cùm tamen ſexcentis in locis de iis commemorandi ſeſe dederit occaſio ; ut v. g. quando controverſia erat de vocabuli alicujus lectione,

Digitized by Google

quod variis punctis vocalibus inſtructum, varios ſenſus efficere poterat; tunc ſolas conſonantes repetere contenti, vulgarem lectionem ſequendam non eſſe innuunt. Sic in illo Iſai. 54. v. 13. ubi in Bibliis punctatis legimus בָּנַיִךְ banàiich *filii tui*, notant Talmudiſtæ in diſputatione ad finem lib. *Berachoth*, non legendum eſſe בניך ſed בניך, quo indicare volunt non legendum בָּנַיִךְ *filii tui*, cum (·) ſub ב, ſed בֹּנַיִךְ bonàiich *ædificatores tui*, cum hholem deficiente motione τῶ ב.

Si puncta tunc temporis in uſu fuiſſent, Rabbinis iſtis dictu proclive fuiſſet: *ne legas cum qaméts, ſed cum hhólem.* Talmudiſtarum autem, cùm vocis ambiguæ ſolas conſonantes repetunt, mens intelligitur *attentâ Textûs Sacri & Talmudici conſideratione; nam cùm linguam Hebraïcam primarii illi Rabbini probè callerent, quot modis dictio illa ſic ſcripta juxtà uſum linguæ pronuntiari poſſet, perpendebant; deinde perpenſis Talmudis, ſeu Midraſchim circumſtantiis, colligebant de quâ lectione inter eos eſſet diſceptatio*, ſcribit Morinus lib. 2. exercit. Biblic. exercit. 12. cap. 3. Porrò cùm Talmudiſtæ voces aliquot aliter legendas eſſe pronuntiant ac Maſſorethæ illas punctarunt, non inde ſequitur alios aliis eſſe contrarios, quaſi vocum illarum incerta eſſet lectio: ſed Talmudiſtæ ſic loquuti ſunt, quòd literali ac genuinæ vocis explicationi aliam adjungere voluerint, non ad verum vocis ſenſum tradendum, ſed ad alium allegoricum inde eliciendum per modum diſputandi opinabilem. Quæ communis eſt Rabbinorum conſuetudo.

III. Antiqui Interpretes Græci, & verſionum Chaldaicæ & Syriacæ authores, ſæpè diverſè interpretantur voces Hebraïcas quæ licet iiſdem conſtent literis conſonantibus, pro diverſis tamen punctis vocalibus quæ ipſis affingi poſſunt, diverſa ſignificant. Unum aut alterum ex ſexcentis exemplis hîc retuliſſe ſufficiat. Gen. 47. v. 31. dictionem מטה Lxx. Author epiſt. ad Hebræos, cap. 11. v. 21. & Syrus Interpres reddunt *virgam.* Aq. Sym. Paraph. Chald. & S. Hieron. interpretantur *lectum.* Unde iſta interpretationum varietas, niſi ex eo quod vox מטה pro diverſis punctis & *virgam* & *lectum* ſignificet? Si enim cum punctis hodiernis legatur מִטָּה mittá, erit *lectus, cubile*; ſi מַטֶּה matté, erit *virga.* Iſai. 9. v. 6. המשרה à Lxx. Syro, Arabe, & S. Hieron. redditur *principatus*, quia legebant מִשְׂרָה miſrà. Aquila verò tranſtulit *μέτρον menſuram*, quia legebat מְשׂוּרָה meſurá. Habacuc, 3. v. 5. *Ante faciem ejus ibit.* דבר Aq. *peſtis*, legebat ut Codd. hodierni דֶּבֶר déver. Sic etiam legebant Sym. v^a. edit. & S. Hieron. qui *mortem* interpretantur. Lxx. & Theodotio, λόγος *ſermo*, legebant דָּבָר davár. Vide S. Hieron. comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 756. Si tunc temporis adſcripta fuiſſent puncta vocalia, ſane non ita variaſſent Interpretes.

IV. Punctorum vocalium nomina quæ plerumque Chaldaica ſunt, aut Syriaca, illorum novitatem arguunt; haud ſecus ac multiplex eorum figura pro longis, brevibus ac breviſſimis deſignandis excogitata. Si Hebraicam exceperis, nulla eſt lingua in quâ figuræ diſtinctæ longarum & brevium inveniantur. In Græca quidem ſunt η & ω pro ε & ο longis exprimendis; at Græci veteres figuras illas ignorarunt, ut liquet ex Platone in Cratylo. Præterea Maſſorethæ veteres, duas tantum motiones nominant, nempe *qaméts* ſub quo *tſeré* comprehendunt; & *páthahh*, quo etiam nomine *ſeghól* nuncupant. Aben-Eſra qui medio 12°. ſeculo florebat, ſeptem duntaxat motiones memorat, nimirum: *qaméts*, *tſeré*, *hhólem*, *ſchourèq*, *páthahh*, *hhiriq* & *ſeghól*, quarum Maſſorethas Tiberienſes authores agnoſcit. Poſteriores itaque Rabbini ceteras addiderunt.

V. Linguæ Orientales quæ Hebraïcæ affines ſunt, nullas olim vocales præter veteres Hebræas, nempe אהוי receperunt. Chaldaïcæ puncta in poſterum adjecta fuiſſe probat literarum illarum, punctis inſcriptis, redundantia in Bibliis Venetis & Regiis; quas literas in editione ſuâ Baſileenſi, maximâ ex parte ſuſtulit clariſſimus Buxtorfius. Eadem de cauſa antiquæ illæ vocales in Hebræo punctis Maſſorethicis inſtructo interdum ut ſuperfluæ notantur. Quin plures in eo, ante punctorum hodiernorum inſcriptionem, extitterint, non dubito. Syri quinque tantùm vocales habent, quarum figuras ferè à Græcis

mutuati ſunt. Tres ſunt duntaxat Arabibus, nempè, *Phatha* quod valet *a* & *e*; *Damma* nunc *u* purum & clarum, nunc *o* obſcurum; & *Keſre* *i* ſimplex. Eaſdem nec plures habent Perſæ & Turcæ, quarum ope cum paucis regulis, & ex conſuetudine, omnes vocalium ſonos diſtinguunt, & verum loquendi modum aſſequuntur.

VI. Non deſunt inter Judæos doctiſſimi qui ſententiam iſtam propugnarunt. Hos inter primas tenent Elias Levita jam laudatus, & Aben-Eſra qui in libro Elegantiarum ſic ſcribit: וְכֵן הַנְּהָגַת חַכְמֵי טִבְרְיָא וְהֵם הָעִקָּר כִּי מֵהֶם הָיוּ אַנְשֵׁי הַמָּסוֹרֶת וּמֵהֶם קִבַּלְנוּ כָּל־הַנִּקּוּד *talis eſt conſuetudo ſapientum Tiberiadis; ipſi autem norma ſunt* (lectionis;) *ex iis enim ſunt Maſſorethæ à quibus totam punctationem accepimus.* h. e. totam punctationem quæ Rabbini hujus tempore exſtabat.

Hæc ſunt præcipua argumenta pro novitate punctorum vocalium demonſtranda. Plura alia vide apud Lud. Capellum in ſuo *Arcano punctationis revelato.* Voſſium lib. 1. de Arte Gram. c. 31. Waltonum Prol. 3. num. 40. &c.

Quamvis autem per ſolas literas conſonantes textus Hebraïcus olim legeretur, incerta tamen & anceps non erat ejus lectio; quas enim Maſſorethæ vocales poſtea adſcripſerunt, eas inter legendum ſupplebant veteres. Fruſtra ſunt qui contrarium ex interpretum circà voces quaſdam diſſenſione probare nituntur; Judæis enim potius quam aliis hac in re credendum docet ipſa ratio. Genuinam porrò Linguæ Hebraïcæ pronuntiationem, ſaltem quantum ad ejus *ſubſtantiam* pertinet, ad Maſſorethas uſque certa & inconcuſſa traditione perveniſſe probabimus in confutatione novæ Grammaticæ cui author titulum fecit: *Grammatica Hebraïca à punctis, aliiſque inventis Maſſorethicis libera.*

CAPUT III.

Accentuum Hebræorum Synopſis.

QUANDOQUIDEM in regulis de lectione Hebraïcâ mox tradendis, diverſorum apud Hebræos accentuum mentionem faciemus, non abs re fuerit quædam de iis hîc præmittere; ceteris quæ accuratiorem eorum notitiam ſpectant, ad librum tertium ablegatis.

Accentus Hebraïcus duplicis eſt generis: *Tonicus*, ſive Grammaticus; & *Euphonicus* ſeu Rhetoricus. Accentus tonicus is eſt qui vulgò ſyllabam in quâ reperitur, attollit. Accentus vero euphonicus tonico in eadem voce præmiſſus pronuntiationem ſuaviorem efficit. Sic in voce תּוֹלְדוֹת tóledhóth *generationes*, prior accentus ſub ת euphonicus eſt; poſterior verò ſub ד, tonicus.

Ex accentibus tonicis alii ſunt *Reges*, alii *Miniſtri*. Accentus reges ſpiritum vel leviuſcule ſuſpendunt, vel plenius ſiſtunt, ſermonemque aliquo membro incîdunt; ut *punctum*, *colon*, *ſemicolon* & *comma*; quamvis nec omnes, nec ſemper id muneris fungantur. Vulgò tamen *Silóuq* puncto æquivalet; *Athnáhh* duobus punctis; *Zaqéph qatón* & *Revía*, quandoque etiam ceteri, virgulæ aut puncto cum virgula. Unde qua-

tuor primi illi accentus *pauſantes* vocantur, quod pauſam in oratione efficiant.

Miniſtri Reges antecedendo, ſpiritum & ſermonem ad ipſos uſque promovent, ac continuant. Accentus reges decem & ſeptem numerant, quorum duodecim ſuprà, quinque verò infrà dictiones ſcribuntur. Miniſtri octo recenſentur; ſuperiores, ſive ſuprà ſcripti duo; ſex verò inferiores, ſeu infrà dictionem exarati. Qui plures accentus tam reges quam miniſtros numerant, varia nomina pro variis muniis impoſita, loco accentuum habent. Ut autem eorum omnium ſitus meliùs dignoſcatur, illos circà literam א hîc deſcribemus.

ACCENTUS REGES.

	Figura.	*Nomen.*	
1.	אֽ׃	סִלּוּק *vel* סוֹף פָּסוּק	Siloúq, *vel* Sóph paſoúq, i. e. *finis verſûs.*
2.	א֑	אַתְנָח	Athnáhh.
3.	א֔	זָקֵף קָטֹן	Zaqéph qatón, i. e. *parvum.*
4.	א֗	רְבִיעַ	Revía.
5.	א֒	סְגֹלְתָּא	Segholtá.
6.	א֕	זָקֵף גָּדוֹל	Zaqéph gadhól, i. e. *magnum.*
7.	א֛	תְּבִיר	Tevír.
8.	א֖	תִּפְחָא	Tiphhhá, *al.* Tarhhá.
9.	א֙	פַּשְׁטָא	Paſchtá.
10.	א֮	זַרְקָא	Zarqá.
11.	א֜	גֶּרֶשׁ	Géreſch.
12.	א֞	גֵּרְשַׁיִם	Geraſcháiim.
13.	א֡	פָּזֵר	Pázer.
14.	א֠	תְּלִישָׁא גְדוֹלָה	Teliſchá Ghedholá.
15.	א֓	שַׁלְשֶׁלֶת	Schalſchéleth.
16.	א֟	קַרְנֵי פָרָה	Qarné Phará.
17.	א֚	יְתִיב	Iethív.
	א׀	פְּסִיק	Pesíq Accentibus Regiis ſubjungimus, quia inſtar eorum, literis בגד כפת initio dictionis dagheſch lene imprimit.

ACCENTUS MINISTRI.

	Figura.	*Nomen.*
1.	א֣	מוּנַח Mounáhh.
2.	א֤	מַהְפַּךְ Mahhpách.
3.	א֥	מֵרְכָא Mérechá.
4.	א֦	מֵרְכָא כְפוּלָה Mérechá khephoulá, i. e. *duplex.*
5.	א֧	דַּרְגָּא Dargá.
6.	א֩	תְּלִישָׁא קְטַנָּה Teliſchá qetanná, i. e. *parvum.*
7.	א֨	קַדְמָא Qadmá.
8.	א֪	יֶרַח־בֶּן־יוֹמוֹ Iérahh-ben-iomó.

Unicus eſt Accentus Euphonicus, nempe אֽ, מֶתֶג Méthegh, id eſt, *frænum*; ut enim frænum dirigit inceſſum equi: ſic accentus ille vocis lectionem moderatur. Ejus figura eſt linea recta, ac infrà dictionem ſcripta. Differt à *Silοúq* quando in eadem voce cum illo concurrit, quòd *Silούq* ſit dictionis ultimus, *Méthegh* verò eum antecedat.

Grammatici quidam accentui euphonico *Méthegh*, adjungunt מַקַּף Maqqáph, i. *vinculum.* Linea eſt ſimilis τῷ (-) Páthahh, ſed paulò craſſior, quæ duas vel tres dictiones ſimul conjungit. Verùm hallucinantur; non ſolùm enim *Maqqáph* accentus euphonicus non eſt, ſed naturæ accentuum è diametro opponitur. In cauſâ enim eſt cur è duabus vocibus quas conjungit, prior accentu tonico, ſæpe etiam & euphonico deſtituatur, ut: זַרְעוֹ־בוֹ zaro-vó, *ſemen ejus in eo.*

Præter Méthegh, omnes accentus tam reges quam miniſtri, tonici ſunt; & à ſe invicem diſcrepant figurâ vel ſitu. Cùm figura diverſa eſt, diſcrimen facile agnoſcitur. At cùm figura eſt eadem, vario ſitu ſic diſcriminantur.

א֚ *Iethív* & א֤ *Mahhpách* diſtinguuntur, quòd *Iethív* primam dictionis motionem antecedat, ſic: אֵ֚לֶּה élle, *illi.* *Mahhpách* verò nequaquam, ut: הָיוּ haiou, *fuerunt.*

א֙ *Paſchtá* differt à א֨ *Qadmá*; quòd *Paſchtá* ſuprà ultimam dictionis literam ſcribatur, ſæpeque geminetur: *Qadmá* verò non item, ut: וַיִּקְרָא אֱלֹהִים לָאוֹר vaiiiqrá elohím laór, *& vocavit Deus lucem.* In לָאוֹר eſt *Paſchtá*, in וַיִּקְרָא *Qadmá.*

א *Teliſchá ghedholá* & א *Teliſchá qetanná* א *Tiphhhá* & א *Mérechá* א *Géreſch* & א *Paſchtá* & א *Qadmá* א *Athnáhh* & א *Iérahh-ben-iomó*	contrario ſitu differunt.

Vox quælibet Hebraïca ſuum habet accentum tonicum in ultimâ vel in penultimâ, niſi jungatur alteri per *Maqqáph*, de quo ſuprà; tunc enim ſolo accentu euphonico quandoque inſignitur, tonico verò nunquam. Quandonam autem accentus tonicus reponendus ſit in ultimâ vel in penultimâ, & accentus euphonicus adhibendus; dicemus in tractatu prolixiori de Accentibus, lib. 3. cap. 1.

In hoc opere Grammatico accentum tonicum rectâ virgulâ exprimemus in vocibus ſingularibus quæ in exempla proferentur. Si alia virgula recta in eadem dictione præceſſerit, erit accentus euphonicus *Méthegh*, poſterior vero accentus tonicus: v. g. in הָרָקִיעַ háraqía *expanſum*, *firmamentum*, prior virgula poſt (·) eſt *Méthegh*, poſterior vero ſub ק poſt hhiríq, eſt accentus tonicus.

CAPUT IV.

De Scripturam Hebraïcam legendi ratione.

ID diſcriminis intereſt Linguam Hebraïcam inter & Latinam, v. g. quod qui conſonas & vocales Latinas, earumque poteſtatem noverit, is ſcripturam Latinam facile legat. At in Linguâ Hebraïcâ res aliter ſe habet; quædam enim literæ modo leguntur, modo ſilent. Aliæ interdum duplicantur, interdum ſimplices ſonant. Eædem hîc cum aſpiratione, illîc citra aſpirationem proferuntur. Sic ex punctis vocalibus, quædam figurâ ſimilia ſunt, licet ſono diſſimilia: Schevá modò legitur, modò inter legendum negligitur, &c. Quare præter conſonantium & vocalium cognitionem, ut quis Hebraïcè legere poſſit, neceſſe eſt ut ſciat 1°. Punctorum vocalium cum literis conſonantibus compoſitionem, ſive ſitum. 2°. Prolationem quatuor literarum אהחע. 3°. Naturam puncti *Daghéſch*. 4°. Lectionem τῶ *Schevá*. 5°. Diſtinctionem *Qaméts* magni & *Qaméts hhatcúph*. Has quinque leges, ſeu conditiones in quinque ſequentibus articulis expendemus.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De Punctorum vocalium ſitu, & eorum prolationis ordine.

PUNCTA vocalia Hebræorum literis conſonantibus ſubjiciuntur, ac poſt ipſas proferri debent; ita ut ſyllaba à conſonante, non vero à vocali incipiat, ut בָּ *ba*, non *ab*.

Duæ tamen motiones וּ *Schouréq* & וֹ *Hhólem* cum plenum tum deficiens, non ſubjiciuntur; ſed ad latus ſiniſtrum literæ, cujus ſunt vocales, deſcribuntur hoc modo: לוּ lóu *utinam*, לֹו ló *illi*, אֱלֹהִים elohím *Deus*. Hhiríq gadhól, quantum ad (י) otioſum, non ſubſcribitur etiam, ſed ad latus ſiniſtrum ſuæ conſonantis reponitur, ut: לִי lí *mihi*.

Quod ad punctorum vocalium poſt conſonantes prolationem attinet, excipitur (ַ) páthahh, quod interdum reperitur ſub literis ח, ע, & הּ cum puncto dicto *Mappiq*, quando ſunt ultima dictionis litera; iſtud enim *páthahh* raptim, & quaſi furtim ante ipſas pronuntiari debet, unde dicitur *páthahh furtivum*, ut: מָשִׁיחַ maſchíahh, non maſchíhha, *Meſſias*: רָקִיעַ raqíaע non raqíעa, *expanſum, firmamentum*: אֱלוֹהַּ elóah non elóha, *Deus*.

Idem páthahh furtivum eſt, & pronuntiatur ante ח & ע, quando ſunt penultima litera dictionis, cujus ultima habet in medio ſui punctulum, quod vocant *daghéſch*, & inſuper afficitur (ְ) *ſchevá*, ut: מָשַׁחְתָּ maſchaahht, non maſcháhhat, *unxiſti*: יִחַדְּ iiahhd, non iíhhad, *lætabitur*: שָׁמַעַתְּ ſchamáaעt, non ſchamáעat, *audiviſti*.

Denique וּ *ſchouréq* initio dictionis ſyllabam incipit, aut potius conſtituit, ut: וּשְׁמוֹ outchemó, *& nomen ejus*.

NOTÆ.

PUNCTORUM vocalium ſubſcriptio eorum novitatem probat; ſi enim literarum eſſent coæva, ipſis insererentur, ſicuti antiquæ vocales יוהא, quarum idcirco ו, ex quo componitur *hhólem* & *ſchouréq*, & (י) ex quo partim conſtat *hhiríq gadhól*, non ſubſcribuntur, ſed inter alias literas ſuum habent locum. Maſſorethæ igitur Sacrum Textum interpolare non auſi, ſuos apices infra literas conſonantes pinxerunt.

Ut facilius intelligatur quam ob cauſam *páthahh furtivum* ſubjiciatur literis ח, ע & הּ cum puncto in medio dicto *mappíq*, quod ſoli ה, non duabus aliis literis competit, & ante ipſas proferatur, ſciendum eſt ſub qualibet litera ſonante in fine dictionis, (ſonant autem omnes præter יוהא) ſubintelligi *ſchevá* quieſcens, ſive mutum, quod efficit ut ultima illa litera cum vocali & conſonante præcedente in unam ſyllabam coaleſcat. Sic v. g. in דָּבָר davár *verbum*, ſchevá ſubintelligitur ſub ר hoc modo: דָּבָרְ; quod ſchevá in cauſâ eſt cur ר pronuntietur vi (ָ) præcedentis, & cum eo & ב ſupra ſcripto, unam ſyllabam

Digitized by Google

efficiat, ſic: דָּבָר da-vár. Idque linguarum omnium commune eſt. At in Hebraica, ſchevá iſtud mutum ſeu quieſcens & ſub aliis literis vulgo ſubintellectum, exprimitur 1°. in gremio ךְ finalis, ut: בָּרַךְ barach *benedixit.* 2°. ſub ultima dictionis litera, quando præcedit aliud ſchevá, aut páthahh furtivum ſub litera penultima, ut: שָׁאַלְתְּ ſchaált *petiiſti*, יִחַדְּ iiahhd *lætabitur.* Excipitur ן, cui non ſubjicitur ſchevá poſt páthahh, quod furtivum eſſe volunt in voce שְׁמַעַן ſchemáaעn *audite*, pro שְׁמַעְנָה ſchemáעna. 3°. ſub prædictis literis ח, ע, & ה, modo non præcedat (ָ) & (ַ) ſub penultima dictionis litera; ſed iſtud ſchevá ſub his literis mutatur in páthahh furtivum, ut facilius proferantur. Páthahh enim os dilatat, & ſonum his gutturalibus, ut par eſt, pronuntiandis idoneum emittit, ut: שַׁבֵּחַ ſchabbéahh *laudans*, שׁוֹמֵעַ ſchoméaע *audiens*, גָּבֹהַּ gavóah *altus.* At cum immediate præcedit (ָ) vel (ַ), literæ illæ non aſſumunt iſtud páthahh furtivum, quia duæ illæ motiones cum os diducant, ſonum ſufficientem edunt ut & litera, cui ſubjiciuntur, & ſequens gutturalis commode proferantur, ut: נִמְשָׁח nimſcháhh *unctus*: שָׁמָע ſchamáע *audivit*: גֹּבַהּ góvah *altitudo.*

Sic facilioris pronuntiationis gratia, quando ח & ע (non ה) ſunt penultima dictionis litera, & ex analogia requirunt ſub ſe ſchevá mutum; pro hujuſmodi ſchevá muto, ſumunt páthahh furtivum, etiam ſi præceſſerit (ָ) aut (ַ); quia motiones illæ non ſufficiunt ut litera, cui ſubjiciuntur, gutturalis ſequens, & ultima dictionis litera commode proferantur, ut: לָקַחַתְּ laqáahht pro לָקַחְתְּ laqáhht *accepiſti*: יָדַעַתְּ iadháaעt pro יָדַעְתְּ iadháעt *noſti.* ה excluditur ex hac regula, quia nunquam reperitur cum iſto *mappiq*, niſi in fine dictionis.

Liquet ex dictis páthahh furtivum eſſe loco ſchevá muti ſeu quieſcentis, nec proinde ſyllabam conſtituere; ita ut אֱלוֹהַּ elóah ſit vox diſſyllaba, non triſyllaba. Sic לָקַחַתְּ laqáahht, יָדַעַתְּ iadháaעt, duabus tantum conſtant ſyllabis.

ARTICULUS II.

De Literis אֶהֱוִי éhevi *dictis.*

QUATUOR illæ literæ *quieſcentes* ſeu *mutæ* vulgo appellantur, quod vocali expreſſa aut ſubintellecta deſtitutæ quieſcant, ſeu non proferantur. Vocalis autem non ſubintelligitur niſi interdum *ſchevá*, idque in fine dictionis, & ſub ו & (ׂ) tantum. Subintelligitur ſchevá

1°. Sub ו quando non eſt comes דּוֹ hhólem vel ſchouréq, tuncque pronunciatur ut *v* conſonans; ſic: קָו qáv non qáu, *linea*: אֲדֹנָיו adhonáv non adhonáu, *Dominus ejus.* שָׁלֵו ſchalév non ſchaléu, *tranquillus.* פִּיו pív non píu, *os ejus.* At quando ו comes eſt דּוֹ hhólem vel ſchouréq, tunc non ſubintelligitur ſchevá, ac proinde quieſcit, ut: דְּבָרוֹ devaró non devaróv, *verbum ejus.* כָּלוּ calou non caloúv, *conſumti ſunt.*

2°. Schevá ſubintelligitur ſub (ׂ) in fine dictionis, cum immediate præcedit vel (ָ) vel (ַ) vel (ֹ) vel (ו), ut: אֲדֹנָי adhonái *Dominus.* דַּי dái *ſufficiens*; tuncque (ָ) & (ַ) cum (ׂ) pronuntiantur ut Græcorum diphthongus *αι* in voce *μοῦσαι* *muſæ*: ſive ut *ay* in vocabulo Gallico *fayence*; non vero ut Gallice *j'ay* (habeo); neque cum diphthongi diæreſi

Digitized by Google

diæreſi; *adhonáï*, *dáï*, ut voces illæ à linguæ S. imperitis pronuntiantur.

גּוֹי gói *gens*, ut Græcorum diphthongus *οι* in *λόγοι ſermones;* ſive ut *oy* in voce Gallica *loyer* (merces); non *goy*, ut Gallice *moy* (ego): neque cum diæreſi & diſſyllabws *góï*.

גָּלוּי galóui *revelatus*, ut *ouy* in voce Gallica *louyez* (laudetis); non *galóuï* triſyllabws; neque *galóuy*, ut Gallice *ouy* (ita.)

Præcedente qualibet alia motione, (י) in fine quieſcit, ut: דְּבָרִי devarí, non devarſi, *verbum meum.* דִּבְרֵי divré, non divrći, *verba.* Silet pariter in media dictione cum puncto vocali deſtituitur, ut: דְּבָרָיו devaráv, non devaráiv, *verba ejus.* הֵיכָל hechál, non heichál, *palatium.*

Quod pertinet ad א & ה, ſive in medio, ſive in fine dictionis reperiantur, ſilent cum motione deſtituuntur, ut: רֵאשִׁית reſchíth *principium*, בָּרָא bará *creavit*, חֲזָהאֵל *Hbazaël*, nomen proprium, צְדָקָה tſedhaqá *juſtitia.*

At quando ה notatur cum puncto *mappíq*, הּ, pronuntiatur, ut: יָהּ iáh *Deus*: בִּגְדָהּ bighdháh *veſtis ejus*, &c.

NOTÆ.

IDEO quatuor illæ literæ אהוי ſæpius hodie mutæ ſunt, quod olim, ut jam monuimus, vocalium munere fungerentur. Poſtquam vero Maſſorethæ puncta vocalia hodierna ſacro textui inſcripſerunt, antiquæ illæ vocales pronuntiari deſiere. Neque tamen propterea ubique ſupervacaneæ ſunt; pertinent enim ad ſubſtantiam & formam eſſentialem vocis, quæ ſine illis non eſſet integra. In aliis autem locis, ubi erant duntaxat vocales, à Maſſorethis ſublatæ ſunt. Id liquet 1°. ex pluribus S. Scripturæ vocibus, in quibus literæ illæ, quæ priorum Maſſorethaxum diligentiam effugerunt, à poſterioribus ut otioſæ & redundantes, adſcriptis punctis vocalibus, vulgo notantur. Sic in קָאם qám *ſurrexit*, Oſe. 10. v. 14. א ſuperfluum eſt ex quo vocalis *a*, quam olim exprimebat, per (ָ) ſub ק ſignata eſt. Eandem ob cauſam א nunc vacat in מַלְאָכִים melachím *reges*, 2. Reg. cap. 11. v. 1. חֵלָאמָה Hhelâma *in Hbelam*, ibid. cap. 10. v. 17. &c.

ה vacat in עֲשָׂהאֵל *Aſaël* nomine proprio, 2. Reg. 2. v. 18. &c. חֲזָהאֵל *Hbazaël* nomine itidem proprio, 2. Paral. 22. v. 5. quod 3. Reg. 19. v. 17. ſcribitur abſque ה in medio חֲזָאֵל.

ו ſupervacaneum eſt in קְסוֹמִי qóſomí *bariolare*, 1. Reg. 28. v. 8. אֶצּוֹרְךָ etſtſorchá *formarem te*, Jerem. 1. v. 5. (י) redundantis exempla hic miſſa facio; ſexcenta quippe in hoc opere paſſim obſervabuntur. 2°. ex antiquis mſſ. codicibus, qui ſine punctis exarati ſunt, & in quibus literæ illæ vocalium antiquarum notæ longe plures reperiuntur, quam in codicibus hodiernis; quas literas puncta poſteriori manu inſcribendo eraſere Judæi in quorum manus inciderunt. Exſtat in Bibliotheca PP. Oratorii Pariſienſis in vico S. Honorati, mſ. codex Joſue, cujus meminit Rich. *Simon*, lib. 1. hiſt. critic. Vet. Teſt. cap. 22. & quem R. P. *Deſmolets* doctiſſimus hujuſce Bibliothecæ Præfectus, pro ſingulari ſua humanitate cum editis conferendum mihi permiſit. Is Codex anno Domini 1207. ex antiquiori pro Theodoro Levita filio Rabbi Meir exſcriptus eſt cum punctis vocalibus, quæ mihi videntur ejuſdem eſſe ætatis cum literis, quanvis aliter ſentiat Rich. *Simon* mox laudatus. In eo autem cod. literæ ו & (י) abraſæ ſunt, ubi in libris editis, & ad Maſſoram exactis deſiderantur. Lituræ hujus exempla & notæ conſpiciuntur cap. 1. verſ. 11. in צֵידָה *viaticum*, cap. 2. v. 14. נַפְשֵׁנוּ *anima noſtra.*

Ibid. v. 19. בראשינו *in caput noſtrum* ; ubi (י) eraſi locus cernitur. (י) ſimiliter ſublatum eſt in בָּרִאשֹׁנָה *ante*, cap. 8. v. 5. Alia exempla brevitatis ergo miſſa facio. Harum autem literarum detractio S. Scripturæ auctoritati non officit ; nam præterquam quod Rabbini, qui illas ſuſtulere, linguam Hebraicam apprime callebant ; ac proinde quæ erant puræ vocales, quæ vero ad formam & ſubſtantiam vocum pertinebant, optime dignoſcere poterant : Textus Hebræus hodiernus, in his ſaltem quæ ad fidem & mores pertinent, cum antiquis Verſionibus ab Eccleſia Catholica probatis, mirum in modum concordat.

Grammatici non pauci tres tantum literas אוי (excluſo ה) vocales olim fuiſſe contendunt, eaque de cauſa *matres lectionis* appellatas : ſed falluntur ; nam 1°. Joſephus lib. 6. de bello Jud. cap. 14. edit. Græc. Lat. Genev. 1635. ſcribit nomen Dei tetragrammon יהוה cum quatuor vocalibus in lamina aurea, quæ tiaram ſummi Sacerdotis ornabat, deſcriptum fuiſſe. ὧδ ἦν χρυσοῦς ἄλλος ἦν στέφανος ἐκτύπωμα φέρων τὰ ἱερὰ γράμματα· ταῦτα δ' ἐστι φωνήεντα τέσσαρα, *circa quam* (tiaram) *alia corona erat aurea, ſcriptas ferens ſacras literas, quæ ſunt quatuor elementa vocalia.*

2°. Antiqui Græci interpretes literam ה per vocalem exprimunt, ut : Jud. 3. vv. 20. 23. nomen proprium אהוד, Symmachus & alius interpres legunt Ἀώδ. Cant. 7. v. 6. ברהטים *in canalibus*, vetus interpres legit βρααττίμ. Vide ſupra duo nomina propria, in quibus ה erat antiquitus vocalis *a*.

3°. S. Hieron. quæſt. in Gen. tom. 2. nov. edit. col. 522. ſic loquitur : *Nec mirandum quare cum apud Græcos & nos* A *litera videatur addita* (nomini *Abram*) *nos* HE *literam Hebræam dixerimus ; idioma enim linguæ illius eſt per* HE *quidem ſcribere, ſed per* A *legere.*

Imo antiquis interpretibus Græcis ח & ע vocales fuiſſe videntur. Ac ח quidem initio dictionis ſæpe exprimunt per ἱ aſpiratum, ut Gen. 2. v. 14. חדקל ἱδδεκέλ. Joſ. 15. v. 30. חרמה ἑρμά. Sæpius per ἀ, Pſal. 9. v. 7. חרבות ἀρβώθ, &c. In medio, ſæpe per ε vel α, ut : Pſal. 7. v. 15. יחבל ἰεβάλ. Iſai. 15. v. 5. לחוית λουίθ. 4. Reg. 1. v. 2. אחזיה Ἀχαζία, &c. In fine, modo per ε, modo per η, Deut. 16. v. 1. פסח φεσέ. Pſal. 48. Heb. 49. v. 1. קרח κορέ. Gen. 3. v. 8. לרוח λαρουή. Pſal. 8. v. 1. למנצח λαμανασσή. &c.

Quod ſpectat ad ע, initio dictionis legebatur modo per ἱ vel ἠ, modo per ἀ. Per ἱ, Gen. 2. v. 8. עדן ἐδέν. Joſ. 7. v. 24. עמק ἐμέκ, &c. עשו ἠσαῦ, &c. Per ἀ, Gen. 3. v. 1. ערום ἀρώμ. Joſ. 7. v. 24. עכור ἀχώρ, &c. In medio, modo per ε, modo per α ; & quidem frequentius, Malach. 2. v. 13. דמעה δεμά. Oſe. 11. v. 1. נער νέρ, &c. Pſal. 8. v. 6. מעט μέτ. 4. Reg. 1. v. 2. בעל βάλ, &c. In fine, per ε fere ſemper, 1. Paral. 7. v. 26. יהושע ἰωσυέ, 4. Reg. 18. v. 34. הנע ἀνέ, &c. Interdum etiam per α, Deut. 1. v. 38. יהושע ἰησουά. Joſ. 15. v. 26. שמע σαμαά, &c. Vide Hexapla Orig. D. Bernardi *de Montfaucon*, tom. 2. pagg. 396. 397. Niſi dixeris, quod vero ſimilius eſt, haſce literas à Græcis neglectas fuiſſe utpote ipſis barbaras, & in earum locum vocales ſubſtitutas.

Græcis interpretibus adſtipulatur S. Hieronymus, qui in nominibus propriis ex lib. 2. Reg. deductis, ad nomen חִירָם dicit illud *apud Hebræos per diphthongum ſcribi.* Et comm. in Oſe. cap. 2. v. 16. al. 18. *Hunc* (בעל) *Sidonii & Phœnices appellant* BAAL, *eadem enim inter* BETH *&* LAMED *literas conſonantes,* AIN *vocalis litera ponitur, quæ juxta linguæ hujus proprietatem nunc* BEEL, *nunc* BAAL *legitur.* Vide eundem in nominibus Hebraïcis ad voces *Gomorrha*, *Gaza* & *Segor*, ubi *Ain* vocalem eſſe ſcribit. Non videtur tamen ſibi ipſe conſtare S. Doctor in comm. epiſt. ad Titum, tom. 4. col. 436. nov. edit. ubi ſic loquitur : *Septuaginta interpretes, per quos in Græcum ſermonem Lex Divina tranſlata eſt, ſpecialiter* HETH *literam &* AIN.... *quia eam duplici aſpiratione in Græcam linguam transferre non potuerunt, aliis literis additis expreſſerunt, ut dicerent* RAHEL, RACHEL, &c.

Plurimi Grammatici diphthongos conſtituunt ex ו, ײ, ו, ו, ײ, י, י, יי, יי, ſic : *au*, *eu*, *iu*, *ai*, *oi*, *oui* ; ſed perperam. Nam 1°. diphthongus eſt ſonus ex duarum vocalium ſonis conflatus, adeo ut utraque vo-

Digitized by Google

calis ſub uno eodemque ſpiritu audiatur. ו autem & י quibus ut partibus conſtant fictæ illæ diphthongi non ſunt hodie vocales, ut fatentur artis periti; veras itaque diphthongos cum vocali præcedente non efficiunt. 2°. Præter Pathahh furtivum de quo ſupra, nunquam duæ vocales apud Hebræos ſeſe immediate conſequuntur, quod in diphthongis fieri neceſſe eſt. 3°. Quidquid addatur poſt diphthongum, ea integra remanet, ut apud Græcos *παῖ*, & *παί-ων*; at in illis Grammaticorum diphthongis res aliter ſe habet, ut: עָנָו anàv *afflictus*, pl. עֲנָ־וִים ana-vim, non anau-ìm, *afflicti*. שָׁלֵו ſchalév *tranquillus*, plur. שַׁלְ־וִים ſchele-vim, non ſcheleu-ìm, *tranquilli*, &c. 4°. Judæi Germani, Luſitani & alii qui linguam Hebraïcam melius pronuntiant, hujuſmodi diphthongos non agnoſcunt; legunt enim עָנָו anàv, non anáu: קָו qàv, non qáu: אָבִיו avìv, non aviu, &c. Neque in voce יְרוּשָׁלַםִ ierouſchalàim *Jeruſalem*, pathahh & hhiriq qatón veram diphthongum conſtituunt, defective enim ſcribitur pro יְרוּשָׁלַיִם uti quater in Scriptura legitur. Judæi itaque, ſaltem hodierni, diphthongos non habent.

Nulla vox Hebraica per magnam motionem abſque litera quieſcente poſt ipſam expreſſa vel ſubintellecta terminatur. Quare poſt dictiones finitas in ךָ, תָּ, ו, תָ, ut: לְךָ lechà *tibi*, בָּגַדְתָּ baghàdhta *prævaricatus es*, תִּלְבַּשְׁןָ tilbáſchna *veſtientur*, צִוָּהוּ tſivváthha *præcepit ei*, ſubintelligitur ה quod etiam ſæpe exprimitur, ut: לְכָה, בָּגַדְתָּה, תִּלְבַּשְׁנָה, צִוָּתָה, contractè pro צִוָּתְהוּ. In vocibus deſinentibus in (׳.) & (וֹ), poſt motionem magnam ſunt י & ו quieſcentes, ut: דְּבָרִי devari *verbum meum*, דְּבָרוֹ devaró *verbum ejus*. Cum vero dictiones terminantur in ſchouréq, poſt magnam illam motionem eſt pars literæ quieſcentis, nempe pars curva capitis τοῦ ו, ut: מָרוּ maroú *rebellarunt*, &c. nam ו proprie ו non eſt, ſed punctum in eo deſcriptum.

ARTICULUS III.

De דָּגֵשׁ *Daghéſch.*

DAGHESCH punctum eſt quod omnium fere literarum medio quandoque inſcribitur. Duplex eſt, *forte* & *lene*.

Daghéſch forte literas in pronuntiatione geminat, ut: שִׁלַּח ſchillàhh *miſit*. Ejus recipiendi omnes ſunt capaces, exceptis gutturalibus & ר; illis quidem ob difficultatem eas in pronuntiatione geminandi: hoc vero propter ſoni aſperitatem. א tamen & ר in pauciſſimis Scripturæ locis daghéſch iſtud recipiunt. Vide Appendicem.

Daghéſch lene competit tantum ſex illis literis בגדכפת quæ memoriæ causâ בְּגַד כְּפַת *beghádh kephàth* appellantur. Eas non duplicat, ut daghéſch forte, ſed roborat tantum, aſpirationem ab eis tollendo, ita ut proferantur

	b.	g.	d.	c.	p.	t.
cum daghéſch,	בּ	גּ	דּ	כּ	פּ	תּ
	bh. *vel* v *conſ.*	gh.	dh.	ch. *vel* χ.	ph. *vel* φ.	th. *vel* θ.
ſine daghéſch,	ב	ג	ד	כ	פ	ת

Porro ſex illæ literæ daghéſch lene vulgo recipiunt 1°. initio dictio-

Digitized by Google

nis, ut: בָּכָה bachá *flevit*, גָּדוֹל gadhól *magnus*, דָּבָר dabhár vel davár *verbum*, כָּתַב cathábh vel catháv *ſcripſit*, פֶּגֶר pégher *cadaver*, תָּפַר taphár *conſuit*. Vides in his exemplis ſex illas literas cum daghéſch ſine aſpiratione, ſine daghéſch cum aſpiratione proferri. 2°. in medio & in fine dictionis, cum immediate præcedit ſchevá quieſcens, de quo in art. ſeq. aut páthahh furtivum. In medio, ut: חַרְבִּי hharbí *gladius meus*, יִדְגּוּ iidhgóu *multiplicabuntur*, תַּרְדֵּמָה tardemá *ſopor*, דַּרְכּוֹ darcó *via ejus*, נֶחְפְּשׂוּ nehhpeſóu *perveſtigata ſunt*, אָמַרְתִּי amárti *dixi*. In fine, ut: קָמְתְּ qámt *ſurrexiſti*; שָׁמַעַתְּ ſchamáat *audiviſti*, cum páthahh furtivo ſub ע loco ſchevá quieſcentis.

Alias, hoc eſt, cum ſex illæ literæ dictionem non incipiunt, aut non ſunt in medio aut in fine dictionis, poſt ſchevá quieſcens, aut páthahh furtivum, daghéſch quod in illis reperitur, forte eſt, eaſque, ſicuti ceteras, duplicat, & aſpirationem ab eis removet, ut: שַׁבָּת ſchabbáth *ſabbathum*, מִגֵּן miggén *tradidit*, צַדִּיק tſaddiq *juſtus*, הִכָּה hiccá *percuſſit*, לַפִּיד lappidh *lampas*, יִתֵּן iittén *dabit*. Unde in דִּבַּרְתָּ dibbárta *loquutus es*, primum daghéſch in ד lene eſt initio dictionis: ſecundum in ב forte eſt, quia eſt in medio, nec præcedit ſchevá quieſcens: tertium in ת lene eſt poſt ſchevá quieſcens ſub ר. Quandonam autem & quibus de cauſis daghéſch forte ſex illis literis, & aliis interdum imprimatur, per totum hujus operis librum primum declarabimus. Generatim tamen obſervari poteſt illud ſcripturæ abbreviandæ gratia adhiberi, ut: לִמַּד pro לִמְמַד limmádh *docuit*.

APPENDIX.

De Daghéſch forti, ac præſertim ejus compenſatione.

QUAMVIS literæ gutturales & ר daghéſch fortis vulgo ſint incapaces; in א tamen & ר recipitur in his Scripturæ locis.

In א quidem, Gen. 43. v. 26. & 1. Eſd. 8. v. 18. וַיָּבִאּוּ vaiiaviou *& adduxerunt*. Lev. 23. v. 17. תָּבִיאּוּ taviou *adducetis*. Job. 33. v. 21. in Athianis & aliis quibuſdam Bibliis, רֻאּוּ ruóu *videntur*.

In ר, 1. Reg. cap. 1. v. 6. הַרְּעִמָהּ harreimmáh *provocabat eam*, ad verbum, *fremere faciebat eam*. Ibidem cap. 10. v. 24. cap. 17. v. 25. 4. Reg. 6. v. 32. הֲרְּאִיתֶם harreithém *videtiſne?* Cant. 5. v. 2. שֶׁרֹּאשִׁי ſcherroſchí *quod caput meum*. Jerem. 39. v. 12. מְאוּמָה רָּע meóumar rá *ullum malum*. Ezech. 16. v. 4. לֹא־כָרַּת שָׁרֵּךְ ló-chorráth ſchorréch *non eſt præciſus umbilicus tuus*. Prov. 3. v. 8. לְשָׁרֶּךָ leſchorréch *umbilico tuo*. cap. 11. v. 21. מָרַּת נַפְשׁוֹ morráth naphſchó *amaritudo animæ ejus*. In quibuſdam Bibliis ר afficitur etiam Daghéſch in tribus locis ſequentibus. Pſal. 51. Heb. 52. v. 5. אָהַבְתָּ רָּע ahávtar rá *dilexiſti malum*. Prov. 11. v. 21. לֹא־יִנָּקֶה רָּע ló-iinnáqer rá *non ſit impunis malus*. cap. 15. v. 1. מַעֲנֶה־רַּךְ máanerrách *reſponſio mollis*.

Alias daghéſch forte quod literis gutturalibus אהחע & ר ex analogia imprimendum eſt, excidit; ejuſque jactura, ſeu excidium compenſatur plerumque per magnam motionem loco parvæ ſub litera gutturalem aut ר immediate præcedente. Illa autem magna motio eſt

(·) Si præceſſit (-), ut: הָאָדָם háadhám, pro הָאָדָם hannadham, *homo.* בָּהָר bahár, pro בָּהָר bahhár, *in monte.* כַּחֵשׁ cahhéſch, pro כַּחֵשׁ cahhhhéſch, *mentiri.* הָעָם havám, pro הָעָם havvám, *populus.* הָרֹמֵשׂ hároméſ, pro הָרֹמֵשׂ harroméſ, *reptans.*

(··) Si præceſſit (.) hhiriq qatón, vel (·) duæ enim illæ motiones in lingua Hebraica ſicut & in aliis *i* & *e* ſæpius permutantur, ut: בֵּאֵר beér, pro בִּאֵר binnér *declaravit.* אֵאָמֵר éamér, pro אֶאָמֵר ennamér, *dicar.* אֵהַב ehév, pro אִהֵב ihhév, *dilexit.* אֵהָרֵג éharégh, pro אֶהָרֵג ehharégh, *occidar.* אֵחַר ehhar, pro אִחַר ihhhhár, *distulit.* אֵחָל ehhál, pro אֶחָל ehhhhal, *profanabor.* רֵעָה revá, pro רִעָּה rivvá, *sociavit.* אֵעָבֵד evavédh, pro אֶעָבֵד evvavédh, *colar.* בֵּרַךְ beréch, pro בִּרַךְ birréch, *benedixit.* אֵרָאֶה éraé, pro אֶרָאֶה erraé, *apparebo.*

ו(·) Si præceſſit (-), vel (· hhatoúph), nam duæ illæ motiones ſæpius etiam invicem commutantur, ut: מְגוֹאָל, vel מְגֹאָל meghoál, pro מְגֻאָל meghunnál; aut cum (· hhatoúph) מְגָאָל meghonnál, *pollutus.* מְבֹהֶלֶת mevohékth, pro מְבֻהֶלֶת mevuhhéleth, aut cum (· hhatoúph) מְבָהֶלֶת mevohhéleth *accelerata.* רֹחַץ rohháts, pro רֻחַץ ruhhhháts; vel cum (· hhatoúph) רָחַץ rohhhháts, *ablutus est.* מְבֹעֶרֶת mevovéreth, pro מְבֻעֶרֶת mevuvvéreth; aut cum (· hhatoúph) מְבָעֶרֶת mevovvéreth, *accenſa.* מְבֹרָךְ mevorach, pro מְבֻרָךְ mevurrách; vel cum (· hhatoúph) מְבָרָךְ mevorrach, *benedictus.*

Sæpe tamen ad euphoniam daghéſch forte ex א & ע; ſæpiſſime ex ה & ח excidit abſque compenſatione; tuncque parva motio quæ in magnam mutanda erat ſi daghéſch excidens fuiſſet compenſatum, fulcitur vulgo accentu euphonico, cum ſequitur immediate *ſchevá* dilatatum; aut cum parva illa motio diſtat ab accentu tonico plus una ſyllaba, ut: נִאֲצוּ niatſoú, pro נִאֲצוּ néatſoú, *ſpreverunt.* הַהֹלֵךְ, pro הַהֹלֵךְ hàholéch *ambulans*, &c.

Sæpius etiam ob eamdem euphoniam daghéſch iſtud excidit ex literis ejus recipiendi capacibus, quando afficiuntur ſcheva, ut: תְּבַקְשׁוּ tevaqeſchoú, pro תְּבַקְּשׁוּ tevaqqeſchoú *quæretis*, &c.

Vocales longas rariſſimè & impropriè ſequitur daghéſch forte; illæ etenim cum ſua conſonante ſyllabam efficiunt, quod non fit accedente daghéſch forti. Raro tamen poſt magnum qaméts, idque intercedente accentu, venit illud daghéſch, ut: לָמָּה lámma *quare.* שָׁמָּה ſchamma *illic, illuc.* Poſt (-) & (ו) ſæpiuſculè, & interſtante pariter accentu, ut: הֵנָּה hénna *huc.* שֹׁמּוּ ſchómmou, *obſtupeſcite.* Poſt hhiriq gadhól plane anomales, ut: וָאֲמִיתֵהוּ vahamitiv *interficiebam eum.* בִּיקְּרוֹתֶיךָ biqqerothécha *inter pretioſas tuas.* Denique poſt ſchouréq raro admodum, ut: נוּלְּדוּ noulledhóu *nati ſunt*, הוּלֶּד houllédh *naſci*, גְּדוּלָּה gedhoullá *magnificentia.*

At poſt vocales breves quæ longarum vices non obeunt, ſequitur ſemper daghéſch forte, niſi ſequatur accentus, aut ſchevá. Poſt motiones autem breviſſimas nunquam venit daghéſch forte, quia prolationis earum nimia eſt celeritas, quam ut literæ cui ſubjiciuntur, & alteri quam annectit daghéſch iſtud, pronuntiandis inſerviant.

Præter artis regulas, & ſolius euphoniæ gratia, daghéſch forte quibuſdam vocibus imprimitur, ut: מִקְּדָשׁ miqqedháſch, pro מִקְדָשׁ miqdáſch (quod etiam invenitur) *ſanctuarium.* יִקְּהַת iiqqehá, pro יִקְהַת iiqhá, *congregatio.* עִקְּבֵי iqqevé, pro עִקְבֵי iqvé, *calces.* מִטֹּהַר mittohár, unde מִטֳּהָרוֹ, mittoharó pro מִטְהָרוֹ mitharó *nitor ejus.* וָאֶכְּרֶהָ váekkeréha, pro וָאֶכְרֶהָ váechréha, *& comparavi eam.*

Huc pertinet daghéſch illud quod poſt voces penacutas deſinentes in הָ ,הֶ ,ה ,הּ ,ה, & ה, primę literę ſequentis dictionis ſæpe infigitur, ut: יְהַלְלוּךָ סֶּלָה iehaleloúchas ſéla *laudabunt te ſemper.* מָשַׁחְתָּ שָּׁם maſchâhhtaſch ſchám *unxiſti illic.* יָלְדָה בַּת ialedhab báth *peperit filiam.* וָאֶכְּרֶהָ לִּי váekkeréhal li *& comparavi mihi.* עֹשֶׂה לָּךְ óſel lách, *faciens tibi.* Sic cum prima vox per maqqáph alteri jungitur, ut: עָשָׂה־לִּי áſal-li *fecit mihi.* עֹשֶׂה־פְּרִי oſep-peri *faciens fructum.*

מַה־ & זֶה־ primæ quoque literæ dictionis ſequentis daghéſch forte ſemper imprimunt, quando ipſi mediante Maqqaph adhærent, ut: מַה־תַּעֲשֶׂה־לּוֹ mat-taáſel-lo *quid facies ei?* זֶה־לְּךָ zel-lecha *hoc tibi.*

Digitized by Google

Specialia ſunt illa : Exod. 12. v. 31. קוּמוּ צְּאוּ qóumouts tſéou *ſurgite, exite.* Deut. 2. v. 24. קוּמוּ סְּעוּ qoúmous ſeoú *ſurgite, proficiſcimini* 1. Reg. 8. verſ. 19. וַיֹּאמְרוּ לֹּא vaiiómeroúl ló *& dixerunt ; non* : cum dagh. forti in צ, ס, & ל. Et illud Exod. 13. v. 1. & alibi אֶל־מֹשֶׁה לֵּאמֹר el-Moſchel lemór *ad Moyſen dicens ;* ubi ל afficitur daghéſch, quamvis dictio præcedens non ſit penacuta.

In his porro exemplis, & in aliis quibuſdam ſupra allatis, cum prima litera dictionis ſequentis vi daghéſch impreſſi geminetur, inter legendum altera voci præcedenti, altera ſequenti annectitur, ut characteribus Latinis expreſſimus. Sic הוֹשִׁיעָה נָּא hoſchian nà Pſal. 117. Heb. 118. v. 25. unde per eliſionem vocalis *i*, hoſanná *ſerva quæſo.*

Quidam Grammatici volunt punctum illud quod imprimitur τῷ י poſt hhiriq qatón, ut in voce שְׁתִיָּה ſchethiiia *potus*, non eſſe daghéſch forte, ſed mappiq quod efficit ut י illud proferatur, neque ſpectetur à tyronibus ut hhiriq gadhól. Verum falluntur ; nam punctum illud in quibuſdam verbis, tertiæ conjugationis character eſt quem daghéſch forte conſtituit, non mappiq, ut : קִיֵּם qiiiim *ſtabilivit*, חִיָּה hhiiia *vivificavit*, &c. Mappiq itaque ſoli ה quandoque infigitur, non י.

Porro ut antè punctorum hodiernorum inventionem, plures literas י ו ה א in Hebræo olim exſtitiſſe puto, quàm in eo nunc conſpiciuntur : ſic ante daghéſch à Maſſorethis ad literas geminandas excogitatum, eas in ſcriptura duplicatas fuiſſe ſuſpicor. Id conjicio ex quibuſdam ſanctæ Scripturæ locis, in quibus altera ex literis geminatis poſt inſcriptum daghéſch redundat. Sic יִשָּׂשכָר *Iiſſachar*, nomen proprium, ubique cum ש redundante ſcribitur, quia prius ש geminatur hodie per daghéſch. Eadem de cauſa צ ſuperfluum eſt in לַמַחְצְצְרִים lamehhatſerim, *tuba clangentibus*, 2. Paral. 5. v. 13. ubi daghéſch ex priori צ ejicitur ob ſcheva ipſi ſubjectum, quod ſæpius accidit.

APPENDIX.

De Daghéſch leni, & Raphe.

DAGHESCH lene, ut diximus ſuprà, ſex literis בגד כפת *beghádh kephátb* imprimitur 1°. initio dictionis. 2°. in medio poſt ſchevá quieſcens. 3°. in fine poſt ſchevá itidem quieſcens, aut pathahh furtivum ejus vicarium.

INITIO dictionis ſemper 1°. cum vox immediate præcedens in literam ſonantem deſinit, ut : בְּרֵאשִׁית בָּרָא bereſchíth bará *in principio creavit.* Quod etiam accidit cum voces per maqqáph junguntur, ut : אֶת־כָּל־ eth-col- *omnes, omnia*, &c.

2°. Cum vox illa præcedens accentu regio inſignitur, quamvis litera quieſcens eam terminet, ut : וַאֲנִי בְּרֹב váani beróv *ego autem in multitudine.* יְהוּדָה גַּם iehoudhá gám *Juda quoque.* בְּרִיתוֹ דָּבָר berithó davár *fœdus verbi.* וַיְהִי כִּי vaiehí kí *factum eſt cum.* כִּי פִּי יְהוָֹה kí pí adhonái *quia os Domini.* אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת èlle tóledhóth *hæ ſunt generationes*, &c.

At quando vox præcedens per literam quieſcentem finita, accentu tantum miniſtro fulcitur, aut omninò caret ; ſequens *beghádb kephátb* aſpiratur, ſeu daghéſch lene non recipit initio dictionis, ut : כְּסֻכָּה בְכָרֶם keſucca bhecharem *ſicut umbraculum in vinea*. כִּי־גָדוֹל יְהוָֹה kí-ghadhól Adhonái *quoniam magnus eſt Dominus*, רָגְשׁוּ גוֹיִם ragheſchóu ghoiim *fremuerunt gentes*, דִּבְרֵי דָוִד divré Dhavidh *verba Davidis*, בְּבֹא כְשׁוֹאָה bevó cheſchoá *cum venerit ſicut deſolatio*, זֶה פַעֲמַיִם zé phaamáiim *jam duabus vicibus*, כִּי־תִזְכְּרֶנּוּ kí-thiſkerénnou *quoniam memor es ejus.* אָבוֹא בֵיתְךָ בְעוֹלוֹת abhó bhéthechá bheolóth *introibo in domum tuam cum holocauſtis* In voce בֵּיתְךָ ſubintelligitur ה poſt ךָ ſic : בֵּיתְכָה. Vide ſuprà Notas ad art. 2. pag. 27. col. 2.

Interdum tamen licet vox præcedens accentu regio deſtituta ſit, ac per literam quieſcentem finiatur, ſequens *beghádb kephátb* daghéſch lene recipit. 1°. cum dictio à duabus literis ex *beghádb kephátb* ejuſdem organi incipit, ut : אֱמוּנָתְךָ בַּפִּי emounáthechá

Digitized by Google

bephí *veritas tua in ore meo*; ita habent plurima exemplaria. In בְּפִי, ב & פ ejuſdem ſunt organi, nempe labiorum. 2°. cum litera ex *beghádh kephàth* geminatur, ac prior afficitur ſchevá, ut: וַתִּתְפְּשֵׂהוּ בְּבִגְדוֹ vattithpeſéhou bebhighdhó *& apprehendit eum veſte ejus.* 3°. cum intercedit virgula dicta *Peſiq*, ut: וְעַתָּה׀ פֶּן־יִשְׁלַח veattà pen-iiſchlahh *& nunc ne mittas.* מִי־כָמֹכָה׀ בָּאֵלִים mi-chamócha bàelim *quis ſicut tu inter Deos.* 4°. cum vox præcedens terminatur per א antecedente ſchevá muto, ut: וַיַּרְא בָּלָק vaiiár Baláq *& vidit Balaq.*

Sunt præterea voces nonnullæ, quæ anomalas habent daghéſch lene poſt dictionem litera quieſcente cum accentu miniſtro finitam, ut: Exod. 15. v. 1. כִּי־גָאֹה גָּאָה ki-ghaó gaá *quia magnificando magnificatus eſt.* Ibidem v. 11. מִי כָּמֹכָה mi camócha *quis ſicut tu.* Ibidem v. 13. עַם־זוּ גָּאָלְתָּ am-zou gaálta *populum quem redemiſti.* Ibidem v. 16. יִדְּמוּ כָּאָבֶן iiddemóu caáven *conticeſcant ſicut lapis.* Iſai. 54. v. 12. וְשַׂמְתִּי כַּדְכֹּד veſamti cadhcódh *& ponam jaſpidem.* Jerem. 20. v. 9. וְנִלְאֵיתִי כַּלְכֵּל venileíthi calkél *& defeci ferens.* Dan. 3. verſ. 2. גְּדָבְרַיָּא דְּתָבְרַיָּא gedhavraiiá dethavraiiá *quæſtores, juriſperiti.* Ibidem cap. 5. v. 11. וְחָכְמָה כְּחָכְמַת־ vehhochmá kehhochmáth- *& ſapientia ſecundum ſapientiam.* Pagninus in Inſtitutionibus Hebraïcis alia quædam profert exempla, quæ in Bibliis accuratioribus deſiderantur.

Poſt ה cum mappiq ſic, הּ, *beghádh kephàth* daghéſch lene recipit; tunc enim non quieſcit ה, ſed ſonat, ut diximus ſup. art. 2. p. 25. בְּצִדָּהּ תָּשִׂים betſiddáh taſim *in latere ejus pones*, Gen. 6. v. 16. Idem daghéſch in his literis recipitur poſt ו, quod non eſt ſchouréq nec hhólem, quia tunc temporis ſonat, ut: עֵשָׂו בְּכֹרֶךָ Eſav bechorécha *Eſau primogenitus tuus*, Gen. 27. v. 19. Item poſt (י), quod antecedunt (-) vel (ּ), (ו) vel ו), quia (י) iſtud poſt iſtas motiones pariter non ſilet, ſed profertur, ut diximus ſupra art. 2. pagg. 24. & 25. Pſal. 50. Heb. 51. v. 17. שְׂפָתַי תִּפְתָּח ſephathái tiphtháhh *labia mea aperies.* Tria excipiuntur. Primum, Pſal. 67. Heb. 68. v. 18. אֲדֹנָי בָם adhonái vám *Dominus in eis.* Secundum, Iſai. 34. v. 11. קַו־תֹהוּ qav-thóhou *linea vacuitatis*, ſeu *deformationis.* Tertium, Ezech. 23. verſ. 42. שָׁלֵו בָהּ ſchalév váh, *tranquilla* (multitudo) *in ea.*

Voces יְהוָה & יֱהוִה quanvis accentu miniſtro inſtructæ *beghádh kephàth* ſequenti daghéſch lene imprimunt, quia pro יְהוָה legitur אֲדֹנָי, & pro יֱהוִה profertur אֱלֹהִים, proindeque in literas quieſcentes non deſinunt. Vide infra lib. III. cap. V. art. III.

Denique in Pſalmis, Jobo & Proverbiis, accentus regii *Tiphhhá* & *Athnáhh* ſæpe inſtar miniſtrorum literas *beghádh kephàth* poſt ſe aſpiratas relinquunt. Vide ibid. c. I. art. I. §. IV.

IN MEDIO dictionis poſt ſchevá quieſcens *beghádh kephàth* daghéſch leni inſignitur. Excipe tamen

1°. Cum ſchevá illud quieſcens natum eſt ex (ּ) vel (-); ut: כִּדְבָרְךָ kidhvárechá *ſecundum verbum tuum*; à דָּבָר davár *verbum.* מַלְכֵי malché *reges*, plur. conſt. ab abſoluto מְלָכִים melachím. רִשְׁפֵי riſchphé *prunæ*, plural. itidem conſt. ab abſol. רְשָׁפִים reſchaphím. Tamen Cant. 8. v. 6. legitur רִשְׁפֵּי riſchpé, cum daghéſch. בִּלְבָב bilváv *in cor*, conſtr. ab abſol. לֵבָב leváv. Id etiam interdum accidit cum (ׇ) natum eſt ex (ּ), ut: סֻבְּכוֹ ſuvchó *perplexitas ejus*, à סֹבֶךְ ſovech *perplexitas.*

2°. Poſt ſchevá initiale, cui præponitur aliqua particula motione brevi affecta, ſive illud ſchevá nativum ſit, ſive ſit deductum ex alia motione, ut: בִּגְדֹל bighdhól *in magnitudine*, à גְּדֹל gedhól *magnitudo.* לִגְבוּל lighvoúl *termino*, à גְּבוּל gevoúl *terminus.* לִקְבָרוֹת liqvaróth *ad ſepulchra*, à קְבָרוֹת qevaróth *ſepulchra*, cujus ſing. קֶבֶר qéver *ſepulchrum.* Sic in infinitivo *Qál* præcedentibus ב & כ, ut: בִּכְתֹב bichthóv *in ſcribendo.* כִּנְבֹל kinvól *ſicut defluit.* At præcedente ל, daghéſch ſæpius imprimitur, ut: לִסְגֹּר liſgór *ad claudendum.*

3°. Poſt ſchevá quieſcens ſub ſecunda rad. in Infinitivo & Imperativo ejuſdem *Qál*, ut: רָדְפִי ródhphí *perſequi me.* (Quære רָהְבָּם *præſtantiſſimum eorum*, Pſal. 89. Heb. 90. v. 10. eſt potius nomen ſubſtant. רֹהַב róhav *robur*, *præſtantiſſimum*, cum affixo; quam infinitivus *qál* verbi רָהַב *corroborari.*) עָרְכָה erchá *diſpone*, cum ה paragogico, à ſimplici עֲרֹךְ

 * D iiij

eróch. מַלְכֵי molchí *regna.* מַלְכוּ molchóu *regnate.* שִׁכְבוּ ſchichvóu *cubate*, &c.

4°. Poſt ſchevá quieſcens, quod in cauſa fuit cur motio compoſita in ſimplicem mutaretur, ut: יַעַבְדֵנוּ iaavdhénnou, pro יַעֲבְדֵנוּ, *colet eum.* נַעַמְדָה náamdhá *ſtabimus.* At ſi motio compoſita ad ſchevá ſimplex reducatur, tunc imprimitur daghéſch, ut: יַחְפֹּץ iahhpóts, pro יַחְפֹּץ iahhaphóts *volet.* יֶהְגֶּה iéhgé, pro יֶהֱגֶה iéheghé *meditabitur*, &c.

5°. Pronomina affixa ךָ, כֶם, כֶן poſt ſchevá quieſcens aſpirantur, ut: יֹצֶרְךָ iótſerchá *formator tuus.* דְּבַרְכֶם devarchém *verbum veſtrum*, viri. דְּבַרְכֶן devarchén *verbum veſtrum*, mulieres. Excipitur אֶתְּקֶנְךָּ etteqénka *evellam te*, Jerem. 22. v. 24.

6°. Nomina quædam uſu aſpirata remanent, ut: בִּגְדוֹ bighdó *veſtis ejus*, & ſic cum omnibus affixis cum hoc nomine בֶּגֶד conjunctis; quia, ut diximus ſupra, *beghádh kephâth* poſt (·) quieſcens natum ex (ִ) interdum *aſpiratur.* יַלְדוּת ialdhoúth *pueritia.* יָקְתְאֵל *Ioqtheél*, יָקְדְעָם *Ioqdheám*, quæ duo nomina ſunt propria, & in quibus ſecundum etiam ſchevá quieſcere ob ſequentem gutturalem ſcribit Qimhhi, ſic: *Ioqthél*, *Ioqdhám.* צָרְפַת Tſórpháth *Gallia*, צָרְפָתִי Tſórphathí *Gallus*, ſecundum Rabbinos; in quibus duobus nominibus (ָ) ſub צ eſt qaméts hhatoúph, de quo in artic. V. quanvis in accuratioribus Bibliis, inter (ָ) & ſchevá reperiatur accentus euphonicus. מַלְכוּת malchoúth *regnum*, נֶגְדָּה neghdhá *coram*, עַבְדוּת avdhoúth *ſervitus.* Et ſi quæ ſunt alia.

7°. In בַּיְתָה báietha *in domo*, ת aſpiratur, quia ſchevá præcedens mobile eſt ob accentum, quo páthahh ſub ב quaſi producitur; ſive ut ſcribit doctiſſimus *Buxtorfius*, quia *Páthahh* in בַּיִת (unde בַּיְתָה cum ה paragogico) חַיִת *& ſimilibus, habet naturam vocalis longæ.* Verum cum ex ſupra traditis regulis ſchevá quieſcat poſt vocalem longam accentu tonico ſuffultam, ſchevá in בַּיְתָה debet quieſcere, ac proinde ת ſequens daghéſch leni affici. Cum autem aſpiretur, malim vocem hanc aliis in num. præcedenti recenſitis adjungere, & ſchevá ſub (י) reticere. At in voce חַיְתוֹ־ hhâietho *beſtia*, Gen. 1. v. 24. recte ת aſpiratur; ſchevá enim præcedens mobile eſt, quia ſubjicitur literæ daghéſch notandæ; eſt enim ab חַיָּה hhaiiá *beſtia*, conſt. חַיַּת hhaiiath, & cum ו paragogico, חַיְתוֹ־ hhâietho; mutato anomalos (ַ) in (ָ), ejecto daghéſch ex (י) ob iſtud ſchevá ipſi ſuppoſitum, quod ſæpius fieri jam monuimus, & poſito accentu euphonico inter (ַ) & (ְ); cum enim vox illa ſequenti per *maqqâph* jungatur, accentu tonico caret.

Cum literæ *beghádh kephâth* utroque daghéſch deſtituebantur, olim ſupra ipſas ſcribebatur lineola (-), quam *raphé* vocabant, h. e. *remiſſum*; eaque lineola indicabat literas illas cum aſpiratione eſſe proferendas, ut: דָּבָר dabhár, vel davár *verbum.* Sic in mſ. Joſue, ſupra pag. 25. laudato, literæ illæ cum *raphé* notantur quoties carent utroque daghéſch. Raphé hujus veſtigia etiam ſuperſunt Exod. cap. 20. vv. 9. 13. 14. & 15. Sed prorſus anomala; daghéſch enim cum illa lineola conjunctum ibidem reperitur. Vide lib. III. c. I. art. 1. §. IV. Nunc vero nota hæc in deſuetudinem abiit ut plane inutilis; noſſe enim ſatis eſt literas *beghádh kephâth* abſente daghéſch cum aſpiratione eſſe proferendas.

Varia ſex illarum literarum prolatio cum daghéſch afficiebantur, vel eo erant deſtitutæ, LXX. aliiſque interpretibus Græcis, & S. Hieronymo latuiſſe videtur. Illi enim tres priores ב, ג, ד ſemper exprimunt per β, γ, δ; S. Hieron. *b. g. d.* Tres vero poſteriores כ, פ, ת, per χ, φ, θ, S. Hieron. *ch*, *f* vel *ph*, & *th.* Id liquet cum ex nominibus propriis, tum ex fragmentis quibuſdam Hexaplorum Origenis à SS. Patribus laudatis. Videatur in primis liber S. Hieronymi de Nominibus Hebraicis. Unicum vocabulum refert S. Doctor, in quo פ pronuntiatur ut *p* Latinum. Illud eſt *Apadno*, Dan. 11. v. 45. de quo ſic loquitur comm. in h. l. tom. 3. col. 1134. nov. edit. *Notandum autem eſt, quod* p *literam Hebræus ſermo non habeat, ſed pro ipſa utatur* phe, *cujus vim Græcum* φ *ſonat; in iſto tantum loco apud Hebræos ſcribatur quidem* phe, *ſed legatur* pe. Ex his recentiores nonnulli pronuntiationem Maſſorethicam omnium eſſe peſſimam inferunt: ſed male; nam præter-

quam

Digitized by Google

quam quod in Linguæ Hebraïcæ prolatione Judæi præ ceteris audiendi ſunt, ut jam diximus; antiqui illi interpretes Græci eodem modo prædictas literas expreſſerunt, ne, ſi pro variis Grammatices circumſtantiis, earum variaſſent poteſtatem, vocabula in quibus reperiuntur, quæque jam Græcis & Latinis auribus erant barbara, his duriora adhuc, & aſperiora viderentur. Neque etiam hodie diſcrimen inter literas illas daghéſch leni affectas, aut eo deſtitutas, à Judæis ipſis obſervatur, niſi in duabus duntaxat, nempe in ב quod cum daghéſch בּ proferunt *b*; ſine daghéſch, ב *bh*, vel *v* conſonans; & in פּ quod daghéſch affectum פּ ab iis pronuntiatur *p*; abſque daghéſch, פ *ph*, vel *f*.

ARTICULUS IV.

De Lectione (:) *Schevá.*

SCHEVA duplicis eſt generis, aliud *ſimplex* quod conſtat duobus punctis quorum alterum alteri ſuperſcribitur hoc modo (:), aliud *compoſitum* quod eſt ſchevá ſimplex præpoſitum tribus parvis motionibus (-), (ׄ) & (- hhatoúph), ſic : (ֲ) (ֱ) (ֳ); & eſt gutturalium proprium. De ſchevá compoſito nulla eſt difficultas, illud enim ſemper legitur. At ſchevá ſimplex modò *mobile* eſt, id eſt, profertur; modò *quieſcit*, hoc eſt, ſilet ſeu non legitur.

Movetur ſeu legitur ſchevá ſimplex 1°. initio dictionis, ut : פְּרִי perí *fructus.* עַל־פְּנֵי al-pené *ſuper facies*; (quamvis enim duæ illæ voces per Maqqáph jungantur, & unam veluti dictionem in prolatione efficiant; re tamen ipſa diverſæ ſunt, & veluti duæ quantum ad lectionem τῦ ſchevá conſiderantur.) Excipitur vox unica שְׁתַּיִם ſchtáiim *duæ*, in quâ volunt ſchevá quieſcere. 2°. ſub literâ daghéſch notatâ, modò tamen non ſit ultima dictionis litera ſub quâ ſchevá nunquam legitur, ut : לִמְּדוּ limmedhóu *docuerunt.* 3°. poſt aliud ſchevá, modò pariter poſterius illud ſchevá non ſit ſub ultima dictionis litera, ut : יִלְמְדוּ iilmedhóu *diſcent.* 4°. poſt motionem magnam non fultam accentu tonico, ut : לָמְדוּ lámedhóu *didicerunt.* Cum plures in voce aliquâ ſunt accentus, ultimus vulgo tonicus eſt.

Quieſcit ſeu non legitur ſchevá ſimplex 1°. ante ſocium, ut : אֶלְמְדָה elmedhá, non elemedhá, *diſcam.* 2°. in fine dictionis, ut : לִמַּדְתְּ limmádht, non limmádhte, *docuiſti.* קֹשְׁטְ qóſcht, non qóſchte, *veritas.* לָךְ lách, non láche, *tibi.* 3°. poſt motionem magnam fultam accentu tonico, ut : לְמֹדְנָה lemódhna, non lemódhena, *diſcite.* 4°. poſt motionem parvam, ut : לִמְדוּ limdhoú, non limedhoú, *diſcite.* Quarta hæc regula triplicem exceptionem patitur; ſchevá enim legitur poſt motionem parvam, 1°. quando ſchevá iſtud reperitur ſub litera repetita, eaque

priori, ut: הִנְנִי hineni *ecce ego.* 2°. cùm idem ſchevá occurrit ſub litera daghéſch notanda, quamvis eo non ſit notata, ut: לַמְנַצֵּחַ lámenatſtſéahh *victori.* 3°. cùm parva illa motio poſita eſt loco magnæ, ut: יְגֻרְךָ ieghúrechá, pro יְגוּרְךָ ieghoúrechá *habitabit tecum.* Quando autem literæ daghéſch imprimi debet, quamvis ipſi non imprimatur; & parva motio locum magnæ occupat, in Bibliis accuratius editis inter parvam motionem & ſchevá iſtud mobile, accentus euphonicus vulgò pingitur.

APPENDIX.

De dilatatione ſchevá, & ejus concurſu.

SCHEVA compoſitum gutturalium proprium eſt, & earum gratiâ excogitatum. Cum enim literæ illæ ob ſuam aſpirationem moram aliquam in prolatione requirant, moveri, ſeu legi non poſſunt per ſchevá ſimplex quod citiſſime pronuntiatur. Quare cum ex analogia ſub literis illis reperitur hujuſmodi ſcheva ſimplex mobile, dilatatur vulgo per (-), ſitque (-), ut: חֲכָם hhachám *ſapiens*, plur. חֲכָמִים hhachamím, pro חְכָמִים hhechamím, *ſapientes.* Interdum etiam dilatatur in (..), ac præſertim ſub א initiali, ut: עֱרוֹךְ eroúch, pro עְרוֹךְ, *ordinatus.* הָאֹהֱלָה haóhela, pro הָאֹהְלָה, *in tabernaculum.* אֱכֹל echól, pro אְכֹל, *comedere, comede*, &c.

Schevá mutum ſæpius quoque dilatatur ſub gutturali, ſed habitâ ratione parvæ motionis præcedentis quæ ſi fuerit (-), ſchevá dilatatur in (-), ut: מַעֲמִיד máamídh, pro מַעְמִיד mamídh, *ſtare faciens.* Si fuerit hhiriq vel (·), ſchevá ſimplex dilatatur in (..), ut: הֶעֱשִׁיר héeſchir, pro הֶעְשִׁיר hiſchír, *ditavit;* tuncque loco hhiriq reponitur (·), ſecundùm hanc regulam; *Litera gutturalis notat ſe & præcedentem eodem ſono, licet non eodem puncto.* אֶעֱרֹךְ eéróch, pro אֶעְרֹךְ eróch, *ordinabo.* Denique ſi fuerit (· hhatoúph) vel (·), ſchevá dilatatur in (-), ea tamen lege ut ſubjiciatur (· hhatoúph) loco (·) ſecundùm præcedentem regulam, ut: הָעֳמַד hóomádh, pro הָעְמַד homádh, *ſtare factus eſt.* מָעֳמָד móomádh, pro מֻעְמָד mumádh, *ſtare factus, conſtitutus.*

Sæpe tamen ſchevá iſtud mutum, ſeu quieſcens non dilatatur ſub literâ gutturali, ac 1°. quidem ſub tertia radicali in ſecundis & primis perſonis Præteritorum, cum ſingularibus, tum pluralibus, ut: שָׁמַעְתָּ ſchamáta *audiviſti*, maſc. שָׁמַעַתְּ ſchamáat *audiviſti*, fem. ubi eſt (-) furtivum ſub ע loco (·). שָׁמַעְתִּי ſchamati *audivi.* שְׁמַעְתֶּם ſchematém *audiviſtis*, maſc. שְׁמַעְתֶּן ſchematén *audiviſtis*, fem. שָׁמַעְנוּ ſchamanou *audivimus.* 2°. poſt accentum tonicum, ut: תִּשְׁמַעְנָה tiſchmana *audient.* 3°. non raro poſt motiones (·) (..) (·) exiſtentes ſub litera ſervili, ut: יִהְיֶה iihié, pro יִהְיֶה icheié, *erit.* אֶחְזַק ahhzéq, pro אֶחֱזַק ahhazéq, *confirmabo.* אֶהְיֶה éhié, pro אֶהֱיֶה éheié, *ero.* 4°. denique ſæpius etiam alibi ſchevá ſimplex quieſcens non dilatatur ſub gutturali, ut זַעְמִי zamí, pro זַעֲמִי záamí, *indignatio mea*, &c.

Quando poſt hujuſmodi ſchevá dilatatum ſequitur aliud ſchevá; ut vitetur concurſus duplicis ſchevá mobilis, alterius utpote compoſiti; alterius quatenus poſt ſocium; tunc ſchevá compoſitum reſolvitur vel in parvam motionem ex qua componitur, ut: יַאַרְכוּ iiarchóu, pro יַאֲרְכוּ iiarechóu, *prolongabuntur.* נֶעֶרְמוּ néermou, pro נֶעֶרְמוּ néeremoú, *coacervatæ ſunt.* מָאָסְכֶם móoſchém, pro מָאֳסְכֶם móoſechém, *aſpernari vos.* Vel in ſimplex ſchevá, ut: יַעְזְרוּ iazeroú, pro יַעַזְרוּ iiazroú, *auxiliabuntur.* יֶאְשְׁמוּ ieſchemoú, pro יֶאֶשְׁמוּ iéeſchmoú, *deſolabuntur.* הָעָמְדוּ homedhoú, pro הָעָמְדוּ hóomdhoú, *ſtare facti ſunt.* Quod fit etiam interdum ſolius euphoniæ gratiâ, & ſine concurſu duplicis ſchevá, ut: נֶחְבֵּאתָ nahhbétha, pro נֶחֱבֵּאתָ nahhabhétha, *abſcondiſti te.* יֶהְגֶּה iehgé, pro יֶהֱגֶּה iéheghé, *meditabitur.* חָחְתֵּל hohhtél, pro חָחֳתֵּל hóhhothél, *faſciis involvi.* In hac autem reductione ſchevá compoſiti ad ſchevá ſimplex; vel ad par-

Digitized by Google

vam motionem ex qua componitur, prima dictionis litera ſervat motionem quâ afficiebatur antequam ſchevá compoſitum ſic reſolveretur; vel quam habebat ob ſchevá ſimplex ſic dilatatum; h. e. retinet (-), vel (ׅ) vel qamèts hhatoúph.

מְקוֹר־ meqór *fonte.* Schevá mobile initio dictionis, pag. 33. Réſch producitur, p. 10.

חַיִּים hhaiiim *vitæ.* Daghéſch forte in priori י quod idcirco duplicatur, pag. 27.

וּתְבָרֶכְךָ outhevárechechá *& benedicet tibi.* ת aſpiratur, quia caret daghéſch, pag. 27. Schevá ſub eodem legitur poſt motionem magnam non fultam accentu tonico, pag. 33. & pag. 36. col. 1. Schevá iidem legitur ſub כ quia repetitur, pag. 33. Caph utrumque & ב aſpirantur ob ־ daghéſch abſentiam, pag. 27.

סֶלָה ſéla *ſemper.* ה quieſcit in fine, quia non habet motionem expreſſam, nec ſubintellectam, pag. 25.

CAPUT V.

De Orationis partibus ſecundum Hebræos.

HEBRÆIS tres ſunt principes orationis partes. שֵׁם *Nomen*, quod & pronomen; פֹּעַל *Actio* ſeu *Verbum*, quod & Participium; & מִלָּה *Dictio*, quæ Adverbia, Præpoſitiones, Conjunctiones & Interjectiones complectitur. Unamquamque ex tribus illis orationis partibus cum ſuis appendicibus explicaturi, initium faciemus à Nomine.

NOTÆ.

PARTIUM orationis numerum, uti & methodum, ab Arabibus mutuati ſunt Judæi qui de arte Grammatica ſcribere cœperunt, cum illi defiêre. Primus inter Judæos hancce materiam cum aliqua diligentia tractandam ſuſcepit Rabbi *Juda Hhiough* oriundus ex Feza urbe Africæ, qui circa annum Chriſti M.XL. duos edidit libellos, unum de *Raphe*, ſive de literis *beghadh kephath* modo durius, modo mollius pronuntiandis: alterum de *geminatione*, ſive de vocibus literam quampiam geminantibus.

Proximus ab eo R. *Jonas* Cordubenſis, qui itidem libros ſcripſit duos; unum *de artis præceptis*, alterum *de ſignificationibus verborum*. Tertius *Aben-Eſra* Hiſpanus, qui circa annum Chriſti M. CLX. floruit. Is præter commentarios in Sacram Scripturam, ſcripſit ספר צחות בדקדוק *librum elegantiarum Grammaticarum*: & ספר מאזני לשון הקדש *librum bilancis linguæ ſanctæ*. Quartus R. *David Qimhhi* qui vixit circa annum Chriſti M. CXC. Hic cum videret multa confuſe diffuſeque ſcripta fuiſſe à RR. *Juda* & *Jona*, multaque ſcitu digna ab iis prætermiſſa fuiſſe, ea plenius complecti ſtuduit, atque idcirco operi ſuo nomen fecit: ספר מכלול *liber comprehenſionis*. Duabus conſtat partibus; Grammatica & Lexico. Quintus R. *Abraham de Balmis* qui circa annum Chriſti M. DXX. ſcripſit Grammaticam cui titulus: מקנה אברהם *poſſeſſio Abraham*. Sextus *Elias Levita* Germanus qui eodem tempore florebat, multoſque Chriſtianos, etiam Cardinales, invitis licet popularibus, cum viva voce, tum multis editis libellis linguam Hebraïcam docuit.

Hi ſunt præcipui Judæorum Grammatici. Rich. *Simon* lib. 1. cap. 30. hiſt. critic. V. T. catalogum refert 38. Grammaticorum Hebr. à ſæculo X. ad annum Chriſti M. DC. in quo primum obtinet locum R. *Saadias Gaon* qui ſcholæ in Babylonia præerat anno Chriſti 927. ſeptimum vero R. *Juda Hhiouq*. Verum R. *Saadias* ut quinque ſequentes cum id genus argumenti ſubtiliter, jejune & ſine methodo tractarint, jure merito Grammaticorum Hebræorum primus ſtatuitur R. *Juda*.

Græci quoque veteres tres tantum principes orationis partes agnoſcebant, nempe ὀνόματα *nomina*, ῥήματα *verba*, & συνδέσμους *conjunctiones*. Id diſerte aſſerit Dionyſius Halicar. lib. de compoſitione verborum, pag. 3. novæ edit. Oxon. 1704. ταῦτα δὲ Θεοδέκτης, καὶ Ἀριστοτέλης, καὶ οἱ κατ' ἐκείνους φιλοσοφήσαντες τοὺς χρόνους ἄχρι τριῶν προήγαγον, ὀνόματα, καὶ ῥήματα, καὶ συνδέσμους, πρῶτα μέρη τῆς λέξεως ποιοῦντες. οἱ δὲ μετ' αὐτοὺς γενόμενοι, καὶ μάλιστα οἱ τῆς Στωϊκῆς αἱρέσεως ἡγεμόνες, ἕως τεττάρων προὐβίβασαν, χωρίσαντες ἀπὸ τῶν συνδέσμων τὰ ἄρθρα. εἶθ' οἱ μεταγενέστεροι τὰ προσηγορικὰ διελόντες ἀπὸ τῶν ὀνομάτων, πέντε ἀπεφήναντο τὰ πρῶτα μέρη. ἕτεροι δὲ καὶ τὰς ἀντωνυμίας ἀποζεύξαντες ἀπὸ τῶν ὀνομάτων, ἕκτον στοιχεῖον τοῦτο ἐποίησαν. οἱ δὲ καὶ τὰ ἐπιρρήματα διεῖλον ἀπὸ τῶν ῥημάτων, καὶ τὰς προθέσεις ἀπὸ τῶν συνδέσμων, καὶ τὰς μετοχὰς ἀπὸ τῶν προσηγορικῶν. οἱ δὲ καὶ τὰς ἄλλας τινὰς εἰσαγαγόντες τομὰς, πολλὰ τὰ πρῶτα μόρια τῆς λέξεως ἐποίησαν. *Theodectes & Ariſtoteles, & qui eorum temporibus philoſophabantur, ad ternarium reduxere, Nomina, Verba & Conjunctiones; quæ primas orationis partes ſtatuêre. Qui vero poſtea ſequuti, ac præcipue Stoïcæ ſectæ principes, Articulos à Conjunctionibus ſeparando, ad quaternarium uſque proceſſerunt. Recentiores autem ſejungendo Appellativa à Nominibus ipſis, quinque primas eſſe partes oſtendebant. Aliqui & Pronomina ſejungendo à Nominibus, ſextum fecere elementum. Alii item & Adverbia diviſere à Verbis, & Præpoſitiones à Conjunctionibus, & Participia à Nominibus Appellativis. Aliqui & alias inducendo ſectiones, multas fecere vocum partes.*

Idem docet Quintilianus, lib. 1. cap. 4. *Veteres*, inquit, *quorum fuerunt Ariſtoteles & Theodectes, Verba modo, & Nomina, & Convinctiones tradiderunt..... paulatim à Philoſophis, ac maxime Stoïcis auctus eſt numerus; ac primum Convinctionibus Articuli adjecti; poſt Præpoſitiones; Nominibus Appellatio; deinde Pronomen, deinde mixtum Verbo Participium; ipſis Verbis Adverbia, &c.* Vide etiam Priſcianum, lib. 2.

CAPUT

CAPUT VI.

De Nomine.

NOMEN vox eſt quæ ex inſtituto hominum aliquid nominat. Dividitur in ***proprium***, & in ***appellativum.*** Nomen proprium uni convenit, ut: דָּוִד ***David***, כֵּיפָא ***Cephas***, ſeu ***Petrus***, &c. Appellativum pluribus tribuitur, ut: אָדָם ***homo***, quod nomen omnibus hominibus competit. In hoc capite agemus de nomine appellativo; de proprio autem in Syntaxi.

Tres ſunt communes nominis affectiones, videlicet ***genus***, ***numerus***, & ***caſus*** ſeu ***declinatio***, quas in ſequentibus articulis expendemus.

APPENDIX.

NOMEN dividitur inſuper 1°. in ***ſubſtantivum*** & in ***adjectivum.*** Subſtantivum quod Hebræis dicitur שֵׁם הַדָּבָר ***nomen rei***, illud eſt quod per ſe ſubſiſtit in oratione, & ſolam rei aut perſonæ ſubſtantiam, nulla habita ratione accidentium ejus ſeu modorum exprimit, ut: אֱלֹהַּ ***Deus***, &c. Nomen adjectivum quod Hebræi vocant שֵׁם הַתֹּאַר ***nomen formæ***, ſubſtantivo cujus ope in oratione indiget, adjectum; rei aut perſonæ accidentia ſeu modos deſignat, ut: קָדוֹשׁ ***ſanctus***: ſupponit enim rem aut perſonam cui ſanctitas adjicitur, unde & nomen adjectivum appellatur.

2°. Nomen, potiſſimum ratione Grammatices, dividitur in ***primitivum*** & in ***derivativum***, ſeu ***derivatum.*** Nomen primitivum dicitur illud quod eſt ipſa radix, ut: אִישׁ ***vir***, סוּס ***equus***, &c. Nomen vero derivatum eſt quod à verbo ceu à radice derivatur, ut: דָּבָר ***verbum***, à verbo דָּבַר, vel דִּבֵּר, aut דִּבֵּר ***loquutus eſt.*** Nomen autem derivatum vel ***perfectum*** eſt, vel ***imperfectum.*** Derivatum perfectum dicitur quod ex verbo perfecto derivatur, ut: זָכָר ***maſculus***, ex verbo perfecto זָכַר ***recordatus eſt.*** Derivatum imperfectum appellatur quod ex verbo imperfecto deducitur, ut: גַּן ***hortus***, ex verbo imperfecto גָּנַן ***protexit.***

Denique ex nominibus derivatis, cum perfectis, tum imperfectis, alia ſunt ***ſimplicia***; alia ***compoſita.*** Nomina ſimplicia ea ſunt quæ puris conſtant radicalibus, ut: חָכָם ***ſapiens***, à verbo perfecto חָכַם ***ſapiens fuit.*** שָׁלָל ***ſpolium***, à verbo imperfecto שָׁלַל ***ſpoliavit.*** Nomina compoſita cenſentur quæ præter radicales aliquam ex hiſce ſex literis האמנתי quæ memoriæ cauſa his motionibus afficiuntur: הֶאֱמַנְתִּי héemánti ***credidi***, in principio vel in fine; & interdum etiam utrobique aſſumunt; eaque nomina idcirco vocantur ***heemanticæ***, ut: מִשְׁפָּט ***judicium***, à verbo perfecto שָׁפַט ***judicavit.*** הַצָּלָה ***liberatio***, à verbo imperfecto נָצַל in Hiphil ***liberavit.*** אַשְׁמֻרָה ***cuſtodia***, ***vigilia***, à verbo perfecto שָׁמַר ***cuſtodivit***, &c.

ARTICULUS I.

De Nominum Hebræorum generibus.

GENUS eſt Nominis ratione utriuſque ſexûs differentia. Quare iis quæ ſexum non habent, improprie tribuitur; ea tamen in ſubſtantivi & adjectivi convenientia, ſexum habentium naturam ſequuntur.

Digitized by Google

Ut autem duplex eſt duntaxat ſexus, maſculinus videlicet & femininus; ita Hebræi duplex tantummodo genus agnoſcunt, maſculinum ſcilicet & femininum.

Tertium, nempe neutrum Græcorum & Latinorum ignorant. Quare in adjectivis quæ abſolute ponuntur, neutrum illud genus exprimunt modo maſculino, modo feminino genere. Maſculino, ut Gen. 2. v. 18. לֹא־טוֹב הֱיוֹת הָאָדָם לְבַדּוֹ *bonus* (i. bonum) *non eſt hominem eſſe ſolum.* Feminino, ut Pſal. 26. Heb. 27. v. 4. אַחַת שָׁאַלְתִּי מֵאֵת־יְהוָה אוֹתָהּ אֲבַקֵּשׁ *unam* (i. unum) *petii à Domino*, *hanc* (i. hoc) *requiram.* Sic in plurali numero, in quo tamen genus femininum frequentius uſurpatur, ut videbimus in Syntaxi. Genus commune & epicœnum ad maſculinum & femininum pertinet.

Nominum Hebr. genus dignoſcitur vel *ſignificatione* vel *terminatione.*

Significatione maſculina ſunt 1°. Nomina propria virorum, officiorumque virilium, ut: שְׁלֹמֹה *Salomon*, מֶלֶךְ *Rex*, פֶּחָה *dux*, פֻּרָה *Pura*, nomen proprium pueri Gedeonis, שַׂר *princeps*, &c. 2°. Fluviorum, ut: פִּישׁוֹן *Phiſon*, יַרְדֵּן *Jordanis*, &c. 3°. Montium, ut: כַּרְמֶל *Carmel*, הֹר *Hor*, &c. 4°. Populorum, ut: עִבְרִי *Hebræus*, מִצְרִי *Ægyptius*, צָרְפָתִי tſórphathí *Gallus*, ſecundum Rabbinos. 5°. Menſium, ut: נִיסָן *Niſán*, אִיָּר *Iiár*, &c.

Significatione feminina ſunt 1°. Nomina mulierum, & officiorum muliebrium, ut: חַוָּה *Eva*, רָחֵל *Rachel*, אֵם *mater*, שֵׁגַל *conjux*, &c. 2°. Urbium, ut: בָּבֶל *Babel*, שֹׁמְרוֹן *Samaria*, יְרִיחוֹ *Jericho*, &c. 3°. Provinciarum & Regionum, ut: מִצְרַיִם *Ægyptus*, עֲרָב *Arabia*, צָרְפַת tſórpháth *Gallia*, ut volunt Rabbini. 4°. Membrorum corporis præſertim geminorum, ut: יָד *manus*, רֶגֶל *pes*, יָרֵךְ *femur*, כָּתֵף *humerus*, &c. Eorum tamen quædam communis ſunt generis, ſed ſæpius feminini.

Terminatione maſculina ſunt quæ aliter deſinunt ac ſequentia, niſi infra excipiantur.

Terminatione feminina ſunt quæ deſinunt 1°. in ה cum accentu poſt (ָ), ut: צְדָקָה *juſtitia*, חָכְמָה hhochmá *ſapientia*, שִׂמְחָה *lætitia*, &c. Si accentus deſideretur poſt (ָ), maſculina ſunt, ut: לַיְלָה *nox*, אַחְלָמָה *amethyſtus*, quamvis aliis ſit fem. generis, הַחִיצוֹנָה *exterior*, שְׁפָלָה *humilis*, בֹּעֲרָה *ardens*, *ſuccenſus*, &c. 2°. in תָה cum accentu in penultima, ut: יְשׁוּעָתָה *omnimoda ſalus*, עֶזְרָתָה *præſens auxilium*, אֵימָתָה *terror maximus*, hæc enim forma auxeſim importat. 3°. in ת ſervile, h. e. quod non eſt de radice nominis, ut: מַלְכוּת *regnum*, à radice מָלַךְ *regnavit.* דַּעַת *ſcientia*, à radice יָדַע *ſcivit*, &c. Excipitur דְּמוּת *ſimilitudo*, maſc. à radice דָּמָה *ſimilis fuit.*

Digitized by Google

APPENDIX.

Nomina quantum ad genus anomala.

I. Nomina ſequentia, licet terminatione maſculina, ſunt tamen genere feminina.

אגן	*crater.*	ברך	*genu.*	לחי	*maxilla.*	רחל	*ovis.*
אזרוע	*brachium.*	בת	*bathus.*	נגה	*ſplendor.*	שבע	*ſeptem.*
אח	*focus.*	גרן	*area.*	נעל	*calceus.*	שגל	*conjux.*
אם	*mater.*	גת	*torcular.*	סלת	*ſimila.*	שלו	*coturnix.*
אפעה	*vipera.*	דת	*lex.*	עב	*nubes.*	שלש	*tres.*
אצבע	} *digitus.*	חמש	*quinque.*	עיש	*arcturus.*	שמנה	*octo.*
אצבע		חרב	*gladius.*	ערש	*ſponda.*	שוק	*armus.*
ארבע	*quatuor.*	ימין	*dextera.*	עשר	*decem.*	שש	*ſex.*
אשור	*inceſſus.*	יתד	*paxillus.*	פילגש	*concubina.*	תבל	*orbis.*
אתון	*aſina.*	כד	*cadus.*	פת	*buccella.*	תשע	*novem.*
באר	*puteus.*	ככר	*talentum.*	צאן	*ovis.*	In סלת *ſimila,*	
בטן	*venter.*	כוס	*calix.*	צפון	*ſeptentrio.*	ת radicale eſt.	

II. Nomina ſequentia, licet terminatione maſculina, ſunt genere communia.

אני	*navis.*	זקן	*barba.*	מחנה	*caſtra.*	שמיר	*ſentis.*
ארון	*arca.*	חלון	*feneſtra.*	מצח	*frons.*	שן	*dens.*
אות	*ſignum.*	יציע	*ſubſtructio.*	סיר	*olla.*	תער	*novacula.*
גדר	*maceria.*	מזבח	*altare.*	רתם	*juniperus.*		

III. Nomina ſequentia, licet terminatione maſculina, ſunt tamen communia, ſed ſæpius maſculina.

איל	*cervus.*	חבל	*funis.*	מגן	*clypeus.*	קרן	*cornu.*
בגד	*veſtis.*	חמור	*aſinus.*	מקנה	*poſſeſſio.*	שבט	*ſceptrum.*
המון	*multitudo.*	לב	*cor.*	עם	*populus.*	שה	*pecus parva.*
זית	*oliva.*	לחם	*panis.*	ערב	*veſpera.*	In זית ת radicale eſt.	

IV. Nomina ſequentia, licet terminatione maſculina, ſunt tamen genere communia, ſed ſæpius feminina.

אבן	*lapis.*	זרוע	*brachium.*	עין	*oculus.*	רגל	*pes.*
ארח	*ſemita.*	חצר	*atrium.*	עיר	*civitas.*	רוח	*ventus.*
ארץ	*terra.*	יובל	*aries.*	עצם	*os, oſſis.*	רחב	*platea.*
אש	*ignis.*	יד	*manus.*	עת	*tempus.*	שאול	*ſepulchrum.*
גפן	*vitis.*	כנף	*ala.*	פעם	*ictus.*	שבת	*ſabbathum.*
דב	*urſus.*	לשון	*lingua.*	צפור	*avis.*	שמש	*ſol.*
דלת	*porta.*	מטה	*virga.*	צפון	*abſconditum.*	תהום	*abyſſus.*
דרך	*via.*	נפש	*anima.*	קשת	*arcus.*	In דלת, &c. ת radicale.	

Digitized by Google

V. Nomina ſequentia, licet terminatione feminina, ſunt tamen genere maſculina.

אַרְבָּעָה *quatuor.*	נַחְלָה *torrens.*	שִׁבְעָה *ſeptem.*	שְׁמֹנָה *octo.*
חֲמִשָּׁה *quinque.*	עֲשָׂרָה *decem.*	שְׁדֵמָה *ager.*	תִּשְׁעָה *novem.*
מִקְשָׁה *cucumeratium.*	פֶּחָה *dux.*	שְׁלֹשָׁה *tres,*	In מִקְשָׁה, מוֹרָה, צָבָה,
מוֹרָה *novacula.*	צָבָה *exercitus.*	שִׁשָּׁה *ſex.*	ה eſt loco א.

VI. Nomina ſequentia, licet terminatione feminina, ſunt tamen genere communia.

בַּיִת *domus*, מֵאָה *centum*, מִנְחָה *munus*, נְחֹשֶׁת *as*, שָׁנָה *annus.*

Nomina Epicœna.

In animalium & volucrum nominibus, uterque ſexus fere unico genere quod *epicœnum*, ſeu promiſcuum vocant, comprehenditur. Sic in terminatione maſculina: חֲזִיר *porcus*, tam mas quam femina. כֶּלֶב *canis*, mas & femina. נֶשֶׁר *aquila*, mas & femina, &c. In terminatione feminina: חֲסִידָה *ciconia*, mas & femina. יַעֲנָה *ulula*, mas & femina. Sic אַרְנֶבֶת *lepus*, דַּיָּה *milvus*, &c.

Ad ſexum diſtinguendum ſemel in Scripturis adduntur voces זָכָר *maſculus*, & נְקֵבָה *femina*; nempe Levit. cap. 4. v. 23. שְׂעִיר עִזִּים זָכָר *hircum caprarum maſculum.* Ibid. v. 28. שְׂעִירַת עִזִּים נְקֵבָה *capram caprarum feminam.*

Denique adjectivum כֹּל *omnis*, &c. eſt utriuſque generis & numeri.

ARTICULUS II.

De Nominum Hebræorum numeris.

NUMERUS eſt differentia vocis ſecundum unitatem & multitudinem. In Nominibus Hebraïcis triplex eſt; *Singularis*, *Dualis* & *Pluralis.*

Singularis numerus proprie numerus non eſt, ſed numeri initium; quemadmodum nec punctum linea; nec momentum, tempus eſt; ſed ejus initium.

Nomina ſingularia varias habent formas, ut ex articulo præcedente liquet, & infra melius adhuc patebit.

Dualis numerus tam in Maſculinis quam in femininis Nominibus, deſinit in ַיִם, formaturque à ſingulari cui adjicitur illa terminatio, ut: יוֹם *dies*, maſc. יוֹמַיִם *duo dies.* שָׁנָה *annus*, fem. שְׁנָתַיִם *duo anni.* De mutatione (·) תּשׂ ש in (·), & ה in ת, agemus infra, art. III. Duali autem numero utuntur Hebræi ad exprimendas 1°. res natura geminas, ut: יָדַיִם *dua manus*, à ſingulari יָד *manus.* 2°. arte geminatas, ſed rarius, ut; נַעֲלַיִם *duo calcei*, à ſing. נַעַל *calceus.*

Pluralis Numerus maſculini generis deſinit in ִים; feminini vero generis in וֹת; fitque à ſingulari cui terminationes illæ adjiciuntur, ut;

Digitized by Google

טוֹב *bonus*, plur. maſc. טוֹבִים *boni*. Plur. fem. טוֹבוֹת *bonæ*. Quæ igitur nomina non deſinunt in ־ַיִם, ־ִים, & ־וֹת, ea, ut plurimum, ſingularia cenſenda ſunt.

Præterea ſingularis numerus movetur etiam è maſculino in femininum genus, adjecta terminatione femin. ־ָה; idque tam in ſubſtantivis (quod tamen rarius accidit) quam in adjectivis nominibus.

In ſubſtantivis, ut: אִישׁ *vir*, אִשָּׁה *vira*. מֶלֶךְ *rex*, מַלְכָּה *regina*, &c.

In adjectivis, ut: גָּדוֹל *magnus*, גְּדוֹלָה *magna*. עִוֵּר *cæcus*. עִוְּרָה *cæca*, &c. De mutatione (ָ) & (ֵ) in (ְ) in his duobus exemplis, infra.

In hac porro mutatione ſingularis maſculini in femininum; & ejuſdem in dualem & pluralem numerum tam maſculinum quam femininum, quando ſing. maſc. deſinit in ־ֶה, tollitur illa terminatio, & ejus loco reponitur ־ָה pro formando ſing. feminino; ־ַיִם pro duali maſculino; ־ִים pro plurali maſculino, & ־וֹת pro plurali feminino, ut: יָפֶה *pulcher*, יָפָה *pulchra*, יָפַיִם *duo pulchri*, יָפִים *pulchri*, יָפוֹת *pulchræ*. Dualis numerus femin. eſt יָפָתַיִם *duæ pulchræ*. De cujus formatione, infra.

At cum ſingularis numerus maſc. deſinit in ־ִי, ad femininum exprimendum additur ־ָה vel ת altera terminatio feminina, ut: שֵׁנִי *ſecundus*, fem. שֵׁנִיָּה, vel שֵׁנִית *ſecunda*, שֵׁנִיִּם *ſecundi*, שֵׁנִיּוֹת *ſecundæ*. Sic מִצְרִי *Ægyptius*, מִצְרִיָּה vel מִצְרִית *Ægyptia*, &c.

APPENDIX I.

Singulari maſculino vel communi interdum accedit ה paragogicum præcedente (ְ) ſed cum accentu in penultima, in quo ſingularia illa differunt à femininis quæ accentum habent in ultima, ut: לַיִל, & cum ה paragogico, לַיְלָה maſc. *nox*. Sic: בַּיִת & בַּיְתָה *domus*, מָוֶת & מָוְתָה *mors*, &c.

Ex Nominibus Hebraïcis alia ſunt quæ ſingularem, alia quæ dualem, alia quæ pluralem tantum habent numerum.

Singularia tantum ſunt 1°. Nomina propria, ut: דָּוִד *David*, כֵּיפָא *Cephas*, רָחֵל *Rachel*, &c. 2°. Nomina metallorum, ut: זָהָב *aurum*, כֶּסֶף *argentum*, cujus tamen pluralis invenitur, ſed ſumitur pro nummis argenteis. בְּדִיל *ſtannum*, cujus pariter pluralem numerum reperire eſt, ſed ſignificat ſtanni ſcorias quibus improbi metaphorice deſignantur. בַּרְזֶל *ferrum*, עוֹפֶרֶת *plumbum*, נְחֹשֶׁת *æs*. 3°. Nomina liquorum, ut: יַיִן *vinum*, תִּירוֹשׁ *muſtum*, יִצְהָר *oleum*, שֵׁכָר *ſicera*, &c. 4°. plurima alia, ut: גָּפְרִית *ſulphur*, בֹּרִית *ſmegma*, יַלְדוּת *juventus*, גָּזֵל *rapina*, עֹשֶׁק *calumnia*, &c.

Dualem tantum numerum agnoſcunt hæc nomina quæ res natura geminas, aut arte geminatas, interdum etiam & alias ſignificant, ut: חָפְנַיִם *pugilli*, מָתְנַיִם *lumbi*, מֹאזְנַיִם *bilances*, מִכְנְסַיִם *femoralia*, כִּלְאַיִם *heterogenea*, כִּירַיִם *teſtu*, vas fictile; אָבְנַיִם *ſella parturientium*, & *ſella*, vel potius *rota figuli*, רֵחַיִם *duæ molæ*, שְׁפַתַּיִם *duæ ſtrues lapidum*, מִשְׁפְּתַיִם *duæ ſarcinæ*, צָהֳרַיִם *meridies*, מַיִם *aqua*, שָׁמַיִם *cæli*, &c.

Hic obſervandum eſt terminatione duali pluralem numerum quandoque deſignari, ut: Lev. 11. v. 23. *Quidquid autem ex volucribus habet* אַרְבַּע רַגְלַיִם *quatuor pedes*. 1. Reg. 2. v. 16..... *& habebat fuſcinulam* שְׁלֹשׁ הַשִּׁנַּיִם *trium dentium*. Ezech. 1. v. 6. וְאַרְבַּע כְּנָפַיִם *& quatuor alæ*. Zach. 3. v. 9. שִׁבְעָה עֵינָיִם *ſeptem oculi*. Et ſine adject. numerali, 2. Reg.

Google

12. v. 6. *ovem reſtituet* אַרְבַּעְתַּיִם *in quadruplum*, ſeu *quadruplicatam*, non bis quadruplicatam. Prov. 6. v. 31. .... *reddet* שִׁבְעָתַיִם *ſeptuplum*; non bis ſeptuplum, &c.

Plurali tantum gaudent numero hæc ſtatus & ætatis nomina. בתולים *virginitas*, זקנים *ſenectus*. נעורים *pueritia*, עלומים *adoleſcentia*. Sic: פָּנִים *facies*, חַיִּים *vita*, &c.

In plurali terminationis maſculinæ pro ִים cum hhiriq gadhól, ſæpe uſurpatur ִם cum hhiriq qatón; non raro enim ad euphoniam parva motio pro magna reponitur. תַּנִּנִם *dracones*, pro תַּנִּינִם. Sic תְּמִימִם *integri*, נְשִׂיאִם *principes*, צַדִּיקִם *juſti*, גּוֹיִם *gentes*, לְוִיִּם *levitæ*, נְתוּנִם *dati*.

In eodem plurali nonnunquam pro ִים adhibetur terminatio Chaldaica ִין, ut Job. 31. v. 10. אַחֲרִין pro אֲחֵרִים *alii*. Sic Ezech. 26. v. 18. אִיִּין *inſulæ*. Ibid. cap. 4. v. 9. חִטִּין *tritica*. Job. 24. v. 22. חַיִּין *vita*. Dan. 12. verſ. 13. יָמִין *dies*. Job. 12. v. 11. מִלִּין *ſermones*. Prov. 31. v. 3. מְלָכִין *Reges*. Mich. 3. v. 12. עִיִּין *acervi*. 3. Reg. 11. v. 13. רָצִין *curſores*. Ibidem, v. 33. צִידֹנִין *Sidonii*. Thren. 1. v. 4. שׁוֹמֵמִין *deſolatæ*, (portæ.) Cum Chaldaica dialecto uterentur qui poſt captivitatem Babylonicam ſacros codices exſcripſerunt, mirum non eſt eos in quibuſdam nominibus Chaldaïcas terminationes loco Hebraïcarum incogitantia uſurpaſſe.

Eadem ratione nomina quædam in hoc plurali numero formam Nominum Syrorum conſtruct. imitantur, hoc e. deſinunt in ֵי pro ִים, ut: גּוֹבַי *locuſtæ*, Nah. 3. v. 17. pro גּוֹבִים. Sic הֲרָרֵי *montes*, Zach. 14. v. 5. חַלּוֹנֵי *feneſtræ*, Jerem. 22. v. 14. חוֹרָי *alba opera*, vel ut Vulg. *ſubtilia*, Iſai. 19. v. 9. חֲשׂוּפַי *retecti*, ibid. cap. 20. v. 4. סוּרֵי *recedentes*, Jerem. 17. v. 13. שָׂדָי *agri*, Oſe. 10. v. 4. שָׂרַי *principes*, Jud. 5. v. 15.

Interdum etiam fit apocope τοῦ ם, ſic: חִצֵּי *ſagittæ*, 1. Reg. 20. v. 38. pro חִצִּים, ut legendum monent Maſſorethæ. Ita: עַמִּי *populi*, 2. Reg. 22. v. 4. Pſal. 144. Heb. 145. v. 2. Thren. 3. v. 14. חֹרָי *foramina*, ut quidam interpretantur, Gen. 40. v. 16. קַדְמֹנִי *antiqui*, 1. Reg. 24. v. 14. כָּרִי *primores*, 4. Reg. 11. v. 4. & 19. רֹעָי *paſtores*, Iſai. 38. v. 12. צִדֹנִי *Sidonii*, Ezech. 32. v. 30. רִמֹּנִי *malogranata*, Cant. 8. v. 2. פְּלִילִי *Judices*, Job. 31. v. 28. pro quo v. 11. legitur פְּלִילִים. Sic יָדַי *manus*, Ezech. 13. v. 18. pro dual. יָדַיִם. Denique in plurali numero forma maſculina, & forma feminina interdum concurrunt, ut: רַאֲשֹׁתַיִם unde מְרַאֲשֹׁתָי *à cervicibus*, 1. Reg. 26. v. 12. ex רָאשִׁים & רָאשׁוֹת. Sic, בָּמוֹתַיִם unde בָּמוֹתֵי cum ו olim vocali *o*, ſed nunc otioſo poſt adſcriptum (ָ) ſub ם, *excelſa*, Deut. 32. v. 13. Iſai. 14. v. 14. ex בָּמִים & בָּמוֹת. Niſi potius fingantur ſingularia רַאֲשׁוֹת & בָּמוֹת, unde plural. conſt. רַאֲשֹׁתֵי & בָּמוֹתֵי, mutato ad euphoniam in ultimo nomine (ֹ) in (ָ), ut à צִפּוֹר *avis*, fit in plur. צִפֳּרִים *aves*.

APPENDIX II.

Nomina in motione è ſingulari in pluralem numerum anomala.

I. Nomina ſequentia licet maſculina, in plurali numero ſumunt terminationem femininam.

אָב	*pater.*	חָזֶה	*pectus.*	מָטָר	*pluvia.*	קוֹל	*vox.*
אוֹב	*Pytho.*	חוּץ	*platea.*	מַעֲשֵׂר	*decima.*	קִיר	*paries.*
אוֹצָר	*theſaurus.*	חֲלוֹם	*ſomnium.*	מַקֵּל	*baculus.*	קְרָב	*conflictus.*
אַרְמוֹן	*palatium.*	חֶשְׁבּוֹן	*numerus.*	מָצָד	*arx.*	רַתּוֹק	*catena.*
אֶשְׁכּוֹל	*botrus.*	טֶפַח	*palmus.*	מָקוֹם	*locus.*	שֻׁלְחָן	*menſa.*
בֹּהֶן	*pollex.*	כֹּחַ	*virtus.*	נֹאד	*uter.*	שֵׁם	*nomen.*
בּוֹר	*fovea.*	כִּסֵּא	*ſolium.*	נֵר	*lucerna.*	שֶׁמֶשׁ	*ſol.*
גַּג	*tectum.*	לַיִל	*nox.*	עָפָר	*pulvis.*	שׁוֹפָר	*buccina.*
גּוֹרָל	*ſors.*	לוּחַ	*tabula.*	עוֹר	*pellis.*	שׁוּר	*murus.*
דָּרְבָן	*ſtimulus.*	מִזְבֵּחַ	*altare.*	עֵשֶׂב	*herba.*	שֵׁת	*nates.*
זָנָב	*cauda.*	מִזְלָג	*fuſcinula.*	צִיר	*cardo.*		
חִזָּיוֹן	*viſio.*	מָחוֹל	*chorus.*	צְרוֹר	*loculus.*		

Digitized by Google

II. Nomina ſequentia, licet feminina, in plurali numero habent terminationem maſculinam.

אלה	*quercus.*	זמורה	*palmes.*	לבנה	*later.*	רצפה	*pavimentum.*
אשה	*ſemina.*	זנות	*ſcortatio.*	מלה	*dictio.*	שבלת	*ſpica.*
בת	*bathus.*	חשכה	*tenebræ.*	נמלה	*formica.*	שבות	} *captivitas.*
ביצה	*ovum.*	חטה	*triticum.*	סאה	*ſatum.*	שבית	
בכרה	*dromas.*	יונה	*columba.*	פת	*buccella.*	שטה	*cedri ſpecies.*
דבלה	*carica.*	יענה	*ſtruthio.*	פשתה	*linum.*	שערה	*hordeum.*
דבורה	*apis.*	כד	*cadus.*	פילגש	} *concubina.*	תאנה	*ficus.*
דת	*lex.*	כסמת	*ſpelta.*	פלגש		תזנות	*ſcortatio.*

III. Nomina ſequentia maſculina, ſumunt in plurali numero utramque terminationem.

ארי	} *leo.*	כנור	*cithara.*	מסב	*accubitus.*	פה	*os, oris.*
אריה		לבב	*cor.*	מעגל	*orbita.*	פרץ	*ruptio.*
גב	*dorſum.*	מאור	*luminare.*	מעין	*fons.*	צבא	*exercitus.*
גדוד	*turma.*	מבצר	*munitio.*	מקצע	*angulus.*	צואר	*collum.*
דור	*generatio.*	מגדל	*turris.*	משכב	*cubile.*	קבר	*ſepulchrum.*
היכל	*palatium.*	מגרש	*ſuburbium.*	משכן	*tabernaculum.*	קנה	*canna.*
זבח	*ſacrificium.*	מוסר	*vinculum.*	נוה	*habitaculum.*	קרדם	*ſecuris.*
זכרון	*memoriale.*	מועד	*conventus.*	סביב	*circuitus.*	שדה	*ager.*
יום	*dies.*	מוקש	*laqueus.*	סף	*limen.*	שריון	*lorica.*
יער	*ſylva.*	מושב	*ſedes.*	עבות	*funis contortus.*	תענוג	*deliciæ.*
זיק	*ſcintilla.*	מזרק	*pelvis.*	עון	*iniquitas.*		
כיור	*urna.*	מכאוב	*dolor.*	עקב	*calcaneus.*		

IV. Nomina ſequentia feminina, in plurali numero ſumunt utramque terminationem.

אימה	*terror.*	חנית	*lancea.*	מכה	*plaga.*	פרסה	*ungula.*
אלמה	*manipulus.*	ככר	*talentum.*	ערמה	*acervus.*	קינה	*lamentum.*
אשרה	*lucus.*	כתף	*humerus.*	עב	*nubes.*	שנה	*annus.*
בכורה	*primogenitura.*	מדה	*menſura.*	פנה	*angulus.*	תהלה	*laus.*

V. Nomina ſequentia communis generis, ſumunt tantum terminationem maſculinam.

אבן	*lapis.*	דרך	*via.*	זכר	*aries.*	רתם	*juniperus.*
גפן	*vitis.*	דב	*urſus.*	צפר	*avis.*	שבט	*tribus, &c.*

VI. Nomina ſequentia communia, ſumunt tantum terminationem femininam.

אני	*navis.*	כנף	*ala.*	ערב	*veſpera.*	רחוב	*platea.*
אות	*ſignum.*	לשון	*lingua.*	קרן	*cornu.*	שבת	*ſabbathum.*
ארץ	*terra.*	נפש	*anima.*	קשת	*arcus.*	תהום	*abyſſus.*
יד	*manus.*	עין	*oculus.*	רוח	*ventus.*		

VII. Cætera nomina communia ſumunt utramque terminationem.

איל	*cervus.*	זרוע	*brachium.*	מגן	*clypeus.*	סיר	*olla.*
בגד	*veſtis.*	חלון	*feneſtra.*	מחנה	*caſtra.*	עצם	*os, oſſis.*
גדר	*maceria.*	חצר	*atrium.*	מטה	*virga.*	עת	*tempus, &c.*

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Mutatio punctorum ob motionem ſingularis numeri in dualem & pluralem, & maſculini in femininum genus.

IN motione ſingularis numeri in dualem & pluralem; & maſculini in femininum genus, puncta ſæpius mutantur. Sed antequam mutationem illam expendamus, quædam obſervanda ſunt.

I°. Puncta omnia non ſunt mutationi obnoxia; ſed vulgo tantum quatuor, nempe (ָ) (ֵ) (וֹ) & (ֵ) cum ſuis vicariis (ָ) & (ֳ). Vide appendicem. Imo puncta illa remanent cum ad compenſandum daghéſch ex gutturali aut ר ejectum uſurpantur, ut: חָרָשׁ *artifex*, plur. חָרָשִׁים *artifices.* חֵרֵשׁ *ſurdus*, plur. חֵרְשִׁים *ſurdi.* חוֹר *nobilis*, plur. חוֹרִים *nobiles.* גַּחַל *carbo*, plur. גֶּחָלִים *carbones*, &c.

II°. Puncta illa mutantur duntaxat in penultima & in ultima nominis ſyllaba, nulla habita ratione antepenultimæ, niſi forte ob ſchevá quod ſi ibi occurrat, ſequente immediate altero, mutatur communiter in (ִ), quandoque in (ַ), raro in (ֶ), ut: בְּרָכָה *benedictio*, dual. בִּרְכָתַיִם *duæ benedictiones*, ſeu *duplex benedictio.*

III°. Iſthæc punctorum mutatio fit maxime ob accentum tonicum qui in vocibus Hebraïcis à magna motione plus una ſyllaba diſtare non ſolet. Si ulterius removeatur, magna motio præcedens vel mutatur in (ְ) ſimplex ſub litera à gutturali diverſa; & in (ֲ) compoſitum ſub gutturali; vel accentu euphonico ſuſtentatur: ea eſt enim Hebræorum pronuntiandi ratio, ut ad tonum, ſeu ſyllabæ elevationem, quam fieri poteſt, citius perveniant. Accedente autem terminatione feminina ad maſculinum genus; & duali vel plurali ad ſingularem numerum, augetur numerus ſyllabarum, & accentus qui ſæpius eſt in ultima, removetur plus una ſyllaba à penultima in qua ſi fuerit magna motio, ea vulgo mutatur in (ְ); aucto enim ſyllabarum numero, minuitur ut plurimum quantitas motionum, ut: גָּדוֹל *magnus*, גְּדוֹלָה *magna*, גְּדוֹלִים *magni*, גְּדוֹלוֹת *magnæ.* חָלָץ *lumbus*, in duali חֲלָצַיִם *lumbi*, &c.

IV°. Puncta etiam mutantur interdum ad *euphoniam*, hoc eſt, ad prolationis ſuavitatem & elegantiam. Ea autem mutatio locum habet maxime in magnis motionibus quæ convertuntur in parvas ſibi reſpondentes, VEL ſimpliciter, ut: חָגוּר *accinctus*, fem. חֲגֻרָה cum (ֻ) pro (וּ) *accincta.* VEL cum daghéſch forti quod literæ ſequenti imprimitur, ut: גָּמָל

גמל גָּמָל *camelus*, plur. גמלים גְּמַלִּים pro *cameli*, &c. quæ ultima converſio fit per legem *æquivalentiæ*, parva enim motio cum daghéſch in litera ſequenti æquivalet magnæ; & viciſſim magna motio reſpondet parvæ cum eodem daghéſch literæ ſequenti impreſſo. Sæpius etiam ad euphoniam in lingua Hebraïca (.) (-) (ֶ) ſicuti *i*, *a* & *e* in aliis linguis, invicem permutantur.

V°. Páthahh furtivum de quo ſupra pag. 23. in motione ſingularis numeri in dualem & pluralem; & maſculini in femininum genus, plane excidit, uti & ( ) ſub ultima vocis litera expreſſum, ut: שׁוֹמֵעַ *audiens*; dual. שׁוֹמְעַיִם *audientes duo*, plur. שׁוֹמְעִים *audientes*. שָׂמֵחַ *lætus*, fem. שְׂמֵחָה *læta*. דֶּרֶךְ *via*, plur. דְּרָכִים *viæ*, &c. Excidit quoque punctum mappíq, ut: אֱלוֹהַּ *Deus*, plur. אֱלֹהִים *Dii*. גָּבֹהַּ *altus*, plur. גְּבֹהִים *alti*, &c.

VI°. Hæc generatim circa punctorum illorum mutationem obſervanda ſunt. (ֶ) (ֵ) & (ָ) cum altero è ſuis vicariis (-), mutantur communiter in (ְ) in penultima, quod etiam τῷ (ִ) interdum ibidem accidit. In ultima autem, (ָ) & (ִ) vulgo remanent, ſicuti & (ֵ) quod præcedit (ָ) in penultima. Cùm alia motio occurrit in hac penultima, (ֶ) ultimæ mutatur in (ְ). Quod pertinet ad (ֶ) ultimæ cum ſuis vicariis (-) & (ִ) mutatur in (ֵ) in plurali; in (.) in motione ſingularis numeri in dualem, & maſculini in femininum genus. Quæ omnia fuſius in ſequentibus paragraphis explicanda, exemplis illuſtranda, & exceptionibus confirmanda ſunt.

APPENDIX.

De (-) *&* (ִ) *vicariis* τῶ (ֶ).

PATHAHH vices gerit τῶ (ֶ) in nominibus quæ terminanda in (ֶ) habent pro ultima litera ה, ח, aut ע; tunc enim in ultima eorum ſyllaba reponitur (-) loco (ֶ) ut gutturalis litera facilius, & diſtinctius proferatur, ſic: גֹּבַהּ *altitudo*, פֶּתַח *oſtium*, נֶגַע *plaga*; pro גֹּבֶהּ, נֶגֶע, פֶּתֶח. Idem etiam contingit ſemper, cum penultima litera eſt ח aut ע, ut: רֹחַב pro רֹחֶב *latitudo*, פֹּעַל pro פֹּעֶל *opus*. Et interdum quando penultima illa litera eſt א aut ה, ut: תֹּאַר *forma*, רֹהַב *robur*, *excellentia*. Sic quando nomina in duplex (ֶ) terminanda ſunt, pro illo duplici (ֶ) habent duplex (-) cum eorum penultima litera eſt ה, ח, aut ע, ut: לַהַב pro לֶהֶב *flamma*, שַׁחַר pro שֶׁחֶר *aurora*, בַּעַל pro בֶּעֶל *Dominus*. Excipiuntur duo, nempe לֶחֶם *panis*, & רֶחֶם *vulva*. Argumentum autem páthahh ſive unicum, ſive geminum poſitum eſſe pro (ֶ), eſt accentus in penultima quam in exemplis allatis, ut vides, afficit; nomina enim quæ deſinunt in (-) genuinum, ſeu quod non eſt vicarium τῶ (ֶ), habent accentum in ultima, ut: פָּרַע *malignus*, אַחַת *una*, אַחַר *poſt*, *poſtea*, *poſteaquam*, &c.

Hhiríq gadhól ponitur etiam pro (ֶ) in nominibus diſſyllabis quorum penultima afficitur ſchevá ſimplici vel compoſito; & ultima deſinit in (ִי) purum, h. e. poſt quod nulla ſequitur litera, ut: פְּרִי *fructus*, חֲלִי *ornamentum*, עֱלִי *piſtillum*, חֳלִי *morbus*, &c.

Cum autem (-) & (ִי) ponuntur loco (ֶ), eodem modo mutantur ac ipſum (ֶ), Vide infra paragraph. 7. 8. 9.

§. I.

Mutatio (ָ) in penultima.

QAMÉTS penultimæ mutatur in (ְ) ſimplex ſub non gutturali; in ſchevá compoſitum, nempe (ֲ) ſub gutturali, ut: ישר יָשָׁר *rectus*, ישרה יְשָׁרָה *recta*, ישרים יְשָׁרִים *recti*, ישרות יְשָׁרוֹת *recta*. חכם חָכָם *ſapiens*, maſc. חכמה חֲכָמָה *ſapiens*, fem. חכמים חֲכָמִים *ſapientes*, maſc. חכמות חֲכָמוֹת *ſapientes*, fem. Sic in duali; דבר דָּבָר *verbum*, דברים דְּבָרִים *duo verba*. ירך יָרֵךְ *femur*, ירכים יְרֵכַיִם *duo femora*.

EXCIPIUNTUR

I°. Nomina quæ ibi (ָ) habent ad compenſandum daghéſch ex gutturali aut ר ejectum, magna enim motio quæ hujuſmodi daghéſch, & literæ quieſcenti compenſandis inſervit, vix mutatur, ut: חרש חָרָשׁ pro חַרָּשׁ *artifex*, plur. חרשים חָרָשִׁים *artifices*. Invenitur etiam חרשים חֲרָשִׁים, ſed eſt ex forma דבר דְּבַר. Sic עריץ עָרִיץ *latro*, plur. עריצים עָרִיצִים *latrones*. סריס סָרִיס *eunuchus*, plur. סריסים סָרִיסִים *eunuchi*. His adjunguntur שליש שָׁלִישׁ *tribunus*, plur. שלישים שָׁלִישִׁים *tribuni*, ſervato (ָ) ad differentiam שלישים שְׁלִישִׁים *tertii*. Et שבוע שָׁבוּעַ *ſeptimana*, plur. שבעות שָׁבֻעוֹת *ſeptimanæ*, ut diſcrepet à שבעות שְׁבֻעוֹת *juramenta*. (ֻ) eſt pro ו ut ſæpe fit; magnæ enim motiones non raro ad euphoniam mutantur in parvas. בגודה בָּגוֹדָה *prævaricatrix* retinet (ָ) præter morem, venit enim à בגוד בָּגוֹד formæ גדול גָּדוֹל. Accedente ה paragogico, remanet quoque (ָ) penult. quia plus æquo non diſtat accentus, ut: שפלה שָׁפָלָה *humilis*, &c.

II°. Diſſyllaba in ה ָ & in ה ֶ finita, ut: קמה קָמָה *ſeges*, plur. קמות קָמוֹת *ſegetes*. צרה צָרָה *anguſtia*, plur. צרות צָרוֹת *anguſtiæ*, &c. Verum in duali numero (ָ) mutatur in (ְ), ut: שנה שָׁנָה *annus*, dual. שנתים שְׁנָתַיִם *duo anni*, quia removetur accentus. אמה אָמָה *ancilla*, habet in plur. אמהות אֲמָהוֹת *ancillæ*, ubi (ָ) mutatur in ſcheva & quidem compoſitum ob gutturalem, quia remanet ה præter analogiam, ac proinde aucto ſyllabarum numero, accentus tonicus plus una ſyllaba diſtat à (ָ). בלה בָּלֶה *vetus*, maſc. בלה בָּלָה *vetus*, fem. בלים בָּלִים *veteres*, maſc. בלות בָּלוֹת *veteres*, fem. In duali retinetur etiam (ָ) penultimæ, ut: שדה שָׂדֶה *ager*, dual. שדים שָׂדַיִם *duo agri*. Quædam hujus formæ nomina mutant ה in ו (ex facili permutatione literarum אהוי, & (ֶ) in (ְ), quia augetur numerus ſyllabarum, ut: קצה קָצֶה *extremitas*, plur. קצוים קְצָוִים *extremitates*, ubi צ afficitur (ָ) quaſi à ſing. קצו קָצָו formæ שלו שָׁלֵו *tranquillus*.

III°. Diſſyllaba ex verbis duplicantibus orta, quibus præponitur מ heemanticum, ſeu ſervile, ut: מגן מָגֵן *clypeus*, plur. מגנים מָגִנִּים *clypei*, à rad. גנן גָּנַן *protexit*. מעוז מָעוֹז *fortitudo*, plur. מעוזים מָעוּזִים *fortitudines*, ab עזז עָזַז *robuſtus fuit*, &c.

IV°. Nomina formæ צדקה צְדָקָה *juſtitia*, h. e. quæ habent ſub prima rad. ſchevá ſive ſimplex ſive compoſitum; & quæ deſinunt in duplex (ָ) cum ה in fine, ut: צדקה צְדָקָה *juſtitia*, plur. צדקות צְדָקוֹת *juſtitiæ*. חרבה חֳרָבָה *vaſtitas*, cum (ֳ) ob gutturalem, plur. חרבות חֳרָבוֹת *vaſtitates*. At in duali, (ָ) penult. mutatur in (ְ) & prius ſchevá in (ִ) ob concurſum, ut: ברכה בְּרָכָה *benedictio*, dual. ברכתים בִּרְכָתַיִם *duæ benedictiones*.

V°. Triſyllaba finita in ה præcedente duplici (ָ), & quorum primæ radicali affectæ ſchevá præponitur מ ſervile notatum cum (ַ) (ֶ) vel (ֶ) ut: ממלכה מַמְלָכָה *regnum*, plur. ממלכות מַמְלָכוֹת *regna*. ממשלה מֶמְשָׁלָה *dominium*, plur. ממשלות מֶמְשָׁלוֹת *dominia*. מלחמה מִלְחָמָה *bellum*, plur. מלחמות מִלְחָמוֹת *bella*.

VI°. Triſyllaba in ה finita præcedente duplici (ָ), & quorum ſecunda radic. afficitur daghéſch forti, ut: בצרה בַּצָּרָה *cohibitio*, pl. בצרות בַּצָּרוֹת *cohibitiones*. Sic בקשה בַּקָּשָׁה *petitio*, בקרה בַּקָּרָה *inquiſitio*, חטאה חַטָּאָה *peccatum*, &c. Et cum (ָ) ſub prima rad. ad compenſandum dagh. ejectum, נאצה נָאָצָה *contumelia*, plur. נאצות נָאָצוֹת *contumeliæ*. Sic פרשה פָּרָשָׁה *expoſitio*, חרבה חָרָבָה *ſiccum*, *ſiccitas*. Et cum (ֶ) euphonico ſub prima radic. pro (ָ), בהלה בֶּהָלָה *perturbatio*, &c.

§. II.

Mutatio (ָ) *in ultima.*

QAMÉTS ultimæ vulgo remanet in nominibus maſculinis, ut : לָבָן *albus*, לְבָנָה *alba*. כּוֹכָב *ſtella*, dual. כּוֹכָבַיִם *duæ ſtellæ*, plur. כּוֹכָבִים *ſtellæ*. Remanet quoque in duali femininorum, ſed ה mutatur in ת, ut: שָׁנָה *annus*, dual. שְׁנָתַיִם *duo anni*. At in plur. numero (ָ) iſtud mutatur in (וֹ), & ה in ת; vel, ſi malueris, pro terminatione ſingulari femin. ה ָ ſubſtituitur וֹת, ut : צְדָקָה *juſtitia*, plur. צְדָקוֹת *juſtitiæ*, &c. Vide except. num. 2.

EXCIPIUNTUR

I°. Nomina quædam quæ (ָ) illud mutant in (ַ) cum daghéſch forti in litera ſequente, per legem æquivalentiæ de qua ſupra, pag. 56. ut : אוֹפָן *rota*, dual. אוֹפַנַּיִם *duæ rotæ*. Plur. אוֹפַנִּים *rotæ*, pro אוֹפָנִים, &c. Sic גָּמָל *camelus*, זְמָן *tempus*, נִכְבָּד *honoratus*, קָטָן *parvus*, שָׁפָן *mus-montanus*, שַׁאֲנָן *tranquillus*, &c. At מוֹרָג *tribula*, habet מוֹרִגִּים *tribulæ*, 2. Reg. 24. v. 22. cum (ִ) pro (ַ) quia duæ illæ motiones, ſicut & (ָ), ſæpius invicem euphoniæ gratia permutantur.

II°. Nomina terminationis femininæ ה ָ in quorum plurali numero (ָ) mutatur in (וֹ) & ה in ת, ut : חָכְמָה *ſapientia*, plur. חָכְמוֹת *ſapientiæ*, &c. At in duali remanet (ָ), & ſolum ה mutatur in ת, ut : מַלְכָּה *regina*, dual. מַלְכָּתַיִם *duæ reginæ*, יַרְכָה *latus*, יַרְכָתַיִם *duo latera*.

Quædam nomina feminina retinent etiam (ָ) iſtud in plurali numero, & mutant ה in ו, vel י, vel א, ob harumce literarum inter ſe affinitatem, & ת pro terminatione plurali feminina adſciſcunt, ut : קָצָה *extremitas*, plur. קְצָוֹת *extremitates*. קָשָׁה *dura*, plur. קָשׁוֹת *duræ*. מָנָה *pars*, plur. מָנוֹת, מְנָיוֹת & מְנָאוֹת *partes*. אָמָה *ancilla*, retinet ה, ut : אֲמָהוֹת *ancillæ*. Vide except. §. præced. num. 2.

III°. Monoſyllaba ex Verbis ſecundam radicalem duplicantibus orta, quæ (ָ) mutant in (ַ) ſequente daghéſch forti literæ excidentis compenſandæ gratia, ut : חָם *calidus*, ab חָמַם *incaluit*, plur. חַמִּים *calidi*, dual. חַמַּיִם *duo calidi*. Sic יָם *mare*, תָּם *perfectus*, &c.

Alia vero monoſyllaba ex aliis verbis derivata, ſervant (ָ), ut: דָּג *piſcis*, dual. דָּגַיִם *duo piſces*, plur. דָּגִים *piſces*. Sic דָּם *ſanguis*, זָר *alienus*, עָר *inimicus*, עָב *nubes*, צָר *hoſtis*, רָשׁ *pauper*, רָם *excelſus*, שָׂר *princeps*, &c. in quibus (ָ) remanet ad literam ו quieſcentem & occultam compenſandam ; veniunt enim à verbis in ſecunda rad. quieſcentibus דוּג *piſcari*, זוּר *alienum eſſe*, &c. אָח *frater*, habet in plurali אַחִים *fratres*, ad euphoniam pro אָחִים.

§. III.

Mutatio (ֵ) *in penultima.*

TSERÉ penultimæ mutatur in (ְ) ſimplex ſub non gutturali ; in ſchevá compoſitum ſub gutturali, ut : לֵבָב *cor*, plur. לְבָבִים, & ex terminatione feminina, לְבָבוֹת *corda*. In duali, לְבָבַיִם *duo corda*. עֵנָב *uva*, plur. עֲנָבִים *uvæ*. אֵסוּר *vinculum*, plur. אֲסוּרִים *vincula*. אֵמוּן *fidelis*, plur. אֱמוּנִים *fideles*, &c. סֵפֶר *liber*, סְפָרִים *libri*, &c. cur (ֶ) in ultimo exemplo mutetur in (ָ), videbimus in §. 8.

EXCIPIUNTUR

I°. Diſſyllaba finita in ה & ה quæ in plurali numero (-) penultimæ retinent, quia non augetur ſyllabarum numerus, ut: שֵׁנָה *ſomnus*, plur. שֵׁנוֹת *ſomni.* עֵצָה *conſilium.* plur. עֵצוֹת *conſilia*, &c. גֵּאֶה *ſuperbus*, plur. גֵּאִים *ſuperbi.* Sic in triſyllabis femininis, ut; תּוֹעֵבָה *abominatio*, plur. תּוֹעֵבוֹת *abominationes*, &c.

II°. Nomina in quibus ante illud (-) penultimæ præcedit (·) ſive ſimplex, ſive compoſitum; aut poſt illud (-) ſequitur litera otioſa expreſſa vel ſubintellecta, ut: תְּאֵנָה *ficus*, plur. in forma maſc. תְּאֵנִים *fici.* אֲפֵלָה *caligo*, plur. אֲפֵלוֹת *caligines.* אֵיתָן *fortis*, plur. אֵיתָנִים *fortes.* אֵלוֹן pro אֵילוֹן *planicies*, plur. אֵלוֹנִים, *planicies*, &c.

III°. Nomina in quibus (-) iſtud penultimæ daghéſch ejectum compenſat, ut: חֵרֵשׁ pro חֵרֵּשׁ *ſurdus*, plur. חֵרְשִׁים *ſurdi*, &c. magnæ enim motiones quæ ad compenſandum daghéſch deperditum, aut literam quieſcentem adhibentur, vix mutationi ſunt obnoxiæ, ut monuimus, ſupra pag. 56.

§. IV.

Mutatio (-) in ultima.

TSERE' ultimæ, modo non præcedat (·) in penultima, mutatur quoque in (·) ſimplex ſub non gutturali; compoſitum ſub gutturali, ut: עִוֵּר *cæcus*, dual. עִוְּרַיִם *duo cæci*, plur. עִוְרִים *cæci.* מוֹעֵד *ſolemnitas*, plur. מוֹעֲדִים *ſolemnitates*, &c. At quando præcedit (·) in penultima, (-) ultimæ remanet. Vide except. num. 1.

EXCIPIUNTUR

I°. Nomina quæ habent (·) in penultima, ea enim (-) ultimæ retinent, ut: זָקֵן *ſenex*, dual. זְקֵנַיִם *duo ſenes*, plur. זְקֵנִים *ſenes.* Sic אָבֵל *lugens*, חָצֵר *atrium*, יָבֵשׁ *aridus*, קָרֵב *propinquus*, קָדֵשׁ *cinædus*, *ſcortator*, femin. קְדֵשָׁה *meretrix*, &c.

II°. Quæ habent (·) in penultima, ut: בְּאֵר *puteus*, plur. בְּאֵרוֹת *putei.* Et à ſingulari inuſitato בְּאֵרָה, plur. בֶּאֱרֹת, Gen. 14. v. 10. idem. Vel (-) mutatur ibi in (·) ob ſtatum regiminis de quo infra. Sic זְאֵב *lupus*, פְּאֵר *ornamentum*, מַקְהֵל *congregatio*, אַבְנֵט *baltens*, פַּרְדֵּס *paradiſus*, סַנְוֵר *cæcitas*, &c.

III°. Nomina quædam quæ præter artis regulas, & ſolius euphoniæ gratia, (-) illud retinent, ut: שׁוֹמֵם *deſolatus*, fem. שׁוֹמֵמָה *deſolata*, plur. maſc. שׁוֹמֵמִים *deſolati.* Sic מוֹסֵר *vinculum*, שִׁלֵּשׁ *abnepos*, רִבֵּעַ *quartanus*, ſeu quartæ generationis filius, מִתְנַכֵּר unde in fem. מִתְנַכֵּרָה *alienam ſe gerens.*

IV°. Monoſyllaba ex aliis verbis quam ex duplicantibus ſecundam radicalem derivata, ut: אֵל *Deus*, *fortis*, plur. אֵלִים *Dii*, *fortes.* Sic גֵּר *peregrinus*, זֵר *ſuperbus*, עֵד *teſtis*, עֵץ *arbor*, כֵּן *rectus*, *probus*, &c. quæ (-) retinent ad literam quieſcentem & excidentem compenſandam, nam אֵל v. g. eſt pro אֵיל cum (י) quod exprimitur in plur. conſtructo Ezech. 17. v. 13. אֵילֵי הָאָרֶץ *Dii terræ.* At בֵּן *filius*, facit anomalus בָּנִים *filii*, quaſi à ſing. בָּנֶה.

Verum cum monoſyllaba iſta nata ſunt ex verbis duplicantibus ſecundam radicalem, mutant (-) in hhiriq qatón ſequente daghéſch forti ad literam excidentem compenſandam, ut: חֵץ *ſagitta*, ab חָצַץ *diſcidit*, duale חִצַּיִם *duæ ſagittæ*, plur. חִצִּים *ſagittæ.* Sic לֵב *cor*, קֵן *nidus*, שֵׁן *dens*. &c. Quam formam imitantur diſſyllaba ex iiſdem verbis prognata, ut: מָגֵן *clypeus*, plur. מָגִנִּים *clypei*, ubi ſervatur (-) penult. Vide ſupra §. 1. except. 3. pag. 58.

Digitized by Google

§. V.

Mutatio (וֹ) *in penultima.*

HHÓLEM penultimæ non mutatur, niſi ſequatur in ultima (ֶ), aut (ַ) pro (ֶ) cum litera ſonante in fine; tunc enim in plurali numero mutatur in (ֳ) etiam ſub litera non gutturali, ut: קֹדֶשׁ *ſanctitas*, plur. קֳדָשִׁים *ſanctitates.* אֹרַח *ſemita*, plur. אֳרָחוֹת *ſemitæ*, &c.

In duali autem numero, hhólem iſtud mutatur in (ָ hhatoúph), ut: אֹזֶן *auris*, dual. אָזְנַיִם oznáiim *duæ aures.* אֹהֶל *tabernaculum*, dual. אָהֳלַיִם óholáiim *duo tabernacula*, &c.

EXCIPIUNTUR

Nomina quædam in quorum plurali numero hhólem iſtud penultimæ mutatur in (ֻ), ut: קֹמֶץ *pugillus*, plur. קֻמָּצִים *pugilli.* פֹּעַל *opus*, plur. פְּעָלִים *opera.* Sic רֹתֶם *juniperus*, רֹמַח *lancea*, &c. Niſi pluralia illa ſint à ſingularibus inuſitatis, רֻתָּם, פֻּעַל, קֻמֶּץ, רֻמַּח, &c. Aut קֹמֶץ, פֹּעַל, רֹתֶם, רֹמַח, &c.

Hhólem iſtud videtur etiam mutari in (ֻ) ut: קֹדֶשׁ *ſanctitas*, plur. קֻדָּשִׁים *ſanctitates*, niſi ſit à ſing. inuſit. קֻדֶּשׁ unde plur. קֻדָּשִׁים, & cum (ֻ) pro (ֳ) & daghéſch per legem *æquivalentiæ* קֳדָשִׁים. Ita שֹׁרֶשׁ *radix*, plur. שָׁרָשִׁים *radices*, ſervato (ָ) ad compenſandum daghéſch ejectum, pro שָׁרְשִׁים à ſing. inuſit. שַׁרֶשׁ.

Quædam nomina hhólem iſtud modo retinent, modo mutant in (ֳ), ut: אֹהֶל *tabernaculum*, plur. אֹהָלִים & אֳהָלִים *tabernacula.*

Quando ultima dictionis litera eſt ה præcedente ſeghól, hhólem penult. remanet, ut: בּוֹנֶה *ædificans*, plur. בּוֹנִים *ædificantes.*

§. VI.

Mutatio (וֹ) *in ultima.*

HHÓLEM ultimæ vulgo remanet, ut: קָדוֹשׁ *ſanctus*, plur. קְדוֹשִׁים *ſancti.* יָתוֹם *pupillus*, dual. יְתוֹמַיִם *duo pupilli*, plur. יְתוֹמִים *pupilli.* גָּדוֹל *magnus*, גְּדוֹלָה *magna*, &c.

EXCIPIUNTUR

I°. Nomina quædam quæ (וֹ) iſtud mutant in (ֻ), ſequente daghéſch forti; idque ſolius euphoniæ gratia, & per legem *æquivalentiæ*, ut: אָדוֹם *rufus*, plur. אֲדֻמִּים *rufi.* Sic: חַרְטֹם *magus*, נָקוֹד *punctatum*, עֵירוֹם *nudus*, קַרְדֹּם *ſecuris*, עָקוֹד *cruribus varium*, עָמוֹק *profundum*, &c. Mirum non eſt hhólem in horumce nominum plurali mutari in (ֻ) loco (ָ hhatoúph) ſequente dagh. forti, nam in linguis omnibus *o* & *u* ſæpius invicem permutantur. Niſi dixeris pluralia illa eſſe à ſingularibus inuſitatis אָדֻם, חַרְטֻם, נָקֻד, &c.

Interdum etiam hhólem iſtud ad euphoniam convertitur in (ֳ), ut: צִפֹּר *avis*, plur. צִפֳּרִים, & צִפֹּרִים *aves.* שִׁבֹּל ſing. inuſit. *ſpica*, unde plur. שִׁבֳּלִים *ſpicæ.* Videtur etiam mutari in (ָ), ut: אֱנוֹשׁ *homo*, plur. אֲנָשִׁים *homines*, ſed venit potius à ſing. inuſitato אֱנָשׁ. Rariſſime convertitur in (ְ), ut: אַרְמוֹן *palatium*, plur. אַרְמְנוֹת *palatia*, niſi ſit à ſing. inuſitato אַרְמָנָה, formæ אַלְמָנָה *vidua*; in reg. plur. אַלְמְנוֹת, ſic אַרְמְנוֹת; vox enim

illa ſpectari poteſt in forma conſtructa in omnibus Scripturæ locis ubi occurrit. Vide concordantias. אֶשְׁכּוֹל *botrus*, plur. אֶשְׁכְּלוֹת, & cum (-) pro (ּ) אַשְׁכְּלוֹת *botri.*

IIº. Monoſyllaba ex verbis ſecundam radicalem geminantibus nata quæ ו iſtud mutant in (ֻ) ſequente daghéſch forti ad literam excidentem compenſandam, ut: חֹק *decretum*, à rad. חָקַק *decrevit*, plur. חֻקִּים *decreta.* Sic תֹּם *perfectio*, plur. תֻּמִּים *perfectiones.* Cum ſecunda & tertia rad. gutturalis eſt aut ר, remanet hhólem ad compenſandum daghéſch ejectum, ut: חֹר *foramen*, plur. חֹרִים *foramina.*

Hanc formam ſequuntur diſſyllaba ex iiſdem verbis derivata, ut: מָעוֹז *robur*, ab עָזַז *roboratus eſt*, plur. מָעֻזִּים *robora*, *fortitudines.*

Alia monoſyllaba ex aliis verbis orta retinent hhólem, ut: טוֹב *bonus*, plur. טוֹבִים *boni.* Sic אוֹר *lux*, גּוֹי *gens*, דּוֹד *dilectus*, עוֹר *pellis*, קוֹל *vox*, &c. Excipiuntur tamen יוֹם *dies*, plur. יָמִים, quaſi à יָם; & רֹאשׁ *caput*, plur. רָאשִׁים *capita*, quaſi à רָאשׁ; שׁוֹר *bos*, שְׁוָרִים *boves*, cum ו ſonante, quaſi à ſing. שָׁוֶר; חוֹחַ *ſpina*, plur. חוֹחִים & חֲוָחִים *ſpinæ*, quaſi à ſing. חָוָח. Contractum eſt תֹּמִים pro תְּאוֹמִים *gemelli*, Gen. 25. v. 24.

§. VII.

Mutatio (ֶ) & (ַ) vicarii (ֶ) in penultima.

SEGHÓL, & Páthahh poſitum pro ſeghól in penultima, mutantur in (ְ) ſub litera non gutturali; in (ֲ) ſub gutturali, ut: בֶּגֶד *veſtis*, plur. בְּגָדִים *veſtes.* (ֶ ultimæ mutari in (ָ) videbimus in §. ſeq.) הֶבֶל *vanitas*, plur. הֲבָלִים *vanitates.* בַּעַל *Dominus* (cum duplici (ַ) pro duplici (ֶ)) plur. בְּעָלִים *Domini*, &c.

In duali numero duo (ֶ) mutantur in duo (ְ), quorum prius ob concurſum tranſit in hhiríq qatón, vel in (ַ), maxime ſi prima aut ſecunda radicalis daghéſch recipiendi ſit incapax, aut ultima litera ת, ut: בֶּגֶד *veſtis*, dual. בִּגְדַיִם *duæ veſtes.* רֶגֶל *pes*, dual. רַגְלַיִם *duo pedes.* קֶשֶׁת *arcus*, dual. קַשְׁתַּיִם *duo arcus.* נַעַל *calceus*, נַעֲלַיִם *duo calcei.* Eodem modo puncta mutantur, cum ſingularis numerus è maſculino in femininum genus movetur, ut: מֶלֶךְ *rex*, מַלְכָּה *regina.*

EXCIPIUNTUR

Iº. Nomina in quibus poſt illud (ֶ) penultimæ ſequitur (ְ), tunc enim remanet (ֶ), ut: אֶצְבַּע *digitus*, plur. אֶצְבָּעוֹת *digiti.* אֶפְרֹחַ *pullus avium*, plur. אֶפְרֹחִים *pulli*, &c.

IIº. Quæ habent (ֶ) in penultima ad euphoniam loco (ַ) & daghéſch in litera ſequente, ut: גֶּחָל pro גַּחָל, eſt enim formæ גַּנָּב, & ejecto dagh. ex ח, eoque compenſato per (ָ) גָּחָל, & mutato (ָ) penultimæ in (ֶ) euphonicum ob aliud (ָ) ſequens ſub gutturali, גֶּחָל, unde plur. גֶּחָלִים *carbones.* Sic in triſyllabis, בֶּהָרוֹת *papulæ albæ*, à ſing. inuſit. בֶּהָרָה pro בַּהָרָה quod & ipſum eſt pro בַּהֶרֶת.

Nomen פִּלֶגֶשׁ *concubina*, anomalum eſt in plurali פִּלַגְשִׁים pro פִּלְגָשִׁים *concubinæ.*

IIIº. Quæ deſinunt in ת ſervile præcedente duplici (ֶ), aut duplici (ַ) pro (ֶ); illa enim mutant prius (ֶ) aut (ַ) in (ְ); & poſterius (ֶ) aut (ַ) in (וֹ), ſervato ת pro formanda terminatione feminina, ut: עֲטֶרֶת *corona*, plur. עֲטָרוֹת *coronæ.* לֶהָבָה *flamma*, plur. לְהָבוֹת *flammæ*, mutato inſuper (ֶ) ל in (ְ) ad euphoniam ob ſequentem gut-

turalem ( ) affectam: vel eſt à ſing. inuſit. לחכה, vide num. præced. אדמדמת *ſubrubida*, in plur. habet אדמדמות *ſubrubidæ*, cum (-) ſub poſteriori ד, & daghéſch in literam ſeq. injecto, pro ( ), per legem *æquivalentiæ*. Sic ירקרקות *ſubvirides*, quaſi à ſing. ירקרקת.

Eadem fit mutatio duplicis (-) pro duplici ( ) poſiti, ut: תוכחת *redargutio*, plur. תוכחות *redargutiones*. Sic אמתחת *ſaccus*, plur. אמתחות *ſacci*. טבעת *annulus*, טבעות *annuli*, &c. Interdum tamen aſſumitur novum ת pro formando iſto plur. numero, ut à שקת *canalis*, fit שקתות, & in conſtructo anomalo שקתות pro שקתות, Gen. 30. verſ. 38. nempe cum ſchevá páthahh ſub non gutturali, pro ſchevá ſimplici. At quando ת radicale eſt, ſervatur analogia, ut: קשת *arcus*, plur. קשתות *arcus, arcuum*.

§. VIII.

Mutatio ( ) *&* (-) *ejus vicarii in ultima.*

SEGHÓL ultimæ cum vicario ſuo (-), in pluralibus nominibus quæ deſinunt in literam ſonantem vel א, mutatur in ( ), ut: מלך *rex*, plur. מלכים *reges*. נגע cum (-) pro ( ) *plaga*, plur. נגעים *plagæ*, &c. Hîc literæ ſonantis munere fungitur א, ut: גבא *lacuna*, plur. גבאים *lacunæ*. Sic כלא *carcer*, פלא *miraculum*, &c. At cum nomen deſinit in ה, litera illa tollitur cum ( ) præcedente; & in ejus locum ſubſtituitur terminatio pluralium maſculinorum ים, ut: מקנה *poſſeſſio*, plur. מקנים *poſſeſſiones*.

In duali autem numero ( ) iſtud vel (-) ultimæ in literam ſonantem aut א deſinentis, mutatur in ( ) ſimplex aut compoſitum ratione literæ cui ſubjicitur. Vide exempla in paragr. præced. Si vero poſt ( ) ſequatur litera ה, ea cum ( ) præcedente exſulat, & ejus loco reponitur dualium terminatio ים, ut: מחנה *caſtra*, dual. מחנים *duo caſtra*.

§. IX.

Mutatio (י) *vicarii τῶ* ( ).

HHIRÍQ gadhól vices gerit τῶ ( ) in fine nominum diſſyllaborum quæ habent in penultima ( ) ſive ſimplex ſive compoſitum. Vide ſupra pag. 57. in append. col. 2. Quapropter hhiríq iſtud eodem modo mutatur ac ( ), h. e. in ( ) in plurali numero, remanente (י) quod movetur per hhiríq gadhól terminationis ים. ut: גדי *hædus*, plur. גדיים *hædi*. עדי *ornamentum*, plur. עדיים *ornamenta*. חלי *morbus*, plur. חליים *morbi*, &c. Quædam ex vicaria literarum אהוי permutatione, mutant (י) in א, ut: חלי *ornamentum*, plur. חלאים pro חליים *ornamenta*. Hæc imitatur לביא *leo*, plur. לבאים *leones*. Quædam utramque formam habent, ut: פתי *ſimplex, fatuus*, plur. פתים cum unico (י)

Digitized by Google

pro פְּתָיִים, & פְּתָאִים *ſimplices.* Sic צְבִי *caprea*, plur. צְבָיִם pro צְבָיִים, & צְבָאִים, & fem. צְבָאוֹת *capreæ.*

In duali numero Hhiríq iſtud vicarium תש (ִ) mutatur ut (ִ) ibid. h. e. in (ִ), & ſchevá penultimæ, ſi fuerit ſimplex, mutatur vulgo in hhiríq qatón, ut: גְּדִי *hædus*, dual. גִּדְיַיִם *duo hædi*, &c. Si fuerit compoſitum, reſolvitur in parvam motionem ex qua componitur, ut: עֲדִי *ornamentum*, עֶדְיַיִם *duo ornamenta.* חֳלִי *morbus*, חָלְיַיִם hholiáiim *duplex morbus.* Quæ dualia ſecundum analogiam ſunt formata.

§. X.

Mutatio (ִי) *non vicarii* תש (ִ).

NOMINA quæ deſinunt in (ִי) quod vices non gerit תש (ִ), id eſt, quæ ſunt monoſyllaba, aut quorum penultima non afficitur (ְ) ſimplici vel compoſito, formant pluralem numerum adſcita terminatione integra ִים, & impreſſo daghéſch forti תש (י) ſingularis numeri, quod (י) ex muto factum mobile per ִים, in cauſa eſt cur hhiríq magnum mutetur in parvum ſequente dagh. forti; nam poſt motiones parvas ſequitur ſemper vel dagh. hujuſmodi, vel accentus, vel ſchevá quieſcens, ut diximus ſupra, pag. 37. col. 1. אִי *inſula*, plur. אִיִּים *inſulæ.* עִי *acervus*, plur. עִיִּים *acervi.* נָקִי *innocens*, plur. נְקִיִּים, & cum unico (י) נְקִיִם *innocentes.* Sic לְוִיִּם *levita*, שֵׁנִים *ſecundi*, שְׁלִישִׁיִּים *tertii*, &c. Quædam ſumunt ſimpliciter ם, ut: חָפְשִׁי hhophſchí *liber*, plur. חָפְשִׁים hhophſchím *liberi*, &c. Sic יְהוּדִי *Judæus*, מִצְרִי *Ægyptius*, צָרְפָתִי tſórphatí *Gallus*, נָכְרִי nochrí *alienus*, &c. ſed eſt contractio pro חָפְשִׁיִּים aut חָפְשִׁיִם; nam נָכְרִי de quo mox, habet in fem. נָכְרִיָּה nochriiiá *aliena.*

Dualis numerus, ſi eſſet in uſu, facile ſecundum hanc analogiam formaretur, ſic: אִיַּיִם *duæ inſulæ*, עִיַּיִם *duo acervi*, &c.

§. XI.

Mutatio punctorum quorumdam vocalium quæ vulgo non ſunt mutationi obnoxia.

PUNCTA vocalia *ſchouréq*, *hhiríq gadhól*, *hhiríq qatón*, *páthahh* quod non eſt pro ſeghól, & *ſeghól* ipſum penultimæ, ſequente ſchevá, quamvis communiter ſint immutabilia; interdum tamen mutantur ad euphoniam. Ac 1°. quidem magnæ motiones *ſchouréq* & *hhiríq gadhól* ultimæ nonnunquam convertuntur ad euphoniam in parvas ſibi

Digitized by Google

ſibi reſpondentes, cum daghéſch forti quod ſequenti literæ imprimitur. 2°. *Hhiríq qatón*, *páthahh* & *ſeghól* penultimæ quandoque tranſeunt in *ſchevá* quod & ipſum ibidem mutatur in *qaméts*, &c. Verum cum iſthæc mutatio ab uſu communi recedat, nec incipientibus ſit plane neceſſaria; eam duntaxat in ſequenti appendice duximus proponendam.

APPENDIX.

Mutatio (ו) & (ֵ) *in ultima ſyllaba.*

Schouréq ultimæ mutatur interdum in (ֻ) ſequente daghéſch forti, per legem *æquivalentiæ*, ut: חָרוּל *urtica*, plur. חֲרֻלִּים *urticæ*. Sic: בָּרוּד *grandine tactus*, נָקוּד *punctatus*, *punctis reſperſus*, עָקוּד *varius*, *maculoſus*, אָמוּץ unde אֲמֻצִּים *fortes*, &c.

Quandoque (ו) ut (ו) conſonat, ut: שׁוּק *platea*, plur. שְׁוָקִים *plateæ*, quaſi à ſing. inuſit. שָׁוָק. Sic: דּוּד *caniſtrum*, plur. דּוּדִים, & דְּוָדִים quaſi à דָּוָד. At שִׁקּוּי *potio*, habet in plur. שִׁקּוּיִים, & mutato ſchouréq in qibbúts, & (ו) conſonante, שִׁקֻּוִים *potiones*.

Quando poſt (ו) ſequitur ת ſervile, ſeu *heemanticum*, vide ſup. pag. 50. ו ut (ו) mutatur in (ּ) cum daghéſch notatum, & punctum quod proprie ſchouréq conſtituit, convertitur in (ֻ), ut: מַלְכוּת *regnum*, à מָלַךְ *regnavit*, plur. מַלְכֻיּוֹת *regna*. חָנוּת *cellula*, *manſiuncula*, ab חָנָה *manſit*, plur. חֲנֻיּוֹת *manſiunculæ*. Interdum tamen remanet (ו), ut: זְנוּת *ſcortatio*, plural. ex terminatione maſc. זְנוּתִים *ſcortationes*. Sic ex eadem terminatione, אַלְמָנוּת *viduitas*, plur. אַלְמְנוּתִים *viduitates*.

Per eamdem æquivalentiæ legem (ֵ) mutatur interdum in hhiriq qatón ſequente daghéſch forti, ut: סִיג *ſcoria*, plur. סִגִּים pro סִיגִים *ſcoriæ*.

Mutatio (ַ) *in penultima & in ultima ſyllaba.*

Pathahh penultimæ, ſequente (י) cum hhiríq qatón notato, & litera ſonante in fine; mutatur cum hhiríq in (ָ) remanente (י) otioſo, ut: זַיִת *oliva*, plur. זֵיתִים *olivæ*. עַיִן *oculus*, dual. עֵינַיִם *oculi*. לַיִל *nox*, plur. ex terminatione femin. לֵילוֹת *noctes*.

Excipiuntur חַיִל *exercitus*, plur. חֲיָלִים *exercitus*. תַּיִשׁ *hircus*, plur. תְּיָשִׁים *hirci*. עַיִר *pullus*, plur. עֲיָרִים *pulli*. Verum ſunt à ſingularibus inuſitatis חָיָל, תָּיָשׁ, עָיָר. Nomen עִיר *civitas* ſemel etiam habet in plur. עֲיָרִים *civitates*, Jud. 10. v. 4. Alibi eſt עָרִים à ſing. inuſit. in hoc ſenſu עָר. Denique בַּיִת *domus*, facit in plurali anomalo בָּתִּים battím *domus*, cum (ָ) magno quamvis ſequatur daghéſch forte, nec intercedat accentus. Vide ſupra pag. 39.

Pathahh ultimæ quod non eſt pro (ָ), vulgo ibi remanet, ſed ſequente daghéſch forti quod venit ſemper poſt motiones parvas quas non ſequitur ſchevá quieſcens, aut accentus, vide ſupra pag. 29. col. 2. ut: הֲדַס *myrtus*, plur. הֲדַסִּים *myrti*. Sic אֶתְנַן *merces meretricia*, מִשְׁבַּת *ceſſatio*, מִשְׁמַן *pinguedo*, &c. Rariſſime (ַ) iſtud mutatur in (ִ), ut: גַּרְגַּר *granum*, plur. גַּרְגְּרִים *grana*.

Monoſyllaba ex verbis ſecundam radicalem geminantibus orta, retinent illud (ַ), ſed ſequente daghéſch forti ad literam excidentem compenſandam, ut: דַּל *tenuis*, à rad. דָּלַל, plur. דַּלִּים *tenues*. Sic גַּן *hortus*, עַם *populus*, רַב *multus*, &c. Cum daghéſch iſtud recipi non poteſt in litera ſequente quatenus gutturali aut ר, páthahh iſtud mutatur in (ָ), vide ſupra pag. 29. col. 1. ut: הַר *mons*, plur. הָרִים pro הַרִּים *montes*. Sic פַּר *juvencus*, &c. Quandoque tamen daghéſch iſtud excidit abſque compenſatione, ut: לַח *virens*, plur. לַחִים pro לַחִּים *virentes*.

Digitized by Google

Interdum etiam uſurpatur hhiriq qatón loco hujuſce páthahh, quia duæ illæ motiones ſæpius invicem permutantur, vide ſupra pag. 57. ut: סַף *poſtis*, plur. סִפִּים pro סַפִּים *poſtes.* Sic מַס *tributum*, צַד *latus*, פַּת *fruſtum*, &c. Quibus adde מֵסַב *circuitus*, à סָבַב *circuivit*, plur. מְסִבִּים *circuitus*, ubi inſuper (-) penult. mutatur in (·). Vide ſupra p. 59.

Mutatio (.), (-), (-) *in penultima.*

Nomina feminina diſſyllaba deſinentia in ־ָה, quibus nulla præmittitur litera ſervilis, ſeu *heemantica* de qua ſupra pag. 49. col. 2. & quorum penultima afficitur vel (.), vel (-), vel (-) cum (·) in eadem penultima, mutant in plurali numero (.), (-), (-) in (·); & (·) ſequens in (-), ut: שִׂמְחָה *lætitia*, à שָׂמַח *lætatus eſt*, plur. שְׂמָחוֹת *lætitiæ.* מַלְכָּה *regina*, à מָלַךְ *regnavit*, plur. מְלָכוֹת *reginæ* נַחֲלָה *poſſeſſio*, cum (-) loco (·) ſimplicis ſub gutturali, plur. נְחָלוֹת *poſſeſſiones.* חֶלְקָה *pars*, ab חָלַק *partitus eſt*, plur. חֲלָקוֹת *partes.* At in duali numero nulla fit mutatio in horumce nominum penultima, ut: שִׂמְחָה *lætitia*, dual. שִׂמְחָתַיִם *duplex lætitia.* מַלְכָּה *regina*, מַלְכָּתַיִם *duæ reginæ.* חֶלְקָה *pars*, חֶלְקָתַיִם *duæ partes.*

Cum vero prima radicalis alia motione afficitur quam (.), (-), (-), nulla pariter fit mutatio in hac penultima, in duali & plurali numero, ut: חָכְמָה hhochmá *ſapientia*, plur. חָכְמוֹת hhochmóth *ſapientiæ.* Ibi quoque prædicta puncta remanent quando literæ ſervili, ſeu heemanticæ ſubjiciuntur, ut: מִרְמָה *dolus*, à רָמָה in quinta conjugatione *decepit*, plur. מִרְמוֹת *doli.* מַרְאָה *viſio*, à רָאָה *vidit*, plur. מַרְאוֹת *viſiones.* מִצְוָה *præceptum*, à צִוָּה *præcepit*, plur. מִצְוֹת *præcepta*, &c.

§. XII.

Dualia & pluralia quædam ſpecialiter anomala.

PRÆTER dualium & pluralium anomalias in ſuperioribus appendicibus expoſitas, ſpeciales adhuc ſuperſunt in appendice ſequenti explicandæ. 1°. enim ſunt quædam dualia quæ ex duali & plurali numero compoſitam habent formam. 2°. dualia & pluralia non pauca reperire eſt quæ à ſingulari inuſitato formantur. Duplicis hujus anomaliæ exempla in ſubjecta appendice proponemus.

APPENDIX.

Dualia ex duali & plurali numero compoſita.

Nomina ſequentia habent in duali formam ex ipſo duali & plurali numero compoſitam.

חֹמָה vel חוֹמָה *murus*, plur. חֹמוֹת *muri.* Dual. חֹמֹתַיִם pro חֹמָתַיִם, *duo muri.*

לוּחַ *tabula*, plur. לֻחוֹת cum (·) euphonico pro (ו) לוּחוֹת *tabulæ.* Dual. לֻחֹתַיִם pro לוּחַיִם, aut לֻחַיִם, *duæ tabulæ.*

לְחִי *maxilla*, ubi (ִי) eſt pro (-), plur. לְחָיִים *maxillæ.* Dual. לְחָיַיִם pro לְחָיַיִם, *duæ maxillæ.*

רִבֹּא *myrias*, plur. רִבֹּאוֹת, & contracte רִבּוֹת *myriades.* Dual. רִבּוֹתַיִם pro רִבֹּאַיִם, *duæ myriades.*

מֵאָה *centum*, format dualem numerum ſecundum analogiam, niſi quod fiat punctorum contractio in antepenultima, ſic מָאתַיִם pro מְאָתַיִם *ducenta.*

Dualia & pluralia à ſingulari inuſitato formata.

Nomina ſequentia formant dualem numerum à ſingulari inuſitato, quod fruſtra in vocabulariis quæreretur.

דְּרָכַיִם *duæ viæ*, non à דֶּרֶךְ, ſed à דְּרָךְ inuſitato formatur.

נְהָרַיִם *duo flumina*, non à נָהָר, ſed ab inuſit. נְהַר.

עֲצַלְתַּיִם *duplex pigritia*, non ab עַצְלָה, ſed ab inuſit. עַצֶּלֶת.

Quæ ſequuntur nomina pluralem ſuum numerum à ſingulari inuſitato mutuantur.

אֲחָיוֹת *ſorores*, venit à ſing. inuſit. אֲחָה cujus ה mutatur in (י), non ab אָחוֹת.

אַשְׁפַּתּוֹת *ſtercora*, ab אַשְׁפְּת aut אַשְׁפֶּת, non ab אַשְׁפּוֹת.

בִּירָנִיּוֹת *palatia*, à ſing. inuſit. בִּירָנִיָּה.

גֵּאָיוֹת, vel גֵּיאָיוֹת *valles*, à גֵּאָה vel גֵּיאָה mutato ה in (י), non à גַּיְא.

חֲנִיתוֹת *lanceæ*, non ab חֲנִית cujus plurale analogum eſſet חֲנִיּוֹת, ſed ab חֲנִיתָה cujus rad. חָנַת inuſit.

עֲיָנוֹת *fontes*, non ab עַיִן, ſed ab עָיָן, aut עֲיָנָה. Et ſic de aliis dualibus aut pluralibus anomalis quæ à ſingularibus analogis, licet inuſitatis, repetenda ſunt; cum enim unicus ſuperſit liber Hebraïce ſcriptus, quin plura interierint nomina, & nominum formæ, nullus eſt dubitandi locus. Quare in hocce articulo dualia non pauca ſecundum analogiam, ut ea magis pateret, formavimus. Si cui paulo difficiliora videantur, is præſens in tempus ea poteſt omittere; pro iis enim formandis regulam unicam & breviorem & certiorem trademus in mutatione punctorum in nominibus ob affixa. Vide infra cap. VII. art. VI. initio.

Satis ſuperque, ni fallor, de mutatione punctorum in nominibus quæ moventur è ſingulari in dualem ac pluralem numerum; & è maſculino in femininum genus. Hanc qui recte noverit, is facile intelliget eam quæ fit in nominibus ob affixa cum eis conjuncta; utraque enim eadem fere eſt, & iiſdem nititur principiis.

ARTICULUS IV.

De nominum Hebræorum caſibus.

NOMINUM Hebræorum caſus non varia terminatione, ut apud Græcos & Latinos, ſed quatuor articulis nominibus præmiſſis utcunque diſtinguuntur.

Illi autem articuli ſunt ה pro nominativo, genitivo, vocativo, & interdum etiam aliis caſibus. ל pro dativo, ſæpe etiam & genitivo. את pro accuſativo. מן vel מ pro ablativo. Ex his quatuor articulis, ה, ל & מ in eamdem dictionem cum nominibus coaleſcunt.

Articulorum illorum communes motiones quod attinet, ה afficitur (-) cum daghéſch in litera ſequenti, ut: הַסֵּפֶר *liber*, *libri*, &c. Vide appendicem.

ל notatur cum (ְ) ut: לְסֵפֶר *libro*. Vide appendicem.

את habet (-) ſub א ſi non jungatur nomini ſequenti per maqqáph,

ut: אֶת סֵפֶר *librum.* Si intercedat maqqáph, א afficitur (ֶ) ut: אֶת־הָאוֹר *lucem* Vide appendicem.

מִן, vel per apocopen מִ֗ ן, מ notatur cum hhiríq qatón, ut: מִן סֵפֶר; vel מִסֵּפֶר *à libro.* Vide appendicem.

Paradigma nominum Hebræorum cum articulis.

Nomen maſcul. תַּלְמִיד *Diſcipulus.*			Nomen femin. תּוֹרָה *Lex.*		
Singul. Numerus.			Singul. Numerus.		
Diſcipulus.	הַתַּלְמִיד	Nomin.	*Lex.*	הַתּוֹרָה	Nomin.
Diſcipuli.	הַתַּלְמִיד	Genitiv.	*Legis.*	הַתּוֹרָה	Genitiv.
Diſcipulo.	לְתַלְמִיד	Dativ.	*Legi.*	לְתוֹרָה	Dativ.
Diſcipulum.	אֶת־תַּלְמִיד	Accuſat.	*Legem.*	אֶת־הַתּוֹרָה	Accuſat.
ô Diſcipule.	הַתַּלְמִיד	Vocativ.	*ô Lex.*	הַתּוֹרָה	Vocativ.
à Diſcipulo.	מִתַּלְמִיד	Ablativ.	*à Lege.*	מִתּוֹרָה	Ablativ.
Dual. Numerus.			Dual. Numerus.		
Duo diſcipuli.	הַתַּלְמִידַיִם	Nomin.	*Duæ Leges.*	הַתּוֹרָתַיִם	Nomin.
Duorum diſcipulorum.	הַתַּלְמִידַיִם	Genitiv.	*Duarum Legum.*	הַתּוֹרָתַיִם	Genitiv.
Duobus diſcipulis.	לְתַלְמִידַיִם	Dativ.	*Duabus Legibus.*	לְתוֹרָתַיִם	Dativ.
Duos diſcipulos.	אֶת־תַּלְמִידַיִם	Accuſat.	*Duas Leges.*	אֶת־תּוֹרָתַיִם	Accuſat.
ô duo Diſcipuli.	הַתַּלְמִידַיִם	Vocativ.	*ô duæ Leges.*	הַתּוֹרָתַיִם	Vocativ.
à duobus Diſcipulis.	מִתַּלְמִידַיִם	Ablativ.	*à duabus Legibus,*	מִתּוֹרָתַיִם	Ablativ.
Plural. Numerus.			Pluralis Numerus.		
Diſcipuli.	הַתַּלְמִידִים	Nomin.	*Leges.*	הַתּוֹרוֹת	Nomin.
Diſcipulorum,	הַתַּלְמִידִים	Genitiv.	*Legum.*	הַתּוֹרוֹת	Genitiv.
Diſcipulis.	לְתַלְמִידִים	Dativ.	*Legibus.*	לְתוֹרוֹת	Dativ.
Diſcipulos.	אֶת־תַּלְמִידִים	Accuſat.	*Leges.*	אֶת־הַתּוֹרוֹת	Accuſat.
ô Diſcipuli.	הַתַּלְמִידִים	Vocativ.	*ô Leges.*	הַתּוֹרוֹת	Vocativ.
à Diſcipulis.	מִתַּלְמִידִים	Ablativ.	*à Legibus.*	מִתּוֹרוֹת	Ablativ.

NOTÆ.

Caſus ſecundum vulgus Grammaticorum eſt ratio diverſa cadendi, i. deſinendi, à nominativo qui proprie caſus non eſt, ſed aliorum caſuum origo. Si accurata eſſet illa caſus definitio, neutra nomina apud Græcos & Latinos tres tantum haberent caſus, ſiquidem tres duntaxat inflexiones diverſæ pro quovis numero in iis reperiuntur. Et Nomina Hebraica & Gallica omnibus deſtituerentur caſibus, cum iis nulla ſit diverſa inflexio à nominativo,

Caſus itaque non tam diverſa eſt *cadendi* quam *ſignificandi* ratio. Etenim caſuum miniſterio varia rerum inter ſe cohærentia, ſeu relatio deſignatur. Nam v. g.

Nominativus vulgo Verbis præponitur, eſtque propoſitionis ſubjectum, ut: *Dominus regit me.*

Genitivus indicat rei convenientiam cum altera ad quam pertinet, ut: totius ad partem; partis ad totum. Subjecti ad accidens; accidentis ad ſubjectum. Cauſæ ad effectum;

Digitized by Google

effectus ad cauſam, &c.

Dativo caſu exprimitur id in cujus commodum aut detrimentum aliquid cedit, ut: *utilis Eccleſiæ, pernicioſus reipublicæ.*

Accuſativus indicat ſubjectum, vel objectum ad quod tranſit, vel tendit actio Verbi, ut: *cædo lignum, amo Deum.*

Vocativus denotat rem aut perſonam ad quam dirigitur oratio, ut; *Domine exaudi orationem meam.*

Ablativus denique non unum exprimit reſpectum, ſed pene innumeros habet. Sæpius tamen inſtrumentum aut modum actionis ſignificat, ut: *baculo percuſſit, fecit cum ſapientia*, &c. Jungitur ſemper cum præpoſitione expreſſa aut ſubintellecta; unde Grammaticis dicitur *Caſus perpetuus præpoſitionis.*

Cum autem in linguis omnibus iſthæc reperiatur rerum inter ſe convenientia quam varii exprimunt caſus; patet nomina Hebraica ſuos etiam habere caſus, non vero declinationes quæ varia ceterorum caſuum à nominativo inflexione conſtituuntur.

Verum Nominum Hebræorum caſus longe melius ex ſtructura ſermonis, & ratione ſyntactica diſtinguuntur, quam ex quatuor articulis ſupra memoratis. ה enim caſibus omnibus convenit, ut jam diximus. ל non modo dativum, verum etiam genitivum poſſeſſoris ſæpiſſime denotat; non raro etiam alium uſum obtinet. את accuſativum quidem vulgo indicat, interdum tamen ablativum; imo & nominativum, maxime cum Verbis paſſivis & intranſitivis. Sæpe etiam eſt præpoſitio *cum*.

APPENDIX.

Variæ articulorum Hebræorum motiones.

ARTICULUS ה.

Articulus ה afficitur (ַ) cum daghéſch forti in litera ſequente, quia deſumitur ex adverbio demonſtrativo הֵן *ecce*, cujus ן tollitur, & compenſatur per iſtud daghéſch forte quod ſequitur poſt ה articulum. Si illud daghéſch recipi nequeat in prima dictionis litera (utpote gutturali aut ר) cui ה præponitur, pro (ַ) ſub ה ſubſcribitur (ָ), ut: הָאָדָם *homo*, הָרָקִיעַ *expanſum, firmamentum*, &c.

Ante literas ה, ח & ע affectas (ָ) (modo vox non ſit monoſyllaba) pro (ָ) ſub ה, reponitur (ֶ) ad euphoniam, ne duo qaméts immediate ſe ſe conſequantur ſub gutturalibus, ut: הֶהָמוֹן *copia*, הֶחָרָשׁ *artifex*, הֶעָרֵל *incircumciſus.* Quod etiam interdum accidit ante (ֳ), ut: הֶחֳרָבוֹת *vaſtitates.* At ante monoſyllaba, ה articulus habet (ָ), ut: הָהָר *mons*, הָעָם *populus*. Excipitur הֶחָג *feſtum*, Ezech. 45. v. 23. Sic ante diſſyllaba ab א inchoata, הָאָרֶץ *terra*, ab אֶרֶץ, ſed in hoc nomine prius (ֶ) ſemper mutatur in (ָ) cum ה articulo.

Ante ה & ח quamvis daghéſch excidat, ſæpiſſime retinetur (ַ) ſub ה articulo, ut: הַהֶבֶל *vanitas*, הַחֵרֶם *anathema*, הַחַי *vivens.* Invenitur etiam הֶחָי cum (ֶ) ad euphoniam; & הָחָי cum (ָ) ex analogia. Rarius ante alias gutturales daghéſch excidit citra compenſationem, ut: הַעִוְרִים 2. Reg. 5. v. 6. 8. *cæci*, pro הַעִוְּרִים, ut habent ibidem codd. accuratiores.

Sæpiſſime etiam ex litera ſchevá affecta tollitur daghéſch ad euphoniam, nec compenſatur ſub ה per (ָ) loco (ַ), ut: הַלְוִיִּם *Levitæ*, הַיְקָרִים *pretioſi*, &c. At ſi illa litera ſchevá affecta, fuerit (י) ante gutturalem, ipſi infigitur daghéſch, ut: הַיְּעֵלִים *rupicapræ*, הַיְּהוּדִים *Judæi.* Excipiuntur duo, nempe בַּיְעֵנִים, pro כְּהַיְעֵנִים *ſicut ululæ.* הַיְאֹר *rivus*, & plur. הַיְאֹרִים *rivi.*

Plurimis Grammaticis שֶׁל eſt articulus genitivi caſus; at in textu Biblico hunc uſum non habet, ſed tantum apud Rabbinos. Legitur quidem Cant. 8. v. 12. שֶׁלִּי at non eſt genitivus; ſed pronomen relativum שֶׁ *qui, quæ, quod*, &c. junctum cum dativo ſingulari לִי *mihi*, hoc ſenſu: *vinea mea quæ mihi* eſt; i. vinea mea, mea inquam, לִי enim pronom. poſſeſſiv. *meus*, &c. etiam exprimit.

ARTICULUS ל.

ARTICULUS ל habet pro motione communi ſchevá. Vide ſupra. Cum ſequitur aliud (ְ) ſimplex ſub prima dictionis litera cui ל præponitur, (ְ) תַּחַת ל mutatur in hhiriq qatón, ut: לִגְבוּל *termino*, à גְּבוּל. Vide ſupra pag. 35. col. 1.

Verum ſi prima illa dictionis litera fuerit (י), ex ſchevá ipſi ſuppoſito, & ex ſchevá תַּחַת ל fit hhiriq gadhól, ut: יְהוּדָה *Juda*, לִיהוּדָה *Judæ*, pro לְיְהוּדָה. Sic יְשָׁרִים *recti*, לִישָׁרִים *rectis*. יְשׁוּעָה *ſalus*, לִישׁוּעָה *ſaluti*, vel *in ſalutem*, &c.

Ante motionem compoſitam, ל afficitur motione ſimili ejus quæ cum ſchevá componitur, ut: אֲבוֹתֶיךָ *patres tui*, לַאֲבוֹתֶיךָ *patribus tuis*. אֱלוּל *menſis Auguſtus*, לֶאֱלוּל *menſi Auguſto*. At ante (ֳ), ל habet (ָ magnum) non (ָ hhatoúph), quamvis illud analogia requirat, quia excluditur ה articulus, ut: חֳדָשִׁים *menſes*, לָחֳדָשִׁים lhhodaſchím, non lóhhodaſchím, *menſibus*. Loco (ָ) interdum etiam ibidem aſſumit (ַ) ad euphoniam, ut: לַחֳרָבוֹת *vaſtitatibus*.

Scheva pathahh ſub א, & (ַ) ſub ל ſæpe contrahuntur, remanente ſolo (ַ) תַּחַת ל, ut: אֲדֹנָי *Dominus*, לַאֲדֹנָי, & contracte לַאדֹנָי *Domino*. Sic לַיהוָה quia legitur *ládhonái*, non *Láhová*, ut probabimus infra lib. 3. Idem (ֲ) ſub א contrahi etiam videtur, ſed in (ָ) ſub ה articulo, in הָאסַפְסֻף, pro הָאֲסַפְסֻף *colluvies*, *turba promiſcua*, Num. 11. v. 4. Ita quoque (ֱ) ſub א, & (ֶ) ſub ל ſæpe contrahuntur in (ֵ) ſub ל, ut: לֶאֱלֹהִים, contracte לֵאלֹהִים *Deo*.

Denique ל articulus ſæpe excludit ה alterum articulum cujus motionem aſſumit, ut: לַחֹשֶׁךְ pro לְהַחֹשֶׁךְ *tenebris*. Sic לָאֱלֹהִים pro לְהָאֱלֹהִים *Diis*. לָרָקִיעַ pro לְהָרָקִיעַ *expanſo*. לֶחָכָם pro לְהֶחָכָם *ſapienti*. לֶעָנִי pro לְהֶעָנִי *pauperi*. לַחַי pro לְהַחַי *viventi*, &c.

ARTICULUS את.

ARTICULUS את habet (ֵ) ſub א quando jungitur dictioni ſequenti per maqqáph, ſic: אֶת־; ſecus, א afficitur (ֶ) ut diximus ſupra pagg. 67. 68. Tamen ſemel cum maqqaph habet (ֶ) nempe Job. 41. v. 26. אֶת־כָּל־גָּבֹהַּ *omnem altum*, vulg. *omne ſublime*, ubi Leuſdeni Biblia habent אֵת כָּל־גָּבֹהַּ ſine maqqáph. E contrario ter abſque maqqáph את notatur cum (ֶ); ſcilicet, Pſal. 46. Hebr. 47. v. 5. אֶת גְּאוֹן יַעֲקֹב *ſuperbiam*, vulg. *ſpeciem Jacob*. Pſ. 59. Hebr. 60. v. 2. אֶת אֲרַם נַהֲרַיִם *Meſopotamiam Syriæ*, ſic Vulg. Alii, *Meſopotamiam interamnem*, hoc e. quæ Euphratem inter & Tigrim ſita eſt. Prov. 3. v. 12. אֶת אֲשֶׁר־יֶאֱהַב *quem diligit*. In duobus tamen prior. exemplis codd. nonnulli habent אֶת־ cum maqqáph.

ARTICULUS מן *vel* מ.

ARTICULUS integer מִן *a*, *ab*, *ex*, *de*, &c. vulgo uſurpatur ante ה alterum articulum, ut: מִן־הָאָדָם *ab homine*. Alias tollitur ן cujus defectus compenſatur per daghéſch forte in litera ſequenti, modo ſit illius recipiendi capax; ſecus, daghéſch ejectum compenſatur per (ֵ) loco hhiriq qatón ſub מ, ut: מֵעִיר *ex civitate*. Sæpe tamen ante ה, ח & ר nulla fit compenſatio daghéſch excidentis, ut: מִהְיוֹת *ab eſſe*, pro מֵהְיוֹת, ubi (ְ) non legitur ſub ה quamvis ſit ſub litera daghéſch afficienda; quia, ut diximus ſupra pag. 34. in appendice, columna 1. ſchevá ſimplex nunquam mobile eſt ſub gutturali. מִחוּט *à filo*. מִחוּץ *extra*. מִרְגְזֶךָ miroghzechá *à commotione tua*.

Ante (י) ſchevá affectum, craſis fit in hhiriq gadhól, ſchevá & daghéſch ſublatis, ut: יְגִיעָם *labor eorum*, מִיגִיעָם *à labore eorum*. יְמֵי *dies*, מִימֵי *à diebus*. יְקָבִים *torcularia*, מִיקָבִים *à torcularibus*, &c. Duo excipiuntur quæ analogiam ſervant, מִיְּשֵׁנֵי *à dormientibus*. מִיְּרֻשָּׁתְךָ *ab hæreditate tua*. Invenitur etiam מִיהוּדָה *ex Juda*, Jud. 15. v. 11.

Ab alia litera ſchevá affecta daghéſch ſæpe excidit ſine compenſatione, ut: מִקְצֵיהֶם

pro מִקְצוֹתָם *ab extremitatibus eorum*, &c.

Nomini tetragrammo יְהוָה præpoſitum מ afficitur (ֲ) quaſi ante אֲדֹנָי quod nomen legitur pro יְהוָה, ſic: מֵיְהוָה méadhonâi, non mehova, *à Deo.* Vocales enim quæ componuntur cum quatuor illis literis יהוה non ſunt hujus nominis propriæ, ſed nominis אֲדֹנָי. Nec contrarium probat (ֲ) ſub א, cum (ְ) ſimplex ſubjiciatur τῷ (י) nominis יְהוָה; nam ſchevá ſimplex mobile non reperitur ſub gutturali qualis eſt hîc א, ſed dilatatur in (ֲ) aut (ֱ), cum autem (י) τῷ יְהוָה non ſit litera gutturalis, ideo (ְ) ſimplici ſecundum analogiam afficitur. Vide infra lib. 3.

Rariſſime מ iſtud notatur cum (ַ) loco hhiriq qatón, quia duæ illæ motiones ſæpius invicem permutantur, ut: לְמַבְּרִאשׁוֹנָה, pro לְמִבְּרִאשׁוֹנָה *inde à principio.* לְמַדַּי, pro לְמִדַּי *à ſufficientia.* Forte etiam errores ſunt amanuenſium.

Articulo integro מִן quandoque additur (י) quod vocant paragogicum, ut: מִנִּי־בֶטֶן *à ventre.* מִנִּי־רָחֶם *à vulva.* Et cum (ֵ) loco hhiriq ſub נ, inſtar nominum pluralium conſtructorum, מִנֵּי־דֶרֶךְ *à via*, מִנֵּי־אֹרַח *à ſemita.* Forte (י) iſtud quod nunc redundare volunt, erat antiqua vocalis *e* quæ ſubintelligitur ſub ן, quæque interdum exprimitur per (ְ). Vide ſupra pagg. 23. 24. col. 1.

Daghéſch forte in his exemplis imprimitur τῷ נ, quia poſt motionem parvam ſequitur ſemper hujuſmodi daghéſch, vel accentus, vel ſchevá. Vide ſupra pag. 37. col. 1. Vel potius quia articulus ille, ſeu præpoſitio derivatur à radice inuſitata מנן, ut nonnullis videtur.

CAPUT VII.

De Pronomine.

PRONOMEN vox eſt quæ primario nomen reſpicit, ſecundario vero rem ſignificat. Hebræis dicitur כִּנּוּי à radice כָּנָה *cognominavit*, *occultavit*, ſeu *occulto nomine appellavit.* Pronomen enim quoddam eſt nominis principalis *cognomen*, illudque occulte ſignificat. Illius excogitandi cauſa fuit in eadem oratione de iiſdem rebus ſæpius differendi neceſſitas, quarum nomina continuo repetere incommodum fuiſſet ac injucundum.

Pronomina Hebræorum alia ſunt *ſeparata*, ſeu *ſeparabilia*; alia *conjuncta*, ſeu *inſeparabilia.* Pronomina ſeparata ea ſunt quæ ſeparatam dictionem conſtituunt; conjuncta vero quæ cum certis quibuſdam orationis partibus conjunguntur, & cum eis vocem unicam efficiunt.

ARTICULUS I.

De Pronominibus ſeparatis.

EX Pronominibus ſeparatis alia ſunt *primitiva*, alia *demonſtrativa*, alia *relativa*, alia denique *interrogativa*.

§. I.

De Pronominibus primitivis.

PRONOMINA primitiva vocantur ea ex quibus alia deducuntur, nempe conjuncta, ſeu inſeparabilia. Tria ſunt tres perſonas indicantia. Pronomen primæ perſonæ tam in ſingulari quam in plurali numero, communis eſt generis. Secundæ vero, & tertiæ perſonæ pronomina utroque genere donantur.

	Prima perſ. cōmunis.		Femin.	Sec. Perſ.	Maſc.	Femin.	Tert. Perſ.	Maſc.
Singul.	*Ego*	אָנֹכִי vel אֲנִי	אַתְּ	*Tu*	אַתָּה	*illa* הִיא		הוּא *ille.*
Plural.	*Nos*	אֲנַחְנוּ	אַתֵּן	*Vos*	אַתֶּם	*illa* הֵן		הֵם *illi.*

Horumce pronominum caſus obliquos formant pronomina inſeparabilia cum nominibus & articulis conjuncta. Sed de his infra art. 2. §. 3.

APPENDIX.

אֲנִי] Pronomen iſtud cum accentu diſtinguente, ſeu pauſante, vulgo penacutum eſt, & א afficitur (ָ), ut: אָנִי *ego.* Eadem etiam motione afficitur א, quamvis accentus pauſans aut regius remaneat in ultima, ut: אָנִי, אָנִי, &c.

אָנֹכִי] formatur ex præcedente אֲנִי inſerto כ. Cum accentu diſtinguente fit pariter penacutum, ut: אָנֹכִי cum revía, אָנֹכִי cum athnáhh, &c. Interdum tamen cum ultimo illo accentu in fine acuitur, ut: אָנֹכִי *ego.*

אֲנַחְנוּ] In pauſa (ַ) τῶ ח producitur in (ָ), ſic: אֲנָחְנוּ *nos.* Anomalum eſt אֲנוּ, Jerem. 42. v. 6. quod ſecundum motiones legendum אֲנַחְנוּ, ſecundum vero conſonantes, אֲנוּ forma Rabbinis uſitata. Ter legitur נַחְנוּ, & in pauſa נָחְנוּ, per aphæreſin τῶ א. Ea porro loca ſunt: Gen. 42. v. 11. Thren. 3. v. 42. Num. 32. v. 32.

אַתָּה] In pauſa accentus tranſit ab ultima ad penultimam & mutat (ַ) in (ָ), ut: אָתָּה *tu.* Interdum tamen cum illo accentu, & aliis quibuſdam pauſantibus, (ַ) penultimæ remanet, ut: אַתָּה, Pſal. 2. v. 7. & Pſal. 24. Heb. 25. v. 7. אַתָּה Iſai. 44. v. 21. In hoc pronomine ת habet daghéſch forte ad compenſandum נ deperditum; nam, teſte Aben-Eſra, pronomen iſtud derivatur ab אַנְ, quaſi אַנְתָּה, ut in lingua Chaldaica dicitur אַנְתְּ *tu.* Quinquies reperitur abſque ה in fine ſic: אַתְּ; ut enim punctis vocalibus adſcriptis veteres quædam vocales in textu ſuperfluæ relictæ ſunt: ita quædam neceſſariæ ſaltem ad formam vocis conſtituendam, librariorum, ut videtur, oſcitantia exciderunt. Ex earum numero eſt ה illud quod Maſſorethæ poſteriores reſtituerunt, ac legendum notarunt אַתָּה. Vel eſt enallage fem. generis pro maſculino.

אַתְּ] In pauſa אָתְּ. Daghéſch forte imprimitur τῶ ת ob נ deperditum ut in pronomine maſculino, אַתְּ enim eſt pro אַנְתְּ; unde (ְ) exprimitur ſub ת quia præceſſit aliud. Vide ſupra pag. 24. col. 1. אַתְּ ſepties ſcribitur cum (י) redundante ſic: אַתִּי, vel ob daghéſch forte τῶ ת infixum, illud enim daghéſch in ultima dictionis litera analogus non occurrit; vel potius quia (י) iſtud erat antiquitus vocalis *e* quæ nunc per (ְ) ſub ת exprimitur; quare (י) iſtud ut ſuperfluum à Maſſorethis notatur. Ter legitur אַתְּ femin. pro אַתָּה maſculino. Remotis punctis, את

(cujus

Digitized by Google

(cujus ה ſublatum fuerit ut ſupra in אַתָּה) tam poteſt ſignificare *tu*, maſc. quam *tu*, femin. unde ſi recte hic conjicio, אַתְּ *tu*, maſc. octies, non quinquies erit ſine ה in fine. Forte etiam in tribus illis locis error eſt amanuenſium qui ſcripſere אַתְּ pro אַתָּ.

אַתֶּן] cum (··) ſub ת, ut ſcribunt fere omnes Grammatici, & ut nos quoque in pagina præcedente hanc vocem expreſſimus; vel אַתֵּן cum (··) ſub eodem ת, ut legitur Ezech. 34. v. 31. quam lectionem deinceps ſequemur, quater eſt cum ה paragogico & accentu in penultima, ſic: אַתֵּנָה *vos.* Vide Maſſoram magnam ad caput 31. Geneſeos v. 6. ubi loca illa adducuntur.

הִוא] 3. Reg. cap. 17. v. 15. anomalus legitur הִוא־וָהִיא, ubi ſecundum literas legendum הוּא־וְהִיא *ille & illa.* Verum cum præcedat וַתֹּאכַל feminini generis, Maſſorethæ punctis tranſpoſitis legendum notarunt הִיא־וָהוּא *illa & ille.*

הִוא] Ex facili & mutua permutatione literarum אהוי, ſæpiſſime ו ponitur loco (י), ut: הִוא *illa.* Quod in Pentateucho perpetuum eſt, exceptis undecim duntaxat locis quæ vide ſis in Maſſora ad cap. 14. v. 2. & cap. 38. v. 25. Geneſeos.

הֵם] Cum ה paragogico, daghéſch euphonico, & accentu in penultima, quapropter (-) remanet, הֵמָּה *illi.*

הֵן] Cum ה paragogico, &c. ut in maſc. הֵנָּה *illæ.* Bis reperitur הֵן pro הֵם, id eſt, femininum pro maſculino, quod videtur ex amanuenſium errore profectum.

Primæ & ſecundæ perſonæ pronomina in recto tantum caſu, ſeu nominativo occurrunt; at tertiæ perſonæ pronomen alios etiam caſus, maxime accuſativum & ablativum quandoque agnoſcit, præſertim cum ei præponitur ה articulus. Accuſativum, Eccle. 9. v. 15. אֶת־הָאִישׁ הַמִּסְכֵּן הַהוּא *virum illum pauperem.* Vide Ezech. 30. v. 18. Ablativum, יוֹם הַהוּא *die iſto.* Et ſine articulo, בַּלַּיְלָה הוּא *nocte iſta.* Sic in feminino, בָּעֵת הַהִיא *in tempore illo.* Idem ה articulus nominativis etiam præponitur, ut: הַהוּא *ille ipſe*, הַהִיא *illa ipſa.* הָהֵם *illi ipſi.* הָהֵנָּה *illæ ipſæ*, cum ה paragogico.

§. II.

De Pronominibus demonſtrativis.

PRONOMINA *demonſtrativa* ea ſunt quæ rem, aut perſonam præſentem demonſtrant. Hebræi in ſingulari numero, alia pro maſculino, alia pro feminino, alia denique pro communi genere exprimendo habent pronomina demonſtrativa. At in plurali, אֵל vel אֵלֶּה communis eſt generis. Ea autem pronomina demonſtrativa ſunt:

	Maſc.	Commun.	Feminin.
Singul.	זֶה *hic.*	זוֹ & זוּ *hic, hæc.*	זֹה, vel זֹאת *hæc.*
Plural.		אֵל, vel אֵלֶּה *hi, hæ.*	

APPENDIX.

UT magis adhuc pronomina illa demonſtrent, his interdum præponitur ה articulus, ut: הַזֶּה *hic iſte.* Cum ל epenthetico nihil ſignificationi addente, הַלָּזֶה; & ſublato ה ultimo per apocopen, הַלָּז idem, quod etiam femininum eſt 4. Reg. 4. v. 25. Sic ex זוּ cum eodem ל epenthetico, ſed cum (-) notato, הַלָּזוּ *hic iſte*, vel *hæc iſta.* הַזֹּאת *hæc iſta.* הָאֵל & הָאֵלֶּה *hi iſti*, *hæ iſtæ.*

Pro הַהוּא uſurpatur interdum עֶצֶם *ille ipſe*,

ipſemet. Et ſic frequentiſſime apud Rabbinos. Ezech. 47. v. 13. legitur גֵּה pro זֶה *hic.* Quod procul dubio error eſt amanuenſium qui pro ז ſcripſere ג, harum literarum ſimilitudine decepti. Et ſane voces Hebraicas גֵּה גְּבוּל Lxx. interpretantur *ταῦτα τὰ ὅρια hi ſunt termini.* Vulg. *hic eſt terminus.* Qabbaliſtæ volunt ג hic poſitum fuiſſe pro ז ex nono Alphabetho dicto גה אט *at babh.* Vide infra lib. 3.

Pronomen commune זוּ ſæpius maſculinum eſt, זוֹ vero ſæpius femininum. Utrumque formatur à זֶה mutato ה in ו ex facili literarum אהוי permutatione. Ab eadem origine prodit זֹאת mutato ה in ת, ut ſæpe fit, & interpoſito א.

אֵלֶּה derivatur ab אֵל cum daghéſch euphonico in ל, & ה paragogico præcedente (ֶ) quod rariſſimum eſt; ה enim iſtud paragogicum habet vulgo ante ſe (ָ), ut plurimis exemplis infra patebit.

Ceterum pronomina illa ſæpe etiam neutrius ſunt generis, ſeu adhibentur ad exprimendum neutrum genus, quo Hebræos carere diximus ſupra p. 50. ut: Pſ. 117. Heb. 118. v. 23. *A Domino factum eſt*, זֹאת *iſtud*, &c.

§. III.

De Pronominibus relativis.

PRONOMINA relativa ſic vocantur, quod ad antecedens ſive nomen, ſive pronomen referantur. Duo ſunt Hebræis, aut potius unicum ex quo aliud deducitur. Unicum illud pronomen eſt:

אֲשֶׁר *qui, quæ, quod, cujus*, &c. *qui, quæ, quorum*, &c.

pro omnibus generibus, numeris, caſibus & perſonis.

Ex illo pronomine formatur aliud, nempe:

שֶׁ quod idem eſt cum אֲשֶׁר

cujus prima litera א per aphæreſin tollitur, ſicuti & ultima ר per apocopen; quæ ultima litera ſublata compenſatur per daghéſch forte in prima dictionis cui שֶׁ præponitur (modo tamen ſit illius recipiendi capax) & cum qua in unam vocem coaleſcit. Pronomen iſtud apud Rabbinos frequentiſſimum eſt; at in textu Biblico rarius. Communis ejus motio eſt (ֶ), ut: שֶׁתַּקִּיף מִמֶּנּוּ *qui potentior eſt ipſo.* שֶׁבְּשִׁפְלֵנוּ *qui in humilitate noſtra*, &c. Vide appendicem.

APPENDIX.

QUAMVIS pronomen שֶׁ imprimat dagh. forte primæ literæ dictionis cui præfigitur, tamen ſi prima illa litera fuerit gutturalis aut ר, daghéſch iſtud ſine compenſatione excidit, ut: שֶׁעֲמָלוֹ *cujus labor ejus.*

Raro שׁ afficitur (ַ) loco (ֶ), ut: שַׁקַּמְתִּי *quod ſurrexi.* שַׁלָּמָּה *quia adquid?* שַׁדִּין *quod judicium.*

Raro etiam uſurpatur (ְ) pro eodem (ֶ) ut: שְׁהוּא עָמֵל *quo ipſe laborat*, Eccle. 2. v. 22. ubi tamen codices etiam accuratiores habent שֶׁהוּא cum (ֶ) ſub שׁ. שְׁהֵם *quod ipſi.*

Denique ſemel legitur (ַ) pro (ֶ), ut: שַׁאַתָּה *qui tu*, Jud. 6. v. 17. Niſi ſit error amanuenſium; ex (ַ) enim cujus puncta ſeſe contingunt, facile naſcitur (ֶ).

Digitized by Google

§. IV.

De Pronominibus interrogativis.

HEBRÆIS duo ſunt pronomina interrogativa : alterum perſonæ, rei alterum.

Pronomen interrogativum perſonæ eſt מִי *quis? qua? qui? quæ?* &c. pro omnibus generibus, numeris & perſonis, ut : מִי אַתָּה בְּנִי *quis es tu fili mi?* מִי אַתְּ בִּתִּי *qua es tu filia mea?* מִי אֵלֶּה *qui ſunt iſti?* &c.

Pronomen interrogativum rei eſt מַה, vel מָה, vel מֶה *quis? quid? quæ?* &c. Pro omnibus generibus & numeris, ut: מַה־תָּאֳרוֹ *quæ eſt forma ejus?* מָה־אֱנוֹשׁ *quid eſt homo?* מֶה מִשְׁפַּט הָאִישׁ *quis eſt habitus viri illius?*

APPENDIX.

PRONOMEN interrogativum perſonæ מִי *quis?* quandoque videtur eſſe etiam interrogativum rei; ſed exempla quæ proferuntur, ad perſonam facile revocari poſſunt, ut :

1. Reg. 18. v. 8. מִי חַיַּי *quæ vita mea?* h. e. quis ſum ego vita mea?

Gen. 33. v. 8. מִי לְךָ כָּל־הַמַּחֲנֶה הַזֶּה *quæ tibi tota acies illa?* h. e. *quis eſt ille cui mittis totam aciem*, ſive *turmam iſtam?* ut Aben-Eſra & Qimhhi explicant. Prior ibidem, מִי, inquit, *ſemper reperitur de homine.* Poſterior in fine hujus radicis לֹא־תִמְצָא מִי כִּי־אִם עַל חַי מְדַבֵּר *non invenies* מִי *niſi de animali loquente*, h. e. de perſona dictum.

Jud. 9. v. 28. מִי שְׁכֶם *quæ eſt Sichem?* i. e. qui ſunt habitatores Sichem? Qui ſunt Sichemitæ?

Ibid. cap. 13. v. 17. מִי שְׁמֶךָ *quod eſt nomen tuum?* i. quis es tu nomine tuo?

Mich. 1. v. 5. מִי־פֶשַׁע יַעֲקֹב .... מִי בָּמוֹת יְהוּדָה *quæ prævaricatio Jacob? .... quæ excelſa Judæ?* i. quis fuit cauſa prævaricationis Jacob? .... quis fuit cauſa excelſorum Judæ? ut interpretatur Qimhhi in lib. radicum.

Quando מִי ſubſtantivo, aut τῷ ל poſtponitur, genitivum poſſeſſoris notat, ut : בֶּן־מִי אַתָּה *filius cujus es tu?* 1. Reg. 17. v. 58. בַּת־מִי אַתְּ *filia cujus es tu?* Gen. 24. v. 23. לְמִי אַתָּה וּלְמִי אֵלֶּה לְפָנֶיךָ *cujus es, & cujus ſunt iſta ante te?* Gen. 32. v. 17. לְמִי הַנַּעֲרָה הַזֹּאת *cujus eſt puella hæc?* Ruth. 2. v. 5. In his exemplis לְמִי proprie eſt *ad quem*, ſcilicet ſpectat, vel pertinet.

Pronomen interrogativum rei מַה imprimit daghéſch forte primæ literæ dictionis cui præponitur, niſi prima illa litera ſit gutturalis aut ר, tunc enim daghéſch excidit abſque compenſatione, ut : מַה־לִּי *quid mihi?* מַה־חֶפְצוֹ *quæ voluntas ejus?* ſicque ſæpius eſt cum maqqáph.

Sequente relativo שׁ, pronomen interrogans מַה fit & ipſum relativum, exponiturque per *id*, ut : מַה־שֶּׁהָיָה הוּא שֶׁיִּהְיֶה *id quod fuit idem* (eſt) *quod futurum eſt*, Eccle. 1. v. 9. וּמַה־שֶּׁנַּעֲשָׂה הוּא שֶׁיֵּעָשֶׂה *& id quod fit, idem* (eſt) *quod fiet.* Ibidem.

מֶה quinquies tantum legitur ante vocem ab ח vel ע incipientem, ſæpius vero ante alias voces, vel intercedente maqqáph, vel ſine eo.

מֶה vigeſies quater ſolummodo reperitur, ſecundum Maſſoram, maxime ante voces quarum prima litera afficitur (ּ).

Pronomina interrogativa cum perſonæ, tum rei, in media phraſi indefinite & citra interrogationem ſumuntur, ut : וְלֹא יֵדַע מִי אֹסְפָם *& neſcit quis congregabit ea*, Pſal. 38. Heb. 39. v. 7.

כִּי הִגִּידָה אֶסְתֵּר מַה־הוּא לָהּ *nam indicaverat Eſther quid ipſe* (eſſet) *ſibi*, Eſth. 8. v. 1.

זְכָר־אֲנִי מֶה־חָלֶד *recordare ego quod tempus ſim*, hoc eſt, quantuli ævi ſim, Pſal. 88.

Digitized by Google

Heb. 89. verſ. 48.

Pronomen interrogativum מַה, & demonſtrativum זֶה contrahuntur Exod. 4. v. 2. מַזֶּה *quid eſt hoc?* quod Maſſorethæ legendum docent מַה־זֶּה.

Sic cum dativo plur. maſc. pronom. ſecundæ perſonæ, מַלָּכֶם pro מַה־לָּכֶם, ut legunt Maſſorethæ, *quid vobis?* Iſai. 3. v. 15. Ita quoque מַה cum nominat. plural. maſc. tertiæ perſonæ מָהֶם pro מַה־הֵם *quid illi?* Ezech. 8. v. 6. Huc pertinet מַתְּלָאָה *quantum defatigationis?* Malach. 1. v. 13. pro מַה־תְּלָאָה.

ARTICULUS II.

De Pronominibus conjunctis, ſeu inſeparabilibus.

PRONOMINA conjuncta ſeu inſeparabilia ea ſunt quæ cum dictionibus quibus junguntur, in unam vocem coaleſcunt. Junguntur autem vel in principio, vel in fine dictionum. Si in principio, *præfixa*; ſi in fine, *ſuffixa*, ſeu *affixa* vocantur.

Pronomina præfixa duo ſunt, nempe ה articulus, & שֶׁ de quibus ſupra pagg. 67. & 74.

Pronomina ſuffixa, ſeu affixa plura numerantur quæ ex pronominibus primitivis quorum particulæ quædam ſunt, hoc modo deducuntur.

§. I.

Pronominum affixorum ex primitivis origo.

Numer.		Prima Perſona Communis.	Secunda Perſona Feminina.	Secunda Perſona Maſculina.	Tertia Perſona Feminina.	Tertia Perſona Maſculina.
Singul.		*Ego* אָנֹכִי vel אֲנִי	אַתְּ *Tu*	אַתָּה	*Illa* הִיא	*Ille* הוּא
		producit	producit	producit	producit	producit
		י , נִי	ךְ	ךָ	הּ, הָ, נָּה	וֹ, ו, הוּ, נוּ
Plural.		*Nos* אֲנַחְנוּ	אַתֵּן *Vos*	אַתֶּם	*Illæ* הֵן	*Illi* הֵם
		producit	producit	producit	producit	producit
		נוּ	כֶן	כֶם	הֶן, ן	הֶם, ם

NOTÆ.

PRONOMINA illa affixa ex ultimis fere Primitivorum ſyllabis formantur, ut patet ex hoc ſchemate.

In affixis ſecundæ perſonæ, ת pronominis primitivi mutatur in ך, ſic: ךָ pro תָּ, ךְ pro תְּ; כֶם pro תֶּם; כֶן pro תֶּן; quia תָּ, תְּ, תֶּם, תֶּן in Verbis formant ſecundas perſonas præteritorum, ut videbimus infra cap. 8. Ut ergo nomina cum affixis illis conjuncta à ſecundis præteritorum perſonis diſtinguantur, ת mutatur in ך.

Poſt affixa ךָ & ךְ ſubintelligitur ה quod etiam interdum exprimitur, ut: לְכָה *tibi*, כָּמֹכָה *ſicut tu*, &c. quia nunquam magna motio ultimam dictionis literam afficit, niſi ſequatur litera quieſcens ſaltem ſubintellecta. Vide ſupra pag. 27. col. 2. Loco iſtius ה ſubintellecti & nonnunquam expreſſi, reponitur א in וְאַתּוּקֶיהָא *& periſtylia ejus*, Ezech. 41. v. 15.

In tertia perſona ſing. tam maſc. quam feminina, ה mutatur in נ pro formandis ultimis pronomin. affixis נּוּ maſc. & נָּה femin.

Interdum ex facili permutatione literarum אהוי, uſurpatur ה pro ו affixo tertiæ perſonæ ſing. maſculinæ; pro quo etiam raro uſurpatur הִי Chaldaicum. Quandoque etiam כִי itidem Chaldaïcum ponitur pro ךְ, ſicut מוֹ affixum poëticum pro ם, vel הֶם affixis tertiæ perſonæ plur. maſculinæ; & interdum etiam pro ו affixo tertiæ perſonæ ſing. maſculinæ. Horum omnium exempla reperiuntur in libris poëticis, ſcilicet Pſalmis, Jobo, & Proverbiis. Sed de his fuſius infra in anomaliis affixorum cum nominibus conjunctorum.

§. II.

Orationis partes quibus affixa conjunguntur.

PRONOMINA affixa cum ſex orationis partibus componuntur. 1°. cum articulis. 2°. cum nominibus. 3°. cum verbis. 4°. cum participiis. 5. cum præpoſitionibus. 6°. denique cum adverbiis. Juncta articulis ל, אֵת, מ, vel מִן, formant pronominum primitivorum caſus obliquos. Eadem cum nominibus compoſita dant pronomina poſſeſſiva quibus integris carent Hebræi. De obliquis pronominum primitivorum caſibus, & pronominibus poſſeſſivis, in §. ſequenti.

§. III.

De obliquis pronominum primitivorum caſibus, & pronominibus poſſeſſivis.

PRONOMINA primitiva in recto tantum caſu, ſeu nominativo, communiter accipi diximus ſupra pag. 72. Eorum caſus obliquos formant pronomina affixa juncta nominibus & articulis ל, אֵת, מִן hoc modo:

Genitivus fit per affixa juncta cuilibet nomini quod in ſchemate mox ſubjiciendo triplici ſtellula *** deſignatur. Hoc genitivo, ſeu hac affixorum cum nominibus compoſitione, exprimuntur pronomina poſ-

Digitized by Google

ſeſſiva *meus*, *tuus*, *ſuus*, quibus integris & abſolutis carent Hebræi. In hac autem affixorum cum nominibus conjunctione, nulla habetur ratio generis & numeri nominis cui adjiciuntur; ſed tantummodo generis & numeri rei vel perſonæ de qua agitur. Adeo ut ſi de viro, eoque ſingulari & unico ſermo ſit; affixa maſculina, eaque ſingularia cum nomine feminino & plurali recte conjungantur. Et vice verſa, ſi agatur de muliere unica & ſingulari; affixa feminina, & ſingularia cum nomine maſculino & plurali ſocientur. Horum itaque affixorum alia eſt ratio atque nominum adjectivorum quæ cum ſuis ſubſtantivis in genere, numero & caſu concordare debent, cum affixa generi & numero perſonæ vel rei de qua agitur, tantummodo reſpondeant. Sic v. g. ſi ſermo ſit de viri alicujus uxore, recte dicitur אִשְׁתּוֹ *uxor ejus*, ubi affixum ו quod maſculinum eſt, quia refertur ad virum, conjungitur cum nomine feminino אִשָּׁה *uxor*. E contrario affixum femininum הּ bene cohæret cum nomine maſculino אִישׁ *vir*, ſi agatur de mulieris alicujus viro, ſic אִישָׁהּ *vir ejus*. Idem dicendum de numeri diſcrepantia, ut: רָעוֹתָיו *malitia ejus*, ubi affixum ו ſingulare eſt & maſculinum, quia ad virum unicum referri hîc ſupponitur; nomen vero femininum & plurale. דְּבָרֶיהָ *verba ejus*, affixum הָ ſingulare eſt & femininum, quia cenſetur pertinere ad mulierem; nomen vero maſculinum & plurale. Sic nomina ſingularia & maſculina cum affixis pluralibus & femininis; & viciſſim nomina ſingularia & feminina cum affixis pluralibus & maſculinis, pro ratione generis & numeri perſonæ vel rei de qua ſermo eſt, recte componuntur. Hæc de affixorum natura, eorumque cum nominibus conjunctione ſemel monuiſſe ſufficiat.

Dativus exprimitur per eadem affixa juncta τῷ ל quod ante affixa conſona & ךָ afficitur (ְ). Excipe tamen ךָ ante quod ל notatur ad euphoniam cum (ָ) loco (ְ) ne duo qaméts ſeſe ibi conſequantur. Affixa vero vocalia motiones ſunt τῷ ל; ſeu ל iſtud aliis motionibus non afficitur, quam ipſiſmet affixis vocalibus.

Affixa autem vocalia ea ſunt quæ puris conſtant vocalibus, ut: וֹ, & יְ; aut quorum vocalis auditur ante conſonantem ſubſequentem, ut הּ, ךְ, ם, ן. Cetera vero affixa conſona ſunt, quia eorum litera conſonans in prolatione prius auditur quam vocalis ei ſubjecta, ut: הוּ, נוּ, כֶן, כֶם הֶן, הֶם, נִי, ךָ, נָה, הָ, נוּ.

Accuſativus formatur ex iiſdem affixis additis articulo אֶת־ qui hanc formam retinet ante affixa כֶן, כֶם, הֶן, הֶם. Ante alia vero, mutatur in אוֹת cujus ת afficitur (ְ) ante affixa conſona & ךָ. Excipe pariter ךָ ante quod notatur ad euphoniam cum (ָ) ut præcedens ל. Cum affixis

vero vocalibus nullas alias motiones præter ipſa affixa vocalia recipit.

Vocativus in uſu non eſt, niſi forte in ſecunda perſona ubi nominativo ſimilis eſt, præpoſito duntaxat articulo ה, ut: הָאַתָּה *ô tu*, הָאַתֶּם *ó vos*, &c.

Ablativus componitur ex affixis & præpoſitione, ſeu articulo מִן cujus ן excidit, & compenſatur per daghéſch forte in litera ſequente, modo illius recipiendi ſit capax. Secus, compenſatur & ipſum daghéſch ejectum per (‑) ſub מ loco hhiríq qatón, vide ſupra pag. 29. col. 1. ut: מֵהֶם *ab illis*, maſc. מֵהֶן *ab illis*, femin. Ante alia affixa geminatur præpoſirio מִן utroque ן excidente, ac compenſato priori quidem per daghéſch forte in ſecundo מ; poſteriori vero per aliud daghéſch forte in affixo, ut: מִמֶּנִּי *à me*, pro: מִנְמִנְנִי. Si tamen motio quæ immediate præcedit affixum, ſit magna, aut (.); ן poſterioris מִן ſine compenſatione exeidit: quia poſt (.) nunquam, poſt motionem magnam improprie ſequitur daghéſch forte. Vide ſupra pag. 29. col. 2. Sic: מִמְּךָ, non מִמֶּךָּ *à te*, מִמֶּנוּ ſecundum Judæos orienrales, non מִמֶּנּוּ *à nobis*. At Judæi occidentales (..) ſub ſecundo מ mutant in (.) ut daghéſch habeat locum, ſic: מִמֶּנּוּ; atque ita primam illam perſonam pluralem communem confundunt cum tertia ſingulari maſculina מִמֶּנּוּ *ab illo*.

Cum plura ex uno eodemque pronomine primitivo deducuntur affixa, ל & אֵת prima ſuſcipiunt. In tertia tamen perſona plurali אֵת utraque ſibi vindicat. Quod pertinet ad מ, ultima tantum affixa recipit, præterquam in tertia perſona plurali, ubi cum primis jungitur.

Verum ea omnia ex ſequenti ſchemate melius patebunt, in quo præter pronomina affixa juncta nominibus & articulis ad exprimendos pronominum primitivorum caſus obliquos, pronomina ipſa primitiva iterum exhibentur, ut ea magis magiſque à linguæ ſanctæ candidatis addiſcantur. E regione gignendi caſus, tres conſpiciuntur ſtellulæ quibus indicantur tres literæ radicales quibus, ut plurimum, conſtant nomina Hebraïca, præſertim perfecta & ſimplicia. Poſt ſtellulas ſequuntur pronomina affixa quæ juncta nomini cuilibet his aſtericis ſignificato, formant pronomina poſſeſſiva, ut: תַּלְמִידִי *diſcipulus mei*, hoc eſt, *meus*, nam pronomina illa eodem modo in lingua Hebraïca exprimuntur ac in Græca *μαθητής μου* idem. Quando plura affixa ſequuntur aſtericos, ea ſeligenda ſunt quæ formæ nominum cum iis componendorum conveniunt. Is autem affixorum, imo & motionum quæ illa ſolent antecedere, delectus in ſchemate pag. 83. apponendo, breviter &, uti ſpero, perſpicue explicabitur.

Digitized by Google

SCHEMA

Pronominum primitivorum cum obliquis eorum caſibus.

Singularis Numerus.

	Prima perſona Communis.		Secunda perſona Femin.		Secunda perſona Maſc.	Tertia Perſona Femin.		Tertia Perſona Maſc.
Nomin.	*Ego.*	אָנֹכִי vel אֲנִי	אַתְּ	*Tu.*	אַתָּה	הִיא	*Illa. Ille.*	הוּא
Genit.	*Mei.*	***י	***ךְ	*Tui.*	***ךָ	***הּ ה	*Illius.*	***ו, ו, הו
Dativ.	*Mihi.*	לִי	לָךְ	*Tibi.*	לְךָ	לָהּ	*Illi.*	לוֹ
Accuſ.	*Me.*	אוֹתִי	אוֹתָךְ	*Te.*	אוֹתְךָ	אוֹתָהּ	*Illam. Illum.*	אוֹתוֹ
Ablativ.	*A me.*	מִמֶּנִּי	מִמֵּךְ	*A te.*	מִמְּךָ	מִמֶּנָּה	*Ab illa. Ab illo.*	מִמֶּנּוּ

Pluralis Numerus.

Nomin.	*Nos.*	אֲנַחְנוּ	אַתֵּן	*Vos.*	אַתֶּם	הֵן	*Illæ. Illi.*	הֵם
Genit.	*Noſtrûm.*	***נוּ	***כֶן	*Veſtrûm.*	***כֶם	***הֶן, ן	*Illarum. Illorũ.*	***הֶם ם
Dativ.	*Nobis.*	לָנוּ	לָכֶן	*Vobis.*	לָכֶם	לָהֶן	*Illis.*	לָהֶם
Accuſ.	*Nos.*	אוֹתָנוּ	אֶתְכֶן	*Vos.*	אֶתְכֶם	אֶתְהֶן vel אוֹתָן	*Illas. Illos.*	אוֹתָם vel אֶתְהֶם
Ablativ.	Judæi Orient. *A nobis.* Judæi Occid.	מִמֶּנּוּ / מִמֶּנּוּ	מִכֶּן	*A vobis.*	מִכֶּם	מֵהֶן	*Ab illis.*	מֵהֶם

NOTÆ.

GENITIVO ſingulari & plurali tertiæ perſonæ plura in præcedenti ſchemate tribuuntur affixa, ob varias nominum formas. Ex iis enim formis aliæ cum certis quibuſdam affixis; aliæ cum aliis duntaxat conjunguntur, ut in proximo ſchemate videbimus. At quando unicum eſt affixum, illud neceſſario adhibendum, nec optioni datur locus.

APPENDIX.

Prima perſona.

מִמֶּנִּי] Cum unico מ, מִנִּי, & cum (ִ) pro (ֵ), & accentu in penultima ob pauſam מֶנִּי *a me.*

מִמֶּנּוּ] ſecundum Judæos Orientales, h. e. qui in Babylonia degunt; vel

מִמֶּנּוּ] ſecundum Judæos Occidentales qui in terra Iſraelis habitant, *à nobis.* Invenitur 4. Reg. 6. v. 11. מִשֶּׁלָּנוּ compoſitum 1°. ex מִן cujus ן tollitur & compenſatur per daghéſch forte in ש ſequenti. 2°. ex pronomine relativo שֶׁ de quo ſupra pag. 74. 3°. ex dativo plur. לָנוּ, q. d. *ex iis qui nobis*, vel *nobiſcum* ſunt. Dagh. forte imprimitur לְ ob relativum שֶׁ præced. Vide pag. 74.

Secunda

Secunda perſona.

לָךְ maſc.] Expreſſo ה ſubintellecto de quo ſupra pag. 27. col. 2. לְכָה *tibi.* In pauſa (ָ) & (ְ) ה׳ לָךְ ſedem commutant ſic : לָךְ idem, tuncque non differt, niſi ſenſu, à ſequenti לָךְ fem.

לָכִי fem.] Cum י paragogico לָכִי *tibi*, 4. Reg. 4. v. 2. Iódh iſtud hodie ſuperfluum, erat antiqua vocalis *e* quæ nunc exprimitur per (ִ) in ך ſic, לָךְ, ut ibi legendum docent Maſſorethæ. Sic ibid. v. 3. cum nomine plurali, שְׁכֵנָיְכִי cum (ִ) loco (ְ) ob pauſam, pro שְׁכֵנָיִךְ *vicini tui.* Vide etiam vv. 7. 23.

אוֹתְךָ maſc.] In pauſa (ָ) & (ְ) invicem commutatis ut ſupra in לָךְ, אוֹתָךְ *te.* Expreſſo in fine ה quod ibi latebat, vide ſupra pag. 27. col. 2. אוֹתְכָה, & in pauſa אוֹתָכָה, idem.

מִמְּךָ maſc.] Schevà ſecundi מ mutato in (ֶ) ob pauſam, daghéſch forte inſigitur affixo ךָ ad compenſandum נ hujus מ ejectum, ſic : מִמֶּךָּ *à te.*

אֶתְכֶם maſc.] אֵת mutato in אוֹת, אוֹתְכֶם *vos*, Joſ. 23. v. 15..... עַד־הַשְׁמִידוֹ אוֹתְכֶם .... *donec diſperdat ipſe vos*, &c.

מִכֶּם maſc.] Cum unico מ, ſeu præpoſitione מִן nequaquam geminata, מִכֶּם *à vobis*, maſc.

מִכֶּן fem.] Cum unico מ, ut ſupra in eadem perſona maſc. מִכֶּן *à vobis*, fem.

Tertia perſona.

לָהּ *illi*, fem.] Ter legitur לָה ſine mappíq in ה, nempe Num. 32. v. 42. Ruth. 2. v. 14. Zach. 5. v. 11.

מִמֶּנּוּ *ab illo.*] Cum unico מ affecto (ֵ) loco (ִ), & affixo הוּ cum hac forma anomalo, מֵנְהוּ ejecto daghéſch ex נ ob (ְ) ei ſuppoſitum, vide ſupra p. 29. col. 1. in fine; & מִנְהוּ *ab illo*, ubi נ notatur cum dagh. quia מִן venit ab inuſit. מנן. Vide infra מִנְּהֶם in מֵהֶם. Quinquies מִמֶּנּוּ legitur pro מִמֶּנָּה per enallagen generis maſc. pro feminino.

לָהֶן fem.] Cum ה paragogico, dagh. in נ, (ֶ) ſub ה, & accentu in penult. לָהֵנָּה *illis.*

אֶתְהֶם] אֵת mutato in אוֹת, אוֹתְהֶם *illos*, Ezech. 23. v. 45.

אֶתְהֶן] אֵת mutato pariter in אוֹת, אוֹתְהֶן *illas*, Ezech. 23. v. 47.

אוֹתָן] Cum ה paragogico, אוֹתָנָה *illas*, Exod. 35. v. 26.

מֵהֶם maſc.] Cum præpoſitione integra, מִנְּהֶם *ab illis*, maſc. Job. 11. v. 20. נ afficitur daghéſch forti ad compenſandum aliud נ ejectum, מִן enim venit à radice inuſit. מנן. Cum ה paragogico, מֵהֵמָּה *ab illis*, maſc.

מֵהֶן fem.] Cum ה paragogico, מֵהֵנָּה *ab illis*, fem.

ARTICULUS III.

De pronominibus affixis cum nominibus.

PRONOMINA poſſeſſiva integra & ſeparata more Græcorum ἐμός, σὸς, ὅς, &c. & Latinorum *meus*, *tuus*, *ſuus*, &c. Hebræi non habent, ut diximus ſupra p. 78. ſed mira brevitate, & ſingulari artificio illa exprimunt per *affixa* nominibus addita. Lege iterum quæ ibidem ſcripſimus.

Cum autem ex uno eodemque pronomine primitivo plura deducuntur affixa, ea non ſine delectu adhibentur : alia ſiquidem nominibus

Digitized by Google

non conveniunt, ut: נִי, נָה, נִי; quare in ſequenti ſchemate, quod affixa cum nominibus tantum conjungenda exhibet, deſiderantur. Alia conveniunt quidem, ſed tantum in ſingulari; alia in plurali duntaxat; alia denique tum in ſingulari, tum in plurali numero.

Præterea ex affixis, alia ſunt quæ cum certis quibuſdam nominum formis ſociantur; alia ſunt è contrario, quæ formas illas refugiunt.

Inſuper affixa reperire eſt quæ nominibus junguntur *ad purum*, h. e. abſque ulla prævia motione; vel quia affixa illa meræ ſunt motiones, ut: וֹ & ִי; vel quia nominibus deſinentibus in vocalem adjunguntur, ut ו nominibus terminatis in ִי adſcitium; ſic אָב *pater*, cum affixis aſſumit ִי, אָבִי, unde cum affixo ו, אָבִיו, & cum affixo הוּ, אָבִיהוּ *pater ejus*.

Alia ſecum afferunt certas quaſdam motiones, quibus afficitur ultima litera nominum, quæ cum affixis illis componuntur, modo tamen illa nomina non deſinant in vocalem; tunc enim perit motio quam ſecum apportat affixum: nam, ſi (ּ) furtivum excipias, in lingua Hebraïca nunquam duæ motiones ſeſe abſque literis conſonantibus immediate conſequuntur.

Denique affixorum genera quod attinet; cum primæ perſonæ pronomen primitivum ac integrum communis ſit generis: affixa, quæ ex illo deducuntur, ſunt quoque communia. Cum vero ſecundæ & tertiæ perſonæ pronomina utrumque genus agnoſcant; ſic eorum affixa utroque genere donantur; alia ſiquidem maſc. ſunt, alia vero femin.

Hæc autem omnia ex ſequenti ſchemate patent, in quo affixorum cum variis nominum formis convenientiam definientes, methodo excluſoria, utpote breviori, uſi ſumus; adeo ut affixa cum præviis eorum motionibus, his nominum formis conveniant, à quibus non excluduntur. Sic v. g. affixum וֹ convenit nomini תַּלְמִיד *diſcipulus*, in ſingulari numero; quia excluditur tantum à pluralibus, & à ſingularibus deſinentibus in ֶה, aut ſumentibus (ִי); proindeque cum nomen iſtud non ſit plurale, neque deſinat in ֶה aut ſumat (ִי): recte componitur cum וֹ ſic: תַּלְמִידוֹ *diſcipulus ejus*. Alia duo affixa reſpuit; nempe ו, quia non ſumit (ִי): & הוּ, quia non terminatur in ֶה. Eadem ratione ex duobus affixis tertiæ perſonæ ſing. femin. ſumit tantum ָהּ.

In eodem etiam ſchemate diſtinximus inter τὸ deſinere in ִי, & inter τὸ aſſumere ִי. Nomina quædam analogœs terminantur in ִי, ut: פְּרִי *fructus*, &c. Quædam licet aliter deſinant, in ſingulari tamen numero cum omnibus affixis ִי in fine adſciſcunt, ut: אָב *pater*, vide ſupra, אָח *frater*, חָם *ſocer*: quibus adjunge פֶּה *os*, *oris*, quod mutat ה in (י), & (ֶ) in (ִ), ſic: פִּי, cum affix. פִּיו *os ejus*, &c.

SCHEMA

Pronominum affixorum cum præviis eorum motionibus.

AFFIXA

	Feminina.		Communia.	Maſculina.		
	Non ſingularibus niſi terminentur in ה, aut ſumant (י)	Non pluralibus, nec ſingularibus deſinentibus in ה, aut ſumentibus (י)		Non pluralibus, nec ſingularibus niſi terminentur in ה; aut (י) vel genuinum, vel adſcititium.	Non ſingularibus niſi ſumant (י) ut: אָבִיו, אָחִיו, פִּיו *pater ejus*, &c.	Non pluralibus, nec ſingularibus deſinentibus in ה, aut ſumentibus (י) ut: אָבִי, אָחִי, פִּי, &c.
III. p. ſing.	ה	ה		יה	ו ad purũ ſing. / יו pluralibus.	ו ad purũ.
II. perſ. ſingul.		ך plur. / ך ſing.				ך plural. / ך ſingul.
I. perſ. ſingul. communis.			י pluralibus. / י ſingularibus.			
	Non pluralibus, niſi femininis, idque rarius, & ſine י indice pluralis numeri.	Non ſingularibus, niſi terminentur in ה, aut (י) ſive genuinum, ſive adſcititium.			Non pluralibus, niſi femininis, idque rarius, & ſine י indice pluralis numeri.	Non ſingularibus, niſi terminentur in ה, aut (י) ſive genuinum, ſive adſcititium.
III. perſ. plur.	ן	הן			ם	הם
II. perſ. plur.	כן pluralibus. / ſingularibus.					כם plural. / ſingul.
I. perſona plural. communis.			נו			

Schema iſtud diligenter à tyronibus obſervandum eſt, ac memoria retinendum; eo enim cognito, facile intelligent quodnam affixum, ubi plura occurrunt, aſſumendum ſit, & cum nominis cujuſlibet propoſiti forma conjungendum. Eadem etiam facilitate cognoſcent motiones, quæ in ſingulari aut plurali numero affixis præmittendæ ſunt vel omittendæ; maxime ſi in ſequentia duo nomina, quæ idcirco cum affixis conjuncta deſcripſimus, nonnihil intendant animum.

SCHEMA

Pronominum affixorum cum nominibus conjunctorum.

AFFIXA

Feminina.	Communia.	Maſculina.
	Singul. maſc. תַּלְמִיד *Diſcipulus.*	
תַּלְמִידָהּ	*ejus.*	תַּלְמִידוֹ
תַּלְמִידֵךְ	*tuus.*	תַּלְמִידְךָ
	meus. תַּלְמִידִי	
תַּלְמִידָן *earum.*		*eorum.* תַּלְמִידָם
תַּלְמִידְכֶן	*veſter.*	תַּלְמִידְכֶם
	noſter. תַּלְמִידֵנוּ	
	Plural. תַּלְמִידִים *diſcipuli.*	
תַּלְמִידֶיהָ	*ejus.*	תַּלְמִידָיו
תַּלְמִידַיִךְ	*tui.*	תַּלְמִידֶיךָ
	mei. תַּלְמִידַי	
תַּלְמִידֵיהֶן *earum.*		*eorum.* תַּלְמִידֵיהֶם
תַּלְמִידֵיכֶן	*veſtri.*	תַּלְמִידֵיכֶם
	noſtri. תַּלְמִידֵינוּ	

AFFIXA

Feminina.	Communia.	Maſculina.
	Singul. femin. תּוֹרָה *Lex.*	
תּוֹרָתָהּ	*ejus.*	תּוֹרָתוֹ
תּוֹרָתֵךְ	*tua.*	תּוֹרָתְךָ
	mea. תּוֹרָתִי	
תּוֹרָתָן *earum.*		*eorum.* תּוֹרָתָם
תּוֹרַתְכֶן	*veſtra.*	תּוֹרַתְכֶם
	noſtra. תּוֹרָתֵנוּ	
	Plural. תּוֹרוֹת *Leges.*	
תּוֹרוֹתֶיהָ	*ejus.*	תּוֹרוֹתָיו
תּוֹרוֹתַיִךְ	*tuæ.*	תּוֹרוֹתֶיךָ
	meæ. תּוֹרוֹתַי	
תּוֹרוֹתֵיהֶן *earum.*		*eorum.* תּוֹרוֹתֵיהֶם
תּוֹרוֹתֵיכֶן	*veſtræ.*	תּוֹרוֹתֵיכֶם
	noſtræ. תּוֹרוֹתֵינוּ	

Horumce pronominum affixorum cum his duobus nominibus conjunctorum interpretationes diligenter notandæ ſunt, ac memoriæ tradendæ : eas enim in aliis paradigmatis, brevitatis cauſa, omittemus. Cum autem pronomina affixa æque ſint indeclinabilia ac nomina ipſa quibus conjunguntur: idem affixum, pro ratione ſyntactica, per varios caſus explicari debet, ut : תַּלְמִידוֹ *diſcipulus ejus*, *diſcipuli ejus*, vel *ſui*; *diſcipulo ejus*, vel *ſuo*; *diſcipulum ejus*, vel *ſuum*; *ô diſcipule ejus*; *à diſcipulo ejus*, vel *ſuo.* Et ſic in aliis numeris, perſonis & generibus.

In nomine תַּלְמִיד nulla fit punctorum ob affixa mutatio, quare illud in exemplum protulimus. De ם in plurali cum affixis abjecto, agemus in §. ſequente. In nomine vero תּוֹרָה, (ָ) interdum remanet, interdum mutatur in (ַ), interdum etiam convertitur in ְ, ut in paradigmate vides; ה vero cum omnibus affixis, ſicut & in plurali, mutatur in ת. De quibus omnibus in eodem §. ſequente.

Alia etiam de cauſa motiones in nominibus mutantur; nempe ob *regimen*; cum videlicet nomen aliquod ab alio in gignendi caſu regitur, ut : דְּבַר יְהוָה *verbum Domini.* In hoc exemplo nomen regens eſt דָּבָר *verbum*, quod, cum regat יְהוָה in genitivo, mutat prius (ָ) in (ְ); poſterius vero (ָ) convertit in (ַ). Nomen autem rectum יְהוָה puncta

ſua retinet ; haud ſecus ac ſi diceretur *verbi Dominus.* Hanc punctorum mutationem cum ea quæ fit ob affixa , conjungemus ; ſunt enim affixa quædam quorum gratia puncta non aliter mutantur , ac propter ipſum regimen. Vide §. ſequentem , num. IV.

§. I.

Mutatio punctorum in nominibus ob affixa & regimen.

Antequam mutationis hujus leges proponamus , quædam obſervanda ſunt, quibus cognitis , ea punctorum mutatio, quæ tyronibus pluſculum negotii exhibere ſolet , facile , opinor , intelligetur.

I. Mutatio punctorum ob affixa plurimum accedit ad eam , quæ fit ob motionem ſingularis numeri in dualem & pluralem , & è maſculino in femininum genus. Eædem enim motiones , & iiſdem in locis mutationi obnoxiæ ſunt ; nempe (ָ) (ֵ) (ֹ) & (ָ) cum ſuis vicariis (ְ) & (ֱ). Vide ſupra pag. 56. num. 1. 2.

II. Nomina ſub duplici ratione conſiderantur ; ſunt enim vel in *ſtatu abſoluto* , vel in *ſtatu conſtructo* , ſeu in *regimine.* Dicuntur eſſe in ſtatu abſoluto , quando nec cum affixis junguntur , nec aliud alio regitur. Status conſtructus , ſeu regimen , eſt cum nomen aliquod regit aliud in gignendi caſu. Vide paulo ſupra.

III. Nomina pluralia terminationis maſculinæ quæ eſt ִים , & dualia quæ in maſculinis & femininis nominibus deſinunt in ַיִם , cum affixis & in regimine abjiciunt ם cum (.) in pluralibus , cum (.) & (ַ) in dualibus , remanente (י) quieſcente pro nota pluralis aut dualis numeri ; quod (י) quieſcens in pluralibus & dualibus conſtructis requirit (ֵ) ſub litera immediate præcedente , ut : דָּבָר *verbum* , plurale abſolutum דְּבָרִים□ *verba* , cum affixis דְּבָרָיו *verba ejus* , &c. In regimine דִּבְרֵי דָוִד *verba Davidis.* אֱלֹהַּ *Deus* , plur. abſol. אֱלֹהִים , conſtruct. אֱלֹהֵי אָבִי *Deus patris mei.* רֶגֶל *pes* , in duali abſoluto רַגְלַיִם□ , in duali conſtructo רַגְלֵי הַכֹּהֲנִים□ *pedes ſacerdotum* , in duali cum affixis רַגְלֶיךָ *pedes tui.* In prima tamen perſona ſingulari , (י) iſtud etiam abjicitur ; tuncque (י) affixum duplici munere fungitur , pronominis videlicet , & notæ pluralis numeri , ut : דְּבָרַי non דְּבָרַיי *verba mea.* Sic רַגְלַי non רַגְלַיי *pedes mei.* In ſecunda autem perſona ſingulari feminina , (י) iſtud remanet quidem , ſed pronuntiatur , ut : דְּבָרַיִךְ *verba tua* , רַגְלַיִךְ *pedes tui.*

Nomina pluralia terminationis femininæ וֹת adſciſcunt pariter י iſtud otioſum cum affixis , præterquam cum ם & ן , ut : אָב *pater* , plur. abſol. אָבוֹת *patres* , plur. cum affixis אֲבוֹתֵינוּ *patres noſtri* , &c. At cum affi-

xis ם & ן, י iſtud negligitur, ut: אֲבוֹתָם *patres eorum*, אֲבוֹתָן *patres earum.* Sic in plurali conſtructo ſola terminatio וֹת uſurpatur, vel potius retinetur ex plurali abſoluto, ut: צִדְקוֹת יְהוָה *juſtitiæ Domini*, à ſing. צְדָקָת; plur. abſol. צִדְקוֹת, plur. conſt. & cum affixis צִדְקוֹת; pluralia enim terminationis femininæ affixa omnia fere ſuſcipiunt in forma conſtructa.

IV. Ex affixis, alia ſunt *abſoluta*, alia *conſtructa* ſeu *regiminis.*

Affixa abſoluta ſic vocantur, quod in nominibus quibus junguntur, puncta ſtatus abſoluti, ſaltem in plurali numero terminationis maſculinæ, patiantur, ut: דָּבָר *verbum*, plur. abſol. דְּבָרִים *verba*, cum affixis abſolutis, דְּבָרָיו *verba ejus*, &c. Omnia autem affixa abſoluta ſunt, præter הֶם, הֶן, כֶם, כֶן, quæ appellantur affixa conſtructa, ſeu regiminis, quia iis accedentibus ad nomina, retinetur, ut plurimum, ea punctorum mutatio, quæ fit ob regimen, ut: דָּבָר *verbum* conſtr. דְּבַר, cum affixis conſtruct. דְּבַרְכֶם *verbum veſtrum.* Sic in plur. conſtr. דִּבְרֵי, cum affixis conſtructis, דִּבְרֵיהֶם *verba eorum*, &c.

V. Nomina deſinentia in ָה, in regimine ſingulari & cum omnibus affixis, h. e. tam abſolutis quam conſtructis, mutant ה in ת, ut: מַלְכָּה *regina*, conſt. מַלְכַּת שְׁבָא *regina Saba*, cum affixis abſol. מַלְכָּתוֹ *regina ejus*, &c. Cum affixis regim. מַלְכַּתְכֶם *regina veſtra*, &c. At in nominibus quæ deſinunt in ֶה, ה remanet tantum in regimine ſingulari; præcedente (ֵ), ut: מִקְנֶה *poſſeſſio*, conſtr. מִקְנֵה צֹאן *poſſeſſio ovium.* Alibi, ה cum (ֶ) præcedente abjicitur, ut: מִקְנֵהוּ *poſſeſſio ejus*, מִקְנְךָ *poſſeſſio tua*, &c. Plur. abſol. מִקְנִים *poſſeſſiones*, conſtr. מִקְנֵי, cum omnibus affixis, מִקְנֵיהֶם *poſſeſſiones eorum*, מִקְנֵינוּ *poſſeſſiones noſtræ*, &c.

VI. In mutatione punctorum ob affixa & regimen, (ֵ) (ַ) & (ֶ) ſæpius invicem permutantur, ut jam diximus. Quare cum ex analogia ſchevá mutandum eſt in (ֵ), ſæpe mutatur in (ַ) aut in (ֶ), & viciſſim quando in (ַ) convertendum eſt, ſæpe tranſit in (ֵ) vel in (ֶ), &c. quia tres illæ motiones cognatæ ſunt, & ſibi invicem affines.

VII. Lex *æquivalentiæ*, de qua ſupra pag. 56. hîc etiam locum habet; interdum enim parva motio cum daghéſch forti literæ ſequenti impreſſo, vel etiam ſine hujuſmodi daghéſch, pro magna euphonice uſurpatur, ut: גָּמָל *camelus*, plur. cum affixis גְּמַלֶּיךָ pro גְּמָלֶיךָ *cameli tui.* גְּמוּל *retributio*, cum affixis גְּמֻלְךָ pro גְּמוּלְךָ *retributio tua.* לַחְמָם pro לְחוּמָם *caro eorum*, &c.

VIII. Patháhh furtivum perit cum affixis, ſicuti in motione è ſingulari in pluralem & dualem numerum, &c. vide ſupra p. 57 ut: רוּחַ *ſpiritus*, cum affixis רוּחֲךָ *ſpiritus tuus*, &c. Accedentibus affixis, exci-

Digitized by Google

dit quoque mappíq, quod interdum imprimitur תּוֹ ה, vide ibidem, ut: גֹּבַהּ *altitudo*, גָּבְהוֹ govhó *altitudo ejus*, &c. נֹגַהּ *ſplendor*, נָגְהָם *ſplendor eorum*, &c. Perit ſimiliter ( ) תּוֹ ך finalis, ut: דֶּרֶךְ *via*, affix. דַּרְכּוֹ *via ejus*, &c.

IX. Denique accentus pauſantes, de quibus ſupra pagg. 19. 20. & fuſius infra lib 3. mutant in (ֶ) תּוֹ ſchevá quod præmittitur affixo ךָ, ut: דְּבָרְךָ, in pauſa דְּבָרֶךָ *verbum tuum.* Iidem accentus mutant etiam in (ָ) תּוֹ pathhàh affixi ַיִךְ, ut: דְּבָרַיִךְ, in pauſa דְּבָרָיִךְ *verba tua.* Sic in prima perſona ſingulari דְּבָרַי, in pauſa דְּבָרָי *verba mea.*

His prænotatis, punctorum mutationem in nominibus ob affixa & regimen expendamus.

§. II.

Mutatio (ָ) *in penultima.*

QAMÉTS penultimæ ob quamcumque cauſam, h. e. ſive ob regimen, ſive ob affixa cum abſoluta tum conſtructa, mutatur in (ְ) ſimplex ſub non gutturali; in (ְ) compoſitum, nempe (ֲ) ſub gutturali. Sequente autem altero ſchevá in ultima, ſchevá iſtud penultimæ, ſi ſimplex fuerit, mutatur in hhiríq qatón, raro in ſeghól; ſi compoſitum, videlicet (ֲ), reſolvitur in ſimplex (ַ), cujus loco interdum etiam ponitur hhiríq qatón, ut: דָּבָר *verbum*, cum affix. abſolut. דְּבָרוֹ *verbum ejus*, &c. Conſt. דְּבַר, cum affix. conſt. דְּבַרְכֶם *verbum veſtrum*, &c. Plur. abſ. דְּבָרִים *verba*, cum affix. abſ. דְּבָרָיו *verba ejus*, &c. Conſt. דִּבְרֵי, cum affix. conſt. דִּבְרֵיהֶם *verba eorum*, &c. Sic חָכָם *ſapiens*, cum affix. abſol. חֲכָמוֹ *ſapiens ejus*, &c. Conſt. חֲכַם, cum affix. conſt. חֲכַמְכֶם *ſapiens veſter*, &c. Plur. abſol. חֲכָמִים *ſapientes*, cum affix. abſol. חֲכָמָיו *ſapientes ejus*, &c. Conſt. חַכְמֵי, cum affixis conſtruct. חַכְמֵיהֶם *ſapientes eorum*, &c.

EXCIPIUNTUR

I. Nomina quædam ex Verbis quieſcentibus, & defectivis in ſecunda rad. nata, ut: צָרָה *anguſtia*, conſt. צָרַת. Affix. צָרָתָהּ *anguſtia ejus*, &c. Plurale abſol. & conſtruct. צָרוֹת *anguſtiæ*. Affix. צָרוֹתֵיהֶם *anguſtiæ eorum*. צָרוֹתֵיכֶם *anguſtiæ veſtræ*, &c. Sic אֱיָלוּת *fortitudo*, אָסוּךְ *lecythus*, בָּבָה *pupilla*, בָּמָה *excelſum*, מָגֵן *clypeus*, מָסָךְ *tegumentum*, מָעוֹז *robur*, נָפָה *agitatio*, קָמָה *ſeges*, קָרָה *frigus*, &c. Et pluralia הָרוֹת *gravidæ*, זָוִיּוֹת *anguli*, עָרִים *urbes*, שָׂרִים *principes*, רָאשִׁים *capita*. Ita quoque ex Verbis quieſcentibus in tertia radicali ה orta, אָלָה *exſecratio*, יָפָה *pulchra*, מָנָה *pars*, גָּלוּת *deportatio*, הָגוּת *meditatio*, חָזוּת *viſio*, רָמוֹת *excelſum*, &c. quæ ſaltem ob affixa (ָ) penultimæ retinent.

Huc pertinent nomina quædam diſſyllaba in ה ֶ finita, & ex verbis quieſcentibus lámedh ה derivata, quæ cum affixis abſolutis ſervant (ָ) penultimæ; in regimine vero, & cum affixis regiminis, illud mutant in (ְ) ſimplex ſub non gutturali; in (ֲ) ſub gutturali, ut: עָלֶה *folium*, conſtruct. עֲלֵה. Affix. עָלֵהוּ *folium ejus*, &c. Sic יָפֶה *pulcher*, קָצֶה,

extremitas, שֹׂדֶה *ager*, קָנֶה *calamus*, &c.

II. Quæ habent (ֵ) in penultima pro (ַ) & dagh. retinent ibi (ָ) iſtud ad compenſandum daghéſch ejectum, ut: חָרָשׁ pro חָרָּשׁ *artifex*, conſt. חָרַשׁ. Cum affixis חָרָשׁוֹ *artifex ejus*, &c. חָרַשְׁכֶם *artifex veſter*, &c. Plur. abſol. חָרָשִׁים *artifices*. Conſt. ſervato anomalos (ָ) ultimæ, חָרָשֵׁי. Affix. חָרָשָׁיו *artifices ejus*, חָרָשֵׁיהֶם *artifices eorum*, &c. Sic מְשָׁרֵת *miniſter*, סָרִיס *eunuchus*, פָּרִיץ *latro*, פָּרָשׁ *eques*, שָׂרִיג *palmes*, &c. In regimine tamen, & cum affixis, סָרִיס & פָּרִיץ mutant interdum (ָ) in (ְ) ſecundum analogiam, tuncque ſunt formæ קָצִיר, non צַדִּיק. Nomen שָׁלִישׁ *princeps*, *tribunus*, ſervat etiam (ָ) ut diſtinguatur à שְׁלִישִׁי *tertius*; unde in plurale cum affix. שָׁלִישָׁיו *principes ejus*.

III. Triſyllaba quædam feminina, quæ (ָ) penultimæ retinent ſub litera daghéſch affecta, ut: הַכָּרָה *agnitio*. Affix. abſol. הַכָּרָתוֹ *agnitio ejus*, &c. Conſt. הַכָּרַת, affix. conſt. הַכָּרַתְכֶם *agnitio veſtra*, &c. Sic אַזְכָּרָה cum daghéſch leni, *ſacrificium memoriale*, בַּקָּשָׁה *petitio*, עַוָּתָה *perverſitas*, בַּלָּהָה *terror*, quod tamen in plur. conſt. mutat (ָ) in (ְ) ſecundum analogiam, ut: בַּלְהוֹת *terrores*, ejecto daghéſch ex ל ob ſchevá ipſi ſuppoſitum. Sic cum affix. דִּבְרֹתַי *ſermones*, à ſing. inuſitato דַּבָּרָה. Sic etiam חַטָּאָה *peccatum*, ſed ſæpius contrahitur in חַטָּאת. Conſt. & interdum etiam abſol. חַטַּאת idem. Cum affix. abſol. חַטָּאתוֹ *peccatum ejus*. Cum affix. conſt. חַטַּאתְכֶם *peccatum veſtrum*. Plur. abſol. חַטָּאוֹת, conſt. & cum omnibus affixis, חַטְּאוֹת *peccata*, חַטֹּאותַי cum ו otioſo, *peccata mea*, חַטֹּאתֵיהֶם *peccata eorum*. Ejuſdem formæ eſt פָּרָשָׁה *expoſitio*, cum (ָ) ſub פ loco (ַ) & daghéſch in litera ſequente, ſic: פַּרָּשָׁה; quare utrumque (ָ) retinetur.

Huc pertinent quantum ad (ָ) penultimæ ſervatum, מְעָרָה *ſpelunca*, קְעָרָה *ſcutella*, תְּעָלָה *aquæductus*. Conſt. מְעָרַת, &c. Plur. abſol. & cum affix. תְּעָלוֹת, unde תְּעָלֹתֶיהָ *aquæductus ejus*, קְעָרֹתָיו *ſcutellæ ejus*.

Verum alia hujus formæ nomina (ָ) penultimæ mutant in (ְ); & ſchevá antepenultimæ ob concurſum, in hhiriq qatón, vel in (ַ), aut (ֶ), ſi prima vel ſecunda radicalis fuerit gutturalis, ut: צְדָקָה *juſtitia*: affix. abſol. צִדְקָתוֹ *juſtitia ejus*, &c. Conſt. צִדְקַת, cum affix. conſt. צִדְקַתְכֶם *juſtitia veſtra*, &c. Plur. abſol. צְדָקוֹת *juſtitiæ*, conſt. & cum omnibus affixis (nomina enim pluralia terminationis femininæ vulgo ſuſcipiunt affixa, etiam abſoluta, in forma regiminis) צִדְקוֹת. Cum omnibus affixis צִדְקֹתָיו *juſtitiæ ejus*, צִדְקֹתֵיכֶם *juſtitiæ veſtræ*, &c. Sic צְעָקָה *clamor*; cum affixis abſolutis צַעֲקָתוֹ *clamor ejus*, &c. Conſt. צַעֲקַת, cum affix. conſt. צַעֲקַתְכֶם *clamor veſter*. Plur. abſolutum צְעָקוֹת *clamores*. Conſt. צַעֲקוֹת. Cum omnibus affix. צַעֲקֹתָיו *clamores ejus*. צַעֲקֹתֵיהֶם *clamores eorum*, &c. עֲגָלָה *plauſtrum*. Affix. עֶגְלָתוֹ *plauſtrum ejus*. Plur. abſolut. עֲגָלוֹת, conſt. עֶגְלוֹת *plauſtra*. קְרָאָה *occurſus*, contrahitur in קְרַאת, unde cum affix. abſolutis לִקְרָאתוֹ *in occurſum ejus*, &c. conſt. & cum affix. conſt. לִקְרַאת, &c.

IV°. Nomina polyſyllaba terminata in ה præcedente duplici (ָ), & quibus præponitur litera ſervilis מ affecta (ַ), vel (.), vel (ָ), ſequente (ְ) ſub prima radicali, in reg. ſingulari mutant utrumque (ָ) in (ֶ), ut: מַמְלָכָה *regnum*, à מָלַךְ *regnavit*; conſt. מַמְלֶכֶת *regnum*. At in eodem numero cum omnibus affixis, utrumque (ָ) mutatur in duo ſchevá, quorum prius ob concurſum convertitur in (ַ), ut: מַמְלַכְתּוֹ *regnum ejus*, &c. מַמְלַכְתְּכֶם *regnum veſtrum*, &c. In plur. numero abſol. (ָ) penultimæ, formæ מַמְלָכָה remanet, ut: מַמְלָכוֹת *regna*. At in regimine, & cum omnibus affixis, (ָ) illud mutatur in (ְ), ut: מַמְלְכוֹת; affix. מַמְלְכֹתָיו *regna ejus*, &c. מַמְלְכוֹתֵיהֶם *regna eorum*, &c. Sic מִלְחָמָה *bellum*, מֶמְשָׁלָה *dominium*, מֶרְכָּבָה *currus*, plur. abſol. מַרְכָּבוֹת, conſt. & cum affix. מַרְכְּבוֹת, cum (ַ) ſub מ pro (ֶ), niſi potius ſit à forma מַרְכָּבָה.

V°. Nomina deſinentia in literam ſonantem, quam præcedit ו cum (ָ), & quorum prima rad. afficitur (ָ); illa, inquam, nomina mutant (ָ) & (ָ) in hhólem, quod ex ו conficiunt, ut: מָוֶת *mors*. Conſt. & cum omnibus affixis, מוֹת *mors*, מוֹתוֹ *mors ejus*, מוֹתְכֶם *mors veſtra*, &c. Plur. abſol. מוֹתִים

mortes,

mortes, conſt. מוֹתֵי. Cum affixis, מוֹתָיו *mortes ejus*, מוֹתֵיהֶם *mortes eorum*, &c. Sic אָוֶן *iniquitas*, *moleſtia*, &c. unde בְּאוֹנִי *in iniquitate*, vel *in moleſtia mea.* תָּוֶךְ *medium*, &c. Excipiunt עָוֶל *iniquitas*, cujus conſt. eſt עָוֶל, & cum affixis עַוְלוֹ *iniquitas ejus*. Sed eſt potius à forma abſol. עָוֶל, de qua infra.

VI°. קָבוֹל *contra*, קְטוֹב *exciſio*, קָטוֹן *minimus*, retinent (ָ) cum affixis, ut: קָבְלוֹ *contra eum*, קָטָבְךָ *exciſio tua*, קְטַנִּי *minimus meus.* In regimine tamen ſingulari קָטֹן mutat (ָ) in (ְ), ut: קְטוֹן בָּנָיו *minimus filiorum ejus*, 2. Paralip. 21. v. 17. Denique חָגוּר *accinctus*, in regimine ſing. retinet (ָ) Jud. 18. v. 11. per enallagen ſtatus abſolut. pro conſtructo.

Nomen כָּנָף *ala*, in plur. conſt. & cum affixis conſt. pro hhiriq qatón ſub prima rad. habet (ַ), ut: כַּנְפֵי, affix. conſt. כַּנְפֵיהֶם *alæ eorum*, &c. quia hhiriq qatón & (ַ) facile invicem permutantur.

Denique מוֹצָאוֹת *egreſſus*, *egreſſiones*, cum affixis retinet (ָ), ut: מוֹצָאוֹתָיו *egreſſus ejus*, Mich. 5. v. 1.

§. III.

Mutatio (ָ) *in ultima.*

QAMÉTS ultimæ in regimine ſingulari, & cum affixis regiminis; mutatur in (ַ); in regimine vero plurali, & cum affixis regiminis, mutatur in (ְ); &, ſi aliud (ְ) præceſſerit in penultima, ſchevá illud præcedens mutatur in hhiriq qatón, ſi fuerit ſimplex; in (ַ), ſi fuerit compoſitum, nempe (ֲ). Alibi remanet (ָ) ultimæ ſyllabæ, ut: מָשָׁל *parabola*, affix. abſol. מְשָׁלוֹ *parabola ejus*, &c. Conſt. מְשַׁל, affix. conſt. מְשַׁלְכֶם *parabola veſtra*, &c. Plur. abſol. מְשָׁלִים *parabolæ*, affix. abſol. מְשָׁלָיו *parabolæ ejus*, &c. Plur. conſtr. מִשְׁלֵי, affix. conſtr. מִשְׁלֵיהֶם *parabolæ eorum*, &c. Sic חָכָם *ſapiens*, conſt. חֲכַם, &c.

In nominibus deſinentibus in ָה, ה ubique mutatur in ת, & (ָ) in (ַ) in reg. ſing. & cum affix. reg. Cum affix. autem abſol. ibidem remanet. In plur. vero abſ. conſt. & cum omnibus affix. (ָ) iſtud mutatur in (וֹ), ut: צְדָקָה *juſtitia*, conſt. צִדְקַת, affix. abſol. צִדְקָתוֹ *juſtitia ejus*, affix. conſt. צִדְקַתְכֶם *juſtitia veſtra*, plur. abſol. צְדָקוֹת *juſtitiæ*, conſt. צִדְקוֹת, cum omnibus affixis, צִדְקוֹתֶיךָ *juſtitiæ tuæ*, צִדְקוֹתֵינוּ *juſtitiæ noſtræ*, צִדְקוֹתָם, & צִדְקוֹתֵיהֶם *juſtitiæ eorum*, &c. Vide infra num. 5.

EXCIPIUNTUR

I. Nomina quædam diſſyllaba, in quorum penultima eſt ſchevá ſive ſolum, ſive cum parva motione præcedente conjunctum, ut: כְּתָב *ſcriptura*, conſtruct. כְּתָב בֵּית יִשְׂרָאֵל *ſcriptura domus Iſrael*, Ezech. 13. v. 9. Sic שְׁאָר *reſiduum*, שְׁאָט *contemtus*, יְקָר *gloria*, (quamvis reperiatur etiam in conſt. יְקַר, & præcedente בּ, בִּיקַר, Pſ. 36. Heb. 37. v. 20.) מַתָּן pro מַתָּן *donum*, פִּתְגָם *verbum*, *decretum.* Quibus adjunge אוּלָם *porticus*, unde plur. conſt. אוּלַמֵּי, & cum (ֵ) & daghéſch forti per legem æquivalentiæ, אֵלַמֵּי, ubi inſuper א afficitur (ֵ) ad euphoniam, pro (וּ). Vice verſa מִשְׁפָּט *judicium*, in ſtatu abſol. habet (ַ) Levit. 24. verſ. 22. niſi ſit error amanuenſium.

II. Nomina non pauca in quibus (ָ) iſtud ſupponitur literæ daghéſch affectæ, quæque

ſaltem in plur. conſt. & cum affix. conſt. retinent (ֵ), ut: חַטָּא *peccator*, plur. conſt. חַטָּאֵי עַמִּי *peccatores populi mei*, Amos 9. v. 10. אִכָּר *agricola*, plur. cum affix. conſt. אִכָּרֵיכֶם *agricolæ veſtri*, Iſai. 61. v. 5. מַטָּע *plantatio*, מוֹרָשׁ pro מֹרָשׁ morraſch, aut מֹרָשׁ *poſſeſſio*, כַּשָּׁף *praſtigiator*, &c. Et ſine dagh. תּוֹשָׁב *inquilinus*, pl. conſt. תּוֹשָׁבֵי *inquilini*, 3. Reg. 17. verſ. 1.

Huc pertinent חָרָשׁ *artifex* & פָּרָשׁ *eques*, de quibus in §. præced. in except. num. II. ſunt enim pro חָרָּשׁ & פָּרָּשׁ, ut ibidem diximus.

III. Nomina deſinentia in א, quæ (ָ) ultimæ retinent ob א quieſcens, ut: צָבָא *exercitus*, conſt. צְבָא מִלְחָמָה *exercitus belli*. Sic מִקְרָא *convocatio*, plur. conſt. מִקְרָאֵי *convocationes*, מִבְטָא *pronunciatum*, מַשָּׂא *onus*, &c.

IV. Nomina aliquammulta, quæ mutant (ָ) ultimæ in (ַ) ſequente daghéſch, per legem *æquivalentiæ*, ut: מִשְׂגָּב *munitio*, conſt. מִשְׂגַּב. Affix. מִשְׂגַּבִּי *munitio mea*, &c. Sic: אוֹפָן *rota*, אֶתְנָן *merces meretricis*, גָּמָל *camelus*, זְמָן *tempus*, לְשָׁד *præſtans humor*, קָטָן *parvus*, שַׁאֲנָן *tranquillus*, *tranquillitas*, שָׁפָן *mus-montanus*, &c. Hanc formam ſequitur שַׁבָּת in ſing. cum affix. Nomen לָבָן *albus*, & ſubſt. *albedo*, in regim. ſing. mutat (ָ) in (ְ) loco (ַ), ſic: לְבֶן־ Gen. 49. v. 12. pro לְבָן.

Idem (ָ) mutatur in (ַ) cum affixis in fine nominum, quæ deſinunt in ה, idque euphoniæ gratia, ne videlicet ſeſe immediate conſequantur duo (ָ), quorum poſterius literam gutturalem afficit, ut: מִבְטָח *fiducia*, cum affix. מִבְטָחָם pro מִבְטַחָם *fiducia eorum*.

V. Feminina terminata in הָ, in quorum ſingulari quidem conſtructo, & cum affixis conſtructis, (ָ) mutatur in (ַ); cum affix. vero abſolutis remanet, ſecundum regulas communes. At in plurali abſoluto & conſtructo, necnon cum omnibus affixis, (ָ) mutatur in (ֹ); ה vero ubique convertitur in ת, ut: חָכְמָה *ſapientia*, affix. abſol. חָכְמָתוֹ *ſapientia ejus*, &c. Conſt. חָכְמַת, cum affix. conſt. חָכְמַתְכֶם *ſapientia veſtra*, &c. Plurale abſol. & conſt. חָכְמוֹת *ſapientiæ*. Cum omnibus affixis, חָכְמוֹתָיו *ſapientiæ ejus*, &c. חָכְמוֹתֵיהֶם *ſapientiæ illorum*, &c.

VI. Monoſyllaba (ָ) affecta, & ex verbis quieſcentibus in ſecunda radicali nata, quæ in regimine tantum ſing. & cum affixis regiminis, mutant (ָ) in (ַ); interdum etiam (ָ) illud ibidem retinent. At in ſing. cum affixis abſolutis, & in plurali tam abſoluto, quam conſtructo, & cum omnibus affixis, ſervant (ָ) ad literam quieſcentem & ejectam compenſandam, ut: צָר à rad. צוּר, conſt. צַר *hoſtis*, cum affixis abſolutis צָרוֹ *hoſtis ejus*, &c. Cum affixis conſt. צַרְכֶם *hoſtis veſter*, &c. Plur. abſol. צָרִים, conſt. צָרֵי *hoſtes*. Cum omnibus affixis, צָרָיו *hoſtes ejus*, צָרֵיהֶם *hoſtes eorum*, &c. Sic זָר *alienus*, עָב *nubes*, רָשׁ *pauper*, רָע *malus*, &c. Sic etiam Participia Benoni quieſcent. Aiin, ut: קָם *inſurgens*, plur. cum affix. קָמָיו *inſurgentes in ſe*, &c. צַר & רַע cum (ַ) in ſtatu abſol. melius deducuntur ex verbis duplicantibus ſecundam radicalem צָרַר & רָעַע, quam ex verbis צוּר & רוּעַ; ut enim verba quieſcentia & defectiva in ſecunda radic. formas ſæpe commutant: ſic & nomina ex eis derivata. Unde viciſſim ex verbis duplicantibus ſecundam radicalem, monoſyllaba quædam deducta cum (ַ), quaſi ex quieſcentibus in ſecunda radicali proficiſceretentur, notata reperire eſt, ut: הַר *mons*, זַךְ *purus*, חַם *calidus*, יָם *mare*, תָּם *integer*, &c. pro הָר, זָךְ, חָם, יָם, תָּם, &c. quod (ַ) in ſingul. conſt. & cum affixis conſtructis retinent, in plurali autem abſoluto, conſtructo, & cum omnibus affixis, adſciſcunt inſuper daghéſch forte in litera ſequenti ad compenſandam ſecundam radicalem deperditam. Si autem litera cui daghéſch iſtud imprimi debet, gutturalis fuerit vel ר, pro (ַ) adhibetur (ָ), ut: הַר conſt. הַר *mons*. Cum affix. conſtruct. הַרְכֶם *mons veſter*. Plur. abſol. הָרִים pro הַרִּים, conſt. הָרֵי pro הַרֵּי *montes*. Cum omnibus affixis, הָרָיו pro הַרָּיו *montes ejus*, &c. הָרֵיהֶם pro הַרֵּיהֶם *montes eorum*, &c. Sic nomen diſſyllabum מֵצַר *anguſtia*, in plur. conſtruct. מְצָרֵי *anguſtia*, à צָרַר. Quandoque tamen in ſing. conſt. retinetur (ָ), ut: יָם הָעֲרָבָה *mare ſolitudinis*, Deut. 4. v. 49. vel eſt enal-

Digitized by Google

lage ſtatus abſol. pro conſtr. de qua infra.

At quando monoſyllaba iſta (ֵ) inſignita deducuntur ex verbis quieſcentibus in tertia rad. ה, aut radices ſunt, in regimine ſingulari & cum affixis regiminis, mutant vulgo (ֵ) in (ַ), יָד *manus*, conſt. יַד cum affixis conſt. יֶדְכֶם cum (ֶ) loco (ַ), pro יַדְכֶם *manus veſtra*. Sic דָּם *ſanguis*, conſt. דַּם, cum affix. conſt. דִּמְכֶם *ſanguis veſter*, cum (ִ) pro (ַ). Alibi in ſing. retinent (ָ), ut: יָדִי *manus mea*, &c. In plurali autem & duali abſoluto & cum affixis abſol. (ָ) retinent, ut: יָדַיִם dual. *manus*. Affixa abſol. יָדָיו *manus ejus*. Sic דָּמָיו *ſanguines ejus*. At in plur. & duali conſt. & cum affix. conſt. (ָ) mutatur in (ְ), ut: יְדֵי *manus*. Affix. conſtruct. יְדֵיהֶם *manus eorum*. Sic דְּמֵי, דְּמֵיהֶם *ſanguines*, ſeu *cædes eorum*. Alia nomina monoſyllaba ex his verbis deducta, quæ (ֵ) iſtud retinent in ſing. conſtructo, pertinent, quoad formam iſtam, ad verba quieſcentia in ſecunda rad. ut: עֵץ עָב *trabs ligni*, i. *lignea*.

Tria illa nomina אָב *pater*, אָח *frater*, חָם *ſocer*, in regimine ſing. & cum omnibus affixis in eodem ſingulari, adſciſcunt י; vel, ſi malueris, tertia rad. ה verborum unde derivantur, mutatur in י. Præterea in reg. ſingul. & cum affixis regim. mutant (ָ) in (ֲ), ut: אָב, conſt. אֲבִי (bis ſine י & cum (ַ) אַב *pater*. Cum affix. conſt. אֲבִיכֶם *pater veſter*, &c. cum affix. abſol. remanet (ָ) אָבִיו vel אָבִיהוּ *pater ejus*, &c. Sic אָח conſt. אֲחִי *frater*, cum affix. conſt. אֲחִיכֶם *frater veſter*, &c. Cum affix. abſol. אָחִיו *frater ejus*, &c. חָם *ſocer* reperitur tantum cum affix. abſol. הָ & ךְ, ſic: חָמִיהָ *ſocer ejus*, חָמִיךְ *ſocer tuus*. In plurali autem numero, primum ex tribus illis nominibus אָב *pater*, terminatur in וֹת more nominum feminin. ac in abſoluto quidem retinet (ָ), ſic: אָבוֹת. In conſtructo autem, & cum omnibus affixis (ָ) mutatur in (ֲ), ut: conſt. אֲבוֹת *patres*. Cum omnibus affixis, אֲבוֹתַי *patres mei*, &c. אֲבוֹתֵיהֶם *patres eorum*, &c. אָח *frater*, in plur. num. abſoluto & cum affix. abſol. mutat (ָ) in (ַ), ut: אַחִים *fratres*. Affix. abſol. אַחֶיךָ *fratres tui*, אַחֵינוּ *fratres noſtri*, &c. Si ה afficiatur (ָ), pro (ַ) ſub א ſcribitur (ָ) ad euphoniam, ut: אֶחָיו *fratres ejus*, אֶחָי *fratres mei*, cum (ָ) loco (ַ) ob accentum athnáhh. In plurali autem conſt. & cum affixis conſt. א afficitur (ֲ), ut: אֲחֵי *fratres*. Affix. conſt. אֲחֵיכֶם *fratres veſtri*, &c. Tertii nominis חָם *ſocer*, exempla non inveniuntur in plur. numero, ſed tantum in ſingulari cum affix. הָ & ךְ, ut mox diximus.

§. IV.

Mutatio (ְ) in penultima.

Tsere penultimæ, ſequente (ֵ) in ultima, mutatur in (ְ) ſimplex ſub litera quæ gutturalis non eſt; in (ְ) compoſitum, ſeu (ֲ) ſub gutturali. Sequente autem altero (ְ) in ultima, ſchevá iſtud penultimæ mutatur in (ִ), ſi fuerit ſimplex; reducitur ad (ַ), ſi fuerit compoſitum, ut: לֵבָב *cor*, conſtruct. לְבַב, cum affix. abſol. לְבָבוֹ *cor ejus*, &c. Cum affixis regiminis לְבַבְכֶם *cor veſtrum*, &c. Plur. abſol. לְבָבִים *corda*, conſtruct. לִבְבֵי, cum affix. abſol. לְבָבֵינוּ *corda noſtra*, &c. Cum affixis conſt. לִבְבֵיהֶם *corda eorum*, &c. Sic עֵנָב *uva*, conſtruct. עֲנַב, cum affix. abſolut. עֲנָבוֹ *uva ejus*, &c. Cum affix. conſt. עֲנַבְכֶם *uva veſtra*, &c. Plur. abſol. עֲנָבִים *uva*, conſt. עִנְּבֵי, & cum (ִ) ſub ע loco (ַ), & cum daghéſch anomalo in נ, עִנְּבֵי *uva*, Deut. 32. v. 32. Cum affixo poëtico עֲנָבֵמוֹ *uva eorum*, ibidem.

Digitized by Google

At quando non ſequitur (ֶ) in ultima, (ֵ) iſtud penultimæ remanet tantum in regimine ſingulari, ut : סֵפֶר הַזִּכְרוֹנוֹת *liber annalium*, יֵשַׁע יְהוָה *ſalus Domini*, אֵבוּס בְּעָלָיו *præſepe Domini ſui*, &c. Alibi mutatur in (ְ) ſimplex ſub non gutturali ; in (ֲ) ſub gutturali ; quod (ְ) ſequente altero tranſit in ( ) ſi fuerit ſimplex ; in (ַ) ſi fuerit compoſitum. Sic : סֵפֶר *liber*, cum affix. סִפְרוֹ *liber ejus*, סִפְרְכֶם *liber veſter*, &c. Plur. abſol. סְפָרִים *libri*, conſtruct. סִפְרֵי, cum affix. abſolut. סְפָרָיו *libri ejus*, &c. Cum affix. conſt. סִפְרֵיהֶם *libri eorum*, &c. חֵלֶב *adeps*, cum affix. חֶלְבָּם *adeps eorum*, &c. Plur. abſol. חֲלָבִים *adipes*, conſtruct. חֶלְבֵי, cum affixis abſol. חֲלָבָיו *adipes ejus*, &c. Cum affixis conſt. חֶלְבֵהֶן, pro חֶלְבֵיהֶן *adipes earum*, &c.

EXCIPIUNTUR

I. Nomina quamplurima in quibus (ֵ) penultimæ remanet, quamvis ſit (ֶ) in ultima eorum ſyllaba. Illud autem (ֵ) perſeverans fere habet ante ſe (ְ) ſive ſimplex, ſive compoſitum ; vel poſt ſe literam quieſcentem aut expreſſam, aut ſubintellectam. Si præcedat (ְ), remanet (ֵ) ut duplicis (ְ) mobilis, quantum fieri poteſt, vitetur concurſus. Si ſequatur litera otioſa, ſervatur pariter (ֵ) ad ejus quietem compenſandam. Sic : אֲבֵדָה *perditio*, conſt. אֲבֵדַת pro אֲבֶדֶת idem. אֵיבָה *inimicitia*, conſt. אֵיבַת pro אֵיבֶת idem. Alia exempla ſunt : אֵימָה *terror*, אֲפֵלָה *caligo*, בְּרֵכָה *piſcina*, גְּזֵלָה *rapina*, הֵיכָל *palatium*, זֵעָה *ſudor*, טְמֵאָה *impura*, מַהְפֵּכָה *ſubverſio*, מֵיטַב *optimum*, מְכֵרָה *pactio*, al. *machæra*, מַגֵּפָה pro מַגְנֵפָה *plaga*, מַצֵּבָה pro מִיצְּבָה *ſtatua*, נְבֵלָה *cadaver*, פְּלֵטָה *evaſio*, *reſiduum*, צֵאָה *excrementum*, שְׁאֵלָה *petitio*, שֵׂיבָה *canities*, תְּאֵנָה *ficus*, תֵּבָה *arca*, &c. A נְבֵלָה tamen legitur etiam in conſt. נִבְלַת *cadaver* ; & cum affix. נִבְלָתוֹ *cadaver ejus*, quaſi à נִבְלָה. Invenitur etiam נְבֵלָתִי *cadaver meum*, ſervato (ֵ) ſecundum hanc exceptionem. Sic à שְׁאֵלָה, eſt שְׁאֵלָתֵךְ *petitio tua*, שֶׁאֱלָתִי, & שְׁאֵלָתִי *petitio mea*, quaſi à שְׁאֵלָה, unde cum affixis שְׁאֵלַת, & dilatato (ְ) ſub א per (ֱ) (quare pro hhiriq qatón ſub שׁ, repoſitum eſt (ֶ) ſecundum dilatationis leges ſupra pag. 34. col. 1.) שֶׁאֱלַת, & cum affixis שֶׁאֱלָתִי *petitio mea*.

Nomen בְּהֵמָה *beſtia*, habet in ſingulari conſt. בֶּהֱמַת, mutato videlicet ex analogia (ֵ) in (ַ), & priori (ְ) in hhiriq qatón ; deinde dilatato (ְ) ſub ה in (ֱ), & repoſito (ֶ) ſub ב loco hhiriq qatón, ut in voce שֶׁאֱלָתִי, fit ſingul. conſt. בֶּהֱמַת. In eodem ſingulari cum omnibus affixis uſurpatur forma בֶּהֱמַת, unde בֶּהֶמְתְּךָ *beſtia tua*, &c. cum (ֶ) ſub ה loco (ֱ) ſic : בֶּהֶמְתְּךָ ; in nominibus enim hujus formæ cum affixis, duo ſeghól mutantur in duo ſchevà, quorum prius ob concurſum tranſit in (ֶ), ut videbimus infra. In plur. abſoluto retinetur (ֵ) בְּהֵמוֹת *beſtiæ*. At in regimine, & cum omnibus affixis, quæ ex analogia adjungi poſſunt, (ְ) iſtud mutatur in (ֲ) ob gutturalem, quare ב notatur cum (ַ) ſic : בַּהֲמוֹת שָׂדָי *beſtiæ agri*, Pſal. 8. verſ. 8. Cum affixis בַּהֲמוֹתָיו *beſtiæ ejus*, בַּהֲמוֹתֵיהֶם *beſtiæ eorum*, &c.

II. Nomina (ֵ ֶ) h. e. quæ habent (ֵ) in penultima, & (ֶ) in ultima cum litera ſonante in fine, in quibus (ֵ) literæ gutturali ſubjectum, in ſingul. numero cum affixis omnibus ; & plurali conſt. necnon cum affixis conſtructis, mutatur quidem in (ְ), ſed concurrente altero non mutatur vulgo in hhiriq qatón, ſed in (ֶ), ut : עֵגֶל *vitulus*, affix. abſol. עֶגְלוֹ *vitulus ejus*, &c. affix. conſt. עֶגְלְכֶם *vitulus veſter*, &c. Plur. abſol. עֲגָלִים *vituli*. affix. abſol. עֲגָלָיו, *vituli ejus*, &c. Plur. conſt. עֶגְלֵי, affix. conſt. עֶגְלֵיהֶם *vituli eorum*, &c. Sic חֵלֶק *pars*, חֵפֶץ *voluntas*,

עֵזֶר *auxilium*, עֵרֶךְ *æſtimatio*, &c. Analogiam ſequuntur, אֵמֶר *ſermo*, אֵשֶׁת *uxor*, חֹזֶק *fortitudo*, חֵקֶר *perveſtigatio*, חֵשֶׁק *deſiderium*, נֵרְדְּ, vel reſoluto (ֵ) in duplex (ְ) נֵרְדְּ *nardus*, &c. quæ prius ſcheva natum ex (ֵ) mutant in ( ) loco (ֵ), ut: אִמְרִי *ſermo meus*, &c. חִקְרֵי plur. conſt. *perveſtigationes*, &c. אֵשֶׁת tamen ſemel mutat iſtud ſchevá in (ֵ), ut: אֶשְׁתְּךָ *uxor tua*, Pſal. 127. Hebr. 128. v. 3.

Quando ultima nominis ſyllaba deſinit in ה præcedente (ֵ), tſeré penultimæ remanet, quia vicinus eſt accentus, ut: רֵעֶה *amicus*, *ſocius*, cum affix. רֵעֵהוּ *amicus ejus*. At מֵרֵעַ idem, cum affixis modo ſervat (ֵ) penultimæ, ut: מֵרֵעֵהוּ *amicus ejus*, Gen. 26. v. 26. modo mutat illud in (ִ), ut: מֵרֵעֵהוּ, Prov. 19. verſ. 7. ubi tamen exemplaria quædam, etiam accuratiora, habent (ֵ). Utrobique autem affixum הו præter analogiam eſt loco ו, ſed de hac anomalia infra. Niſi pro מֵרֵעַ fingatur forma מֵרֵעֶה.

§. V.

Mutatio (ֵ) *in ultima.*

TSERÉ ultimæ, præcedente (ָ) in penultima, eodem modo mutatur aut remanet ac (ָ) ultimæ; hoc eſt, in regimine ſingulari & cum affixis regiminis, mutatur in (ֶ). In plurali conſtructo & cum affixis conſtructis convertitur in (ְ). Alibi remanet, ut: זָקֵן *ſenex*, affix. abſol. זְקֵנוֹ *ſenex ejus*, &c. Conſt. זְקַן, affix. conſt. זְקַנְכֶם *ſenex veſter*, &c. Plur. abſol. זְקֵנִים, affix. abſol. זְקֵנָיו *ſenes ejus*, &c. Plur. conſt. זִקְנֵי, affix. conſt זִקְנֵיהֶם *ſenes eorum*, &c.

At quando non præcedit (ָ) in penultima, (ֵ) ultimæ remanet tantum in ſingul. conſtructo, ut: יוֹצֵר *formator*, conſt. יוֹצֵר הָאָרֶץ *formator terræ*. Alibi mutatur in ſchevá, quod, concurrente altero, convertitur in (ִ), quandoque in ( ), interdum etiam in (ֶ), maxime ſi ſecunda aut tertia radicalis fuerit gutturalis, ut: יוֹצְרוֹ *formator ejus*, יוֹצֶרְךָ *formator tuus*, יוֹצֶרְכֶם *formator veſter*. Plur. abſol. יוֹצְרִים *formatores*, affix. abſol. יוֹצְרָיו *formatores ejus*, &c. Plur. conſt. יוֹצְרֵי *formatores*, cum affix. conſt. יוֹצְרֵיהֶם *formatores eorum*. Sic רֹכֵב *aſcenſor*, רֹכְבוֹ *aſcenſor ejus*, &c. אוֹיֵב *inimicus*, אוֹיִבְךָ *inimicus tuus*, cum hhiríq pro (ְ). גּוֹאֵל *redemtor*, גֹּאַלְךָ *redemtor tuus*, cum (ַ) pro (ְ). Sic בּוֹרֵא *creator*, בּוֹרַאֲךָ *creator tuus*: מִזְבֵּחַ *altare*, מִזְבַּחֲךָ *altare tuum*, &c. ubi (ְ) ſimplex dilatatur in (ֲ) ob gutturalem cui ſubjicitur.

EXCIPIUNTUR

I. Aliquot nomina, quæ ſaltem in regimine tam ſingulari quam plurali, (ֵ) ultimæ retinent, quamvis præceſſerit (ָ) in penultima, ut: אָבֵל *lugens*. conſt. כַּאֲבֶל־אֵם *ſicut lugens matrem*, Pſal. 34. Heb. 35. v. 14. ubi eſt (ֶ) pro (ֵ) ob maqqíph. Vel (ֶ) iſtud eſt loco (ֵ), ſicque ſervatur analogia. Plur. abſol. אֲבֵלִים, conſt. אֲבֵלֵי, unde אֲבֵלֵי צִיּוֹן *lugentes Sionis*, Iſai. 61. v. 3. Sic הָבֵל *vanitas*, חָלָב *lac*, חָפֵץ *volens*, יָשֵׁן *dormiens*, שָׁכֵחַ *oblitus*, שָׂמֵחַ *lætans*, יָוֵן *lutum*, יָפֵחַ *ſpirans*, &c.

II. Quæ ante illud (-) immediate habent (·) ut: פְּאֵר *ornamentum.* Affix. פְּאֵרְךָ *ornamentum tuum*, &c. Plur. פְּאֵרִים *ornamenta.* Affix. פְּאֵרֵיכֶם *ornamenta veſtra.* Invenitur in plur. conſt. פַּארֵי pro פְּאֵרֵי, ſed venit à forma inuſit. פַּאַר aut פֹּאַר. Sic אַבְנֵט *balteus*, בְּאֵר *puteus*, cujus plur. conſtruct. eſt בְּאֵרֹת quaſi à בְּאֵרָה, זְאֵב *lupus*, כְּאֵב *dolor*, מֻרְאָה *ingluvies*, מַשְׁחֵת *perditio*, שְׁאֵר *caro*, &c. מוֹסֵר *vinculum*, retinet etiam (-) in plur. cum affixis, ut: מוֹסֵרַי *vincula mea.* מִזְבֵּחַ *altare*, in regimine ſing. contrahit (-) & (-) furtivum in (-), ſic: מִזְבַּח. In eodem regimine מַקֵּל *baculus* mutat (-) in (-) מַקַּל quaſi ab abſoluto מַקָּל.

III. Monoſyllaba ex verbis ſecundam radicalem geminantibus orta, quæ in ſingulari tantum abſol. & conſt. (-) retinent, alibi vero illud mutant in hhiriq qatón ſequente daghéſch forti ad literam excidentem compenſandam, ut: עֵת *tempus*, conſt. idem. Affix. עִתּוֹ *tempus ejus*, &c. Plur. abſol. עִתִּים *tempora*, conſt. עִתֵּי. Affix. עִתֶּיךָ *tempora tua*, &c. à rad. עָתַת. Sic אֵם *mater*, אֵשׁ *ignis*, חֵךְ *palatum*, חֵן *gratia*, חֵץ *ſagitta*, לֵב *cor*, &c. קֵן *nidus* invenitur cum (-) in regimine ſing. קַן, niſi ſit error amanuenſium: ex (-) enim cujus duo puncta ſeſe contingunt, facile naſcitur (-). כֵּן *baſis*, *officium*, cum affixis mutat etiam (-) in (-) ſic, כַּנּוֹ, & in pauſa כַּנֶּךָ *baſis tua.* Vel eſt ab inuſitato כֵּן à rad. itidem inuſit. כנן.

His monoſyllabis adjungenda ſunt diſſyllaba ex iiſdem verbis ſecundam radicalem geminantibus orta, ut: מָגֵן *clypeus*, à rad. גָּנַן *protexit*, cum affix. מָגִנִּי *clypeus meus*, &c.

Quæ vero monoſyllaba proficiſcuntur à verbis quieſcentibus in ſecunda radicali, (-) ubique retinent ad compenſandam ſecundam rad. deperditam, ut: עֵד *teſtis*, ab עוּד *teſtari*, in conſt. עֵד, cum affixis, עֵדִי *teſtis meus*, עֵדְכֶם *teſtis veſter*, &c. plur. abſol. עֵדִים *teſtes*, conſt. עֵדֵי, cum omnibus affixis, עֵדַי *teſtes mei*, עֵדֵיהֶם *teſtes illorum*, &c. Sic אֵל *Deus*, אֵלִי *Deus meus*, &c. גֵּר *peregrinus*, זֵר *corona*, כֵּן *rectus*, גֵּד *acervus*, נֵר *lucerna*, עֵר *vigil*, רֵעַ *vociferatio*, unde בְּרֵעֹה *in vociferatione ejus*, cum ה pro ו. רֵשׁ *pauper*, שֵׂחַ *meditatio*, שֵׂחוֹ *meditatio ejus*, &c. כֵּן *baſis*, &c. vide in præced. numero.

Quæ autem ex aliis quieſcentibus derivantur, aut ſunt radices, partim retinent (-), partim illud mutant in (·).

Retinent, רֵעַ *ſcientia*, רֵעַ *amicus*, &c. ut: רֵעִי *ſcientia mea*, רֵעוֹ *amicus ejus*, רֵעֲךָ, & in pauſa רֵעֶךָ *amicus*, *proximus tuus*, רֵעִי *amicus meus*, &c.

Mutant, שֵׁם *nomen*, בֵּן *filius*, עֵץ *lignum*, &c.

שֵׁם quidem in ſing. conſt. & in plur. abſoluto retinet (-); alibi vero illud mutat in (·), quod, altero concurrente, tranſit in hhiriq qatón, ut: שֵׁם *nomen*, conſt. idem. Affix. שְׁמוֹ *nomen ejus*, &c. שִׁמְךָ *nomen tuum*, &c. Plur. abſol. in forma fem. שֵׁמוֹת *nomina.* Conſtruct. & cum omnibus affixis, שְׁמוֹת, unde שְׁמוֹתָם *nomina eorum*, שְׁמוֹתֵיכֶם *nomina veſtra*, &c.

בֵּן *filius* in reg. ſing. præſertim ante maqqáph, mutat (-) in (·), quandoque etiam in hhiriq qatón, ut: בֶּן־מָוֶת *filius mortis*, בִּן הַכּוֹת *filius percuſſionis.* In hoc ſing. cum omnibus affixis, (-) mutatur in (·), & ob alterius concurſum, in (·), ut: בְּנוֹ *filius ejus*, בִּנְךָ *filius tuus*, &c. At in plur. abſol. & cum affixis abſol. (-) mutatur in (·), ut: בָּנִים *filii.* Cum affix. abſol. בָּנָיו *filii ejus*, &c. Vel (·) iſtud venit à ſing. inuſit. בָּנֶה. In plur. conſt. & cum affix. conſt. (-) mutatur in (·), ut: בְּנֵי, cum affix. conſt. בְּנֵיהֶם *filii eorum*, &c.

Nomen plur. פָּנִים *facies*, mutat vel retinet (·) ut בֵּן, ſic: פָּנָיו *facies ejus*, maſc. פָּנֶיהָ *facies ejus*, fem. פָּנֶיךָ *facies tua*, maſc. פָּנַיִךְ, & in pauſa פָּנָיִךְ *facies tua*, fem. פָּנַי, & in pauſa פָּנָי *facies mea*, com. Plur. conſt. פְּנֵי *facies.* Cum affix. conſt. פְּנֵיהֶם *facies eorum*, פְּנֵיכֶם *facies veſtra*, &c.

עֵץ *lignum* ubique retinet (-), præterquam in plurali conſtructo, ut: עֵצוֹ *lignum ejus*, עֵצְךָ *lignum tuum.* Plur. abſol. עֵצִים *ligna.* Cum affix. abſol. עֵצָיו *ligna ejus*, maſc. עֵצֶיהָ *ligna ejus*, fem. עֵצֶיךָ *ligna tua*, maſc. עֵצַיִךְ *ligna tua*, fem. עֵצֵינוּ *ligna noſtra.* At in plur. conſt. (-) mutatur in (-), ut: עֲצֵי *ligna.*

Digitized by Google

§. VI.

Mutatio (׳) *in penultima.*

HHÓLEM penultimæ non mutatur, niſi ſequatur in ultima (ֵ), vel (ַ) pro (ֵ), cum litera ſonante in fine; tunc enim remanet in regimine ſingulari tantum; nam in eodem numero cum omnibus affixis, in plur. conſt. & cum affix. conſt. mutatur in qaméts hhatoúph. In plurali autem abſoluto & cum affixis abſolutis, mutatur in hhateph qaméts hhatoúph, ut: קֹדֶשׁ *ſanctitas*, conſtruct. idem; cum omnibus affixis קָדְשׁוֹ qodhſchó *ſanctitas ejus*, קָדְשְׁךָ qodhſchechá *ſanctitas tua*, קָדְשְׁכֶם qodhſchechém *ſanctitas veſtra*, &c. Plur. abſol. קֳדָשִׁים *ſanctitates*, cum affix. abſol. קֳדָשָׁיו *ſanctitates ejus*, &c. Plur. conſt. קָדְשֵׁי qodhſché *ſanctitates*, cum affixis conſtruct. קָדְשֵׁיהֶם qodhſchehém *ſanctitates eorum*, &c.

Sic cum (ַ) ponitur pro (ֵ), ut: אֹרַח *ſemita*, conſt. idem, cum omnibus affixis אָרְחוֹ orhhó *ſemita ejus*, אָרְחֲכֶם orhhachém *ſemita veſtra*, &c. Quando ſecunda radicalis guttur. eſt, pro (ְ) ſimplici in quod mutatur (ֵ) aut (ַ) ultimæ, ut dicemus infra §. 8. reponitur (ְ) ſi non ſequatur (ְ); ſi vero ſequatur hujuſmodi (ְ), ſubjicitur qaméts hhatoúph, ut: אֹהֶל *tabernaculum*, אָהֳלוֹ óholó *tabernaculum ejus*, אָהָלְךָ óholchá *tabernaculum tuum*, &c. Sic quando (ַ) eſt pro (ֵ), ut: פֹּעַל *opus*, פָּעֳלוֹ póoló *opus ejus*, פָּעָלְךָ póolchá *opus tuum*, &c.

EXCIPIUNTUR

I. Nomina quædam, quæ in plurali abſoluto, & cum affixis abſol. retinent hhólem, quamvis etiam illud mutent in (ֳ) ex analogia, ut: אֹרַח *ſemita*, plur. abſol. אֳרָחוֹת, & אֹרְחוֹת *ſemitæ*. Cum affixis, אֳרְחוֹתָיו, & ſecundum Judæos Orientales, אֹרְחוֹתָיו *ſemitæ ejus*, אֳרְחוֹתֶיךָ, & אֹרְחוֹתֶיךָ *ſemitæ tuæ*; אֳרְחוֹתַי, & אֹרְחוֹתַי *ſemitæ meæ*. Ita אֹהֶל *tabernaculum*, in plur. abſol. אֹהָלִים *tabernacula*. Cum affix. abſol. אֹהָלָיו *tabernacula ejus*, &c. Forte etiam plurale iſtud eſt à ſing. inuſitato אֹהַל, formæ כּוֹכָב. At in plur. conſt. & cum affixis conſt. hhólem mutatur in (ָ) hhatoúph, ſecundum ſuperiorem doctrinam, ut: אָהֳלֵי, & cum affixis conſt. אָהֳלֵיהֶם *tabernacula eorum*, &c.

II. Aliquot itidem nomina, quæ hhólem iſtud in plur. abſoluto, & cum affixis abſolutis, mutant in (ָ), ut: קֳדָשִׁים, & קָדָשִׁים *ſanctitates*; unde קֳדָשָׁיו, & קָדָשָׁיו *ſanctitates ejus*, קָדָשַׁי *ſanctitates meæ*. Sic à שֹׁרֶשׁ *radix*, invenitur שָׁרָשָׁיו *radices ejus*, &c. Poſtremum iſtud exemplum referri poteſt ad formam חָרָשׁ, de qua ſupra pag. 88. col. 1. Vide etiam pag. 61. §. V. in except.

III. Nomina פֹּעַל *opus*, תֹּאַר *forma*, & ſi quæ ſunt alia, quæ in ſingulari numero cum affixis ſaltem abſol. hhólem retinent, & mutant ex analogia, ut . פֹּעֲלוֹ & פָּעֳלוֹ *opus ejus*; תֹּאֲרוֹ & תָּאֳרוֹ *forma ejus*.

IV. Nonnulla nomina in quibus hhólem mutatur in (ֻ) loco (ָ hhatoúph); duæ enim illæ motiones ſæpius ad euphoniam invicem permutantur, ut: גֹּדֶל *magnitudo*,

גָּדְלוֹ *magnitudo ejus*, מַשְׂכֹּרֶת *merces*, מַשְׂכֻּרְתִּי *merces mea*, חֹפֶשׁ *libertas*, חָפְשָׁה *libertas ejus*, abſque mappiq in ה; סֹבֶךְ *perplexitas*, סֻבְּכוֹ *perplexitas ejus*. חֹצֶן *brachium*, habet חָצְנִי, & חִצְנִי cum hhiriq qatón, *brachium meum*. At vel hhiriq iſtud error eſt amanuenſium; vel חִצְנִי venit ab inuſitato חֵצֶן, aut חֶצֶן.

Nomen fem. גֻּלְגֹּלֶת *caput*, &c. in plur. cum affix. habet גֻּלְגְּלֹתָם *capita eorum*, quaſi à ſingul. גֻּלְגֹּלֶת, unde plur. abſol. גֻּלְגָּלֹת, conſt. & cum affix. גֻּלְגְּלֹת.

Nomen maſc. צִפֹּרֶן *unguis*, in plurali numero ſumit affixa abſol. in forma duali, ſic: צִפָּרְנֶיהָ tſipporneha, Deut 21. v. 12. quaſi à duali צִפָּרְנַיִם tſippornáiim, pro צִפֹּרְנֶיהָ tſipporanéha, aut צִפָּרְנֹתֶיהָ *ungues ejus*. Vel reipſa numerus dualis eſt cum affixo.

Cum poſt (ֹ) ultimæ ſequitur litera quieſcens, nempe ה, hhólem penultimæ remanet; & in conſt. (ֶ) mutatur in (ֵ), ut: רֹעֶה *paſtor*, conſt. רֹעֵה צֹאן *paſtor ovium*. Cum affixis, ה & (ֶ) præcedens excidunt, ut: רֹעִי *paſtor meus*. Sed de his infra.

Quamvis א in fine quieſcat, nihilominus tamen puncta mutat perinde ac ſi ibidem legeretur, ut: דֹּבֶא *ſermo*, conſt. idem. Cum affixis, דָּבְאֵךְ dobhéch *ſermo tuus*. Sic סֹבֶא *merum*, *vinum*, סָבְאֵךְ ſobhéch *merum tuum*, סָבְאָם ſobhám *merum eorum*, &c. Denique pro (ֳ) in quod mutatur (ֹ) natum ex (ֹ) vel (ֶ), interdum reponitur ſimplex (ָ), ut: בְּאֹשׁ *fœtor*, בָּאְשׁוֹ boſchó *fœtor ejus*, בָּאְשָׁם boſchám *fœtor eorum*, pro בָּאְשׁוֹ, &c.

§. VII.

Mutatio (ֹ) *in ultima.*

HHÓLEM ultimæ vulgo non mutatur, niſi in nominibus ex verbis ſecundam radicalem geminantibus, derivatis; tunc enim extra regimen ſingulare ubi remanet, mutatur in (ֻ) vel in (ֳ hhatoúph) ſequente daghéſch forti ad ſecundam radicalem excidentem compenſandam, ut: מָעוֹז *fortitudo*, à verbo עָזַז *fortis fuit*, *roboratus eſt*, &c. Conſt. idem. Cum omnibus affix. מָעֻזּוֹ *fortitudo ejus*, מָעֻזִּי, & cum ו pro (ֻ) & dagh. per legem æquivalentiæ, מָעוּזִי *fortitudo mea*, מָעוּזְּכֶם *fortitudo veſtra*, &c. Plur. abſol. מָעֻזִּים *fortitudines*, conſt. מָעֻזֵּי, cum omnibus affix. מָעֻזָּיו *fortitudines ejus*, מָעֻזֵּיהֶם *fortitudines eorum*, &c. Sic monoſyllaba ex iiſdem verbis orta, ut: חֹק *decretum*, à rad. חָקַק *decrevit*, cum affix. חֻקִּי vel חָקִּי hhoqqí *decretum meum*, &c. In his enim, ut mox diximus, (ֳ hhatoúph) pro (ֻ) non raro uſurpatur. עֹז *fortitudo*, עָזִּי ozzí *fortitudo mea*, עָזְּךָ ozzekhá *fortitudo tua*, &c. כֹּל *omnis*, *omnes*, *omnia*; *totus*, *univerſus*, &c. cujuſvis generis & numeri, כֻּלֹּה pro כֻּלּוֹ *totus ipſe*, כֻּלָּם *univerſi ipſi*, &c. Alia vero monoſyllaba, quæ ex verbis ſecundam radicalem geminantibus non derivantur, retinent hholém, ut: אוֹר *lux*, conſt. idem, cum affixis אוֹרְךָ *lux tua*, אוֹרְכֶם *lux veſtra*, &c.

EXCIPIUNTUR

I. Nomina ex verbis ſecundam radicalem geminantibus orta, quibus à fine accedit litera ſervilis: illa enim hhólem retinent, ut: חַלּוֹן *feneſtra*, ab חָלַל *perforatus eſt*, plur. abſol.

Digitized by Google

abſ. חַלּוֹנִים *feneſtræ*, conſt. חַלּוֹנֵי, cum affix. חַלּוֹנֵינוּ *feneſtræ noſtræ*, &c. Sic גָּרוֹן *guttur*, סִלּוֹן vel סַלּוֹן *ſpina*, רִמּוֹן *malus punica*, &c. Ratio exceptionis eſt, quod hhólem mutetur in (ֻ) ob ſequens daghéſch forte, quod non venit communiter poſt motiones magnas, vide ſupra pag. 29. col. 2. Cum autem in his nominibus daghéſch non ſequatur poſt hhólem iſtud, ideo hhólem invariatum remanet.

Quidam huc referunt מָחוֹל *chorus*, ab חָלַל in poël *ſaltavit*, unde cum affix. מְחוֹלֵנוּ *chorus noſter*; ſed derivatur potius ab inuſit. פָּחֹל: diſſyllaba enim à verbis duplicantibus ſecundam rad. formata, (ָ) penultimæ non mutant, cum è contrario in מָחוֹל convertatur in (ְ), ut ex exemplo mox allato liquet. מָחוֹל itaque eſt formæ קָדוֹשׁ.

II. Nomina quorum ſecunda & tertia radicalis gutturalis eſt, aut ר, ac proinde daghéſch recipiendi incapax: illa enim retinent hhólem daghéſch excidentis compenſandi gratia, ut: חֹר *foramen*, ab חָרַר, plur. abſol. חֹרִים, pro חֻרִּים hhorrim, aut חֹרִים *foramina*. Conſt. חֹרֵי. Cum affix. חֹרֵיהֶם *foramina eorum*, &c.

III. Pauca nomina, quæ licet ex verbis ſecundam radicalem geminantibus non ſint orta, mutant tamen hhólem ultimæ, alia quidem in (ְ), ut: אַרְמוֹן *palatium*, plur. cum affixis, אַרְמְנוֹתָיו *palatia ejus*; niſi ſit à ſing. inuſitato אַרְמֹנָה. Vide ſupra pag. 61. col. 2. in fine. Alia vero in (ֻ) etiam ſub non gutturali, ut: סֵבֶל *onus*, סֻבֳּלוֹ *onus ejus*. Sic קָדְקֹד qodhqódh *vertex*, cum affix. קָדְקֳדוֹ qodhqodhó, & ſecundum alia exemplaria קָדְקֳדוֹ qodhqedhó *vertex ejus*, &c. Alia denique in (ֳ hhatoúph) ſequente daghéſch forti, idque per legem *æquivalentiæ*, ut: קָטֹן *minimus*, affix. קָטָנִּי *minimus meus*. קֹבֶל *contra*, קָבֳלוֹ *contra eum*. In quibus (ֳ) ſcribitur pro (ָ hhatoúph) in favorem rudiorum; nam poſt (ֳ) verum ac genuinum, nunquam ſequitur daghéſch forte. Vide ſupra pag. 29. col. 2. קֹטֶב *excidio*, קָטָבְךָ qatovechà *excidio tua*, ubi daghéſch ex litera ב excidit ad euphoniam, ob ſchevà ipſi ſuppoſitum. In his tribus nominibus (ָ) ſub prima rad. eſt (ָ) magnum, quamvis ante (ָ hhatoúph) non finale: quia ut illa figura (ָ) ſit qaméts hhatoúph ante aliud qaméts hhatoúph non finale, neceſſe eſt ut veniat ab hhólem; nam qaméts magnum non mutatur in qaméts hhatoúph. Vide ſupra pag. 40. col. 1.

IV. Tria nomina אֱנוֹשׁ *homo*, יוֹם *dies*, רֹאשׁ *caput*, quæ in plurali abſoluto, & cum affixis abſolutis, mutant hhólem in (ָ), ut: אֲנָשִׁים *homines*, אֲנָשָׁיו *homines ejus*, &c. יָמִים *dies*, יָמָיו *dies ejus*, &c. רָאשִׁים *capita*, *primores*, רָאשָׁיו *primores ejus*, &c. At in plur. conſt. & cum affix. conſt. (ָ) natum ex hhólem mutant in (ְ), ſic: אַנְשֵׁי, & cum affix. אַנְשֵׁיהֶם *homines eorum*. יְמֵי, & cum affix. conſt. יְמֵיהֶם *dies eorum*. At רָאשׁ retinet (ָ) ob א quieſcens, ut: רָאשֵׁי, & & cum affix. רָאשֵׁיהֶם *primores eorum*, &c. Forte pluralia illa veniunt ab inuſitatis ſingularibus אֱנָשׁ, יָם, & רָאשׁ; vel ideo hhólem ſingularis numeri mutatur in (ָ) in plurali, quia ſonus *â* qaméts compoſitus eſt ex *a* & *o*. Vide ſupra pag. 15.

§. VIII.

Mutatio (ֶ) *in penultima & in ultima ſyllaba.*

SEGHÓL in penultima remanet, niſi ſequatur in ultima aliud (ֶ), aut (ַ) pro (ֶ), cum litera ſonante in fine, aut א, quod ibi literæ ſonantis, quantum ad punctorum mutationem attinet, vices fungitur, ut: אֶשְׁכָּר *munus*, cum affix. אֶשְׁכָּרְךָ *munus tuum*. פֶּחָם *carbo*, plurale cum affix. פֶּחָמָיו *carbones ejus*, &c. At quando ſequitur hujuſmodi (ֶ), aut (ַ) pro (ֶ), in ultima ſyllaba dictionis, quæ deſinit in literam ſo-

Digitized by Google

nantem, vel אּ; tunc (ֵ) penultimæ remanet in ſolo regimine ſingulari. Alibi mutatur in (ְ) quod, altero concurrente, tranſit vulgo in hhiríq qatón. Exempla mox proferentur.

INTERDUM ad euphoniam ſchevá pathàhh reducitur ad ſimplex (ַ), ut: זַעַם *indignatio*, cum affixis זַעְמוֹ, pro זַעֲמוֹ *indignatio ejus*, זַעְמֶךָ in pauſa, *indignatio tua*, זַעְמִי *indignatio mea*, &c.

Sic לֶחֶם *panis*, & רֶחֶם *vulva*, cum duplici (ֶ) pro duplici (ַ), quamvis ſecunda eorum radicalis ſit ח, ut: לַחְמוֹ *panis ejus*, maſcul. רַחְמָהּ *vulva ejus*, femin. &c.

§. XIII.

NOMINA formæ מִקְנֶה *poſſeſſio*, hoc eſt, quæ deſinunt in ה præcedente (ֶ), ה iſtud retinent in ſolo regimine ſingulari, ubi inſuper (ֶ) mutatur in (ֵ). Alibi, id eſt, in ſingul. cum omnibus affix. in plur. abſol. conſtr. & cum omnibus affixis, ה, & (ֶ) præcedens abjiciuntur. Nam in מִקְנֵהוּ, v. g. ה pertinet ad affixum, minime vero ad nomen ſubſtantivum מִקְנֶה.

Sing. { Abſol. מִקְנֶה / Conſt. מִקְנֵה } *poſſeſſio.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
מִקְנָהּ		מִקְנֵהוּ
מִקְנֵךְ		מִקְנְךָ
	מִקְנִי	
מִקְנָן		מִקְנָם
מִקְנְכֶן		מִקְנְכֶם
	מִקְנֵנוּ	

Plur. { Abſol. מִקְנִים / Conſt. מִקְנֵי } *poſſeſſiones.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
מִקְנֶיהָ		מִקְנָיו
מִקְנַיִךְ		מִקְנֶיךָ
	מִקְנַי	
מִקְנֵיהֶן		מִקְנֵיהֶם
מִקְנֵיכֶן		מִקְנֵיכֶם
	מִקְנֵינוּ	

HANC formam imitantur nomina formæ שָׂדֶה *ager*, quæ (ָ) penultimæ ubique retinent, præterquam in ſingulari conſtructo, & cum affixis conſtr. Item in plurali conſt. & cum affix. conſt. ubi mutatur in (ְ), ut: ſing. conſt. שְׂדֵה, cum affix. conſt. שְׂדֵכֶם, cum affix. abſol. שָׂדָהּ. Plurale abſol. שָׂדִים, cum affix. abſol. שָׂדֵינוּ. Plut. conſt. שְׂדֵי, cum affix. conſt. שְׂדֵיהֶם, &c.

§. XIV.

NOMINA diſſyllaba formæ פְּרִי *fructus*, עֲדִי *ornamentum*, עֱלִי *piſtillum*, חֳלִי *morbus*, mutant vel retinent (ִי) ultimæ, quod eſt pro (ֵ), ut ipſum (ֵ) ultimæ. Vide ſupra §. XI. Cum autem (ְ) iſtud mutatur in (ְ), ſchevá penult. ſi fuerit ſimplex, mutatur in (ִ), quandoque in (ֶ); ſi compoſit. revocatur ad parvam motionem ex qua componitur. Exemplum ſit

Sing. { Abſol. / Conſt. חֳלִי } *morbus.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
חָלְיָהּ		חָלְיוֹ
חָלְיֵךְ		חָלְיְךָ
	חָלְיִי	
חָלְיָן		חָלְיָם
חָלְיְכֶן		חָלְיְכֶם
	חָלְיֵנוּ	

Plur. { Abſol. חֳלָיִים / Conſt. חָלְיֵי } *morbi.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
חָלְיֶיהָ		חָלְיָיו
חָלְיַיִךְ		חָלְיֶיךָ
	חָלְיַי	
חָלְיֵיהֶן		חָלְיֵיהֶם
חָלְיֵיכֶן		חָלְיֵיכֶם
	חָלְיֵינוּ	

SIC דֳּכִי *contritio*, עֳנִי *afflictio*, חֲצִי *dimidium*, quod cum affixis mutat (ֲ) in (ֶ) pro (ָ), quia duæ illæ motiones facile invicem permutantur, ut: חֶצְיוֹ *dimidium ejus*, maſc. חֶצְיָהּ *dimidium ejus*, fem. חֶצְיָם *dimidium eorum*, &c. Cum (ְ) ſimpl. פְּרִי *fructus*, conſt. idem, cum affix. פִּרְיוֹ *fructus ejus*, פֶּרְיְךָ *fructus tuus*, cum ſeghól pro hhiriq qatón: פֶּרְיָם & פִּרְיָהֶם *fructus eorum*, &c.

§. XV.

NOMINA formæ מָוֶת *mors*, hoc eſt, quæ deſinunt in literam ſonantem præcedente ו cum ſeghól; & qamets antepenultimæ ſuppoſito, mutant ubique qamets & ſeghól in hhólem. Vel, ſi malueris, in regimine & cum affixis uſurpatur forma inuſitata מוֹת; inſolens enim videtur contractio qamets & ſeghól in hhólem. Iſtud porro hhólem ubique eſt immutabile.

Sing. { Abſol. מָוֶת / Conſt. מוֹת } *mors.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
מוֹתָהּ		מוֹתוֹ
מוֹתֵךְ		מוֹתְךָ
	מוֹתִי	
מוֹתָן		מוֹתָם
מוֹתְכֶן		מוֹתְכֶם
	מוֹתֵנוּ	

Plur. { Abſol. מוֹתִים / Conſt. מוֹתֵי } *mortes.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
מוֹתֶיהָ		מוֹתָיו
מוֹתַיִךְ		מוֹתֶיךָ
	מוֹתַי	
מוֹתֵיהֶן		מוֹתֵיהֶם
מוֹתֵיכֶן		מוֹתֵיכֶם
	מוֹתֵינוּ	

HUJUS formæ ſunt אָוֶן *iniquitas*, conſt. אוֹן, cum affix. אוֹנוֹ *iniquitas ejus*, אוֹנָם *iniquitas eorum*, &c. תָּוֶךְ *medium*, conſt. תּוֹךְ, cum affix. תּוֹכוֹ *medium ejus*, maſc. תּוֹכָהּ *medium ejus*, femin. תּוֹכִי *medium mei*, comm. תּוֹכָם *medium eorum*, &c. Excipitur עָוֶל *iniquitas*, quod habet in ſingulari conſtructo עֶוֶל, & cum affixis, עַוְלוֹ, ſed venit potius à forma עָוֵל.

§. XVI.

NOMINA formæ זַיִת *oliva*, hoc eſt, quæ deſinunt in literam ſonantem, præcedente Iódh cum hhiriq, & ſuppoſito patháhh antepenultimæ literæ, contrahunt ubique patháhh & hhiriq in tſeré, remanente Iódh otioſo, quod efficit ut tſeré iſtud ubique immutabile perſeveret; nam magna motio, quæ literam quieſcentem præcedit, vix eſt mutationi obnoxia.

Sing. { Abſol. זַיִת / Conſt. זֵית } *oliva.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
זֵיתָהּ		זֵיתוֹ
זֵיתֵךְ		זֵיתְךָ
	זֵיתִי	
זֵיתָן		זֵיתָם
זֵיתְכֶן		זֵיתְכֶם
	זֵיתֵנוּ	

Plur. { Abſol. זֵיתִים / Conſt. זֵיתֵי } *olivæ.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
זֵיתֶיהָ		זֵיתָיו
זֵיתַיִךְ		זֵיתֶיךָ
	זֵיתַי	
זֵיתֵיהֶן		זֵיתֵיהֶם
זֵיתֵיכֶן		זֵיתֵיכֶם
	זֵיתֵינוּ	

SIC חַיִל *exercitus*, יַיִן *vinum*, לַיִל *nox*, מַיִם *aqua*, עַיִן *oculus*, צַיִד *eſca*, &c. Sic etiam בַּיִת *domus*, in ſing. numero conſtruitur & recipit affixa, ut: conſtructum בֵּית, cum affixis בֵּיתוֹ *domus ejus*, &c. At in plurali numero ſumit qaméts magnum, ſequente daghéſch forti, ut: בָּתִּים *domus*, conſtructum בָּתֵּי, cum omnibus affixis, בָּתֵּינוּ *domus noſtræ*, בָּתֵּיהֶם *domus eorum*, &c.

§. XVII.

MONOSYLLABA ex verbis quieſcentibus in ſecunda radicali nata, & (ָ) affecta, ut: צָר *hoſtis*, à radice צוּר *hoſtiliter egit*, (ָ) ubique retinent, excepto ſingul. conſt. & cum affix. conſt. ubi interdum mutatur in (ַ), quod tamen venit potius à צָרַר: nam magna motio, quæ ad literam quieſc. aut excidentem compenſandam uſurpatur, immutabilis vulgo perſeverat.

Sing. { Abſol. צָר / Conſt. צַר } *hoſtis.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
צָרָהּ		צָרוֹ
צָרֵךְ		צָרְךָ
	צָרִי	
צָרָן		צָרָם
צָרְכֶן		צָרְכֶם
	צָרֵנוּ	

Plur. { Abſol. צָרִים / Conſt. צָרֵי } *hoſtes.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
צָרֶיהָ		צָרָיו
צָרַיִךְ		צָרֶיךָ
	צָרַי	
צָרֵיהֶן		צָרֵיהֶם
צָרֵיכֶן		צָרֵיכֶם
	צָרֵינוּ	

ITA עָב *nubes*, ab עוּב, plur. abſ. עָבִים, conſt. עָבֵי, &c. Et ſic de reliquis monoſyllabis ex iiſdem verbis quieſc. in ſecunda rad. derivatis, & cum (ָ) notatis. Sunt tamen nonnulla, quæ in plur. conſt. mutare videntur (ָ) in (ְ), ut: דָּג *piſcis*, plur. abſ. דָּגִים, conſt. דְּגֵי, &c. Sed nomen iſtud, & ei ſimilia, deducuntur potius ex verbis quieſc. in tertia rad. ה, de quibus in §. ſequente.

§. XVIII.

MONOSYLLABA ex verbis quieſcentibus in tertia radicali ה deducta, & cum qaméts notata, ut: דָּם *ſanguis*, in regimine ſingulari mutant qaméts in patháhh; & ſic cum affixis conſtructis, cum quibus tamen illud etiam interdum mutant in (ְ), quandoque in (ִ). At in plurali conſtructo, & cum affixis conſtructis, illud mutant in (ְ). Alibi (ָ) retinent.

Sing. { Abſol. דָּם / Conſt. דַּם } *ſanguis.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
דָּמָהּ		דָּמוֹ
דָּמֵךְ		דָּמְךָ
	דָּמִי	
דָּמָן		דָּמָם
דִּמְכֶן		דִּמְכֶם
	דָּמֵנוּ	

Plur. { Abſol. דָּמִים / Conſt. דְּמֵי } *ſanguines.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
דָּמֶיהָ		דָּמָיו
דָּמַיִךְ		דָּמֶיךָ
	דָּמַי	
דְּמֵיהֶן		דְּמֵיהֶם
דְּמֵיכֶן		דְּמֵיכֶם
	דָּמֵינוּ	

PRO (ַ) in ſingul. cum affix. conſtr. quandoque uſurpatur (ְ) ut ſupra; interdum etiam (ֶ), ut: יָד *manus*, conſt. יַד, cum affixis conſtr. יֶדְכֶם, pro יַדְכֶם, *manus veſtra.*

Monoſyllaba, quæ ex verbis ſecundam radicalem geminantibus deducuntur, quæque (ָ) ob pauſam afficiuntur, mutant (ָ) in (ַ) ſequente dagh. forti, ut: שָׂק *ſaccus*, שַׂקּוֹ *ſaccus ejus*, &c.

§. XIX.

Monosyllaba ex verbis ſecundam radicalem geminantibus orta, & cum (-) notata, ut: גַּן *hortus*, à גָּנַן, vulgo retinent pathahh, ſed inſuper aſſumunt dagh. forte, quod tertiæ literæ radic. ad ſecundam excidentem compenſandam imprimitur, quando ſingulari numero accedit affixum tum abſol. tum conſtr. aut terminatio pluralis abſoluta, vel conſtructa.

Sing. { Abſol. / Conſt. גַּן } *hortus.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
גַּנָּהּ		גַּנּוֹ
גַּנֵּךְ		גַּנְּךָ
	גַּנִּי	
גַּנָּן		גַּנָּם
גַּנְּכֶן		גַּנְּכֶם
	גַּנֵּנוּ	

Plur. { Abſol. גַּנִּים / Conſt. גַּנֵּי } *horti.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
גַּנֶּיהָ		גַּנָּיו
גַּנַּיִךְ		גַּנֶּיךָ
	גַּנַּי	
גַּנֵּיהֶן		גַּנֵּיהֶם
גַּנֵּיכֶן		גַּנֵּיכֶם
	גַּנֵּינוּ	

Quædam ex his monoſyllabis pro (-) ſumunt (·), ut: סַף *limen*, סִפִּי *limen meum*, plur. abſol. סִפִּים *limina.* Sic צַד *latus*, affix. צִדּוֹ *latus ejus*, plur. abſol. צִדִּים, conſtr. צִדֵּי *latera*, cum affixis צִדָּיו *latera ejus*, צִדֵּיכֶם *latera veſtra*, &c. פַּת *buccella*, affix. פִּתִּי *buccella mea*, &c. Ita etiam diſſyllaba ex iiſdem verbis derivata, ut: מֵסַב *accubitus*, cum affix. מְסִבּוֹ *accubitus ejus*, &c.

§. XX.

Monosyllaba tſeré affecta, & ex verbis ſecundam radicalem geminantibus orta, ut: עֵת *tempus*, ab עָתַת *tempeſtive loquutus eſt*, tſeré iſtud retinent in ſolo regim. ſingul. Alibi illud mutant in (·), ſequente dagh. forti ad ſecundam radicalem excidentem compenſandam: nam poſt motionem magnam non ſequitur analogè dagh. forte, niſi intercedat accentus.

Sing. { Abſol. / Conſt. עֵת } *tempus.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
עִתָּהּ		עִתּוֹ
עִתֵּךְ		עִתְּךָ
	עִתִּי	
עִתָּן		עִתָּם
קִתְּכֶן		עִתְּכֶם
	עִתֵּנוּ	

Plur. { Abſol. עִתִּים / Conſt. עִתֵּי } *tempora.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
עִתֶּיהָ		עִתָּיו
עִתַּיִךְ		עִתֶּיךָ
	עִתַּי	
עִתֵּיהֶן		עִתֵּיהֶם
עִתֵּיכֶן		עִתֵּיכֶם
	עִתֵּינוּ	

Dissyllaba ex iiſdem verbis prognata ſic etiam (·) ult. mutant vel retinent, ut: מָגֵן *clypeus*, מָגִנִּי *clypeus meus*, &c.

Monoſyllaba ex verb. quieſc. in ſecunda rad. derivata, (·) illud ubique retinent, ut: עֵד *teſtis*, ab עוּד, affix. עֵדִי *teſtis meus*, &c. Quæ vero ex aliis verbis deducuntur, mutant illud in (·), & ſeq. altero (·), in (·), ut: שֵׁם *nomen*, שְׁמוֹ *nomen ejus*, שִׁמְךָ, &c.

§. XXI.

Monosyllaba hhólem affecta, & ex verbis ſecundam radicalem geminantibus orta, ut: עֹז *robur*, *fortitudo*, ab עָזַז, hhólem iſtud retinent in ſolo regimine ſingulari. Alibi illud mutant in qibbúts, vel in qaméts hhatoúph, ſequente poſt utramque motionem daghéſch forti, ad ſecundam radicalem excidentem compenſandam. Vide quæ in §. præced. diximus.

Sing. { Abſol. / Conſt. עֹז } *robur.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
עֻזָּהּ		עֻזּוֹ
עֻזֵּךְ		עָזְּךָ
	עֻזִּי	
עֻזָּן		עֻזָּם
עָזְּכֶן		עָזְּכֶם
	עֻזֵּנוּ	

Plur. { Abſol. עֻזִּים / Conſt. עֻזֵּי } *robora.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
עֻזֶּיהָ		עֻזָּיו
עֻזַּיִךְ		עֻזֶּיךָ
	עֻזַּי	
עֻזֵּיהֶן		עֻזֵּיהֶם
עֻזֵּיכֶן		עֻזֵּיכֶם
	עֻזֵּינוּ	

Sic כֹּל, & ſequ. maqqáph כָּל־ col *omnis*, &c. כֻּלּוֹ, & cum ה pro ו, כֻּלֹּה *univerſus ipſe*, כֻּלָּהּ *univerſa ipſa*, &c.

Ita etiam diſſyllaba ex iiſdem verbis orta, ut: מָעוֹז *robur*, מָעֻזּוֹ *robur ejus*, &c. Sic cum (ׇ hhatoúph): עָזְּךָ ozzechá *robur tuum*, &c.

Alia monoſyllaba ex aliis verbis deducta (ֹ) ubique retinent, ut: אוֹר *lumen*, cum affixis אוֹרוֹ *lumen ejus*, &c.

Quæ hucuſque deſcripſimus nomina cum affixis conjuncta, ea ſequuntur analogiam, & ſimilium ſunt norma: quæ vero ſequuntur, ſpecialia ſunt, nec aliorum regula.

§. XXII.

אָב *pater.*

Sing. { Abſol. אָב / Conſt. אֲבִי } *pater.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
אָבִיהָ		אָבִיו vel אָבִיהוּ
אָבִיךְ		אָבִיךָ
	אָבִי	
אֲבִיהֶן		אֲבִיהֶם
אֲבִיכֶן		אֲבִיכֶם
	אָבִינוּ	

Plur. { Abſol. אָבוֹת / Conſt. אֲבוֹת } *patres.*

אֲבוֹתֶיהָ		אֲבוֹתָיו
אֲבוֹתַיִךְ		אֲבוֹתֶיךָ
	אֲבוֹתַי	
אֲבוֹתֵיהֶן		אֲבוֹתֵיהֶם
אֲבוֹתֵיכֶן		אֲבוֹתֵיכֶם
	אֲבוֹתֵינוּ	

Nomen iſtud in ſingulari tam conſtructo, quam cum omnibus affixis conjuncto, ſumit hhiriq gadhól in fine; quare omnia affixa junguntur ad purum, hoc eſt, ſine prævia motione. Quod qaméts attinet, ſervatur in ſingulari cum affixis abſolutis, & in plurali abſoluto. At in ſingulari conſtructo, & in plurali cum omnibus affixis, mutatur in (ֲ).

Pro אֲבוֹתֵיהֶם *patres eorum*, & אֲבוֹתֵיהֶן *patres earum*, dicitur etiam אֲבוֹתָם & אֲבוֹתָן ſine Jódh indice pluralis numeri.

§. XXIII.

אָח *frater.*

Sing. { Abſol. אָח / Conſt. אֲחִי } *frater.*

AFFIXA

Commun. Femin. Maſcul.

אָחִיהָ		אָחִיו vel אֲחִיהוּ
אָחִיךְ		אָחִיךָ
	אָחִי	
אֲחִיהֶן		אֲחִיהֶם
אֲחִיכֶן		אֲחִיכֶם
	אָחִינוּ	

Plur. { Abſol. אַחִים / Conſt. אֲחֵי } *fratres.*

אַחֶיהָ		אֶחָיו
אַחַיִךְ		אַחֶיךָ
	אַחַי	
אֲחֵיהֶן		אֲחֵיהֶם
אֲחֵיכֶן		אֲחֵיכֶם
	אַחֵינוּ	

Hoc nomen, ſicut & præcedens, ſumit hhiriq gadhól in ſing. tam conſt. quam cum omnibus affixis conjuncto. In eodem ſingulari ſervatur (ָ) cum affixis abſolut. cum affixis vero conſt. in utroque numero, ſicut in ſingul. & plurali conſtr. mutatur in (ֲ). Alibi, h. e. in plur. abſol. & cum affixis abſol. mutatur in (ַ) quod ſequente (ָ), fit (ֶ) euphoniæ gratia.

חָם *ſocer* adſciſcit quoque hhiriq gadhól, ut: חָמִיהָ *ſocer ejus*, חָמִיךְ *ſocer tuus.* Cum aliis affixis non invenitur.

§. XXIV.

אָחוֹת *ſoror.*

Sing. { Abſol. אָחוֹת / Conſt. אֲחוֹת } *ſoror.*

AFFIXA

Femin. Commun. Maſcul.

אֲחוֹתָהּ		אֲחוֹתוֹ
אֲחוֹתֵךְ		אֲחוֹתְךָ
	אֲחוֹתִי	
אֲחוֹתָן		אֲחוֹתָם
אֲחוֹתְכֶן		אֲחוֹתְכֶם
	אֲחוֹתֵנוּ	

Plur. { Abſol. אַחְיוֹת / Conſt. אַחְיוֹת } *ſorores.*

אַחְיוֹתַיִךְ		אַחְיוֹתָיו
אַחְיוֹתֶיךָ		אַחְיוֹתֶיהָ
	אַחְיוֹתַי	
אַחְיוֹתֵיהֶן		אַחְיוֹתֵיהֶם
אַחְיוֹתֵיכֶן		אַחְיוֹתֵיכֶם
	אַחְיוֹתֵינוּ	

In hoc nomine qaméts penultimæ mutatur ubique in ſchevá pathähh, quod ſequente altero ſchevá, mutatur in pathähh.

In plurali interdum deficit (י), quod aſſumitur poſt ח, vel potius in quod mutatur tertia radicalis ה, ut: אֲחוֹתַיִךְ pro אַחְיוֹתַיִךְ *ſorores tuæ*, &c. E contrario ה remanet in plurali numero nominis אָמָה *ancilla*, ut: אֲמָהוֹת pro אֲמוֹת *ancillæ*, conſtructum אַמְהוֹת *ancillæ*, cum omnibus affixis אַמְהוֹתָיו *ancillæ ejus*, אַמְהוֹתֵיהֶם *ancillæ eorum*, &c.

Digitized by Google

§. XXV.

בֵּן *filius.*

Sing. { Abſol. בֵּן / Conſt. בֶּן־ } *filius.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
בְּנָהּ		בְּנוֹ
בְּנֵךְ		בִּנְךָ
	בְּנִי	
בְּנָן		בְּנָם
בִּנְכֶן		בִּנְכֶם
	בְּנֵנוּ	

Plur. { Abſol. בָּנִים / Conſt. בְּנֵי } *filii.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
בָּנֶיהָ		בָּנָיו
בָּנַיִךְ		בָּנֶיךָ
	בָּנַי	
בְּנֵיהֶן		בְּנֵיהֶם
בְּנֵיכֶן		בְּנֵיכֶם
	בָּנֵינוּ	

In hoc nomine, (-) mutatur in (‥) ante maqqaph in regimine ſingulari. Pro (‥) ibidem interdum eſt (·), ut: בִּן, etiam ſine maqqaph. In ſingul. cum omnibus affixis, in plurali conſtructo, & cum affixis conſtructis, (-) mutatur in (·), quod ſequente altero, convertitur in (·) In plurali autem abſoluto, & cum affix. abſolutis, (-) iſtud mutatur in (‥), quaſi à ſingulari בְּנֶה.

Nomen plurale פָּנִים *facies*, formam ὡς בֵּן in plurali imitatur, ut: פָּנָיו *facies ejus*, &c. Conſtructum פְּנֵי *facies*, cum affixis conſtructis פְּנֵיהֶם *facies eorum*, quaſi à ſingulari פָּנֶה

§. XXVI.

בַּת *filia.*

Sing. { Abſol. בַּת / Conſt. בַּת } *filia.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
בִּתָּהּ		בִּתּוֹ
בִּתֵּךְ		בִּתְּךָ
	בִּתִּי	
בִּתָּן		בִּתָּם
בִּתְּכֶן		בִּתְּכֶם
	בִּתֵּנוּ	

Plur. { Abſol. בָּנוֹת / Conſt. בְּנוֹת } *filiæ.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
בְּנוֹתֶיהָ		בְּנוֹתָיו
בְּנוֹתַיִךְ		בְּנוֹתֶיךָ
	בְּנוֹתַי	
בְּנוֹתֵיהֶן		בְּנוֹתֵיהֶם
בְּנוֹתֵיכֶן		בְּנוֹתֵיכֶם
	בְּנוֹתֵינוּ	

Nomen iſtud formatur à בֶּנֶת, unde ſublato נ cum ſua motione, בֶּת, & cum pathâhh pro ſeghól, בַּת. Vide ſupra pag. 102. coll. 1. 2. In ſingulari conſtructo remanet pathâhh. In eodem ſingulari cum omnibus affixis, mutatur in hhiriq qatón, ſequente daghéſch forti, ad literam נ excidentem compenſandam. Vide ibidem. In plurali abſol. pathâhh mutatur in qaméts, quod in plurali conſtructo, & cum omnibus affixis, convertitur in (·) more nominum femininorum. Vel potius plurale abſol. בָּנוֹת, conſtr. בְּנוֹת, cum affix. בְּנוֹתָיו, &c. venit à ſingulari inuſitato בָּנָה formæ שָׁנָה *annus.*

§. XXVII.

חַטָּאת *peccatum.*

Sing. { Abſol. חַטָּאת / Conſt. חַטַּאת } *peccatum.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
חַטָּאתָהּ		חַטָּאתוֹ
חַטָּאתֵךְ		חַטָּאתְךָ
	חַטָּאתִי	
חַטָּאתָן		חַטָּאתָם
חַטַּאתְכֶן		חַטַּאתְכֶם
	חַטָּאתֵנוּ	

Plur. { Abſol. חַטָּאוֹת / Conſt. חַטֹּאת } *peccata.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
חַטֹּאתֶיהָ		חַטֹּאתָיו
חַטֹּאתַיִךְ		חַטֹּאתֶיךָ
	חַטֹּאתַי	
חַטֹּאתֵיהֶן		חַטֹּאתֵיהֶם
חַטֹּאתֵיכֶן		חַטֹּאתֵיכֶם
	חַטֹּאתֵינוּ	

חַטָּאת contractum eſt pro חַטָּאָה, unde contr. utroque (‥) in unum, & mutato ה in ת more Syrorum, חַטָּאת. In ſing. conſt. & cum affix. conſt. (‥) ex analogia mutatur in (-). Plur. conſtr. & cum omnibus affix. חַטֹּאת, quod contractum quoque eſt pro חַטָּאוֹת. Interdum etiam redundat ו, ſic: חַטָּאוֹת, &c. Speciem etiam contractionis refert חֵטְא *peccatum*, pro חֶטֶא formæ חֶפֶץ, ſupra §. 7. in notis; unde cum affix. חֶטְאוֹ *peccatum ejus*, &c. Plurale abſol. חֲטָאִים *peccata*, conſtruct. חַטָּאֵי, cum omnibus affixis חֲטָאָיו *peccata ejus*, חַטָּאתֵיהֶם *peccata eorum*, &c. ſervato (‥) præter analogiam, pro חַטֹּאתֵיהֶם, &c.

Digitized by Google

§. XXVIII.

יוֹם *dies.*

Sing. { Abſol. Conſt. יוֹם } *dies.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
יוֹמָהּ		יוֹמוֹ
יוֹמֵךְ		יוֹמְךָ
	יוֹמִי	
יוֹמָן		יוֹמָם
יוֹמְכֶן		יוֹמְכֶם
	יוֹמֵנוּ	

Plur. { Abſol. יָמִים Conſt. יְמֵי } *dies.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
יָמֶיהָ		יָמָיו
יָמַיִךְ		יָמֶיךָ
	יָמַי	
יְמֵיהֶן		יְמֵיהֶם
יְמֵיכֶן		יְמֵיכֶם
	יָמֵינוּ	

Plurale abſolutum יָמִים, & conſtructum יְמֵי, ſumi videtur ex alia forma, nempe יָם, aut יָמָה, ab inuſit. verbo יָמַה: neque enim fieri poteſt, ſicuti jam monuimus ſupra, pag. 67. col. 2. ut qui nobis ſupereſt Hebraïce ſcriptus unicus liber, nempe vetus Teſtamentum, omnes nominum formas, imo & radices complectatur. Alias itaque, ut vocum anomalarum minueretur numerus, interdum fingere nihil dubitavimus.

Forte etiam ו ſing. numeri mutatur in (ָ) in plur. abſol. & cum affix. abſol. quia (ָ), quantum ad ejus ſonum attinet, componitur ex *a* & *o*, ut diximus ſupra pag. 15.

§. XXIX.

רֹאשׁ *caput.*

Sing. { Abſol. Conſt. רֹאשׁ } *caput.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
רֹאשָׁהּ		רֹאשׁוֹ
רֹאשֵׁךְ		רֹאשְׁךָ
	רֹאשִׁי	
רֹאשָׁן		רֹאשָׁם
רָאשְׁכֶן		רָאשְׁכֶם
	רֹאשֵׁנוּ	

Plur. { Abſol. רָאשִׁים Conſt. רָאשֵׁי } *capita.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
רָאשֶׁיהָ		רָאשָׁיו
רָאשַׁיִךְ		רָאשֶׁיךָ
	רָאשַׁי	
רָאשֵׁיהֶן		רָאשֵׁיהֶם
רָאשֵׁיכֶן		רָאשֵׁיכֶם
	רָאשֵׁינוּ	

In hoc pariter nomine hhólem ſingularis numeri mutatur in (ָ) in plurali: quia, ut in præcedenti §. diximus, (ָ) componitur ex *a* & *o*. Vel plurale iſtud formatur à ſingulari inuſitato רָאשׁ, cujus (ָ) ſervatur etiam in plurali conſtructo, & cum affixis conſtructis, ob א quieſcens: nam magna motio, quæ hujuſmodi literam quieſcentem præcedit, & ad ejus quietem compenſandam uſurpatur, vix eſt mutationi obnoxia, ut diximus ſupra pag. 58. col. 1. in exceptionibus. Cum itaque magna illa motio plus una ſyllaba diſtat ab accentu tonico, fulcitur accentu euphonico, ut hîc cernere licet.

§. XXX.

כְּלִי *vas.*

Sing. { Abſol. Conſt. כְּלִי } *vas.*

AFFIXA

Femin.	Commun.	Maſcul.
כֶּלְיָהּ		כֶּלְיוֹ
כֶּלְיֵךְ		כֶּלְיְךָ
	כֶּלְיִי	
כֶּלְיָן		כֶּלְיָם
כֶּלְיְכֶן		כֶּלְיְכֶם
	כֶּלְיֵנוּ	

Plur. { Abſol. כֵּלִים Conſt. כְּלֵי } *vaſa.*

Femin.	Commun.	Maſcul.
כֵּלֶיהָ		כֵּלָיו
כֵּלַיִךְ		כֵּלֶיךָ
	כֵּלַי	
כְּלֵיהֶן		כְּלֵיהֶם
כְּלֵיכֶן		כְּלֵיכֶם
	כֵּלֵינוּ	

Singulari numero hujus nominis affixa ex analogia addidimus; neque enim in ſacris Scripturis cum hoc numero conjuncta reperiuntur.

Plurale abſolutum כֵּלִים, & conſtructum כְּלֵי, venit à ſingulari inuſit. כֶּלֶה, formæ גֶּאֶה; ſi enim formaretur à ſingul. כְּלִי; plur. eſſet כְּלָיִים, conſtructum כְּלְיֵי, cum affixis abſolutis כְּלָיָיו, &c. Cum affixis conſtructis כְּלְיֵיהֶם, &c. In hoc enim nomine (ֵ) vices gerit τῶ (ָ), proindeque eodem modo mutandum foret ac ipſum (ָ), hoc eſt, in (ֵ), in plurali abſol. & cum affixis abſol. in (ֵ), in plurali conſtr. & cum affixis conſtr. Vide ſupra pag. 100.

NOTÆ.

NOTÆ

In præcedentia ſchemata.

In præcedentibus ſchematis, imo in toto hoc capite, non pauca exempla conſulto protulimus, quæ fruſtra in S. Scripturis quærerentur; ea enim ex ſola analogia, ut ea magis pateret, non raro exhibuimus. Et ſane cum unicus ſuperſit liber Hebraice ſcriptus, fieri non poteſt ut omnia affixa, quæ cum nominibus conjungi poſſunt, cum ipſis revera in eo conjuncta reperiantur.

Nominibus quorum forma diverſa eſt ab iis, quæ in his paradigmatis deſcripſimus, facile eſt affixa adjungere. Si enim nomina illa habeant punctum aliquod mutabile, illud ſecundum regulas ſupra traditas mutandum eſt. Sic v. g. in קָצִיר *meſſis*, כָּבוֹד *gloria*, עָצוּם *robuſtus*, (ָ) penultimæ ubique mutatur in (ְ) ſimplex ſub non gutturali; compoſitum, ſeu (ֲ) ſub gutturali. Hhiriq autem & (וֹ) invariata remanent, quia non ſunt è numero punctorum mutabilium. Remanet pariter (ָ) in כָּבוֹד, quia nomen illud à verbo ſecundam radicalem geminante non venit. Sic in עֹלָם *ſæculum*, &c. hhólem penultimæ remanet, quia non ſequitur in ultima (ָ), vel (ֵ) pro (ָ), cum litera ſonante in fine; ſed (ָ), quod ibidem eſt, mutatur aut remanet ut (ָ) ultimum in דָּבָר *verbum*, ſupra §. 1. pag. 111.

In nominibus deſinentibus in ת, diligenter obſervandum eſt utrum ת illud ſit radicale, necne. Si radicale eſt, pro plurali terminationis femininæ exprimendo aliud ת adjiciendum eſt, ut: קֶשֶׁת *arcus*. Plur. abſol. קְשָׁתוֹת, conſtruct. & cum omnibus affixis קַשְׁתוֹת *arcus*, קַשְׁתוֹתָם *arcus eorum*, &c. Si vero ת iſtud ſervile ſit, hujuſmodi plurali formando inſervit, ut: כֻּתֹּנֶת fem. *tunica*. Plurale abſol. כֻּתֳּנוֹת *tunicæ*. Cum affixis, כֻּתְּנֹתָם *tunicæ eorum*, Levit. 10. v. 5.

Denique ſi aliqua anomalia occurrat, quæ in hac Grammatica non fuerit explicata, ea in Lexico noſtro diſcutietur, in quo non paulo doctioribus modo; verum etiam plane rudibus prodeſſe conabimur.

ARTICULUS VII.

Speciales quædam nominum in regimine, & cum affixis compoſitorum anomaliæ.

§. I.

Anomaliæ in regimine.

ANOMALIÆ regiminis ſpectant vel ipſam nominum formam, vel puncta vocalia. Forma nominum anomala eſt, cum ſtatus abſolutus pro ſtatu conſtructo: & vice verſa, ſtatus conſtructus pro abſoluto ponitur. Anomalia punctorum in eo poſita eſt, quod vel puncta omnia mutabilia non mutentur; vel aliter quam debent, mutentur.

FORMA NOMINUM ANOMALA.

Status abſolutus pro conſtructo, per ellipſin nominis conſtructi, poſitus.

NOMINA ſtatus abſoluti pro conſtructo, in ſacris Codicibus ſæpe reperiuntur, ut: Exod. 28. v. 17. טוּרִים אָבֶן cum (ִ) ſub ר loco (ֵ) ob pauſam, *ordines lapidis*, pro טוּרֵי.

Deut. 16. v. 21. אֲשֵׁרָה כָּל־עֵץ *lucus omnis arboris*, pro אֲשֵׁרַת.

Joſ. 3. v. 14. הָאָרוֹן הַבְּרִית *arca fœderis*, pro אֲרוֹן.

Jud. cap. 5. v. 13. לְאַדִּירִים עָם *magnificis populi*, pro לְאַדִּירֵי.

Alia exempla vide Ruth. 2. v. 17. 3. Reg. 3. v. 14. cap. 7. v. 42. cap. 22. v. 27. 4. Reg. 5. v. 23. cap. 7. v. 1. cap. 16. v. 17. 1. Paral. 15. v. 19. Job. 31. v. 11. Iſai. 42. v. 25. Pſal. 44. Heb. 45. v. 5. Pſal. 59. Heb. 60. v. 5. Pſal. 68. Heb. 69. v. 7. Prov. 22. v. 1. Iſai. 22. v. 17. cap. 24. v. 22. Jerem. 25. v. 15. Ezech. 22. v. 18. cap. 40. v. 38. cap. 45. v. 16. cap. 47. v. 4. Habac. 2. v. 5. Zach. 1. v. 13. &c.

Hæc anomalia ad analogiam facile revocatur per ellipſin nominis conſtructi, quod in exemplis mox allatis ita ſupplendum eſt:

Exod. 28. v. 17. טוּרִים טוּרֵי אָבֶן *ordines, ordines*, inquam, *lapidis.*

Deut. 16. v. 21. אֲשֵׁרָה אֲשֵׁרַת כָּל־עֵץ *lucus, lucus*, inquam, *omnis arboris.*

Joſ. 13. v. 14. הָאָרוֹן אֲרוֹן הַבְּרִית *arca, arca*, inquam, *fœderis.*

Jud. 5. v. 13. לְאַדִּירִים אַדִּירֵי עָם *magnificis, magnificis*, inquam, *populi.* Et ſic de aliis exemplis.

Neque loquutionum hujuſmodi integrarum exempla in Scripturis deſunt, ut:

Exod. 38. v. 21. אֵלֶּה פְקוּדֵי הַמִּשְׁכָּן מִשְׁכַּן הָעֵדֻת *iſta ſunt numerata*, Vulg. *inſtrumenta tabernaculi, tabernaculi*, inquam, *teſtimonii.* Vide Num. 32. v. 1. 4. Pſal. 132. Heb. 133. v. 2. Ezech. 47. v. 3.

Status conſtructus pro abſoluto, per ellipſin ſubſtantivi, &c. poſitus.

VICE verſa, nomina ſtatus conſtructi pro nominibus ſtatus abſoluti ſæpius ponuntur; tuncque *vel* nomen aliquod ſupplendum eſt, quod regatur ab eo, quod formam conſtructam habet. *Vel* nomen ſequens poſt illud, quod eſt in regimine, non ut nomen adjectivum: ſed ut nomen ſubſtantivum ſpectari debet. *Vel* denique aliqua ſubintelligenda eſt ex his præpoſitionibus ב, ל, מ, vel מִן; quibus adde pronomen relativum שֶׁ, vel אֲשֶׁר, quæ ſæpius in cauſa ſunt cur nomina præcedentia in regimine ponantur. Hujus autem ſtatus conſtructi pro abſoluto poſiti, hæc inter alia in nominibus maſculinis proferuntur exempla.

Num. 5. verſ. 18. מֵי הַמָּרִים *aquæ amaræ*, pro מַיִם. Vel potius הַמָּרִים hic adjectivum non eſt: ſed ſubſtantivum *amaritudines*, ut id ſignificati interdum obtinet. Senſus itaque eſt: *aquæ amaritudinum*, id eſt, *amariſſimæ*, ut Vulg. interpres reddidit.

Judicum 19. v. 22. אַנְשֵׁי בְנֵי־בְלִיַּעַל *viri filii Belial*, pro אֲנָשִׁים. Verum nulla hic anomalia eſt: אַנְשֵׁי enim regit בְנֵי־, & בְנֵי־ regit בְלִיַּעַל. Senſus itaque eſt: *viri filiorum Belial*, h. e. qui nati ſunt ex filiis Belial, ac proinde nequiſſimi.

3. Reg. 6. v. 4. חַלּוֹנֵי שְׁקֻפִים *feneſtræ proſpectui accommodatæ*, pro חַלּוֹנִים. Sed שְׁקֻפִים ſubſtantivum eſt in hoc exemplo, non adjectivum; *feneſtræ proſpectuum*, h. e. proſpectabiles, ſeu ad proſpiciendum accommodatæ.

4. Reg. 12. v. 10. אֲרוֹן אֶחָד *arcam unam*, pro אָרוֹן. At vel error eſt amanuenſium, qui pro (ָ) ſcripſere (ֲ); vel ellipſis eſt vocis *ſacerdotis*, h. e. arcam unius ſacerdotis.

Ibidem cap. 17. v. 13. בְּיַד כָּל־נביאי *in manu omnium prophetarum*, pro נְבִיאִים. Sed Textus lectio נביאו anteponenda eſt lectioni Maſſoretharum, qui נְבִיאֵי legendum docent; cum textûs literæ ferant נְבִיאָו *prophetarum eius*, cum י deficiente, pro נְבִיאָיו, de qua ellipſi infra. Legi etiam poteſt נְבִיאוֹ *prophetæ ejus*, in ſing. ut ſequitur aliud ſing. nempe כָּל־חֹזֶה *omnis videntis.*

Pſal. 15. Heb. 16. v. 3. אַדִּירֵי כָּל־חֶפְצִי־בָם *fortes, omnis voluntas mea in eis*, pro אַדִּירִים. Verum ſubintelligitur אֲשֶׁר, hoc modo; אַדִּירֵי אֲשֶׁר כָּל־חֶפְצִי־בָם *fortes*, quibus eſt *omnis voluntas mea in eis*, pro בַּאֲשֶׁר *in quibus* eſt *omnis voluntas mea.* Hebraiſmus, qui in Syntaxi explicabitur.

Pſal. 77. Heb. 78. v. 49. מַלְאֲכֵי רָעִים *angeli mali*, vel potius *malorum*; vox enim רַע, & *malum* adjective, & *malum*, ſeu *malitiam* ſubſtantive ſignificat.

Digitized by Google

Job. 18. v. 2.... *ponetis* קִנְצֵי לְמִלִּין *fines ſermonibus.* At ל præpoſitum voci מִלִּין, præcedentem in regimine ponit, ut infra videbimus.

Cant. 7. v. 10. כְּיֵין הַטּוֹב *ficut vinum optimum*, pro כְּיַיִן. Verum ſubintelligitur טַעַם *ſapor*, *ficut vinum ſaporis optimi.* Vel טוֹב ſpectatur hîc ut nomen ſubſtantivum, *bonum*, *bonitas*; vinum bonitatis, hoc eſt, vinum optimum.

Iſai. 17. v. 10. *plantabis* נִטְעֵי נַעֲמָנִים *plantationes amœnas*, pro נְטָעִים; ſed aut vox illa ſubintelligitur, *plantationes plantationum amœnarum*; aut נַעֲמָנִים ſubſtantivum eſt, *plantationes amœnitatum*, h. e. *amœniſſimas.*

Ezech. 23. v. 14..... *& vidit* אַנְשֵׁי מְחֻקֶּה *viros depictum*, diſtributio de qua in Syntaxi, h. eſt, unumquemque virum depictum. Sed מְחֻקֶּה conſiderari poteſt ut nomen ſubſtantivum *pictura*, hoc modo: *viros picturæ*, id eſt, depictos; tuncque enallage conſtructi pro abſoluto locum non habet.

Amos. 6. v. 6..... *bibentes* בְּמִזְרְקֵי יַיִן *in phialis vinum*, pro מִזְרָקִים. At ſubintelligitur כֶּסֶף *argentum*, vel זָהָב *aurum*, hoc modo: *in phialis auri*, vel *argenti*, id eſt, aureis, vel argenteis.

Zach. 11. v. 17. עֵין יְמִינוֹ *oculus dexter ejus*, pro עַיִן. Verum יָמִין & *dexter*, & *dextera* manus interpretatur; poteſt igitur dici: oculus dexteræ ejus, id eſt, ad dexteram ejus reſpiciens, ſeu *dexter.*

Sic ex nominibus femininis:

Levit. 8. v. 26. חַלַּת מַצָּה *placentam azymam*, pro חַלָּה. Sed ſupplenda eſt vox לֶחֶם *panis*, quæ immediate ſequitur. Senſus itaque eſt: *cepit placentam panis azymi.*

4. Reg. 9. v. 17. שִׁפְעַת אֲנִי רֹאֶה *agmen ego video*, pro שִׁפְעָה. Sed ſubintelligitur עָם *populus*, ſic: *agmen populi*, &c.

Iſai. 14. v. 6. מַכַּת בִּלְתִּי סָרָה *plaga ſine receſſione*, pro מַכָּה. At ſubintelligenda eſt vox יָד *manus*, hoc modo: *plaga manus*, &c.

Ibidem cap. 15. v. 5. עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה *vitula trima*, pro עֶגְלָה. Sed ſubintelligitur שָׁנָה *annus*, ſic: *vitula anni tertii*, h. e. *triennis.*

Ibidem cap. 28. v. 4. *Et erit* צִיצַת נֹבֵל צְבִי תִפְאַרְתּוֹ *flos decidens ornamenti gloriæ ejus*, pro צִיצָה. Verum ibi eſt trajectio verborum pro צִיצַת צְבִי תִפְאַרְתּוֹ נֹבֵל *flos ornamenti gloriæ ejus decidens.* Diſcrepantiam generis inter צִיצַת femin. & נֹבֵל maſc. expendemus alibi.

Ibidem cap. 33. v. 6..... *divitiæ ſalutis* חָכְמַת וָדָעַת *ſapientia & ſcientia*, pro חָכְמָה. At ſubintelligenda eſt vox יְהוָה *Dominus*, hoc eſt, *ſapientia Domini*, nempe à Domino conceſſa, vel ſapientia maxima. Hebraïſmus, quem explicabimus in Syntaxi.

Ibidem cap. 35. v. 2. גִּילַת וְרַנֵּן *exſultatione & cantu*, pro גִּילָה. Sed ſubintelligitur vox לֵב *cor*, *exſultatione cordis*, &c. ut ſupplet Rabbi Salomon.

Ezech. 41. v. 21. מְזוּזַת רְבֻעָה *poſtis quadratus*, pro מְזוּזָה. Sed ſupplenda eſt vox דֶּלֶת, vel שַׁעַר *porta*, *oſtium*, ſic: *poſtis oſtii*, &c.

Pſal. 57. Heb. 58. v. 5. חֲמַת לָמוֹ *venenum eis*, pro חֵמָה. Sed ל ponit in regimine vocem præcedentem חֲמַת. Sic:

Thren. 2. v. 18. אַל תִּתְּנִי פוּגַת לָךְ *ne des requiem tibi*, ubi eſt פוּגַת pro פוּגָה ob lámedh ſequens.

Denique in urbium compellationibus, non raro vox בְּתוּלָה *virgo* conjuncta cum nomine בַּת *filia*, ſtatum conſtructum pro abſoluto recipit, ut: Iſai. 23. v. 12. &c. בְּתוּלַת בַּת צִידוֹן *virgo filia Sidonis*, pro בְּתוּלָה. Verum ibi *πλεονάζει*, ſeu redundat vox בַּת *filia*, & בְּתוּלַת regit nomen urbis; quare in hujuſmodi loquutionibus ſæpius omittitur בַּת, ut: *virgo Iſrael*, Jerem. cap. 18. v. 13. cap. 31. v. 4. &c.

Status conſtructus pro abſoluto, ob præpoſitiones ב, ל, מ, *&c. relativum* אֲשֶׁר, *vel* שֶׁ, *& adverbia, poſitus.*

Diximus ſupra præpoſitiones ב, ל, מ, & pronomen relativum אֲשֶׁר & שֶׁ, in cauſa eſſe cur nomina antecedentia interdum in ſtatu regiminis ponantur. Id exemplis aliquot pro ſingulis illis præpoſitionibus, &c. operæ pretium eſt confirmare.

Digitized by Google

ב

2. Reg. 1. v. 21. הָרֵי בַגִּלְבֹּעַ *montes in Gelboe*, pro הָרִים.

Pſal. 2. v. 12. חוֹסֵי בוֹ *confidentes in eo*, pro חוֹסִים.

Iſai. 9. v. 3. כְּשִׂמְחַת בַּקָּצִיר *ſecundum lætitiam in meſſe*, pro כשמחה. Vide Jud. 8. v. 11. Iſai. 5. v. 11. Pſal. 83. Heb. 84. v. 7. &c.

ל

1. Paralip. 23. v. 28. וְעַל־טָהֳרַת לְכָל־קֹדֶשׁ *& in purgatione ad omnem ſanctitatem*, pro טָהֳרַת.

Ezech. 10. v. 3. מִימִין לַבַּיִת *à dextra domus*, pro מִימִין. Et ſic ſæpiſſime quando ל iſtud gignendi caſum denotat. Vide etiam Job. 18. v. 2. Pſal. 57. Heb. 58. v. 5. Thren. 2. v. 18. Iſai. 64. v. 3. &c.

ם

Jerem. 23. v. 23. אֱלֹהֵי מִקָּרֹב *Deus è propinquo*, & אֱלֹהֵי מֵרָחֹק *Deus è longinquo*, pro אֱלֹהִים.

Ezech. 13. v. 2. לִנְבִיאֵי מִלִּבָּם *prophetis ex corde eorum*, i. ſecundum cor, beneplacitum eorum prophetantibus, pro לִנְבִיאִים.

Oſe. 7. v. 5. חֲמַת מִיָּיִן *uter de vino*, pro חֵמָה. Vide Iſai. 28. v. 9. &c.

Idem etiam præſtant quædam præpoſitiones integræ, ut:

Iſai. 8. v. 6. מְשׂוֹשׂ אֶת־רְצִין *gaudium cum Raſin*, pro מָשׂוֹשׂ.

Ibidem cap. 14. v. 19. יוֹרְדֵי אֶל־אַבְנֵי־בוֹר *deſcendentibus ad lapides foveæ*, pro יוֹרְדִים.

Ezech. 21. v. 17. מְגוּרֵי אֶל־חֶרֶב *formidines ad gladium*, pro מְגוּרִים.

Jud. 5. v. 10. יֹשְׁבֵי עַל־מִדִּין וְהֹלְכֵי עַל־דֶּרֶךְ *ſedentes in Middin, & proficiſcentes per viam*, &c. pro יֹשְׁבִים, הֹלְכִים. Vide etiam Ezech. 38. v. 12. Quæ omnia facile explicari poſſunt per præpoſitionis tam conjunctæ quam ſeparatæ pleonaſmum, ut: *ſecundum lætitiam meſſis, à dextera domus, uter vini, deſcenſoribus lapidum foveæ, formidines gladii*, &c.

אֲשֶׁר

Gen. 39. v. 20. ....מְקוֹם אֲשֶׁר אֲסוּרֵי הַמֶּלֶךְ *loco* in *quo* erant *vincti regis*, pro מָקוֹם.

Ibidem cap. 40. v. 3. ....מְקוֹם אֲשֶׁר יוֹסֵף *loco* in *quo* erat *Joſeph*, pro מָקוֹם.

Levit. 4. v. 24. בִּמְקוֹם אֲשֶׁר *in loco* in *quo* mactat holocauſtum, &c. pro בַּמָּקוֹם.

Ezech. 21. v. 30. al. 35. בִּמְקוֹם אֲשֶׁר־נִבְרֵאת *in loco* in *quo creata es.*

שֶׁ

Eccle. 1. v. 7. אֶל־מְקוֹם שֶׁהַנְּחָלִים *ad locum in quem eunt flumina.*

Ibidem cap. 11. v. 3. מְקוֹם שֶׁיִּפּוֹל הָעֵץ *loco quo cadit arbor.*

Interdum relativum iſtud אֲשֶׁר, vel שֶׁ ſubintelligitur, ut:

Levit. 14. v. 46. כָּל־יְמֵי הִסְגִּיר *omnibus diebus* quibus *clauſit*, vel *clauſa eſt* (domus),

Iſai. 29. v. 1. קִרְיַת חָנָה דָוִד, pro קִרְיַת אֲשֶׁר *urbs* in qua *caſtra metatus eſt David.*

Pſal. 80. Heb. 81. v. 6. שְׂפַת לֹא־יָדַעְתִּי, pro שְׂפַת אֲשֶׁר, vel שְׂפַת שֶׁלֹּא *labium*, Vulg. *linguam*, quam *non noveram.*

Job. 18. v. 21. מְקוֹם לֹא־יָדַע אֵל *locus*, qui *ignorat Deum.* Vulg. *locus ejus, qui ignorat Deum*; pro: מְקוֹם אֲשֶׁר לֹא־יָדַע אֵל, vel מְקוֹם שֶׁלֹּא־יָדַע אֵל.

Aliud exemplum vide ſupra p. 122. col. 2. in Pſal. 15. Heb. 16. v. 3.

Interdum etiam מַה־ ſubſtantivum antecedens ponit in regimine, ut: Num. 23. v. 3. וּדְבַר מַה־יַּרְאֵנִי *& verbum, quod oſtenderit mihi*, &c. ubi מַה־ eſt pro אֲשֶׁר.

Adverbia, quæ adjectivorum munere funguntur, interdum etiam antecedentia nomina in regimine conſtituunt, ut:

3. Reg. 2. v. 31. דְּמֵי חִנָּם *ſanguines innoxie*, h. e. innoxii, pro דָּמִים.

Ezech. 30. v. 16. צָרֵי יוֹמָם *hoſtes interdiu*, h. e. diurni, pro צָרִים.

Prov. 26. v. 2. קִלְלַת חִנָּם *maledictio gratis*, h. e. immerita, pro קְלָלָה.

Alia exempla vide Prov. 3. v. 25. cap. 15. v. 24. cap. 24. v. 28. Zach. 12. v. 6. &c.

MUTATIO PUNCTORUM ANOMALA.

PUNCTA interdum non mutantur ; vel aliter quam debent, mutantur.

Puncta, ſaltem omnia, non mutantur, ut : Iſai. 11. v. 15. בַּעְיָם רוּחוֹ *in fortitudine ſpiritûs ejus*, ab עְיָם ; pro בְּעְיָם. Vel עְיָם eſt adjectivum.

Pſal. 59. Heb. 60. v. 13. עֶזְרָת מִצָּר *auxilium de tribulatione*, pro עֶזְרַת in conſtruct. ob ſequens מ.

Pſal. 62. Heb. 63. v. 11. מְנָת שֻׁעָלִים *pars vulpium*, pro מְנַת. Vide etiam Pſal. 10. Heb. 11. v. 6. 2. Paral. 31. v. 3. &c.

Pſal. 131. Heb. 132. v. 4. *Si dedero*, שְׁנָת לְעֵינַי *ſomnum oculis meis*, pro שְׁנַת in conſtructo ob ל ſequens.

Dan. 1. v. 18. וּלְמִקְצָת הַיָּמִים *& à fine dierum*, pro וּלְמִקְצַת.

Eadem forma interdum occurrit, quamvis nomina non ſint conſtructa, ut :

Pſal. 117. Heb. 118. v. 14. *fortitudo mea*, וְזִמְרָת יָהּ *& laus Dominus*, pro וְזִמְרַת.

Pſal. 15. Heb. 16. v. 6. נַחֲלָת שָׁפְרָה עָלָי *hereditas, poſſeſſio præclara facta eſt mihi*, pro נַחֲלַת.

At in his duobus exemplis deeſt affixum primæ perſonæ, quod expreſſerunt Lxx. & Vulg. nempe וְזִמְרָתִי *laus mea ; נַחֲלָתִי poſſeſſio mea.*

Huic formæ ſingulari conſtructæ nonnunquam accedit (י), quod vocant paragogicum, ut : דִּבְרָתִי *ordo*, cum accentu in ultima, Pſal. 109. Heb. 110. v. 4. שָׂרָתִי *domina*, רַבָּתִי *multa*, Thren. 1. v. 1. cum accentu in penultima. Mutato (-) in (:), גְּנֻבְתִי *furto ſublatum*, Gen. 31. v. 39. מְלֵאֲתִי *plena*, Iſai. 1. v. 21. pro גְּנֻבַת, מְלֵאַת. Huc pertinet מַלְכִּי־צֶדֶק *rex juſtitiæ*, vel *Melchiſedek*, Pſal. 109. Heb. 110. v. 4. pro מֶלֶךְ־צֶדֶק. Iódh iſtud redundans videtur eſſe antiqua vocalis *e*, quæ nunc per (·) ſubintellectum ſub ה exprimitur. Imo librariorum incuria idem (י) mutatum videtur in ו ex quo factum eſt hhólem, ut : חַיְתוֹ־אֶרֶץ *beſtia terræ*, Gen. 1. v. 24. vide etiam Pſal. 49. Heb. 50. v. 10. Pſal. 103. Heb. 104. v. 11. 20. Iſai. 56. v. 9. Soph. 2. v. 14. &c. pro חַיַּת, quod olim ſic ſcribebatur חיתי, & mutato י in ו, חיתו ; & punctis adſcriptis, חַיְתוֹ ; vel ſequente maqqaph חַיְתוֹ־.

Sic מַעְיָן *fons*, לְמַעְיְנוֹ־מָיִם *in fontem aquarum*, Pſal. 113. Heb. 114. v. 8. pro לְמַעְיַן ; ubi, ſicut in voce præcedenti חַיְתוֹ, (-) mutatur anomalos in (:) loco (-).

Quandoque puncta aliter quam deberent, mutantur, ut :

Prov. 27. v. 27. חֲלֵב עִזִּים *lac caprarum*, pro חֲלַב ab abſol. חָלָב.

Eccle. 1. v. 2. הֲבֵל הֲבָלִים *vanitas vanitatum*, pro הֲבַל, ab abſol. הֶבֶל. At vel error eſt amanuenſium, qui pro (-) ſcripſere (..) ; ex (-) enim cujus media pars abraſa fuerit, facile naſcitur (..) ; vel duo illa ſingularia conſtructa deducuntur ab abſolutis inuſit. חֵבֶל, חֵלֶב, quorum (..) ultimæ remanet in ſing. conſt. quamvis præceſſerit (·) in penultima. Vide ſupra pag. 93. col. 2. in fine.

אֲגַם *ſtagnum*, plur. abſol. אֲגַמִּים cum daghéſch forti in מ, quia poſt parvam motionem ſequitur ſemper vel hujuſmodi dagh. vel accentus, vel (:). Plur. conſt. אַגְמֵי pro אַגְמֵּי ; ſed plurale iſtud conſt. venit potius à ſingulari inuſitato אֶגֶם, aut אֹגֶם.

עַצֶּבֶת *dolor*, conſtructum עַצְּבַת. Verum forma illa conſtructa venit ab עַצְּבָה, formæ בַּקָּשָׁה *petitio*, quamvis nomina illa (-) penultimæ vulgo retineant ob daghéſch literæ, cujus eſt vocalis, impreſſum.

§. II.

Anomaliæ cum affixis.

AFFIXORUM anomaliæ ad quinque claſſes revocari poſſunt ; 1°. paragogen & epentheſin literæ ה. 2°. affixorum enallagen. 3°. eorum contractionem. 4°. literæ (י), notæ pluralis numeri, pleonaſmum

& ellipſin, necnon τῶ mappíq in ה affixo tertiæ perſonæ ſingul. femininæ abſentiam. 5°. literarum א, ה, י; & motionum affixa præcedentium enallagen.

I.

Literæ ה *paragoge & epentheſis.*

FREQUENS eſt literæ ה paragoge,

1°. poſt ן, ut: לְבַדְּנָה *ſeorſim eas*, Gen. 21. v. 29. pro לְבַדָּן. כֻּלָּנָה *omnia hæc*, pro כֻּלָּן, Gen. 42. v. 36.

קִרְבֶּנָה *ventrem earum*, Gen. 41. v. 21. cum (ֶ) præter normam, pro (ָ), ſic: קִרְבָּנָה, & ſimplici קִרְבָּן.

לָכֵנָה *vobis*, Ezech. 13. v. 18. pro לָכֶן.

כִּסְּתוֹתֵיכֶנָה *pulvillos veſtros*, Ezech. 13. v. 20. pro כִּסְּתוֹתֵיכֶן.

וְזִמַּתְכֵנָה *ſcelus veſtrum*, Ezech. 23. v. 48. pro וְזִמַּתְכֶן.

בּוֹאֲנָה *adventus earum*, Jerem. 8. v. 7. pro בּוֹאָן.

גְּוִיֹּתֵיהֶנָה *corpora ipſarum*, Ezech. 1. v. 11. pro גְּוִיֹּתֵיהֶן.

2°. poſt כ affixi ךָ frequentiſſime, ut:

בִּשְׁמֶכָה *in nomine tuo*, Jerem. 29. v. 25. pro בִּשְׁמְךָ. Sed ה iſtud non tam eſt paragogicum, quam ex ſubintellecto expreſſum. Vide ſupra pag. 27. col. 2.

Specialis anomaliæ eſt מַלְאָכֵכֵה *nuntiorum tuorum*, Nahum. 2. v. 14. al. 13. ubi procul dubio librariorum mendum eſt, pro מַלְאָכְכֵה, deficiente (י) pluralis numeri indice, ut interdum fieri videbimus infra num. 4. Quod attinet generis diſcrepantiam affixum inter maſculini generis, & Niniven ad quam refertur; ea facile conciliari poteſt, ſi non tam urbs ipſa, quam ejus incolæ attendantur. מַלְאָכֵכֵה igitur mendoſe eſt pro מַלְאָכַיִךְ, aut ſine ה in fine, מַלְאָכֵךְ.

3°. poſt ם, ut: אֵלֵיהַמָּה *ſuperliminaria eorum*, Ezech. 40. v. 16. cum daghéſch euphonico in מ, pro אֵלֵיהֶם.

Eadem litera ה nonnunquam per epentheſin in media dictione reperitur, ut:

כֻּלָּהֶם *univerſi ipſi*, 2. Reg. 23. v. 6. pro כֻּלָּם.

לְכֻלָּהְנָה *omnibus ipſis*, 3. Reg. 7. v. 37. pro לְכֻלָּן; ubi inſuper eſt aliud ה paragogicum.

בְּתוֹכֲהֶנָה *in medio earum*, Ezech. 16. v. 53. cum ה quoque paragogico in fine, pro בְּתוֹכָן.

II.

Affixorum enallage.

AFFIXORUM enallage eſt,

1°. cum affixum in forma plurali, jungitur cum nomine ſingulari, ut:

וַחֲמִשִׁתָיו *& quintam partem ejus*, Levit. 5. v. 24. pro וַחֲמִשִׁתוֹ.

עֵצָתָיִךְ cum (ָ) ſub ת loco (ַ) ob pauſam, *conſiliorum tuorum*, Iſai. 47. v. 13. pro עֲצָתֵךְ.

וְאַחְוֹתַיִךְ *& ſorores tuæ*, Ezech. 16. v. 55. pro וְאַחוֹתֵךְ. Hac porro enallage *diſtributionem* ſignificari volunt hoc modo: *Quintam cujuſlibet rei partem. Uniuſcujuſque conſiliorum tuorum. Et unaquæque ex ſororibus tuis.* Si in his exemplis ſpectetur (י) ut ſuperfluum, (de quo infra) & puncta nonnihil mutentur, affixa illa ad formam ſingularem facile revocabuntur. Alia exempla vide Iſai. 54. v. 4. Ezech. 16. v. 15. 53. &c.

2°. cum vice verſa affixum ſing. numeri cum nomine plurali conjungitur, ut: אַחְיוֹתֵךְ *ſorores tuas*, pro אַחְיוֹתַיִךְ Ezech. 16. v. 52.

עֵינֵיהוּ *oculi ejus*, Job. 24. v. 23. pro עֵינָיו.

גִּבּוֹרֵיהוּ *fortium ejus*, Nahum. 2. v. 3. pro גִּבּוֹרָיו.

מַעֲלוֹתֵהוּ *gradus ejus*, Ezech. 43. v. 17. pro מַעֲלוֹתָיו.

יָדֵיהוּ *manus ſuas*, Habac. 3. v. 10. pro יָדָיו.

מֵרֵעֵהוּ, vel מֵרֵעֵהוּ, Prov. 19. v. 7. & רֵעֵהוּ, Job. 42. v. 10. *amici ejus*, pro מֵרֵעָיו, רֵעָיו.

Digitized by Google

Huc pertinent duo illa nomina pluralia, quibus affixis adjungitur ea forma, qua ſingularibus ſolet adjici.

עֵדֹתִי *teſtimonia meum*, Pſal. 131. Heb. 132. v. 12. h. e. unumquodque teſtimoniorum meorum; ea enim enallage indicatur quoque diſtributio. Sic:

מַכּוֹתְךָ *plagas tuam*, Deut. 28. v. 59. h. e. quamque plagarum tuarum. Niſi ſint errores amanuenſium, pro עֵדוֹתַי, מַכּוֹתֶיךָ cum (י) deficiente de quo infra.

3°. quando componitur affixum cum forma nominis, cui non competit, ut:

אוֹרֵהוּ *lux ejus*, Job. 25. v. 3. pro אוֹרוֹ.

מוֹטֵהוּ *jugum ejus*, Nahum. 1. v. 13. pro מוֹטוֹ.

פִּילַגְשֵׁהוּ *concubina ejus*, Jud. 19. v. 24. pro פִּילַגְשׁוֹ.

לְמִינֵהוּ *ſecundum ſpeciem ſuam*, Gen. 1. v. 12. pro לְמִינוֹ, ut legitur v. 11. Vel eſt à forma inuſit. מִינָה.

מִלִּבְּהֶן *ex corde ſuo*, Ezech. 13. v. 17. pro מִלִּבָּן.

לְבַדְּהֶן *ſolas ipſas*, Gen. 21. v. 28. pro לְבַדָּן.

שְׁבִיתְהֶן pro שְׁבִיתָן *captivitatem earum*, Ezech. 16. v. 53.

4°. cum uſurpatur affixum maſculinum pro feminino, ut:

בְּעֵינֵיהֶם *in oculis eorum*, Num. 36. v. 6. pro בְּעֵינֵיהֶן *in oculis earum*.

אֲבִיהֶם *patris eorum*, ibid. pro אֲבִיהֶן *patris earum*, ſermo enim eſt de filiabus *Tſelophbhádh*, ſive ut legit Vulg. *Salphaad*.

5°. cum ſumitur affixum tertiæ perſonæ pro affixo ſecundæ, ut:

כֻּלָּם תָּשֻׁבוּ *omnes ipſi revertemini*, Job. 17. verſ. 10. pro כֻּלְּכֶם *omnes vos*, &c.

שִׁמְעוּ עַמִּים כֻּלָּם *audite populi omnes ipſi*, 3. Reg. 22. v. 28. pro כֻּלְּכֶם *omnes vos*.

Huc pertinent affixa poëtica & Chaldaïca, pro communibus & Hebraïcis uſurpata. Poëtica, ut: מוֹסְרוֹתֵימוֹ *vincula eorum*, עֲבֹתֵימוֹ *funes eorum*, Pſal. 2. v. 3. pro מוֹסְרוֹתֵיהֶם, &c.

פִּרְיָמוֹ *fructum eorum*, Pſal. 20. Heb. 21. v. 11. pro פִּרְיָם, vel פִּרְיְהֶם.

לָמוֹ *eis*, pro לָהֶם, Pſal. 2. v. 4. אֵלֵימוֹ pro אֲלֵיהֶם idem, ibid. v. 5.

פִּימוֹ *ore ſuo*, Pſal. 16. Heb. 17. v. 10. pro פִּיהֶם, &c.

Affixum iſtud videtur etiam ſingulariter accipi, ut: Job. 27. v. 23. יִשְׂפֹּק עָלֵימוֹ כַפֵּימוֹ *plaudet ſuper eum manibus ſuis*, ubi עָלֵימוֹ eſt pro עָלָיו, ut liquet ex hemiſtichio ſequenti MS. Alexand. Ald. & Compl. interpretantur ἐπαυτὸν, Vulg. *ſuper eum*. Lxx. edit. Vat. ἐπαυτοὺς *ſuper eos*. Sic Paraph. Chald. עֲלוֹיְהוֹן *ſuper eis*, h. e. eorum quolibet, ſenſus enim ſingularem numerum poſtulat. Sic לָמוֹ pro לוֹ *illi*, Iſai. 44. v. 15.

Chaldaïca, ut: תַּגְמוּלוֹהִי *beneficia*, *retributiones ejus*, Pſal. 115. Heb. 116. v. 12. pro תַּגְמוּלָיו. Sic in Dan. 4. v. 9. וּבְעַנְפּוֹהִי & *in ramis ejus*.

Chaldaïca & poëtica ſimul, ut: לִמְנוּחָיְכִי *in requiem tuam*, Pſal. 115. Heb. 116. v. 7. pro לִמְנוּחָתֵךְ cum (·) loco (-) ob pauſam. Sic in eadem pauſa, תַּחֲלוּאָיְכִי *morbos tuos*, Pſ. 102. Heb. 103. v. 3. חַיָּיְכִי *vitam tuam*, ibid. v. 4. נְעוּרָיְכִי *juventutem tuam*, ibid. v. 5. עֲוֹנֵכִי *iniquitatem tuam*, ibid. v. 3. pro עֲוֹנֵךְ. רָעָתֵכִי *malum tuum*, pro רָעָתֵךְ, Jerem. 11. v. 15. בְּתוֹכֵכִי *in medio tui*, Pſal. 115. Heb. 116. v. 19. pro בְּתוֹכֵךְ. Sic cum præpoſitione, עָלָיְכִי pro עָלַיִךְ *ſuper te*, ibidem v. 7.

Ceterum mirum non eſt affixa Chaldaïca in libris Hebraïce ſcriptis identidem reperiri; vel enim ad dialectos pertinent, quibus etiam non carebat lingua Hebraïca; vel Chaldaiſmi illi Sacrorum Codicum exſcriptoribus, qui Chaldaica dialecto in captivitate Babilonica uſi fuerant, eique erant aſſuefacti; incogitantia, quæ Sacræ Scripturæ αὐθεντίᾳ nihil officit, facile excidere potuerunt.

III.

Affixorum contractio.

Accidentibus affixis ad nomina in הֶ desinentia, fit interdum contractio, ſeu potius ſyncope literæ ת in quod mutatum fuerat ה, ut;

נִצָּהּ *flos ejus*, Gen. 40. v. 10. pro נִצָּתָהּ, à נִצָּה.

לְמִשְׁעִי *ad aſpectum meum*, Ezech. 16. v. 4. pro לְמִשְׁעָתִי à מִשְׁעָה. Vulg. *in ſalutem meam*, referebat ad ישע.

וְגֻלָּהּ *& lecythus ejus*, Zach. 4. v. 2. pro וְגֻלָּתָהּ à גֻּלָּה.

בְּעָרְמָם beormám *in aſtutia eorum*, Job. 5. v. 13. pro בְּעָרְמָתָם, ab עָרְמָה.

פִּנָּהּ *angulum ejus*, Prov. 7. v. 8. pro פִּנָּתָהּ, à פִּנָּה.

פִּשְׁתִּי *linum meum*, Oſe. 2. verſ. 5. al. 7. pro פִּשְׁתָּתִי, à פִּשְׁתָּה.

וְצוּרָם *& forma eorum*, Pſal. 48. Heb. 49. v. 15. pro וְצוּרָתָם, à צוּרָה. Lxx. καὶ ἡ βοήθεια αὐτῶν, Vulg. *& auxilium eorum*, וְצוּרָם deducebant ex צוּר *rupes*, & metaphoricè *auxilium*.

שׂוֹכֹה cum ה in fine loco ו, *ramum ſuum*, Jud. 9. v. 49. pro שׂוֹכָתוֹ, aut שׂוֹכָתוֹ, à שׂוֹכָה.

בִּתְבוּנָם *pro intellectu ſuo*, Oſe. 13. v. 2. pro בִּתְבוּנָתָם, à תְּבוּנָה.

פֶּחָם *dux eorum*, 2. Eſd. 5. v. 14. pro פֶּחָתָם, à פֶּחָה; ut dicitur לְפֶחָתֶךָ *duci tuo*, Malach. 1. v. 8.

Anomaliæ illæ ad analogiam facile revocantur, ſi aliæ nominum formæ fingantur. v. g. pro נִצָּה, נֵץ; pro גֻּלָּה, גֻּל; pro עָרְמָה, עֹרֶם; pro פִּנָּה, פֵּן ab inuſit. פנן; pro מִשְׁעָה, מִשְׁעָה; פִּשְׁתָּה, פִּשְׁתָּה; pro שׂוֹכָה, שׂוֹךְ, &c. Vero enim ſimile non eſt, ut jam ſæpius monuimus, omnes nominum Hebræorum formas in Sacris Bibliis contineri.

I V.

Litera (י) *nota pluralis numeri ellipſis, pleonaſmus; & τῶ mappíq abſentia.*

IN Nominibus plural. cum Affixis, (י) nota pluralis numeri quandoque deficit, ut:

וְעַמֻּדָו *& columnæ ejus*, Exod. 27. v. 11. pro וְעַמּוּדָיו.

מִטַּבְּעֹתָו *ex annulis ejus*, Ibidem cap. 28. v. 28. pro מִטַּבְּעֹתָיו.

דְּרָכֶךָ *vias tuas*, ibidem cap. 33. v. 13. pro דְּרָכֶיךָ.

עֲנָבֵמוֹ *uvæ eorum*, cum affixo poëtico; Deut. 32. v. 32. pro עֲנָבֵימוֹ.

צֹפָו *contemplatores ejus*, Iſai. 56. v. 10. pro צֹפָיו.

חֲפָצֶךָ *voluntates tuas*, ibid. 58. v. 13. pro חֲפָצֶיךָ.

חֲסָדֶךָ *miſericordiæ tuæ*, Pſal. 118. Heb. 119. v. 41. pro חֲסָדֶיךָ.

וּמֵחֶלְבֵהֶן *& de adipibus earum*, Gen. 4. v. 4. pro וּמֵחֶלְבֵיהֶן. Vel eſt ſing. cum enallage affixi. הֶן pro ן, ſic: וּמֵחֶלְבָּן.

Sic cum præpoſitione אֶל *ad*, ut: אֲלֵהֶם, 3. Reg. 12. v. 16. &c. pro אֲלֵיהֶם *ad eos*. אֲלֵכֶם Exod. 7. v. 4. pro אֲלֵיכֶם *ad vos*, &c.

E contrario interdum (י) iſtud redundat in ſing. ut:

אֹיְבֶיךָ pro אֹיִבְךָ *inimicus tuus*, 1. Reg. 24. v. 5. דְּבָרֶיךָ pro דְּבָרְךָ *verbum tuum*, 3. Reg. 8. v. 26. &c. (י) iſtud adſcriptis punctis vocalibus ſupervacaneum, erat antiqua vocalis *e*, quæ nunc per (ִ) ſub ultima nominis litera radicali exprimitur.

Punctum *mappíq* quod attinet, illud 18. vicibus, ſi bene numerarunt Maſſorethæ, deficit in litera ה affixo tertiæ perſonæ ſing. femininæ, ut:

וּשְׂעָרָה *& pilus ejus*, Levit. 13. v. 4. pro וּשְׂעָרָהּ.

לְחֵילָה *ad antemurale ejus*, Vulg. *in virtute ejus*, Pſal. 47. Heb. 48. v. 14. pro לְחֵילָהּ.

מִבְטֶחָה *fiducia ejus*, Prov. 21. v. 22. pro מִבְטָחָהּ, ubi inſuper ad euphoniam (ָ) ultimæ mutatur in (ֶ), ob aliud (ָ) ſequens ſub gutturali; abſolutum enim eſt מִבְטָח *fiducia*.

וְרַחְמָה *& vulva ejus*, Jerem. 20. v. 17. pro וְרַחְמָהּ, quod etiam habent codd. accuratiſſ.

נְתִיבָה *ſemita ejus*, Prov. 12. v. 28. pro נְתִיבָהּ.

אַנְחָתָה *gemitum ejus*, Iſai. 21. v. 2. pro אַנְחָתָהּ.

Alia loca vide apud Maſſoram magnam in ordine literæ ה, ad hunc titulum יח מלין.

V.

Digitized by Google

V.

Literarum א, ה, ו, *& motionum affixa præcedentium enallage.*

Ex facili permutatione literarum אהוי, interdum uſurpatur ה pro ו, ut:

אָהֳלֹה pro אָהֳלוֹ *tabernaculum ejus*, Gen. 13. v. 3.

עֶזְרֹה pro עֶזְרוֹ *auxilium ejus*, Ezech. 12. v. 14.

שִׁירֹה pro שִׁירוֹ *canticum ejus*, Pſal. 41. Heb. 42. v. 9. &c.

Reperitur etiam א pro ה, in כֻּלָּא pro כֻּלָּה *univerſa ipſa*, Ezech. 36. v. 5.

Interdum etiam affixa prævias habent motiones alias ab iis, quas vulgo ſecum afferunt, quando nominibus conjunguntur, ut:

מוֹדַעְתָּנוּ *cognationis noſtræ*, pro מוֹדַעְתֵּנוּ, Ruth. 3. v. 2. nempe cum (ָ) pro (ֵ).

תפוצותיכם *diſperſiones veſtræ*, Jerem. 25. v. 34. ſecundum exemplaria non pauca, pro תְּפוֹצוֹתֵיכֶם, ut habent Biblia accuratius edita. Hhiriq itaque pro (ֵ) hic mendoſe poſitum videtur.

CAPUT VIII.

De Verbo & Participio.

Verbum recte Hebræis dicitur פֹּעַל *actio*; vox enim eſt, quæ mentis affirmantis actionem proprie exprimit. Vide notas.

Duplicis ſunt generis Hebræorum verba: *perfecta* ſcilicet, & *imperfecta*.

Verba perfecta ea ſunt, quorum tres literæ radicales ubique exprimuntur & ſonant, ſeu proferuntur, ut: מָסַר *tradidit*.

Verba imperfecta cenſentur, quorum aliqua ex tribus literis radicalibus, in quibuſdam ſaltem conjugationibus, aut conjugationum temporibus, vel *deficit*, vel *quieſcit*. De his Verbis in capite ſequenti agemus; in hoc vero de perfectis, quibus adprime notis, nullo fere negotio intelligentur & imperfecta.

NOTÆ.

Verba Hebraïca ſunt vulgo radices, ex quibus nomina & aliæ orationis partes, inſtar ſurculorum, naſcuntur. Tribus, ut plurimum, conſtant nativis literis; raro quatuor, aut quinque. Ut autem Verborum Hebræorum natura melius intelligatur, quædam circa Verbum in genere obſervanda ſunt.

Verbum, ut diximus ſupra, vox eſt, quæ affirmationem ſignificat, ſeu quæ actum mentis attributum cum ſubjecto in propoſitione conjungentis exprimit. In lingua Hebraïca, ſicuti & in aliis, ad actionem illam mentis exprimendam, verbum unicum, nempe ſubſtantivum *ſum*, ſufficeret. Verum ut citius ac brevius illa mentis actio exprimeretur, plurima alia verba excogitata ſunt, quorum nonnulla ſubjectum cum copula, ſeu affirmatione; quædam affirmationem cum attributo;

Digitized by Google

quædam denique ſubjectum, affirmationem, & attributum exprimunt.

Affirmatio autem, quæ eſt verbi ſtricte ſumti natura, ſpectat 1°. vel primam perſonam, vel ſecundam, vel tertiam, cum ſingularem, tum pluralem; & in Hebraica lingua, maſculinam vel femininam; atque inde natæ ſunt diverſæ verborum perſonæ, numeri, & genera. 2°. affirmatio illa fit, vel de tempore præſenti, vel de præterito, vel de futuro; & inde variorum temporum origo. 3°. denique affirmatur vel ſimpliciter, vel adjecta conditione, vel cum voto ac deſiderio; hinc modi *Indicativus*, *Conjunctivus*, ſeu *Subjunctivus*, & *Optativus*. Quod ſpectat *Infinitivum*, eſt potius nomen ſubſtantivum, quam modus. *Imperativus* non tam modus eſt, quam futurum; quare futurum primum etiam appellatur.

Verbum itaque ſecundum eſſentiam ſuam ſpectatum, eſt *vox affirmationem exprimens.* Si vero præcipua ejus adjuncta conſiderentur, ac in ejus definitione includantur, eſt *vox ſignificans affirmationem cum deſignatione perſonæ, numeri, temporis, conditionis, deſiderii*; & ſæpius etiam apud Hebræos, *generis.*

ARTICULUS I.

De Conjugationum Hebraïcarum numero, nomine, ac poteſtate.

VERBI conjugatio, quæ Hebræis dicitur בִּנְיָן *ſtructura, ædificium*, eſt varia ejus thematis per tempora, numeros, ac perſonas inflexio. Secundum eam conjugationis definitionem, Hebræis proprie non eſſet niſi unica, quandoquidem omnia illorum verba, ſi terminationem ſpectes, eodem prorſus modo inflectuntur. Verum, quia hæc ipſa conjugatio, quantum ſignificationem & primas cujuſlibet temporis voces attinet, ſeptem modis variatur: ideo unius ejuſdemque verbi ſeptem conjugationes admittimus, quarum ſequens ſchema exhibet

Num.	*Nomen.*	*Poteſtatem.*
I.	קַל, vel פָּעַל *Paál*, vel *Qál.*	Activa eſt, & actionem ſimplicem importat, ut: *fecit*, *amavit*, &c. Nonnunquam intranſitiva eſt, ut: *ſtetit*, *ambulavit*, &c. Vide appendicem.
II.	נִפְעַל *Niphál.*	Præcedentis paſſiva eſt, & paſſionem ſimplicem, aut actionem immanentem, vel reciprocam denotat, ut: *factus eſt*, *ſimilitudinem contraxit*, *cavit ſibi*, &c. Vide appendicem.
III.	פִּעֵל *Piél.*	Activa eſt, & actionem intenſam repræſentat, ut: *perfecit*, *peramavit*, &c. Vide appendicem.
IV.	פֻּעַל *Puál.*	Præcedentis immediate paſſiva eſt, & paſſionem intenſam ſignificat, ut: *perfectus eſt*, *peramatus eſt*, &c. Vide appendicem.
V.	הִפְעִיל *Hiphíl.*	Activa eſt, & actionem duplicem includit, ut: *amare fecit*, &c. Vide appendicem.
VI.	הָפְעַל *Hophál.*	Paſſiva eſt immediate præcedentis, & duplicem paſſionem, aut actionem cum paſſione complectitur, ut: *amari*, vel *amare factus eſt*, &c. Vide appendicem.
VII.	הִתְפַּעֵל *Hithpaél.*	Activa & paſſiva eſt, exprimitque actionem, aut paſſionem reciprocam, re, aut ſimulate, ut: *laudavit ſe*, *divitem ſe fecit*, &c. Vide appendicem.

Digitized by Google

NOTÆ.

De conjugationum Hebraïcarum nomine & numero.

Conjugationum Hebraïcarum nomina deſumta ſunt ex primis cujuſlibet conjugationis vocibus verbi פָּעַל *fecit*, *operatus eſt*, quo, ceu paradigmate, olim utebantur Grammatici. Sicut enim verbum iſtud in primaria voce primæ ſuæ conjugationis erat פָּעַל *paál*: ſic prima conjugatio cujuſvis alterius verbi appellata eſt פָּעַל *paál.* Sæpius tamen קַל *qál*, i. *levis*, nominatur: quia, excepto futuro, in primis temporum ſuorum vocibus, ſolis literis radicalibus conſtat; nec ullam ſervilem admittit, aut ullo puncto daghéſch oneratur. Et quemadmodum idem verbum פָּעַל in ſecunda conjugatione incipiebat à voce נִפְעַל *niphál*; ſic aliorum verborum ſecunda conjugatio dicitur *niphál*. Et ſic de ceteris. Haud ſecus ac ſi apud Græcos, prima conjugatio vocitaretur *τύπτω*, ſecunda *τύπτομαι*. Vel apud Latinos, prima *amo*, ſecunda *amor*, &c.

Circa conjugationum Hebraïcarum numerum, non convenit inter Grammaticos. Alii ſiquidem nobiſcum ſeptem admittunt; alii quatuor duntaxat: *qál* enim & *niphál* pro prima conjugatione; *piél* & *puál* pro ſecunda; *hiphil* & *hophál* pro tertia; denique *hithpaél* pro quarta accipiunt. Nec male: activa enim & paſſiva ejuſdem verbi conjugatio, non duplex: ſed unica cenſeri poteſt, ut apud Græcos & Latinos. Septenario tamen numero calculos adjecimus, utpote qui apud melioris notæ Grammaticos obtinuerit. At ſine fundamento Grammatici quidam cum veteres, tum recentiores, octavam conjugationem addunt, quam פּוֹעֵל *poél*, ſeu מְרֻבָּע *quadratam*, aut 4. literarum, appellant. Nam 1°. tria aut quatuor tantummodo verba reperire eſt, quæ fictam illam conjugationem ſequantur, & quorum anomalia in eo poſita eſt, quod loco daghéſch fortis in ſecunda radicali, ſumant ו pro motione primæ. Satius itaque eſt verba illa ut anomala conſiderare, quam eorum gratia novam conjugandi rationem fingere. 2°. Immerito nova illa conjugatio *quadrata*, aut quatuor literarum à ſuis patronis appellatur; nam v. g. in שׁוֹפֵט *judicavit*, quatuor non ſunt literæ, ſed tres duntaxat: ו enim motio eſt non litera. Recte id nominis conſequuta eſt tertia conjugatio verborum quieſcentium in ſecunda ו, de quibus in capite ſequenti, illud enim ו in בּוֹנֵן v. g. revera litera eſt, & quidem radicalis, cum thema ſit בִּין *intelligere.* 3°. In ſententiam noſtram concedunt doctiſſimi Grammatici, Rabbi *Elias Levita* Germanus, *Buxtorfius*, noſter *Thomas Duſour*, *Simeon Muiſius*, qui in notis ad Bellarmini Grammaticam editam Pariſiis anno 1622. pag. 126. ſic concludit: *Eſt igitur conjugatio illa* Poël, *quidquid auctor* (Bellarminus) *ex veterum Grammaticorum ſententia dicat, excludenda, rejiciendaque. Quod ſi illam admittere volueris, pari jure nona conjugatio* Hithpoël *tibi erit admittenda: quod nemo hactenus attentavit.* Sic doctiſſimus Muiſius L. S. in Acad. Pariſ. Profeſſor Regius.

APPENDIX.

De conjugationum Hebraïcarum poteſtate.

Præter ea, quæ in ſuperiori ſchemate de conjugationum Hebraïcarum poteſtate diximus, hæc inſuper obſervanda ſunt.

1°. Conjugationes, quam ſupra aſſignavimus ſignificandi rationem & ordinem, non ſemper retinent: vix enim reperiuntur verba in omnibus conjugationibus uſitata. Cum verbum aliquod in prima conjugatione nihil ſignificat, quæ prior eſt uſitata, aſſumit ſignificationem ſimplicem primæ, ut: שָׁבַע in qál nihil ſignificat, in niphal נִשְׁבַּע *juravit.* Quod etiam accidit quando radix quidem eſt in uſu in qal, aut in alia conjugatione, ſed aliud omnino ſignificat, ut: פָּלַל inuſit. in qál, in piél פִּלֵּל *judicavit*, in hithpaél הִתְפַּלֵּל *oravit* ſimpliciter; quia verbum iſtud

Digitized by Google

ſignificat quidem in piél, ſed aliud, nempe *judicavit.* Quando radix in qal intranſitiva eſt, in piél fit tranſitiva, ut: הָלַךְ *ivit*, in piél הִלֵּךְ *deduxit.* Quandoque etiam prima conjugatio ſignificationem quintæ ſibi vindicat, ut: Exod. 25. v. 17. וְעָשִׂיתָ כַפֹּרֶת *& facies propitiatorium*, id eſt, *fieri curabis.* 3. Reg. 6. v. 9. וַיִּבֶן אֶת־הַבַּיִת *& ædificavit domum*, hoc eſt, *ædificandam curavit*, &c. Quod linguis omnibus commune eſt, ut cum dicitur *Ludovicus XIV. Verſalias ædificavit*, &c.

II°. Secunda conjugatio, quæ dicitur niphál, in verbis intranſitivis, & etiam in qal uſitatis, ſæpe idem ſignificat ac ipſa conjugatio qal, ut: נִשְׁעַן *innixus fuit*, נִכְסַף *deſideravit*, &c. Idem fit in verbis, quæ etiam in qal tranſitiva ſunt, ut: Iſai. 66. verſ. 16. כִּי בָאֵשׁ יְהוָה נִשְׁפָּט *quia in igne Dominus judicat*, vel *judicabit.* Jerem. 2. v. 35. הִנְנִי נִשְׁפָּט אוֹתָךְ *ecce ego judico te.* Ezech. 6. v. 9. נִשְׁבַּרְתִּי אֶת־לִבָּם הַזּוֹנֶה *contrivi cor eorum fornicans.* Lxx. ὀμώμοκα τῇ καρδίᾳ αὐτῶν τῇ ἐκπορνευούσῃ *juravi cordi eorum fornicanti.* Pro נִשְׁבַּרְתִּי *contrivi*, legebant נִשְׁבַּעְתִּי *juravi.* Quandoque etiam in hac conjugatione augetur ſignificatio, ut: כְּצֵל כִּנְטוֹתוֹ נֶהֱלָכְתִּי *ſicut umbra, cum declinat, evanui, abire coactus fui*, Pſal. 108. Heb. 109. v. 23. אָז נִדְבְּרוּ *tunc obloquuti ſunt*, Malach. 3. v. 16. יְהוָה יִלָּחֵם לָכֶם *Dominus ſtrenue pugnabit pro vobis.* Exod. 14. v. 14.

III°. Verba quædam in tertia conjugatione piél, neutralem habent ſignificationem, ut: פִּתַּח הַסְּמָדַר *aperit ſe*, vel *aperitur uva*, Cant. 7. v. 13. חִתְּתָה קַשְּׁתוֹתָם *confractus eſt arcus eorum*, Jerem. 51. v. 56. וּפִתְּחוּ שְׁעָרַיִךְ *& aperientur portæ tuæ*, Iſai. 60. verſ. 11. לֹא־פִתְּחָה אָזְנֶךָ *non fuit aperta auris tua*, Iſai. 48. v. 8. וּשְׂעָרֵךְ צִמֵּחַ *& pilus tuus germinavit*, Ezech. 16. v. 7. כִּי רִוְּתָה בַשָּׁמַיִם חַרְבִּי *quia inebriatus eſt in cælo gladius meus*, Iſai. 34. v. 5.

Quandoque ſignificatio piél à ſignificatione qal parum, vel nihil diſcrepat, ut: דָּבַר & דִּבֵּר *loquutus eſt*, קָרַב & קֵרַב *acceſſit*, &c.

E contrario, quædam verba, quæ ſunt intranſitiva in qal, non ſolum actionem intenſam in piél habent: verum etiam duplicem, ut in hiphil, ſic: לָמַד *didicit*, לִמֵּד *diſcere fecit*, ſeu *docuit.* קָם *ſurrexit*, קִיֵּם *ſurgere fecit, erexit.* חָיָה *vixit*, חִיָּה *vivificavit*, &c. Et reciproce, שִׁחֵת *corrupit ſe.*

Interdum in hac conjugatione ſignificatum plane diverſum à qal obtinent, ut: אָנָה qal, *mæſtus fuit;* אִנָּה piél, *obvenire fecit, objecit, tradidit.* אָשַׁר qal, *inceſſit;* אִשֵּׁר piél, *beavit.* גָּאַל qal, *vindicavit, redemit;* גֵּאֵל piél *contaminavit.* הָלַל qal, *inſanivit;* הִלֵּל piél, *laudavit*, &c. Imo quandoque contrarium, ut: תָּאַב qal, *deſideravit;* תִּאֵב piél, *abominatus eſt.* חָטָא qal, *peccavit;* חִטֵּא piél, *à peccato expiavit*, &c.

IV°. In conjugatione puál paſſionem ab alio, non vero à ſe ipſo, ſignificari volunt Hebræi. Quia vero agens fere non commemoratur, conjugationem illam vocant בִּנְיָן שֶׁלֹּא נִזְכַּר פָּעֳלוֹ *conjugationem, cujus non commemoratur agens.* Ea quandoque non reſpondet, quod ſignificationem attinet, τῷ piél; ſed ſimpliciter inſtar niphal ſignificat, ut: יָלַד *genuit*, in piél יִלֵּד *parere fecit, obſtetricavit;* puál יֻלַּד *natus eſt*, non *factus eſt gignere*, &c.

V°. Vis primaria conjugationis hiphil ea eſt, qua actionem ſignificat, ſive per modum cauſæ primæ, & immediate, ut: עָמַד *ſtetit*, in hiph. הֶעֱמִיד *ſtare fecit, collocavit, ſtatuit*, &c. ſive per modum cauſæ ſecundæ & mediate, ut: אָכַל *comedit*, in hiph. הֶאֱכִיל *comedere fecit*, præcepit, ſuaſit, impulit, &c. ad comedendum. Duæ igitur actiones ſignificantur, *facere* ſcilicet & *comedere*, quarum prior tranſit in eum, qui comedit: poſterior vero in cibum qui comeditur.

Quæ verba in qal intranſitiva ſunt, hic fiunt tranſitiva, ut: שָׁכַב *jacuit*, הִשְׁכִּיב *jacère fecit, collocavit*, בָּרַח *fugit*, הִבְרִיחַ *fugere fecit, fugavit*, &c.

Cum in conjugationibus præcedentibus inuſitata ſunt, in hiph. ſignificationem qal, aut piél obtinent, ut: שָׁלַךְ in qal, niph. piél & puál inuſitatum, in hiph. הִשְׁלִיךְ *jecit, projecit*, &c. נָכָה in qal inuſitatum, hiph. הִכָּה *percuſſit*, &c.

Verba aliquammulta in hiphil tranſitiva & intranſitiva ſignificatione gaudent, ut:

הִשְׂכִּיל *intellexit*, & *intelligere fecit.* הִבְאִישׁ *fœtuit*, & *fœtidum reddidit.* הִקְרִיב *appropinquavit*, & *appropinquare fecit.* הִלְבִּין *albuit*, & *album reddidit.* הֶאֱרִיךְ *prolongatus eſt*, & *prolongavit.* הֵצַר vel הֵצַר *anguſtiavit*, & *in anguſtiis fuit*, à צָרַר, &c.

Quædam intranſitive tantum ſignificant, ut: הִשְׁכִּים *matutino tempore ſurrexit*, הֶאְדִּים *rubuit*, הִזְקִין *ſenuit*, &c. Imo verba quædam in hac conjugatione paſſive ſumuntur, ut: כָּל־יְמֵי הַזִּירוֹ *omnibus diebus ſeparari eum*, ſeu *ſeparationis ſuæ*, Num. 6. v. 6.

Quæ in qál & hiphil intranſitiva ſunt, in hiph. ſignificationem habent intenſiorem & magis emphaticam, ut: אָדַם *rubuit*, in hiph. הֶאְדִּים *in ſummo gradu rubuit.* Sic חָרַשׁ *ſiluit*, הֶחֱרִישׁ *altum ſiluit.* רָחַב *dilatatus eſt*, הִרְחִיב *maxime dilatavit ſe*, quamvis etiam ibidem active ſignificet.

Sic quoque in qál & hiphil tranſitiva, in hiphil novam aliquam intenſionem recipiunt, ut: צָמַח *germinavit*, הִצְמִיחַ *valde germinavit.*

VI°. Conjugatio hophál unicam, vel duplicem paſſionem pro ratione activæ hiphil ſignificat. Unicam, ut: הָשְׁכַּב *factus eſt jacere.* Duplicem, ut: הָאֳכַל *factus eſt comedi.* Interdum tamen ſimplicem paſſionem, eamque in ſecundo agente ſitam denotat, ut: הָרְאֵיתָ *factus es videre*, Exod. 26. v. 30. In hac quoque conjugatione, ſicut ſupra in puál, non commemoratur agens, ut paſſim ſcribit Qimhhi in lib. radicum, & Abenesra, Geneſ. 24. v. 33.

VII°. Septima conjugatione denotatur agentis in ſemetipſum actio ſive *vera*, ſive *ficta*. Vera, ut: הִתְגָּאַל *polluit ſe*, הִתְגַּדֵּל *magnificavit ſe*, &c. Ficta, ut: Joſ. 9. verſ. 4. וַיִּצְטַיָּרוּ *& legatos ſe finxerunt.* 2. Reg. 13. v. 5. *cuba in cubili tuo*, *&* הִתְחָל *ægrotum te ſimula.* Prov. 13. v. 7. מִתְעַשֵּׁר *qui ſe divitem facit*, i. jactat. Ibidem מִתְרוֹשֵׁשׁ *qui ſe pauperem facit*, hoc eſt, ſimulat, &c.

Præterea iſthæc conjugatio ſignificat

1°. *Active*, ut: Exod. 32. v. 3. וַיִּתְפָּרְקוּ כָּל־הָעָם אֶת נִזְמֵי הַזָּהָב *& abrupit* (ad verbum, *abruperunt*) *omnis populus inaures aureas.* Sic הִתְחַטֵּא *expiavit*, *purgavit*, Num. 31. v. 20. הִתְפַּלֵּל *oravit*, 4. Reg. 19. v. 20. הִתְחַנֵּן *deprecatus eſt*, Eſther 4. v. 8. &c.

2°. *Paſſive*, ut: וְיִשְׁתַּכְּחוּ *& oblivioni tradentur*, Eccl. 8. v. 10. הִתְפָּרְקוּ *rupti ſunt*, ſeu *fracti ſunt*, Ezech. 19. v. 12. וְהִתְבָּרְכוּ *& benedicentur*, Gen. 22. v. 18. quod cap. 12. v. 3. exprimitur per niph. וְנִבְרְכוּ.

3°. *Neutraliter & intranſitive*, ut: וְלֹא יִתְבֹּשָׁשׁוּ *& non erubeſcebant*, Gen. 2. v. 25. *Ne intuearis vinum quando* יִתְאַדָּם *rubeſcit*, vel *flaveſcit*, ut vulg. interpretatur, Prov. 23. v. 31. Sic הִתְאַבֵּל *lamentatus eſt*, &c.

4°. *Frequentative*, cum videlicet frequentatio, aſſiduitas, excellentia, & continuatio actionis ſignificatur, ut: הִתְהַלֵּךְ *itavit*, ambulavit continenter, הִתְחוֹלֵל *expectavit aſſidue.* הִתְדַּפֵּק *pulſavit continuo*, *pultavit*, הִתְמַכֵּר *venditavit ſe totum*, &c.

ARTICULUS II.

De conjugationum Hebraïcarum characteribus.

Conjugationum Hebraïcarum characteres ſunt: vel literæ ſerviles, de quibus ſupra pag. 11. primæ radicali præpoſitæ; vel dagh. forte ſecundæ radic. impreſſum; vel denique literæ ſerviles cum dagh. forti, quod ſecundæ itidem radicali infigitur. Hi characteres una cum formis, de quibus in art. ſeq. conjugationes Hebraïcas χαρακτηρίζουσι, h. e. alias ab aliis diſcriminant. Illi porro characteres ſunt:

Digitized by Google

QAL.

Character hujuſce conjugationis eſt ejus ſimplicitas, i. literarum ſervilium, & τῦ daghéſch in omnibus temporibus abſentia, præterquam in futuro, quod י futurorum omnium characterem adſciſcit. Unde conjugatio illa vulgo dicitur *qál*, i. *levis*, *expedita*, &c. Vide ſupra pag. 131. col. 1.

NIPHAL.

Character præteriti & bénoní, ſeu participii præſentis, eſt litera נ affecta hhiríq qatón, ſic: נִ. Infinitivi & imperativi, ה cum eodem hhiríq qatón, & daghéſch in prima radicali, ſic: הִ·. Futuri, י cum hhiríq qatón, & daghéſch pariter forti in prima radicali, ſic: יִ·.

PIEL.

Character omnium conjugationis hujus temporum, eſt daghéſch forte ſecundæ radicali impreſſum, excepto bénoní, quod inſuper habet præfixum מ cum ſchevá notatum, ſic: מְ; & futuro, cui præponitur י ſchevá quoque affectum, ſic: יְ.

PUAL.

Character omnium hujuſce conjugationis temporum, idem eſt ac præcedentis conjugationis character; cum eo ſolo diſcrimine, quod illa conjugatio participio paoúl gaudeat, quo deſtituitur piél. Huic autem participio præponitur מ cum ſchevá, ſic: מְ. Caret imperativo.

HIPHIL.

Character præteriti, infinitivi, & imperativi, eſt ה affectum ( ) in præterito, ſic: הִ; (-) in infinitivo, & imperativo, ut: הַ. Futuri autem character eſt י itidem cum (-) hoc modo: יַ. Denique character bénoní eſt מ cum eodem (-) notatum, ut: מַ.

HOPHAL.

Character præteriti & infinitivi, ה cum (. hhatoúph) & interdum (.), ut: הָ & quandoque הֻ. Futuri י cum (. hhatoúph) ſic: יָ. Paoúl, caret enim bénoní & imperativo, מ cum (.), & nonnunquam cum (. hhatoúph), ſic: מֻ, & מָ.

HITHPAEL.

Character præteriti, infinitivi, & imperativi הִתְ; futuri יִתְ; participii מִתְ. Præterea ſecundæ radicali omnium temporum imprimitur dagh.

forte, ſicuti in piél & puál. Metatheſin literæ ת, & ejus mutationem in ד & ט, vide infra art. XI. in append. ad hithpaél.

Hi ſunt communes Hebraïcarum conjugationum characteres, quos una conjunctos exhibet ſequens tabella, in qua punctum ad ſiniſtram literæ ſervilis characteriſticæ poſitum, indicat daghéſch forte, quod primæ radicali infigitur. Idem punctum numero 2 ſubjectum, repræſentat daghéſch forte ſecundæ radicali impreſſum. Figura .ₒ notat (· hhatoúph). Denique cellulæ vacuæ oſtendunt characteris abſentiam: quæ vero habent ∘, & temporis, & characteris defectum innuunt.

Tabella conjugationum Hebraïcarum characteres complectens.

Futura.	Imperativi.	Infinitivi.	Paoul.	Bénoni.	Præterita.	VII. Conjugationes Hebraicæ.
יְ						Qál.
·יִ	·הִ	·הִ	∘	נִ	נִ	Niphál.
2יְ	2	2	∘	2מְ	2	Piél.
2יְ	∘	2	2מְ	2	2	Puál.
יַ	הַ	הַ	∘	מַ	הִ	Hiphíl.
יָₒ	∘	הָₒ	מָ	∘	הָₒ	Hophál.
2יִתְ	2הִתְ	2הִתְ	∘	2מִתְ	2הִתְ	Hithpaél.

N O T Æ.

De Conjugationum Hebraïcarum literis characteriſticis, & earum motionibus.

CONJUGATIONUM Hebraïcarum literæ characteriſticæ ſunt, ut ex dictis liquet, ה, מ, נ, י, & dagh. forte; excepta VII^a. conjugatione, quæ præter ה, מ, י, & dagh. in ſecunda radicali, adſciſcit inſuper ת, ſic: הִתְ, מִתְ, יִתְ. Horum autem characterum motio genuina eſt (·) ſive ſimplex, ſive compoſitum, ut: יְסַפֵּר, מְסַפֵּר, &c. Si alia afficiantur, puta (·) (-) (· hhatoúph), &c. id accidit, vel ob aliud (·) ſequens, quod in cauſa eſt cur (·) literæ characteriſticæ mutetur in (·), &c. ſecundum leges concurſus traditas ſupra p. 35. coll. 1. 2. ut: יִסְפֹּר pro יְסְפֹּר, in fut. qál. נִסְפַּר pro נְסְפַּר, in præt. niphal, &c. Vel quia ſpecialis character temporis excludit communem conjugationis characterem, motione ejus aſſumta, ut: מַסְפִּיר pro מְהַסְפִּיר, bénoni hiphil. יַסְפִּיר pro יְהַסְפִּיר, fut. ejuſdem conjugationis. מָסְפָּר pro מְהָסְפָּר, paoúl hophal. יָסְפַּר iomſar pro יְהָסְפַּר, iehomſar, fut. ejuſd. conjugationis. Motio propria τῶ ה eſt etiam (·), quod alte-

Digitized by Google

ro concurrente vel expreſſo, vel ſubintellecto, mutatur in ( ), ſi fuerit ſimplex, vel in (-), vel in (- hhatoúph), ſi compoſitum. Expreſſo, ut: הִמְסִיר pro הִמְסְפִּיר, præt. hiphil. הַסְפֵּר pro הַמְסְפֵּר, infinitivus ejuſdem conjug. הֻמְסַר homſar, & cum (ֻ) הֻסְפַּר, pro הֻמְסְפַּר, præterit. hophál. Subintellecto, ut: הִסָּפֵר pro הִנְסָפֵר, infinitiv. niphál.

Sic in fut. ejuſd. conjugationis (י) afficitur (ִ) loco (ְ), ut: יִסָּפֵר pro יִנְסָפֵר. Vel ה & י ibi afficiuntur (ִ) non (ְ); quia daghéſch forte, quod hîc uſurpatur ad communem conjugationis characteriſticam נ excidentem compenſandam, nunquam ſequitur puncta rapta, ſeu motiones breviſſimas, ut diximus ſupra pag. 29. col. 2.

ARTICULUS III.

De conjugationum Hebraïcarum formis, temporibus, & modis.

CONJUGATIONUM Hebraïcarum formas appellamus puncta vocalia, quæ primam & ſecundam radicalem primariarum vocum, in omnibus conjugationum temporibus, afficiunt.

Voces primariæ illæ ſunt à quibus temporis inflexio, & in participiis mutatio maſculini in femininum genus, & ſingularis in pluralem & dualem numerum incipit. Sic v. g. in præteritis, vox primaria eſt tertia perſona ſingularis maſculina, quæ verborum Hebraïcorum flexionis dat initium. In participiis, numerus ſingularis maſculinus. In imperativis, ſecunda perſona ſing. maſculina. Denique in futuris, ſecundum noſtram methodum, tertia perſona ſing. maſculina, ut in præteritis. Vox primaria infinitivorum nulla eſt præter ipſoſmet infinitivos, abſque literis gerundia conſtituentibus, ſpectatos.

Tempora conjugationes Hebraïcæ ſex habent, ſed latiſſime ſumta; ſiquidem inter ea numerantur participia. Illa autem tempora ſunt: ***Præteritum***, ***Bénoní***, ſeu Participium præſens, ***Paoúl***, ſeu Participium præteritum, ***Infinitivus***, ***Imperativus***, & ***Futurum***. Tempore præſenti caret lingua Sancta. Quomodo illud exprimat, docebimus infra, art. V. in notis ad Præteritum; & fuſius in Syntaxi.

Modos, ſi eorum formam, ſeu variam inflexionem ſpectes, non habent verba Hebraïca. At ſi eorum naturam attendas, iis minime deſtituuntur, ut in notis ſubjiciendis probabimus.

Jam formæ communes vocum in qualibet conjugatione primariarum declarandæ. Ut autem facilius percipiantur à tyronibus, eas una cum characteribus in verbo סָפַר *tradidit*, quo ceu paradigmate verborum perfectorum utemur, proponere operæ pretium eſſe arbitror. Formæ autem minus uſitatæ in appendice cuilibet conjugationi ſubjecta conſpiciuntur.

QAL.

QAL.

Forma præteriti, eſt (ָ) ſub prima radicali; (ַ) vero ſub ſecunda, ut: מָסַר *tradidit.*

Forma bénoní, ו cum prima radicali; (ֵ) ſub ſecunda, ut: מוֹסֵר *tradens.*

Forma paoúl, (ָ) ſub prima radicali; ו cum ſecunda, ut: מָסוּר *traditus.*

Forma infinitivi, (ְ) ſub prima radicali; hhólem plerumque deficiens cum ſecunda, ut: מְסֹר *tradere.*

Forma imperativi, (ְ) ſub prima radicali; hhólem communiter deficiens cum ſecunda, ut: מְסֹר *trade.* Infinitivi & imperativi ſemper ſimiles ſunt, & ſenſu tantum diſtinguuntur.

Forma futuri, (ִ) ſub prima radicali; hhólem vulgo deficiens cum ſecunda, ut: יִמְסֹר *tradet.*

APPENDIX.

In præterito, pro (ַ) ſub ſecunda radic. interdum ponitur (ֵ), ut: חָפֵץ *voluit*, &c. Quandoque ו, ut: יָכוֹל *potuit*, &c.

In bénoní, prima rad. interdum afficitur (ָ) loco ו, ut: אָבֵל *lugens*, &c. Interdum etiam ſecunda rad. notatur cum (ַ) pro (ֵ), maxime cum ultima rad. gutturalis eſt, ut: אֹבֵד *periens*, נֹטֵעַ *plantans*, &c. Bis ibidem reponitur hhiriq, ut: יֹסִף *addens*, תּוֹמִיךְ *ſuſtentans.*

In paoúl, pro ו cum ſecunda rad. interdum ponitur (ֻ) ad euphoniam, ut: לָבֻשׁ *indutus.*

In infinitivo, loco (ְ) ſub prima rad. nonnunquam ſubſcribitur (ָ), ut: מָסֹר *tradere*, eaque forma fere tantum uſitata eſt in gerundiis, ut: מָסֹר תִּמְסֹר *tradendo trades.*

In eodem infinitivo, imperativo & futuro, ſecunda radicalis afficitur etiam (ַ) loco hhólem, maxime in verbis intranſitivis, aut quorum ultima radicalis eſt gutturalis, שְׁכַב *accumbere*, שְׁמַע *audi*, יִפְתַּח *aperiet.*

NIPHAL.

Forma præteriti, (ִ) ſub prima radicali; (ַ) ſub ſecunda, ut: נִמְסַר *traditus eſt.*

Forma bénoní, (ִ) ſub prima radicali; (ָ) ſub ſecunda, ut: נִמְסָר *traditus*, vel *qui traditur.*

Forma infinitivi, imperativi & futuri, (ִ) ſub prima radicali; (ֵ) ſub ſecunda, ut: הִמָּסֵר *tradi*, הִמָּסֵר *tradere*, *traditor tu*, יִמָּסֵר *tradetur.*

APPENDIX.

In præterito, pro (ַ) ſub ſecunda radicali reponitur ו in נֶהְפַּךְ *ſubverſus eſt*, נֶחְתּוֹם *obſignatus eſt*, נַעְתּוֹר *exoratus eſt.* Quæ forma interdum etiam in infinitivo uſurpatur, ut: הֵאָכוֹל *comedendo*, הִנָּתוֹן *tradendo.*

In imperativo & futuro, ſecunda radicalis nonnunquam afficitur (ַ) loco (ֵ), ut: הֵאָנַח *ſuſpira*, יִנָּפֵשׁ *reſpirabit*, &c.

PIEL.

Forma præteriti, (·) ſub prima radicali; (-) ſub ſecunda, ut: מִסֵּר *diligenter tradidit.*

Forma bénoní, infinitivi, imperativi & futuri, (-) ſub prima radicali; (-) ſub ſecunda, ut: מְמַסֵּר *diligenter tradens*, מַסֵּר *diligenter tradere*, מַסֵּר *diligenter trade*, יְמַסֵּר *diligenter tradet.*

APPENDIX.

In præterito, prima radicalis rariſſime afficitur ו pro (·); & hæc eſt conjugatio, quam Grammatici non pauci *quadratam* male appellant. Vide ſupra pag. 131. col. 2. ut: שׁוֹפֵט *judicavit*, &c. In eodem præterito, ſicut & in aliis hujuſce conjugationis temporibus, pro (··) ſub ſecunda radicali, non raro ponitur (-), præſertim quando ultima litera radicalis gutturalis eſt, aut ר, ut: אִבַּד *perdidit*, מְקַרְקַר *deſtruens*, חַרְחַר *accendere*, שַׂמַּח *lætifica*, יְבַקַּע *diſcindet*, &c. Hîc autem (-) uſurpatur, ut guttur. aut ר, facilius proferatur.

PUAL.

Forma præteriti, (ֻ) ſub prima radicali; (-) ſub ſecunda, ut: מֻסַּר *diligenter traditus eſt.*

Forma bénoní & paoúl (ֻ) ſub prima radicali; (-) ſub ſecunda, ut: מְמֻסָּר bénoní, *qui diligenter traditur*, מְמֻסָּר paoúl, *diligenter traditus.*

Forma infinitivi, (ֻ) ſub prima radicali; ו cum ſecunda, ut: מֻסּוֹר *diligenter tradi.*

Forma futuri, caret enim imperativo, (ֻ) ſub prima radicali; (-) ſub ſecunda, ut: יְמֻסַּר *diligenter tradetur.*

APPENDIX.

In præterito & paoúl, prima radicalis nonnunquam notatur cum (ָ hhatoúph) loco (ֻ), quia duæ illæ motiones non raro ad euphoniam invicem permutantur, ut: כֹּרַּת corrâth *præciſus eſt*. Sic in paoúl מְאָדָּם meoddâm *rubricatus, rubro colore tinctus.*

HIPHIL.

Forma præteriti & benoní, (ִ) ſub prima radicali; & (ִי) ſub ſecunda, ut: הִמְסִיר *tradere fecit*, מַמְסִיר *tradere faciens.*

Forma infinitivi, imperativi, & futuri, (-) ſub prima radicali; & (ִי) vel (ֵ) ſub ſecunda, ut: הַמְסִיר, vel הַמְסֵר *tradere facere*, הַמְסִיר, vel הַמְסֵר *tradere fac*, יַמְסִיר, vel יַמְסֵר *tradere faciet.*

APPENDIX.

In bénoní, pro (ִי) ſub ſecunda radicali, rariſſime ponitur (-), ut: מַסְתַּר *abſcondens.*

In infinitivo, imperativo, & futuro, præter (ִי) & (ֵ), ſecunda radicalis afficitur etiam (-), maxime quando ſecunda illa radicalis gutturalis eſt; aut tertia ח, vel ר, ut: הַפְצַר *repugnare.* הַמְעַר *nutare fac.* יַבְטַח *confidere faciet.* In his etiam tribus ultimis temporibus pro (ִי) ſub ſecunda radicali, ſæpius uſurpatur (ֵ).

HOPHAL.

Forma præteriti, (ׇ) ſub prima radicali; (ַ) ſub ſecunda, ut: הָמְסַר homſár *tradere*, vel *tradi factus eſt.*

Forma paoúl, caret enim bénoní, (ׇ) ſub prima radicali; (ָ) ſub ſecunda, ut: מָמְסָר *tradere*, vel *tradi factus.*

Forma infinitivi, (ׇ) ſub prima radicali; (ֵ) ſub ſecunda, ut: הָמְסֵר homſér *tradere*, vel *tradi fieri.*

Forma futuri, caret enim imperativo, (ׇ) ſub prima radicali; (ַ) ſub ſecunda, ut: יָמְסַר iomſár *tradere*, vel *tradi fiet.*

HITHPAEL.

Forma omnium hujuſce conjugationis temporum eſt (ַ) ſub prima radicali; (ַ) & interdum (ֵ) ſub ſecunda, ut: הִתְמַסֵּר *tradidit ſe*, מִתְמַסֵּר *tradens ſe*, הִתְמַסֵּר *tradere ſe*, הִתְמַסֵּר *trade te*, יִתְמַסֵּר *tradet ſe.*

APPENDIX.

In præterito, imperativo, & futuro hujuſce conjugationis, ſecunda radicalis non raro afficitur (ַ) loco (ֵ), ut: הִתְחַזַּק *confirmavit ſe.* הִתְעַנַּג *oblectare*, *oblecta te.* יִתְהַדַּר *glorioſum exhibebit ſe.* Metatheſin literæ characteriſticæ ת, vide infra art. XL. in append. ad conjugationem hithpaël, ubi etiam exempla mutationis ejus in ד & ט afferuntur.

Hæ ſunt communes primariarum cujuſlibet conjugationis vocum formæ, quæ, ut melius adhuc à linguæ S. candidatis addiſcantur, in ſubjecto poſt notas diagrammate, ſeu ſchemate, una cum earum characteribus conjunctim, & in uno conſpectu exhibentur. In eo itaque laterculo puncta ſubjecta duabus prioribus literis ex tribus מסר, à dextra ſiniſtram verſus legendo, ſunt formæ. Literæ vero tribus illis מסר præpoſitæ cum ſuis motionibus, prius ם, cum duo conſequenter ponuntur, & daghéſch forte, characteres cenſentur.

NOTÆ.

De Conjugationum Hebraïcarum modis.

Quamvis lingua Hebraïca variam temporum inflexionem pro modis exprimendis non habeat; iis tamen carere minime cenſenda eſt. Et ſane cum modus natura ſua nihil aliud ſit, quam vox affirmationem exprimens vel ſimplicem, ut: *amavi*, qui eſt modus *indicativus*: vel cum aliqua conditione conjunctam, ut.: *ſi amaviſſem*, & eſt modus *conjunctivus*, ſeu *ſubjunctivus*: vel votum ac deſiderium complectentem, ut: *utinam amaviſſem*, qui modus dicitur *optativus*: lingua Hebraica modis nequaquam deſtituitur; quandoquidem & actionem ſimplicem recte exprimit, & particulis affirmationem ad conditionem & deſiderium reſtringentibus non caret, ut: אָהַבְתִּי *amavi.* אִם־אָהַבְתִּי *ſi amaviſſem.* לוּ אָהַבְתִּי *utinam amaviſſem.* Idem de futuro dicendum.

Linguis itaque Græca & Latina hac in parte inferior non eſt Hebraïca. Imo ipſis eo perfectior videtur, quo ſimplicior; conſtat enim ex dictis modos ad ſummum ampliori affirmationis declarationi utiles eſſe, minime vero neceſſarios. Id etiam liquet ex optimis quibuſque Græcis Latiniſque ſcriptoribus, qui modis fere indiſcriminatim utuntur. Exemplorum Græcorum ſilvulam vide in Guill. Budæi commentariis linguæ Græcæ pag. 948. edit. Pariſ. 1548. Latinorum vero in Groſippi Grammaticis inſtitutionibus, pag. 57. & ſeqq. & in Latina methodo D. Lancelotii, ſect. 3. cap. 2. num. 4.

Denique circa modorum naturam & numerum adeo variant Grammatici, ut nihil prorſus certi hac in re nobis conſtituerint. Alii enim eos vocant diviſiones, alii qualitates, alii ſtatus. Numerum quod attinet, aliis quatuor, aliis quinque, aliis ſex, aliis octo, aliis plures ſunt modi; ita ut, judice Sanctio in ſua *Minerva*, pag. 43. edit. Amſtelædam. 1664. in iis explicandis nullum tenuerint modum. Hanc Sanctii mentem lepide expreſſit Voſſius lib. 3. de arte Gramm. cap. 8. pag. 45. tom. 2. editionis Amſtelædamenſis 1662.

Qui finxere modos, ratione modoque carebant.

SCHEMA

Complectens omnium conjugationum primarias voces cum earumdem characteribus, formis, ac ſignificationibus.

Futura.	Imperativi.	Infinitivi.	Paoúl.	Bénoni.	Præterita.	Conjugat.
יִסְפֹּר *tradet.*	סְפֹר *trade.*	סְפֹר *tradere.*	סָפוּר *traditus.*	סוֹפֵר *tradens.*	סָפַר *tradidit.*	Qál.
יִסָּפֵר *tradetur.*	הִסָּפֵר *tradere.*	הִסָּפֵר *tradi.*	caret.	נִסְפָּר *traditus.*	נִסְפַּר *traditus eſt.*	Niphál.
יְסַפֵּר *diligenter tradet.*	סַפֵּר *diligenter trade*	סַפֵּר *diligenter tradere*	caret.	מְסַפֵּר *diligenter tradens.*	סִפֵּר *diligenter tradidit.*	Piél.
יְסֻפַּר *diligenter tradetur.*	caret.	סֻפֹּר *diligenter tradi.*	מְסֻפָּר *diligenter traditus.*	סֻפָּר *qui diligent. traditur.*	סֻפַּר *diligent. traditus eſt.*	Puál.
יַסְפִּיר *tradere faciet.*	הַסְפֵּר *tradere fac.*	הַסְפִּיר *tradere facere.*	caret.	מַסְפִּיר *tradere faciens.*	הִסְפִּיר *tradere fecit.*	Hiphil.
יָסְפַּר *tradere fiet.*	caret.	הָסְפַּר *tradere fieri.*	מָסְפָּר *tradere factus.*	caret.	הָסְפַּר *tradere factus eſt.*	Hophál.
יִתְסַפֵּר *tradet ſe.*	הִתְסַפֵּר *trade te.*	הִתְסַפֵּר *tradere ſe.*	caret.	מִתְסַפֵּר *tradens ſe.*	הִתְסַפֵּר *tradidit ſe*	Hithpaél.

NOTÆ

In præcedens ſchema.

I. In hoc ſchemate eum temporum ordinem ſervavimus, qui in Grammaticis ac Lexicis vulgo receptus eſt; præcedere enim deberent 1°. tempora finita, ut: Præterita, futura, & imperativi. 2°. infinita. 3°. Participia tanquam nomina verbalia, ut apud Græcos & Latinos. Idem ordo in aliis etiam ſchematis verba ſive perfecta, ſive imperfecta ſpectantibus, necnon in conjugationibus integris, ſervabitur.

II. Formas tantum communes hîc expreſſimus : aliæ enim partim ſupra pagg. 137. 138. 139. expoſitæ ſunt : partim in appendicibus ad quodlibet conjugationum tempus infra adjungendis explicabuntur.

III. In conjugationibus, quæ imperativo gaudent, tempus illud, quod ad primariam vocem attinet, infinitivo plane ſimile eſt, ut jam monuimus pag. 137. ab eoque ſenſu duntaxat diſtinguitur.

IV. Participium dictum paoûl, quod à Bellarmino, Mayro, &c. in conjugationibus activis perperam collocatur, cum paſſive ſignificet, paſſivis conjugationibus cum doctiſſimo Buxtorfio, noſtro Thoma Dufour, aliiſque melioris notæ Grammaticis reddidimus. In prima tamen conjugatione collocatur; verum hîc repoſitum eſt non ob ejus ſignificationem, eo enim nomine pertinet ad niphál ; ſed propter ejus ſimplicitatem, literis enim ſervilibus, & daghéſch ſolutum eſt atque expeditum.

ARTICULUS IV.

De verborum Hebræorum generibus, numeris, & perſonis.

GENUS non reſpuunt verba Hebraïca. Eorum tamen prima perſona in utroque numero, & in omnibus temporibus conjugatis, communis eſt. Secunda ubique generibus diſtinguitur. Tertia diverſum genus admittit in ſingulari numero præteritorum, & in ſingulari & plurali futurorum : ſeu utroque genere donatur ubique, præterquam in præteritis pluralibus, ubi communis eſt generis.

NUMERUM duplicem agnoſcunt verba Hebraïca : *ſingularem* videlicet & *pluralem.* Dualem ignorant.

PERSONAS in præteritis & futuris tres habent : primam, ſecundam, & tertiam. Imperativi ſecundis tantum perſonis gaudent ob rationem, quam expendemus infra art. 8. Inter flectendum à tertia ſing. maſculina incipiunt, utpote ſimpliciori, hoc eſt, daghéſch, & literis ſervilibus nihil, aut minus onuſta. Deinde per ſecundam ad primam deveniunt. Eumdem in futuris ſervabimus ordinem, etſi in illis à prima perſona vulgo incipiant Grammatici.

Porro genera, numeri ac perſonæ conſtituuntur, diſtinguunturque incrementis quibuſdam, quæ primariæ voci in fine adjiciuntur.

ARTICULUS V.

De Præteritis.

UNICUM eſt in qualibet conjugatione præteritum, quod Hebræis dicitur עָבָר ; illudque, prout ſenſus poſtulat, ſumitur pro præterito imperfecto, perfecto, & pluſquam perfecto, indicativi, ſub-

Digitized by Google

junctivi, & optativi modi, ut: מָסַר *tradebat*, *tradidit*, *tradiderat*, *tradidiſſet*. Sic autem reliquæ temporis hujus perſonæ formantur:

Tertia perſona ſingularis feminina formatur addendo ָה voci primariæ, ſeu maſculinæ, puta מָסַר.

Secunda perſona ſing. maſculina addendo תָּ.

Secunda perſona ſing. feminina addendo תְּ.

Prima perſona ſingularis communis addendo תִּי.

Tertia perſona pluralis itidem communis addendo ו.

Secunda perſona pluralis maſc. addendo תֶּם.

Secunda perſona pluralis femin. addendo תֶּן.

Prima denique perſona pluralis communis addendo נוּ.

Illa igitur incrementa ָה, תָּ, תְּ, תִּי, ו, תֶּם, תֶּן, נוּ primariæ voci adjecta, formant in præteritis genera, numeros, & perſonas, ut ex ſequenti diagrammate liquet, in quo triplex ſtellula primariam vocem præteritorum in qualibet conjugatione indicat, puta מָסַר in qál, נִמְסַר in niphál, מִסֵּר in piél, מֻסַּר in puál, הִמְסִיר in hiphíl, הָמְסַר in hophál, הִתְמַסֵּר in hithpaél.

INCREMENTA

	Feminina.	Communia.	Maſculina.	
III. perſ. ſing. femin.	ָה		***	III. perſ. ſing. maſc.
II. perſ. ſing. femin.	תְּ		תָּ	II. perſ. ſing. maſc.
I. perſ. ſing. comm.		תִּי		I. perſ. ſing. commun.
III. perſ. plur. comm.		ו		III. perſ. plur. commun.
II. perſ. plur. femin.	תֶּן		תֶּם	II. perſ. plur. maſc.
I. perſ. plur. comm.		נוּ		I. perſ. plur. commun.

Accedentibus autem hujuſmodi incrementis ad primariam vocem, in ea vulgo fit punctorum mutatio, quæ ut melius intelligatur, duas in claſſes dividuntur illa incrementa: in *vocalia* ſcilicet, & *conſona*. Incrementa vocalia ea ſunt, quæ vel pura conſtant vocali; vel quorum vocalis ſola auditur, conſonante otioſa remanente. Incrementa conſona dicuntur illa, quorum litera conſonans auditur ante vocalem. In præteritis duo ſunt incrementa vocalia, videlicet ָה & ו. Alia vero incrementa, nempe תָּ, תְּ, תִּי, תֶּם, תֶּן, נוּ, ſunt conſona.

Porro cum primariæ voci adduntur incrementa vocalia, motio ſecundæ radicalis mutatur in (ְ) mobile, præterquam in hiphíl ubi remanet hhiríq gadhól. Tertiam vero radicalem afficit incrementum vocale.

Digitized by Google

Cum vero adjunguntur incrementa conſona, ſi fuerit (ׇ) ſub ſecunda radicali in primaria voce, ut in qál, niphál, puál & hophál, remanet: ſi ibidem fuerit alia motio, ea mutatur in (ׇ), etiam in hiphíl. Tertia vero radicalis notatur cum (ְ) quieſcente.

Præterea in ſecunda perſona plurali tam maſculina quam feminina præteriti qál, prima rad. habet (ְ) loco (ָ), ob accentum tonicum plus una ſyllaba ab eo (ָ) remotum. Exempla ſint

PRÆTERITA

	Qal. Perſonæ Femininæ.	Commun.	Maſcul.	Hiphil. Perſonæ Femininæ.	Commun.	Maſcul.	
III. perſ. ſing.	מָסְרָה	*tradidit.*	מָסַר	הִמְסִירָה	*tradere fecit.*	הִמְסִיר	III. perſ. ſing.
II. perſ. ſing.	מָסַרְתְּ	*tradidiſti.*	מָסַרְתָּ	הִמְסַרְתְּ	*tradere feciſti.*	הִמְסַרְתָּ	II. perſ. ſing.
I. perſ. ſing.		*tra-* מָסַרְתִּי *didi.*			*tradere* הִמְסַרְתִּי *feci.*		I. perſ. ſing.
III. perſ. plur.		*tra-* מָסְרוּ *diderunt.*			*tradere* הִמְסִירוּ *fecerunt.*		III. perſ. plur.
II. perſ. plur.	מְסַרְתֶּן	*tradidiſtis.*	מְסַרְתֶּם	הִמְסַרְתֶּן	*tradere feciſtis.*	הִמְסַרְתֶּם	II. perſ. plur.
I. perſ. plur.		*tra-* מָסַרְנוּ *didimus.*			*tradere* הִמְסַרְנוּ *fecimus.*		I. perſ. plur.

NOTÆ.

De tempore præſenti, & Incrementorum origine.

Præteritum Hebræis dicitur עָבָר à verbo עָבַר *præteriit.* Ab eo verborum conjugatio incipit, tum quia ordine naturæ reliqua præcedit tempora, tum quia præſens tempus proprium nullum habet lingua Sancta. Nec immerito, ut doctiores quidam opinantur, ſtricte enim & proprie loquendo, præſens tempus nullum eſt, ſed tantum præteritum & futurum: nam quod præſens dicitur, eſt potius *τὸ νῦν*, i. *inſtans*, & temporis copula, quæ futurum cum præterito conjungit, quam tempus perſeverans. Neque tamen Hebræis deſunt loquutiones, quibus aliarum linguarum tempus præſens exprimant: illud enim vulgo efferunt modo per participium, ut: *Ecce ego* שֹׁלֵחַ *mittens* ſum, i. *mitto Angelum meum*, &c. *Et ego* הֹלֵךְ *vadens* ſum, id eſt, *vado ad habitandum*, &c. Modo per præteritum aut futurum in generalibus ſententiis, cum ſignificatur non quod fuit, aut futurum eſt; ſed quod perpetuo eſſe, aut fieri debet, ut: Pſal. 1. v. 1. *Beatus vir qui non* הָלַךְ *ambulavit*, i. ambulat, *in conſilio impiorum; & in via peccatorum non* עָמַד *ſtetit*, h. e. ſtat; *& in cathedra peſtilentiæ*, vel ſecundum Heb. *deriſorum, non* יָשַׁב *ſedit*, i. ſedet. v. 2.... *& in lege ejus* יֶהְגֶּה *meditabitur*, i. meditatur, *die ac nocte*, &c. Hinc Aben-Eſra in hunc Pſalmum: *Quando volunt* (Hebræi) *loqui per tempus ſtans* (i. præſens,) *loquuntur ſermone præteriti, vel ſermone futuri*; h. e. præſens tempus quandoque per præteritum, quandoque per futurum efferunt. Idem in Job. 3. v. 2. *Notum eſt quod in lingua ſancta non eſt ſignum aliquod temporis præſentis, neque habent in lingua ſua, niſi futurum & præteritum. Unde quidquid repereris in Jobo, quod eſt futurum, illud etiam pro præſenti, vel præterito capiendum.* De his plura in Syntaxi.

Incrementa ex quibus temporum genera, perſonæ, & numeri formantur, haud incerto hominum arbitrio, ut in lingua Græca & Latina, conficta ſunt; ſed ex pronominibus

Digitized by Google

integris deſumuntur, nempe: ־ָה, ex הִיא *ipſa*, pronomine tertiæ perſonæ ſingularis femininæ. תָּ ex אַתָּה *tu*, pronomine ſecundæ perſonæ ſingularis maſculinæ. תְּ ex אַתְּ *tu*, pronomine ſecundæ perſonæ ſingularis femininæ. תִּי ex אֲנִי *ego*, pronomine primæ perſonæ communis, (quare illa perſona ubique communis eſt,) ſed adſcito ת epenthetico; ne, ſi diceretur נִי, confunderetur illa ſyllaba formativa cum pronomine affixo & conſignificativo נִי. ו ex pronominibus הוּא *ipſe*, & הִוא pro הִיא *ipſa*; quare illa perſona in præteritis communis eſt. תֶּם ex אַתֶּם *vos*, pronomine ſecundæ perſonæ pluralis maſculinæ. תֶּן ex אַתֵּן, vel אַתֶּן cum (·), ut ſcribunt fere omnes Grammatici, & nos quoque pag. 72. *vos*, pronomine ſecundæ perſonæ pluralis femininæ. Denique נוּ ex אֲנַחְנוּ *nos*, pronomine primæ perſonæ plur. communis; unde etiam & illa perſona ubique communis eſt.

ARTICULUS VI.

De Participiis.

PARTICIPIA ſic dicta ſunt, quod partem capiant & à nomine & à verbo. Inſtar nominum, moventur è ſingulari in pluralem ac dualem numerum; & è maſculino in femininum genus. More autem verborum, eumdem caſum regunt, quem verba ipſa ex quibus oriuntur.

Hebræis duo ſunt participia: *præſens* & *præteritum*.

Participium præſens activum eſt in verbis activis, ut: מוֹסֵר *tradens*; paſſivum in paſſivis, ut: נִמְסָר *qui traditur*, vel *nunc traditus*. Vocatur בֵּינוֹנִי bénoní, i. *intermedium*, quod medium tempus inter præteritum & futurum, nempe *præſens*, vulgo ſignificet. Dicitur etiam פּוֹעֵל *poél*, ab antiquo paradigmate פָּעַל *operatus eſt*, quod in illo participio habet פּוֹעֵל, perinde ac ſi apud Latinos participium activum primæ conjugationis appellaretur *amans*, à verbo *amo*.

Participium præteritum appellatur פָּעוּל *paoúl* eadem de cauſa, qua participium præſens dictum eſt פּוֹעֵל *poél*, quia nempe verbum פָּעַל in hoc participio habet פָּעוּל *paoúl*. Paſſivum eſt, ac rem præteritam deſignat., ut: מָסוּר *traditus*. Verbis activis non competit, niſi קַל qál; idque non habita ratione ſignificationis, ſed ſolum formæ ſimplicis, ut monuimus ſupra pag. 141. coll. 1. & 2.

Duo in participiis conſideranda ſunt: *character* & *incrementum* ex quo ultimo numeri & genera formantur.

Character eſt litera מ affecta (ְ) in bénoní piél, & in paoúl puál: (ַ) in bénoní hiphil: (ָ) in paoúl hophál: & hhiríq qatón cum ה in hithpaél. Cetera participia, aut charactere deſtituuntur, aut alium non habent à præterito, ut bénoní niphál.

Incrementa, ſeu terminationes participiorum eædem ſunt ac illæ, quas ſupra pagg. 52. 53. nominibus adjectivis aſſignavimus; nempe ־ָה, pro

Digitized by Google

pro ſing. feminino, ־ים pro plurali maſculino, ־ות pro plurali feminino, ſic :

	TERMINATIONES	
	Femin.	Maſc.
Singul.	־ה	***
Plur.	־ות	־ים

Cum autem illæ terminationes, ſeu incrementa ſint *vocalia* : motio ſecundæ radicalis vocis primariæ cui adjunguntur, mutatur in (·), ſicuti in præteritis. Excipiuntur tamen paſſivarum conjugationum participia, & bénoní hiphil, in quibus motio illa ſecundæ radic. remanet. Quod vero primæ radicalis vocalem attinet, ea ubique retinetur, prӕterquam in paoúl qál, ubi (.) mutatur in (·), ob accentum tonicum longius remotum. Exempla ſint

	BENONI QAL. Terminationes Femin.		BENONI QAL. Maſcul.	PAOUL QAL. Terminationes Femin.		PAOUL QAL. Maſc.	BENONI HIPHIL. Terminationes Femin.		BENONI HIPHIL. Maſc.
Sing.	מוֹסְרָה	*tradens.*	מוֹסֵר	מְסוּרָה	*tradit* { *us.* *a.*	מָסוּר	מַמְסִירָה	*tradere faciens.*	מַמְסִיר
Plur.	מוֹסְרוֹת	*tradẽtes.*	מוֹסְרִים	מְסוּרוֹת	*tradit* { *i.* *æ.*	מְסוּרִים	מַמְסִירוֹת	*tradere facientes.*	מַמְסִירִים

NOTÆ.

De ſignificatione paoúl qál, & bénoní niphál.

In aſſignando diſcrimine, quod intercedit paoúl qál inter & bénoni niphál, quantum ad eorũ ſignificationẽ attinet, variant Grãmatici.

Elias Levita docet ſignificatum τȣ͂ paoúl componi ex præterito & præſenti ; adeo ut rem præteritam, quæ tamen adhuc duret, exprimat, ut : חַבַּיִת בָּנוּי *domus ædificata*, i. quæ jam exſtructa eſt, adhucque perſeverat. At vero bénoní niphal, ſecundum eumdem Grammaticum, rem præteritam, forte etiam nec amplius exiſtẽntem denotat, ut : חַבַּיִת נִבְנָה *domus ædificata*, quæ tamen jam diruta eſſe poteſt, aut combuſta.

Keckermannus in Grammatica Heb. participium paoúl in qal vocat *participium durantis* : quia ejuſmodi paſſionem ſignificat, quæ adhuc durat & continuatur ; bénoní vero niphál, *participium ceſſantis.*

Bertramus in Gramm. Hebræo-Aramica, participium paoúl in qál dicit perfectam paſſionem ſignificare, quæ tamen adhuc duret ; participium vero niphál, præſentem & durantem paſſionem, ſed non perfectam.

Georgius Mayr opinatur paoúl qál præſentis & imperfecti eſſe temporis, remque deſignare jam agi cœptam, quæ etiamnum fiat, ut : נִכָּה *vapulans, qui percutitur. Optime*, inquit, *Græci per participium paſſivum præſens explicare poſſunt* iſtud paoúl.

Noſter D. *Thomas Duſour* docet paoúl eſſe participium paſſivum ac præteritum ; eoque ſignificari *rem in facto eſſe*, i. præteritam ; bénoní vero paſſivorum *rem in fieri*, id eſt, quæ etiamnum fit : prius enim dixerat bénoní eſſe *participium præſens, activum in activis, paſſivum in paſſivis.*

Hanc opinionum diverſitatem peperit varia horumce participiorum in diverſis Scripturæ locis ſignificandi ratio. Paoúl enim modo rem præteritam nec amplius durantem ſignificat : modo rem etiamnum perſeverantem exprimit. Rem præteritam ac finitam, ut : Gen. 31. v. 39. גְּנֻבְתִי denotat rem *furto ſublatam*, non quæ adhuc furto tollitur. Sic Jud. 5. v. 27. שָׁדוּד *vaſtatus*, *vita ſpoliatus*, non qui continuo vita ſpoliatur : ſermo enim eſt de occiſo Siſara. Rem perſeverantem, ut : Prov. 31. v. 21. *domus ejus* (i. domeſtici) לָבֻשׁ *veſtita eſt duplicibus*, & adhuc veſtitur ; unde LXX. Ald. edit. mſ. cod. Alexand. & vetus ſcholiaſta, ἐνδεδύσκονται *veſtiuntur*, nempe *domeſtici ejus*. Joel 1. v. 8. *quaſi virgo* חֲגֻרַת־שַׂק *accincta ſacco*, id eſt, *quæ accingitur*, &c.

Sic bénoní niphál interdum rem præteritam ac finitam denotat, ut Iſai. 65. v. 4.... וּבַנְּצוּרִים *& in cuſtoditis*, ſeu *obſervatis*, (Vulg. *in delubris idolorum*,) id eſt, *in iis*, *quæ jam obſervari deſierunt*, inquit Arias Montanus in idiotiſmis linguæ Hebrææ, num. 22. Interdum de re adhuc durante accipitur, ut : Joel 2. v. 13.... נִחָם *pœnitens*, & quem jam pœnitet ; ibi enim propheta loquitur de Deo, quem continuo pœnitet ſuper malitia ; unde LXX interpretantur μετανοῶν *pœnitens*. Iſai. 57. v. 5. הַנֵּחָמִים *incaleſcentes*, & qui adhuc incaleſcitis, ab חָמַם : LXX. παρακαλοῦντες *advocantes*, vel *conſolantes*, Vulg. *qui conſolamini*, à נָחַם. Horum itaque participiorum uſus in Scripturis attendendus eſt : fere enim indiſcriminatim uſurpantur.

Participia ſive activa, ſive paſſiva, non raro pro nominibus uſurpantur, ſeu in nomina degenerant, ut : רֹעֶה *paſcens*, & *paſtor* ; אוֹהֵב *amans*, & *amicus* ; רֹכֵב *aſcendens*, & *aſcenſor* ; בָּחוּר *electus*, & *eximius* ; נֶחְמָד *deſideratus*, & *deſiderabilis* ; מְהֻלָּל *laudatus*, & *laudabilis* ; מוֹשִׁיעַ *ſalvans*, & *ſalvator* ; verba enim paſſiva, ſeu in forma paſſiva, active interdum ſignificant. Vide ſupra, pagin. 132. col. 1. Sic in Novo Teſtamento, ὁ πειράζων *tentans*, & *tentator* ; ὁ ἀπολλύων *perdens*, & *perditor* ; ὁ ἀγωνιζόμενος *certans*, & *certator*, &c. De his fuſius in Syntaxi participiorum.

Denique participia paſſiva quandoque etiam pro activis uſurpantur, ut : שְׁכֻנֵי *habitantes*, pro שֹׁכְנֵי, plur. conſtructum. אֲחֻזֵי *tenentes*, pro אֹחֲזֵי, plurale itidem conſtructum, &c. quæ participiorum mediorum apud Græcos, & deponentium apud Latinos naturam imitantur.

ARTICULUS VII.

De infinitivis & gerundiis.

INFINITIVUS Hebræis dicitur מָקוֹר *fons*, *origo*, unde ſcilicet rivi definitæ ſignificationis in reliqua finita tempora deducuntur. Ut autem temporis : ſic quoque numeri, generis, & perſonæ differentia caret.

Nulla eſt conjugatio, quæ ſuum non habeat infinitivum, cujus characterem & formam vide ſupra pag. 140. in ſchemate primariarum cujuſlibet conjugationis vocum. Eo utuntur Hebræi eodem fere modo, quo Græci, ad exprimenda gerundia, quibus caret lingua Sancta. Id autem muneris fungitur infinitivus cum ipſi præponuntur quatuor particulæ, ſeu præpoſitiones, nempe : ב, כ, ל, מ, quæ his motionibus affectæ : בִּכְלֹם *bikhlám*, vel *bichlám* ; aliis (-) ſuppoſito literæ ב, בַּכְלֹם *bakhlám*, vel *bachlám*, memoriæ cauſa, appellantur.

Motio particularum ב, כ & ל, eſt (ִ), quod concurrente altero ſub prima litera infinitivi, mutatur in hhiríq qatón. Quod ad מ pertinet, illud afficitur quoque hhiríq qatón, ſequente daghéſch forti in prima infinitivi litera, quæ ſi illius recipiendi ſit incapax, utpote gutturalis, aut ר; loco hhiríq qatón ſub מ, reponitur (ֵ). Vide appendicem.

Quod particularum illarum in gerundiis conſtituendis vim communem attinet:

ב format gerundium in *do*, & explicatur per: *quando*, *cum*, *dum*, & infinitivus per tempus finitum. Vide appendicem.

כ eodem modo explicatur, ſed fere notat tempus præteritum. Vide appendicem.

ל dat gerundium in *dum*, quandoque in *di*. Vide appendicem.

מ denique conſtituit quoque gerundium in *do*: ſed ſumitur fere negative, redditurque per: *ne*, *ut non*; aut comparative, & explicatur per: *quam*. Vide appendicem.

Conjugationes puál & hophál iſtud *bikhlám* non admittunt, proindeque carent gerundiis.

In infinitivo hiphíl, qui fere indiſcriminatim terminatur in (ֵ), aut (ִי); cum hujuſmodi *bikhlám*, fere ſemper uſurpatur forma (ִי); rariſſime forma (ֵ). Exempla ſint

Infinitivus qal

מְסֹר , מְסֹר , מְסַר *tradere.*

Cum gerundiis,

בִּמְסֹר *In tradendo, ſeu cum traderem, traderes, traderet, &c.*

כִּמְסֹר *Cum traderem, aut tradidiſſem, tradidiſſes, tradidiſſet, &c.*

לִמְסֹר *Ad tradendum, vel tradendi, vel ut traderem, traderes, traderet, &c.*

מִמְּסֹר *A tradendo, ſeu ne traderem, traderes, &c. vel, quam tradere, &c.*

Infinitivus hiphil

הַמְסֵר, vel הַמְסִיר *tradere facere.*

Cum gerundiis,

בְּהַמְסִיר *In tradere faciendo, ſeu cum tradere facerem, faceres, faceret, &c.*

כְּהַמְסִיר *Cum tradere facerem, aut feciſſem, feciſſes, feciſſet, &c.*

לְהַמְסִיר *Ad tradere faciendum, vel tradere faciendi, &c.*

מֵהַמְסִיר *A tradere faciendo, vel ne tradere facerem, &c. aut, quam tradere facere.*

APPENDIX.

De verborum Hebræorum gerundiis.

Gerundia ſic vocantur, quod verborum ex quibus deducuntur, vices gerant. Latinis nomina ſunt verbalia, & quidem ſubſtantiva, quæ ſæpe caſum verbi ſui regunt. Quare mirum videri non debet Hebræos, & forte ex ipſis Græcos, gerundia ſua ex infinitivo, qui ſæpius nomen eſt, præfixis quibuſdam particulis, ſeu præpoſitionibus, compoſuiſſe.

Ex tribus autem formis infinitivi qál, ſcilicet מְסַר, מְסֹר & מְסֹר, de quibus ſupra, duæ poſteriores tantum particulas gerundia conſtituentes recipiunt. Prima, nempe מְסַר, cum illis nunquam jungitur; neque hujus formæ uſus eſt, niſi fere in ejuſdem verbi repetitione, ut: טָרֹף טֹרַף *diſcerpendo diſcerptus eſt.*

De variis τῶ בִּכְלָם *motionibus.*

Præter motiones ſupra literis בִּכְלָם aſſignatas, aliis etiam, quas hic operæ pretium eſt declarare, afficiuntur.

Quando prima litera radic. infinitivi qál gutturalis eſt, ea pro (ְ) afficitur (ֲ), vel (ֱ); maxime ſi ſit א; tuncque ב, כ, ל, afficiuntur (ַ), ſi prima rad. notetur cum (ֲ); vel (ֶ) ſi eadem moveatur per (ֱ): מ vero notatur cum (ֵ) ad compenſandum daghéſch deperditum, quod & ipſum imprimitur ad damnum τῶ l ſarciendum: מ enim eſt pro מִן, ut diximus ſupra pag. 70. ut: עֲמֹד *ſtare*, pro עְמֹד; cum *bichlám*, בַּעֲמֹד *in ſtando*, כַּעֲמֹד *cum ſtarem*, לַעֲמֹד *ad ſtandum*, מֵעֲמֹד *à ſtando.* Sic quando (ֱ) ſubſcribitur loco (ְ) ſimplicis, ut: אֱכֹל *comedere*, pro אְכֹל; cum *bichlám*, בֶּאֱכֹל *in comedendo*, כֶּאֱכֹל *cum comederem*, לֶאֱכֹל *ad comedendum*, מֵאֱכֹל *à comedendo.* Sæpius tamen (ֱ) ſub א, & (ֶ) ſub *bichlám* contrahuntur in (ֵ), א otioſo remanente, ut: לֵאמֹר *dicendo*, pro לֶאֱמֹר, &c. Quod ſi ad euphoniam (ֲ), vel (ֱ) ad ſimplex (ְ) reducantur, ut ſæpe fit, nihilominus *bichlám* retinet (ַ), vel (ֶ), ut: לַעְמֹד pro לַעֲמֹד *ad ſtandum.* לֶאְכֹל, pro לֶאֱכֹל *ad comedendum.* לֶאְסֹר pro לֶאֱסֹר *ad ligandum*, &c.

Si prima litera infinitivi qál fuerit (י), ex ſchevá, quod ei ſupponitur, & hhiriq qatón ſub *bichlám*, fit hhiriq gadhól ſub eodem *bichlám*, ut: יְסֹד *fundare*, בִּיסֹד pro בִּיְסֹד *in fundando.* Sic כִּיסֹד *cum fundarem*, לִיסֹּד cum daghéſch anomalo in ס, *ad fundandum*; quod etiam interdum imitatur מ, ut: מִיסֹד *à fundando.* Invenitur etiam לִרְא *ad timendum*, pro לִירֹא 1. Reg. 18. v. 29. à verbo יָרֵא *timuit.* Denique ante infinitivos penacutos & monoſyllabos, ל afficitur (ָ), ut: לָשֶׁבֶת *ad habitandum*, לָלִין *ad pernoctandum*, &c.

מ interdum ſolo hhiriq afficitur ante gutturalem, vel ר, abſque τῶ daghéſch excidentis compenſatione, ut: מִהְיוֹת *ab eſſendo*, *ne ſint*; & ita ſemper cum hoc verbo. Sic: מִרְדֹף *à perſequendo.* Cum autem motio parva loco magnæ his in locis ponatur, accentu euphonico méthegh ſuſtentatur, & quodammodo producitur. Vide p. 37. col. 1.

In niphal & hiphil, ſæpe excluditur ה characteriſticum poſt ב, כ, ל, quæ motionem illius aſſumunt, neglecto ſuo ſcheva.

In niphal, בִּכָּשֵׁל pro בְּהִכָּשֵׁל *in impingendo*, בַּעֲטֹף pro בְּהֵעָטֵף *cum obrueretur*, בֵּהָרֵג cum (ֵ) euphonico ſub ב loco (ְ) ob ſequens (ֵ) ſub ה, pro בְּהֵהָרֵג *cum occiderentur*, לֵרָאוֹת pro לְהֵרָאוֹת *ad comparendum*, לֵעָנוֹת pro לְהֵעָנוֹת *humiliari*, לֵאוֹר pro לְהֵאוֹר *illuminari*, &c.

In hiphil, בָּעִיר pro בְּהָעִיר *in evigilando*, בַּנְלֹתְךָ, & cum daghéſch euphonico in ג, ut habent exemplaria quædam etiam accuratiora, בַּגְּלֹתְךָ pro בְּהַגְלֹתְךָ *cum abſolveris tu*, לַחֲלִיק pro לְהַחֲלִיק *ad dividendum*, לַחֲטִיא pro לְהַחֲטִיא *ad peccare faciendum*, לָבִיא pro לְהָבִיא *ad offerendum*, לָדִין pro לְהָדִין *ad judicandum*, לָלִין pro לְהָלִין *ad pernoctandum*, לָרִיב pro לְהָרִיב *ad litigandum*, לַנְפִּיל pro לְהַנְפִּיל *ad dejiciendum*, לַסְתִּיר pro לְהַסְתִּיר *ad abſcondendum*, לַעְשֵׂר cum (ַ), pro לְהַעְשֵׂר, aut לְהַעֲשֵׂר *decimas dare*, *decimare*, לַשְׁמִיעַ pro לְהַשְׁמִיעַ *ad audire faciendum*, לַשְׁמִיד pro לְהַשְׁמִיד *ad perdendum*, בַּגְלוֹתוֹ pro בְּהַגְלוֹתוֹ *cum transferret ipſe*, לַמְרוֹת pro לְהַמְרוֹת *ad irritandum*, לַמְחוֹת pro לְהַמְחוֹת *ad delendum*, לַרְאוֹת pro לְהַרְאוֹת *ad oſtendendum*, לַצְבּוֹת pro לְהַצְבּוֹת *ad tumidum reddendum*, &c.

De varia gerundiorum interpretatione.

ב conſtituit gerundiorum in *do*, ut diximus ſupra, explicaturque per *quando*, &c. vel per duos ablativos, alterum nominis, alterum participii, ut: Pſal. 50. Heb. 51. v. 2. בְּבוֹא־אֵלָיו נָתָן, Lxx. ἐν τῷ εἰσελθεῖν πρὸς αὐτὸν Ναθάν, *in veniendo ad ipſum Nathan*, hoc eſt, *veniente ad eum Nathane*, vel *cum veniret*, aut *veniſſet*, aut *venit ad eum Nathan.* Pſalm. 101. Heb. 102. v. 23. בְּהִקָּבֵץ עַמִּים *in conveniendo populos*, Vulg. vel *in congregando ſe*, i. *cum congregarentur populi*, vel *congregantibus ſe populis.*

כ Explicatur quoque per כַּאֲשֶׁר *cum*, *quando*, *poſtquam*, &c. Sic Græci ἡνίκα, ὅτι, ὅταν, ὡς. Quandoque etiam in duos ablativos reſolvitur, ut: Deut. 20. v. 9. כְּכַלֹּת הַשֹּׁטְרִים *ſecundum finire moderatores iſtos*,

Digitized by Google

ſive *duces exercitus*, ut Vulg. hoc eſt, *ὅταν παύσωνται*, ut Lxx. interpretantur, *cum finirent*, vel *finierint*, vel *finientibus*, *deſinentibus moderatoribus* loqui, &c.

Interdum per adverbium ſimilitudinis *ut*, *ſicut*, &c. explicatur, ut: 1. Reg. 15. v. 22. *nunquid voluntas Dei* (eſt) *in holocauſtis & ſacrificiis*, כִּשְׁמֹעַ *ut obtemperare voci Domini*. Lxx. *ὡς τὸ ἀκοῦσαι ſicut audire*, &c. i. ut cum quis auſcultat, &c.

ל gerundium in *dum*, & in *di* format, ut ſupra diximus.

In *dum*: Ezech. 44. v. 13. לֹא־יִגְּשׁוּ אֵלַי לְכַהֵן *non accedent ad me ad ſacerdotio fungendum*, Lxx. *τοῦ ἱερατεύειν*, Vulg. *ut ſacerdotio fungantur*. Quandoque in interpretatione præpoſitio omittitur, ut: 4. Reg. 4. v. 13. מֶה לַעֲשׂוֹת לָךְ *quid faciendum tibi*, pro *ad faciendum*, Vulg. *quid vis ut faciam tibi?* Lxx. *τί δεῖ ποιῆσαί σοι quid oportet facere tibi?*

In *di*: Eccle. 3. v. 5. עֵת לְהַשְׁלִיךְ אֲבָנִים *tempus projiciendi lapides*. Quandoque ל per *ut* exponitur, ut: Iſai. 5. v. 4. *expectavi* לַעֲשׂוֹת *ut faceret* uvas, &c. ל iſtud interdum etiam *πλεονάζει*, i. ſuperfluum eſt, ac ſolus infinitivus ſpectatur, ut: Jud. 19. v. 10. *noluit vir ille* לָלוּן *pernoctare*. Lxx. *καὶ οὐκ εὐδόκησεν ὁ ἀνὴρ αὐλισθῆναι*, *& non probavit vir manere*. Denique nonnunquam infinitivus cum iſto ל ut nomen ſubſtantivum uſurpatur, ut: 2. Paral. 16. v. 13..... *& mortuus eſt anno quadrageſimo primo* לְמָלְכוֹ, Lxx. *τῆς βασιλείας αὐτοῦ*, Vulg. *regni ſui*.

מ dat gerundium in *do*, & ſumitur fere *negative*, & *comparative*.

Negative, ut: 1. Reg. 8. v. 7. *ſpreverunt*, ſeu *abjecerunt me* מִמְּלֹךְ *à regnando*, hoc eſt, ut Lxx. verterunt, *τοῦ μὴ βασιλεύειν ἐπ' αὐτῶν*, Vulg. *ne regnem ſuper eos*. Iſai. 24. v. 10. *clauſa eſt omnis domus* מִבּוֹא *ab ingrediendo*, id eſt, *τοῦ μὴ εἰσελθεῖν*, ut reddidere Lxx. *ne quiſquam ingrediatur*, Vulg. *nullo introeunte*.

Comparative, ut: Pſal. 117. Heb. 118. v. 8. *bonum eſt* (melius eſt) *confidere in Domino*, מִבְּטֹחַ Lxx. *ἢ πεποιθέναι*, Vulg. *quam confidere in homine*. Habac. 1. verſ. 13. *Mundus es oculis* מֵרְאוֹת *præ videre malum*, id eſt, *mundior*, *purior es oculis*, *quam ut videas malum*.

ARTICULUS VIII.

De Imperativis.

IMPERATIVUM Hebræi vocant צִוּוּי *tſivvoúi*, à verbo צִוָּה *imperavit*. Cum autem futurum tempus reſpiciat, *futurum primum* etiam appellatur. Secundis tantum conſtat perſonis, quæ tum in ſingulari, tum in plurali numero, generibus diſtinguuntur. Incrementa ſeu terminationes, quæ voci primariæ adjiciuntur, genera, numeros, & perſonas, ut ſupra in præterito, conſtituunt. Illa vero incrementa ſunt: (ִי) pro ſecunda perſona ſingulari feminina, (וּ) pro ſecunda plurali maſculina, & נָה pro ſecunda plurali feminina.

Porro cum ex illis incrementis, ִי & וּ ſint vocalia: his accedentibus ad vocem primariam, motio ſecundæ radicalis mutatur in (ְ). Quod ſi aliud præceſſerit, prius illud tranſit in hhiríq qatón. Excipitur imperativus hiphíl, in quo retinetur hhiríq gadhól, vel aſſumitur, ſi vox primaria hujus temporis deſinat in (ַ). Cum vero incre-

Digitized by Google

mentum נָה ſit conſonans, eo adjecto, motio primariæ vocis, quæcunque illa ſit, ſub ſecunda radicali ſervatur. In hiphíl tamen, ſi imperativus terminetur in (ִי), uſurpatur (ֵ), quod proinde cum illo incremento remanet, ſi fuerit in primaria voce hujus temporis. Sic autem incrementa illa genera, numeros & perſonas formant.

TERMINATIONES

	Fem.	Maſc.
Sing.	ִי	***
Plur.	נָה	וּ

Conjugationes puál & hophál carent imperativo ob rationem mox in notis afferendam. Flexionis exempla ſint

	IMPERATIVUS QAL.				IMPERATIVUS HIPHIL.		
	Perſonæ				Perſonæ		
	Femin.		Maſcul.		Femin.		Maſcul.
Singul.	סִפְרִי	*trade.*	סְפֹר	Singul.	הַסְפִּירִי	*tradere fac.*	הַסְפֵּר
Plural.	סְפֹרְנָה	*tradite.*	סִפְרוּ	Plural.	הַסְפֵּרְנָה	*tradere facite.*	הַסְפִּירוּ

NOTÆ.

INCREMENTA, ſeu terminationes, quæ genera, numeros, & perſonas imperativorum conſtituunt, ex pronominibus integris deducuntur, ut in præterito. Sic (ִי) ſecundæ perſonæ ſing. femininæ terminatio deſumitur ex forma אַתִּי *tu* femin. Vide ſupra pag. 72. col. 2. ו ſecundæ perſonæ plur. maſc. nota venit ex א pronominis אַתֶּם *vos*, maſc. gen. א enim & ו non raro permutantur, cum ſint ex אֶהֱוִי. Denique נָה ſecundæ perſonæ plur. fem. incrementum, formatur ex אַתֵּנָה *vos*, fem. generis, cum ה paragogico, pro אַתֵּן. Vide ſupra, pag. 73. col. 1.

Verborum Hebræorum imperativi ſecundas tantum perſonas habent. Primas & tertias reſpuunt: quia nemo ſibi ipſe imperat; neque etiam apud Hebræos imperium ad tertiam perſonam dirigitur: proprie enim non imperamus, niſi iis, quos in oratione præſentes compellamus.

Conjugationes paſſivæ carent imperativis: id enim imperare non poſſumus, quod ſitum non eſt in poteſtate illius, cui imperamus. Ut v. g. ſi quis alteri dicat: הֵרָג *occiditor*, nempe ab alio, ſi alius nolit occidere, fruſtra erit imperium. At ubi *patiens* & *agens* idem eſt, tunc imperio eſt locus, ut: הִשָּׁמֵר *obſerva te, cave tibi*, &c. Sic הִנָּקֵם *ulciſcere.* h. e. *ultorem teipſum exhibe*; eoque ſenſu ſecunda conjugatio habet imperativum, nempe quatenus ſignificationem reciprocam obtinet, quæ quum aliis conjugationibus paſſivis competere nequeat, ideo eo tempore deſtituuntur.

Diximus ſupra, accedente cremento vocali, motionem ſecundæ radic. mutari in ſchevá, & ſchevá primæ, tranſire in hhiriq qatón: mutationis hujus exempla videre eſt in ſecunda perſ. ſing. feminina, & in ſecunda plur. maſcul. conjug. qál. At in ſecunda plur. feminina, cum ſervetur motio primariæ vocis, reſumitur (ֹ) ſub prima radicali, quia non concurrit amplius cum altero. De hoc concurſu duplicis ſchevá initio dictionis, vide ſupra pag. 35. coll. 1. 2.

ARTICULUS IX.

De Futuris.

FUTURUM Hebraïce dicitur עָתִיד *paratum*, quod res futura per illud deſignata parata ſit ut fiat, ſicuti docent *Bellarminus* & *Mayrus*; eaque forſitan de cauſa præſentis temporis vices interdum ſuſtinet, ac *paulo-poſt-futuro* Græcorum reſpondere videtur. Sæpius tamen pro futuro indefinito, id eſt, ſive proximo, ſive remoto, uſurpatur.

Futurum, ſicut & præteritum, in utroque numero tres habet perſonas, quæ, ſi primas communes exceperis, utroque genere, maſculino ſcilicet & feminino, ſeparatim donantur. Illæ autem perſonæ & characteribus, & incrementis utcunque diſcriminantur: nam in ſingulari numero tertia perſona feminina, & ſecunda maſculina; in plurali tertia feminina, & ſecunda itidem feminina ſimiles ſunt, ac ſolo ſenſu, aut adjunctis nominibus, diſtinguuntur.

Characteres perſonarum futuri quatuor ſunt literæ א, י, ת, נ, quas Hebræi in nomine proprio אֵיתָן *Ethán* includunt; unde vulgo memoriæ cauſa, *literæ Ethán* appellantur. Ex his, א format primam perſonam ſingularem communem, נ primam perſonam pluralem itidem communem, י tertiam perſonam ſingularem maſculinam, & tertiam perſonam pluralem pariter maſculinam, ת denique ceteras, nempe: tertiam perſonam ſingularem femininam, ſecundam ſingularem tam maſculinam quam femininam, tertiam pluralem femininam, & ſecundam pluralem cum maſculinam, tum femininam.

Characterum illorum motio genuina eſt (ִ), quod, altero concurrente, mutatur in hhiríq qatón. Vide ſupra pag. 35. coll. 1. 2. Tamen ubi י, נ & ת afficiuntur illo hhiríq qatón, ibi א notatur vulgo cum (ֶ) ob rationem, quam attulimus ſupra pag. 6. col. 2. Et cum literæ illæ moventur per (ִ), idem א afficitur (ֱ); quia (ְ) ſimplex mobile nunquam reperitur ſub gutturali, ut diximus ſupra pag. 34. col. 1.

Incrementa futuri eadem ſunt ac imperativi, nempe: ִי, ו, נָה, quibus ad perſonam, cui competunt, accedentibus, eodem modo mutatur, aut remanet ſecundæ radicalis motio, ac in imperativo, quem vide in articulo præcedenti.

Cum autem incrementa illa deſumantur ex imperativo, qui ſecundas tantum perſonas habet: conſequens foret ut ea ſecundis duntaxat

Digitized by Google

futuri perſonis adjungerentur; quod in ſingulari quidem numero fieri manifeſtum eſt: at in plurali, tertiæ perſonæ ſecundarum incrementa ſibi vindicant, maſculinæ, maſculinarum; femininæ femininarum. Nec male: nam alioqui tertiæ illæ perſonæ plurales cum tertiis perſonis ſingularibus confunderentur.

Hujus autem temporis characteres una cum eorum motionibus, & incrementa, ſeu terminationes in qualibet conjugatione ſynopticos exhibet tabella ſequens, in qua figura illa .° denotat (. hhatoúph).

Tabella futurorum characteres cum eorum motionibus exhibens.

Voces primariæ.	1. p. plur. comm.	2. p. plur. femin.	2. p. plur. maſc.	3. p. plur. femin.	3. p. plur. maſc.	1. p. ſing. comm.	2. p. ſing. femin.	2. p. ſing. maſc.	3. p. ſing. femin.	3. p. ſing. maſc.	Conjugationes Hebraïcæ.
	נ	ת	ת	ת	י	א	ת	ת	ת	י	
מְסֹר	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	Qál.
מָּסֵר	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	Niphál.
מַסֵּר	:	:	:	:	:	⸗	:	:	:	.	Piél.
מְסֻּר	:	:	:	:	:	⸗	:	:	:	:	Puál.
מַסִיר	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	Hiphil.
מְסַר	.°	.°	.°	.°	.°	.°	.°	.°	.°	.°	Hophál.
מַסֵּר	ת	תְ	תְ	תְ	תְ	תֲ	תְ	תְ	תְ	תְ	Hithpaél.
		נָה	ו	נָה	ו		י				

Terminationes vocibus primariis adjungendæ.

Tabellæ praxis.

SCIRE vis tertiam perſonam ſingularem maſculinam futuri qál, v. g.? Quære illius characterem in capite tabellæ, & invenies (י) cum ( ) infra ſcripto. Adde vocem primariam, quæ è regione qál ſita eſt, nempe מְסֹר; & habebis יִמְסֹר. Si tibi perſona inveſtiganda eſt ex earum numero, quibus ſubjicitur aliqua ex terminationibus י, ו, נָה; quære eadem methodo characterem illius & vocem primariam, quibus adde terminationem ſuppoſitam; & mutata motione ſecundæ radicalis, ratione habita terminationis, quæ perſonæ illi ſubjicitur; eam facile invenies. Sic v. g. inventæ tertiæ perſonæ ſingulari maſculinæ futuri qál יִמְסֹר

Digitized by Google

יִמְסֹר adde terminationem ו, muta hhólem ſecundæ radicalis in (ְ), quia terminatio illa vocalis eſt, & habebis יִמְסְרוּ tertiam perſonam pluralem maſculinam ejuſdem futuri qal. Flexionis integræ exempla ſint

FUTURA

	QAL. Perſonæ Femin.	Commun.	Maſcul.	PIEL. Perſonæ Femin.	Commun.	Maſcul.	
III. perſ. ſing.	תִּמְסֹר	*tradet.*	יִמְסֹר	תְּמַסֵּר	*diligenter trades.*	יְמַסֵּר	III. perſ. ſing.
II. perſ. ſing.	תִּמְסְרִי	*trades.*	תִּמְסֹר	תְּמַסְּרִי	*diligenter trades.*	תְּמַסֵּר	II. perſ. ſing.
I. perſ. ſing.		*tra-* אֶמְסֹר *dam.*			*diligenter* אֲמַסֵּר *tradam.*		I. perſ. ſing.
III. perſ. plur.	תִּמְסֹרְנָה	*tradent.*	יִמְסְרוּ	תְּמַסֵּרְנָה	*diligenter tradent.*	יְמַסְּרוּ	III. perſ. plur.
II. perſ. plur.	תִּמְסֹרְנָה	*tradetis.*	תִּמְסְרוּ	תְּמַסֵּרְנָה	*diligenter tradetis.*	תְּמַסְּרוּ	II. perſ. plur.
I. perſ. plur.		*tra-* נִמְסֹר *demus.*			*diligenter* נְמַסֵּר *trademus.*		I. perſ. plur.

NOTÆ.

De Futuri characterum origine, & motionibus.

FUTURI characteres ex pronominibus quoque integris, ſeu *perſonalibus*, ſic formantur: א deſumitur ex אֲנִי *ego.* י ex הוּא *ille*, mutato ו in י, ex facili permutatione literarum אֶהוִי. ת pro tertiis perſonis tam ſingularibus quam pluralibus femininis, ex הִיא & הֵן, converſo ה in ת, ut ſæpe fit; pro ſecunda autem ſing. maſc. ex אַתָּה *tu*, maſc. pro ſecunda ſing. fem. ex אַתְּ *tu*, fem. pro ſecunda plur. maſcul. ex אַתֶּם *vos*, maſc. pro ſecunda plur. fem. ex אַתֵּן *vos*, fem. נ denique ex אֲנַחְנוּ *nos.* Characterum autem illorum motio genuina eſt (ִ), quod altero concurrente, fit (ְ). Alias vide ſupra pagg. 139. 140. in notis.

MONITUM

In ſequens paradigma.

HÆ ſunt ſeptem verborum Hebræorum conjugationes cum earum characteribus, formis, & temporibus. Ut autem ea omnia uno oculorum intuitu perſpiciantur, verbum integrum מָסַר tradidit, *in ſequenti ſchemate ſlectendum duximus. Verbum iſtud ideo in exemplum ſelegimus, quod in eo nulla ſit daghéſch excidentis compenſatio, nulla ſive mobilis, ſive quieſcentis ſchevá dilatatio, ut in* פָּעַל fecit, operatus eſt, *veterum Grammaticorum paradigmate. Neque etiam commodum nobis viſum eſt verbum* פָּקַד viſitavit, *quo uſi ſunt plerique recentiores, ob variam primæ ejus radicalis pronuntiationem, quæ modo* p *effertur, cum videlicet ei daghéſch imprimitur; modo* ph, *aut* f, *cum hujuſcemodi daghéſch non habet. In eo autem paradigmate, ad cujus normam alia plurima deinceps adornabuntur, vocum flexarum ſignificationes conſulto omiſimus, tum confuſionis vitandæ gratia, tum quia ex articulis præcedentibus ſatis ſuperque eas innoteſcere judicavimus. Cetera facile animadvertet lector diligens & curioſus.*

Digitized by Google

HITHPAEL.	HOPHAL.	HIPHIL.	PUAL.
Perſonæ	Perſonæ	Perſonæ	Perſonæ
Fem. Com. Maſc.	Fem. Com. Maſc.	Fem. Com. Maſc.	Fem. Com. Maſc.
התספרה התספר התספרת התספרת התספרתי התספרו התספרתן התספרתם התספרנו	הספרה הספר הספרת הספרת הספרתי הספרו הספרתן הספרתם הספרנו	הספירה הספיר הספרת הספרת הספרתי הספירו הספרתן הספרתם הספרנו	ספרה ספר ספרת ספרת ספרתי ספרו ספרתן ספרתם ספרנו
מתספרה מתספר מתספרות מתספרים	caret.	מספירה מספיר מספירות מספירים	ספרה ספר ספרות ספרים
caret.	מספרה מספר מספרות מספרים	caret.	מספרה מספר מספרות מספרים
התספר { בהתספר, כהתספר, להתספר, מהתספר }	הספר	הספר { בהספיר, כהספיר, להספיר, מהספיר }	ספר
התספרי התספר התספרנה התספרו	caret.	הספירי הספר הספרנה הספירו	caret.
תתספר יתספר תתספרי תתספר אתספר תתספרנה יתספרו תתספרנה תתספרו נתספר	תספר יספר תספרי תספר אספר תספרנה יספרו תספרנה תספרו נספר	תספיר יספיר תספירי תספיר אספיר תספרנה יספירו תספרנה תספירו נספיר	תספר יספר תספרי תספר אספר תספרנה יספרו תספרנה תספרו נספר

PIEL. Perſonæ Fem.	Com.	Maſc.	NIPHAL. Perſonæ Fem.	Com.	Maſc.	QAL. Perſonæ Fem.	Com.	Maſc.			
מסרה		מסר	נמסרה		נמסר	מסרה		*tradidit.* מסר	3.	Sing.	PRÆTERITA.
מסרת		מסרת	נמסרת		נמסרת	מסרת		מסרת	2.		
	מסרתי			נמסרתי			מסרתי		1.		
	מסרו			נמסרו			מסרו		3.	Plur.	
מסרתן		מסרתם	נמסרתן		נמסרתם	מסרתן		מסרתם	2.		
	מסרנו			נמסרנו			מסרנו		1.		
ממסרה		ממסר	נמסרת		נמסר	מוסרה		מוסר		Sing.	BENONI.
ממסרות		ממסרים	נמסרות		נמסרים	מוסרות		מוסרים		Plur.	
caret.			caret.			מסורה		מסור		Sing.	PAOUL.
						מסורות		מסורים		Plur.	
במסר			בהמסר			במסור					INFINITIVI ET GERUNDIA.
כמסר		מסר	כהמסר		המסר	כמסור		מסור			
למסר			להמסר			למסור					
ממסר			מהמסר			ממסור					
מסרי		מסר	המסרי		המסר	מסרי		מסור		Sing.	IMPERATIVI.
מסרנה		מסרו	המסרנה		המסרו	מסרנה		מסרו		Plur.	
תמסר		ימסר	תמסר		ימסר	תמסור		ימסור	3.	Sing.	FUTURA.
תמסרי		תמסר	תמסרי		תמסר	תמסרי		תמסור	2.		
	אמסר			אמסר			אמסור		1.		
תמסרנה		ימסרו	תמסרנה		ימסרו	תמסורנה		ימסרו	3.	Plur.	
תמסרנה		תמסרו	תמסרנה		תמסרו	תמסורנה		תמסרו	2.		
	נמסר			נמסר			נמסור		1.		

ARTICULUS X.

1°. de dilatatione (ְ) ſub gutturali, & ejus concurſu. 2°. de daghéſch ex litera guttur. aut ר excidentis compenſatione. 3°. de (ַ) furtivo ה, ח, ע ultimis, & ח aut ע penultimis vocum literis ſuppoſito.

IN exponendis ſupra conjugationum Hebraïcarum characteribus, formis, & temporibus, diximus literas quaſdam radicales ſchevá ſimplici modo mobili, modo quieſcente interdum affici; primis vel ſecundis radicalibus nonnunquam imprimi daghéſch forte, &c. Ea in præcedenti ſchemate ad praxim revocata conſpiciuntur. Verum quando litera, cui ſupponendum eſt (ְ) ſive mobile ſive quieſcens, aut daghéſch forte infigendum, gutturalis eſt: tunc illud vulgo dilatatur vel in (ֲ), vel in (ֱ), vel in (ֳ); hoc vero compenſatur, ut plurimum, per magnam motionem loco parvæ ſub litera præcedente repoſitam. Hæc omnia, una cum (ַ) furtivo, in ſeqq. parag. breviter expendenda.

§. I.

De dilatatione (ְ) ſub gutturali, & ejus concurſu.

SCHEVA ſimplex mobile nunquam reperitur ſub gutturali; quare cum ex analogia flexionis eam afficit, dilatatur vulgo in (ֲ), & interdum in (ֱ). Vide ſupra pag. 34. col. 1. Quando autem (ְ) ſic dilatato, ſequitur aliud; prius ſub prima radicali mutatur in (ִ), ut: עֲמֹד *ſta*, עִמְדוּ *ſtate*, אֱכֹל *comede*, אִכְלוּ *comedite*. Iterum tamen (ֲ) convertitur in (ַ), ut: עֲרֹךְ, cum ה paragogico, עָרְכָה *diſpone*.

Schevá quieſcens ſæpe etiam dilatatur ſub gutturali. Ubi, & quomodo fiat iſta dilatatio, vide ſupra pag. 34. coll. 1. 2. Hîc addere ſufficiat (ְ), quod dilatandum fuerat in (ֱ), ſæpius dilatari in (ֲ); quia gutturales, ac præſertim ע, amant plurimum vocalem *a*, qua facilius proferuntur, ut: יַעֲמֹד pro יַעְמֹד *ſtabit*. Cum vero poſt (ְ) iſtud dilatatum ſequitur aliud (ְ); tunc prius (ְ) dilatatum vel reducitur ad parvam motionem ex qua componitur, vide ſupra pag. 34. col. 2. & in ſeq. paradigmate futur. qál, & præteritum niphál. Vel reſolvitur in ſimplex (ְ), vide paginam & columnam mox laudatas, & in eodem paradigmate præteritum & futurum hophál.

Ut autem ſchevá iſtud quieſcens facilius dilatetur, vox in qua dilatari debet, ad communem flectendi modum revocanda eſt, ac ſine gutturali conſideranda. Sic v. g. tertia perſona ſing. maſc. fut. hiphîl

verbi עָמַד *ſtetit*, formanda eſt ut eadem perſona verbi מָסַר, nempe יַעֲמִיד ut יַמְסִיר. Verum quia (ִ) dilatandum eſt ſub ע, ibi dilatatur in (ֲ), quia præcedit (ַ); ſitque יַעֲמִיד *conſtituet*. Ita נֶאֱמַר ut נִמְסַר; & dilatato (ִ) ſub א in (ֱ) ob (ֶ) præcedens, נֶאֱמַר *dictum eſt.* מְאֻחָז ut מְמֻסָּר, dilatato (ְ) ſub א in (ֲ), quia præcedit (ֻ), מְאֻחָז *apprehenſus*, &c.

§. II.

De Daghéſch ex gutturali, aut ר, excidentis compenſatione.

DAGHESCH forte in gutturalibus & ר vulgo non recipi, diximus ſupra pag. 27. Cum itaque his literis ex analogia flexionis imprimendum eſt; ex eis excidit, ac motione magna loco parvæ literæ præcedenti ſubjecta analogus compenſatur. Vide ſupra pag. 29. col. 1. ubi de iſta compenſatione ita egimus, ut nihil hîc addere neceſſe ſit.

§. III.

De (ַ) furtivo ה ח, vel ע ultimis, & ח aut ע penultimis vocum literis ſuppoſito.

PATHAHH furtivum ſubjici literis ה ח aut ע quando terminant dictionem, nec immediate præcedit (ָ) vel (ַ), diximus ſupra p. 23. quam vide cum ſua appendice. Cum autem (ַ) iſtud hiſce literis ſubſcribatur loco (ְ) ſubintellecti, exſulat in flexione, ut: יַרְשִׁיעַ *condemnabit*, יַרְשִׁיעוּ, non יַרְשִׁיעַוּ *condemnabunt*, &c. Sæpe etiam ut vitetur (ַ) iſtud furtivum, ſecunda radicalis, quæ afficienda erat vel (ֵ), vel (ו) vel (ִי), notatur cum (ַ), ut: נֹטַע pro נוֹטֵעַ *plantans*, יִגְבַּה pro יִגְבִּיהַ *exaltabitur*, יַצְלַח pro יַצְלִיחַ *proſperabitur*, &c.

Idem (ַ) furtivum ponitur etiam pro (ְ) ſub ח & ע, quando ſunt penultima litera dictionis, cujus ultima notatur cum dagh. leni & (ְ) expreſſo, quamvis præcedat (ָ), aut (ַ), vide ſupra pag. 24. col. 2. eaque regula locum habet in omnibus ſecundis perſ. ſing. fem. præteriti verborum, quorum ult. radic. eſt ח, aut ע. Vide ſequens paradigma.

Jam vero ſchevá ſimplicis & mobilis dilatati; ejuſdem quieſcentis pariter dilatati, aut in ſua ſimplicitate abſque dilatatione perſeverantis; daghéſch excidentis compenſati; pathâhh denique furtivi ultimæ, aut penultimæ dictionis literæ ſuppoſiti, in uno eodemque verbo tribus literis radic. guttur. conſtante proponenda ſunt exempla. Cum autem nullum hujuſcemodi, ſaltem uſitatum, in lingua Hebraïca reperiatur: ideo אָחַע fingendum duximus, ac integrum in ſequenti paradigmate flectendum.

Digitized by Google

HITHPAEL.	HOPHAL.	HIPHIL.	PUAL.
Perſonæ	Perſonæ	Perſonæ	Perſonæ
Fem. Com. Maſc.	Fem. Com. Maſc.	Fem. Com. Maſc.	Fem. Com. Maſc.
התאחעה התאחע	האחעה האחע	האחיעה האחיע	אוחעה אוחע
התאחעת התאחעת	האחעת האחעת	האחעת האחעת	אוחעת אוחעת
התאחעתי	האחעתי	האחעתי	אוחעתי
התאחעו	האחעו	האחיעו	אוחעו
התאחעתן התאחעתם	האחעתן האחעתם	האחעתן האחעתם	אוחעתן אוחעתם
התאחענו	האחענו	האחענו	אוחענו
מתאחעה מתאחע מתאחעות מתאחעים	caret.	מאחיעה מאחיע מאחיעות מאחיעים	אוחעה אוחע אוחעות אוחעים
caret.	מאחעה מאחע מאחעות מאחעים	caret.	מאוחעה מאוחע מאוחעות מאוחעים
התאחע { בהתאחע, כהתאחע, להתאחע, מהתאחע }	האחע	האחע { בהאחיע, כהאחיע, להאחיע, מהאחיע }	אוחע
התאחעי התאחע התאחענה התאחעו	caret.	האחיעי האחע האחענה האחיעו	caret.
תתאחע יתאחע תתאחעי תתאחע אתאחע תתאחענה יתאחעו תתאחענה תתאחעו נתאחע	תאחע יאחע תאחעי תאחע אאחע תאחענה יאחעו תאחענה תאחעו נאחע	תאחיע יאחיע תאחיעי תאחיע אאחיע תאחענה יאחיעו תאחענה תאחיעו נאחיע	תאוחע יאוחע תאוחעי תאוחע אאוחע תאוחענה יאוחעו תאוחענה תאוחעו נאוחע

Digitized by Google

PIEL. Personæ Fem.	PIEL. Com.	PIEL. Maſc.	NIPHAL. Personæ Fem.	NIPHAL. Com.	NIPHAL. Maſc.	QAL. Personæ Fem.	QAL. Com.	QAL. Maſc.			
אחעה		אחע	נאחעה		נאחע	אחעה		אחע	3.	Sing.	PRÆTERITA.
אחעת		אחעת	נאחעת		נאחעת	אחעת		אחעת	2.		
	אחעתי			נאחעתי			אחעתי		1.		
	אחעו			נאחעו			אחעו		3.	Plur.	
אחעתן		אחעתם	נאחעתן		נאחעתם	אחעתן		אחעתם	2.		
	אחענו			נאחענו			אחענו		1.		
מאחעת		מאחע	נאחעת		נאחע	אוחעת		אוחע		Sing.	BENONI.
מאחעות		מאחעים	נאחעות		נאחעים	אוחעות		אוחעים		Plur.	
	caret.			caret.		אחועה		אחוע		Sing.	PAOUL.
						אחועות		אחועים		Plur.	
באחע, כאחע, לאחע, מאחע		אחע	בהאחע, כהאחע, להאחע, מהאחע		האחע	באחוע, כאחוע, לאחוע, מאחוע		אחוע			INFINITIVI ET GERUNDIA.
אחעי		אחע	האחעי		האחע	אחעי		אחוע		Sing.	IMPERATIVI.
אחענה		אחעו	האחענה		האחעו	אחוענה		אחעו		Plur.	
תאחע		יאחע	תאחע		יאחע	תאחוע		יאחוע	3.	Sing.	FUTURA.
תאחעי		תאחע	תאחעי		תאחע	תאחעי		תאחוע	2.		
	אאחע			אאחע			אאחוע		1.		
תאחענה		יאחעו	תאחענה		יאחעו	תאחוענה		יאחעו	3.	Plur.	
תאחענה		תאחעו	תאחענה		תאחעו	תאחוענה		תאחעו	2.		
	נאחע			נאחע			נאחוע		1.		

Digitized by Google

ARTICULUS XI.

De verborum perfectorum anomaliis, ac ſpeciatim de punctorum vocalium mutatione ob accentus pauſantes, literas ה & ן paragogicas, & maqqáph.

QUAS hucuſque tradidimus de verborum perfectorum conjugationibus regulas, illæ communem & analogam ſpectant flexionem. Nunc conjugationes ſingulas retractare, & quidquid in iis ſpeciale & anomalum occurrit, in appendicibus ad ſingula tempora, temporumque perſonas, opus eſt adnotare.

Illæ autem anomaliæ fere ſolas motiones ſpectant, quas non modo mutat flexio, ut in articulis præcedentibus cernere eſt: verum etiam accentus, qui *pauſantes* vocantur, de quibus ſupra pagg. 19. 20. & literæ ה & ן, quæ nonnullis temporibus, temporumque perſonis, in fine paragogicas adjiciuntur.

Accentus pauſantes mutant vulgo parvam motionem penultimæ & ultimæ ſyllabæ in magnam, puta (-) in (.), ut: אָהָבְתִּי pro אָהַבְתִּי *dilexi.* אָמָר pro אָמַר *dixit*, &c. In eamdem motionem ob eoſdem accentus ſæpius etiam convertitur (.), aut (-) poſitum pro (.) in penultima participiorum deſinentium in ת præcedente duplici (.), aut duplici (-) pro (.), ut: אוֹכָלֶת pro אוֹכֶלֶת *comedens.* שֹׁמָעַת ex analogia, pro שֹׁמַעַת *audiens*, &c.

In vocibus deſinentibus in ה, ו, י, accentus illi aſcendunt communiter ab ultima ad penultim. ac inſuper reducunt primariæ vocis motionem, quæ ſi fuerit (-), producitur in (.), ut: שָׁקָטָה pro שָׁקְטָה *quievit*, fem. à שָׁקַט *quievit*, maſc. שָׁכֵחָה pro שָׁכְחָה *oblita eſt*, à שָׁכַח *oblitus eſt.* עָבָרוּ pro עָבְרוּ *transierunt*, ab עָבַר *tranſiit.* גָּבֵרוּ pro גָּבְרוּ *fortiores fuerunt*, à גָּבַר *fortior fuit.* יָכֹלוּ pro יָכְלוּ *potuerunt*, à יָכֹל *potuit.* גְּזֹרוּ pro גִּזְרוּ *dividite*, à גְּזֹר *divide.* שְׁמָעוּ pro שִׁמְעוּ *audite*, à שְׁמַע *audi.* עֲבֹרִי pro עִבְרִי *tranſi*, fem. ab עֲבֹר *tranſi*, maſc. שְׂמָחִי pro שִׂמְחִי *lætare*, fem. à שְׂמַח *lætare*, maſc. &c. quibus in locis ſunt accentus pauſantes.

Litera paragogica ה præcedente (.), ſæpe in fine adjicitur 1°. infinitivo. 2°. ſecundæ perſonæ ſingulari maſculinæ imperativi. 3°. primæ perſonæ tam ſingulari quam plurali futuri. 4°. rariſſime tertiæ perſonæ ſingul. femininæ, & ſecundæ perſonæ ſingulari maſculinæ ejuſdem futuri; ibique eamdem punctorum mutationem inducit ac incrementum vocale, vel affixum. Punctorum mutationem ob hujuſmodi incrementum,

tum, vide in præcedentibus articulis; ob affixum vero, infra in pronominibus affixis cum verbo conjunctis. Hîc tantum monebimus in infinitivo & imperativo qál formæ מְסֹר, hhólem cum affixis mutari in (ָ hhatoúph), quandoque in (ְ), inter quod & (ִ) primæ radicalis fit tranſpoſitio. In futuro autem, hhólem mutatur in (ְ) tantum abſque metatheſi. Sic in infinitivo formæ מְסַר, (ַ) illud mutatur in (ְ), & prius (ְ) convertitur in hhiríq ob concurſum. At in imperativo & futuro ejuſdem formæ, (ַ) mutatur in (ָ). Exempla

Ex infinitivo, לְמָשְׁחָה lemoſchhhá *ad ungendum*, ex forma מְשֹׁחַ cum affix. לְרִבְעָה *ad ineundum*, *ad concumbendum*, ex forma רְבַע, ſive in flexione, ſive cum affixis.

Ex imperativo, שָׁמְרָה *cuſtodi*, ex forma שְׁמֹר cum affixis, שִׁכְבָה *cuba*, ex forma שְׁכַב in flexione, סְלָחָה *condona*, ex forma סְלַח cum affixis.

Ex futuro, אֶשְׁמְרָה ex forma אֶשְׁמֹר in flexione, *cuſtodiam.* אֶשְׁכְּבָה ex forma אֶשְׁכַּב in flexione, *cubabo.* נִלְבְּנָה ex forma נִלְבַּן, vel נִלְבַן in flexione, *lateres faciamus.* Sicque in aliis perſonis, & conjugationibus.

Eadem litera ſæpe etiam adjicitur ſecundæ perſonæ ſingulari maſculinæ præteritorum, ut: בָּגַדְתָּה *prævaricatus es.* Verum ה iſtud paragogicum ibi non eſt, ſed ex latente & ſubintellecto expreſſum; nam poſt voces deſinentes in (ָ) purum, h. e. quod nulla ſequitur litera in fine, ut: בָּגַדְתָּ, ſemper ſubintelligitur ה, quod ibidem ſæpius etiam exprimitur. Vide ſupra pag. 27. col. 2.

Altera litera paragogica ן interdum quoque additur perſonis præteritorum & futurorum deſinentibus in ו & י, ſervata punctorum mutatione, quæ fit vel ob flexionem, vel ob affixum, vel ob accentum pauſantem, ut: יָדְעוּן pro יָדְעוּ *cognoverunt*, יֵדְעוּן pro יֵדְעוּ *cognoſcent*, תִּדְבָּקוּן punctis mutatis ut fit cum affixis, pro תִּדְבְּקִי *adhærebis*, תִּכְרֹתוּן, remanente hhólem primariæ vocis ob accentum pauſantem, pro תִּכְרְתוּ *ſuccidetis*, &c.

Cæterum literæ illæ paragogicæ nihil addunt ſignificationi vocum quibus adjiciuntur: ſed ſoli ſerviunt euphoniæ.

Denique maqqáph, de quo ſupra pag. 21. & fuſius infra lib. 3. cap. 1. in cauſa eſt cur hhólem ultimæ mutetur in (ָ hhatoúph), ut: מְלָךְ־ pro מְלֹךְ *regnare*, &c. Idem maqqáph mutat etiam (ֵ) ultimæ in (ֶ), ut: בִּקֶּשׁ־ pro בִּקֵּשׁ *quæſivit*, &c.

His in anteceſſum notatis, jam ſingulæ conjugationes excutiendæ, & quidquid in eis à communi analogia recedit, in ſequentibus appendicibus obſervandum.

§. I.

CONJUGATIO QAL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[מָסַר , in pauſa מָסָר *tradidit.*] Ex forma (-), חָפֵץ *voluit*, יָבֵשׁ *aruit*, שָׁפֵל *humiliatus eſt*, &c. Quædam verba habent utramque formam, h. e. (-) & (-), ut: שָׁמַע & שָׁמֵעַ *audivit*, &c.

Ex forma hhólem, יָגֹר *timuit*, יָכֹל *potuit*, קָטֹן *minor*, *minimus fuit.* Hæc ultima forma rarior eſt ob nomina ſimiliter deſinentia.

In pauſa, עָמָד *ſtetit*, רָכָשׁ *acquiſivit*, &c. Et anomalos cum mounahh שָׁפָט *judicavit*, 1. Reg. 7. v. 17.

Per aphæreſin primæ radicalis, רַד pro יָרַד *deſcendit*, קַח & in pauſa קָח, pro לָקַח *accepit.* Sed hæc verba referri poſſunt ad inuſitata ſecundam radicalem geminantia רָדַד, קָחַח, de quibus in capite ſequenti.

III. perſona ſingularis feminina.

[מָסְרָה, in pauſa מָסָרָה *tradidit.*] Ex forma (-), quæ ſequitur communem, חָפְצָה, & in pauſa חָפֵצָה *voluit*, *complacuit ſibi*, &c.

Ex forma hhólem, quæ pariter formam (-) imitatur, יָכְלָה & in pauſa יָכֹלָה, *potuit.*

Ex forma communi, & ה mutato in א, גָּבְהָא *extulit ſe*, Ezech. 31. v. 5. pro גָּבְהָה, ne, inquiunt, duo ה concurrant.

Mutato ה in ת, & (-) præcedente in (-) ex Chaldaiſmo, אָזְלַת pro אָזְלָה, *abiit.*

Cum accentu pauſante, עָזָבָה *dereliquit*, מָשָׁלָה *dominata eſt*, נָשָׁתָּה cum daghéſch euphonico, *defecit*, &c.

Qaméts primæ radicalis, & (-) ſecundæ invicem commutatis, propter accentum tonicum ab ultima ad penultimam aſcendentem, quem ferre non poteſt (-) ob ejus velocitatem, שָׁמָרָה *cuſtodivit*, Amos. 1. v. 11.

II. perſona ſingularis maſculina.

[מָסַרְתָּ, in pauſa מָסָרְתָּ, *tradidiſti.*] Ex forma (-), quæ hîc eadem eſt ac forma (-), חָפַצְתָּ, & in pauſa חָפָצְתָּ, *voluiſti.*

Ex forma hhólem, quæ ibi perſeverat, modo accentus remaneat in penultima, יָגֹרְתָּ *timuiſti.* At quando accentus à penultima deſcendit ad ultimam ob ו convertens de quo infra lib. 3. hhólem mutatur in (-hhatoúph) וְיָכָלְתָּ veiacholtá *& poteris*, ubi (-) ſub (י) eſt qaméts magnum, non qaméts hhatoúph, quamvis ante aliud qaméts hhatoúph non finale: quia (-) illud non ponitur pro hhólem, &c. ſed eſt natura ſua magnum qaméts. Vide ſupra pag. 40. col. 1.

Cum ה expreſſo in fine, בָּגַדְתָּה *prævaricatus es*, vide ſupra pag. 161.

Ejecta, ſcripturæ abbreviandæ gratia, tertia radicali ת, eaque compenſata per daghéſch forte in ת terminationis, ſive incrementi, ut fit quoties tertia illa radicalis eſt ת, & ſequitur incrementum ab altero ת incipiens, ut: כָּרַתָּ, & in pauſa כָּרָתָּ *ſuccidiſti*, pro כָּרַתְתָּ aut כָּרַתְתָּה. Et ſic in ſecundis perſonis plural.

Cum aphæreſi primæ radicalis, תַּתָּה *dediſti*, 2. Reg. cap. 22. v. 41. pro נָתַתָּה, ut legitur Pſal. 17. Heb. 18. v. 41. ubi inſuper ejicitur tertia radic. ן, quæ compenſatur per daghéſch forte in ת incrementi, quod iſti verbo נָתַן accidit quoties ſequitur litera ת. De hoc verbo ſpeciatim in cap. ſeq. agemus poſt verba defectiva *Pé* נ.

In pauſa, גָּאָלְתָּ *redemiſti*, לָבָשְׁתָּ *induiſti*, שָׂבָעְתָּ *ſaturatus es*, &c.

II. perſona ſingularis feminina.

[מָסַרְתְּ, in pauſa מָסָרְתְּ *tradidiſti.*] Ex forma (-) & (י) ſecundum analogiam, חָפַצְתְּ *voluiſti*, יָכֹלְתְּ *potuiſti.*

Digitized by Google

Cum tertia radicalis eſt ח , vel ע , pro (ׄ) ei ſubjicitur (-) furtivum , vide ſupra pag. 157. ut : לָקַחַתְּ *accepiſti*, שָׁכַחַתְּ *oblita es* , יָגַעַתְּ , & in pauſa יָגָעַתְּ *laboraſti* , שָׁמַעַתְּ *audiviſti* , &c.

Cum י ſuperfluo in fine , הָלַכְתִּי *ambulaſti* , וְיָרַדְתִּי *& deſcendes* , וְשָׁכַבְתִּי cum (ׄ) ſub ב loco (-) ob pauſam , *& cubabis* , &c. י iſtud ſupervacaneum , erat olim vocalis *e* , quæ nunc exprimitur per (ׄ) ſub ת.

I. perſona ſingularis communis.

[מָסַרְתִּי , in pauſa מָסָרְתִּי , *tradidi.*] Ex forma (-) , חָפַצְתִּי , & in pauſa חָפָצְתִּי , *volui.*

Ex forma (ֹ) , יָגֹרְתִּי *timui* , יָקֹשְׁתִּי *laqueum tetendi* , שָׁכֹלְתִּי *orbatus ſum* , &c.

Cum hhiriq qatón in fine pro hhiriq gadhól , יָדַעְתִּ *cognovi* , Job. 42. v. 2. &c.

Cum hhiriq qatón ſub ſecunda radic. loco (-) , quia duæ illæ motiones ſæpius invicem permutantur , יְלִדְתִּי *genui* , שְׁאִלְתִּי *petii.*

Ejecta tertia radic. ת ut ſupra in ſecunda perſona ſing. maſc. כָּרַתִּי , pro כָּרַתְתִּי , *ſuccidi* , *excidi.*

Per aphæreſin primæ radical. ut quibuſdam placet , וְשַׁבְתִּי , Pſal. 22. Heb. 23. v. 6. pro וְיָשַׁבְתִּי , *& habitabo* , vel *& ut habitem.* Verum prima illa perſona formam ſuam habet à שׁוּב verbo quieſcente in ſecunda rad. ו , de quo in cap. ſeq.

III. perſona pluralis communis.

[מָסְרוּ , in pauſa מָסָרוּ , *tradiderunt.*] Ex forma (-) , גָּבְרוּ , & in pauſa גָּבָרוּ , *fortiores facti ſunt* , חָדֵלּוּ cum dagh. euphonico & in pauſa , *ceſſaverunt.*

Ex forma ו , יָכְלוּ , & in pauſa יָכֹלוּ , *potuerunt.* Cum dagh. euphonico & in pauſa , זֹרּוּ *fluxerunt.*

Ex forma communi in pauſa , עָבָרוּ *tranſierunt* , דָּרָשׁוּ *quæſierunt* , &c.

Cum א paragogico ex lingua Arabica deſumto , הָלְכוּא Joſ. 10. v. 24. *qui iverant.*

Cum ה ſimiliter paragogico , שָׁפְכָה Deut. 21. v. 7. quod Maſſorethæ legendum docent שָׁפְכוּ , vel cum (ׄ) pro (ו) , שָׁפְכ *effuderunt.* Verum כְּתִיב , ſeu textûs lectio retineri poteſt , nempe שָׁפְכָה *effudit* manus noſtræ , plur. h. e. qualibet manuum noſtrarum : verbo enim ſingulari cum plurali , aut duali compoſito , ſignificatur diſtributio , qua de re in Syntaxi.

Denique cum ן paragogico , יָדְעוּן *sciverunt* , *cognoverunt* , צָקוּן *effuderunt* , per aphæreſin primæ rad. pro יָצְקוּן , ut volunt nonnulli. At צָקוּן in hac perſona formam ſuam mutuatur à verbo quieſc. aïin ו , de quo in cap. ſeq.

II. perſona pluralis maſculina.

[מְסַרְתֶּם *tradidiſtis.*] Ex forma (-) , חֲפַצְתֶּם *voluiſtis.*

Ex forma hhólem ſecundum analogiam , יְכָלְתֶּם iecholtém , mutato (ו) in (ׄ hhatoúph) ob accentum in ultima collocatum , *potuiſtis.*

Cum hhiriq qatón ſub ſecunda rad. pro (-) , יְרִשְׁתֶּם , unde cum ו converſivo , de quo in Syntaxi , וִירִשְׁתֶּם , *& poſſidebitis.*

Cum (ׄ) ſub eadem radicali loco (-) , quia duæ illæ motiones ſæpius invicem permutantur , שְׁאֶלְתֶּם *petiiſtis.*

Cum ה interrog. הֲשְׁכַחְתֶּם *an obliti eſtis ?*

II. perſona pluralis maſculina.

[מְסַרְתֶּן *tradidiſtis.*] Nulla in hac perſona occurrit , opinor , anomalia. Si qua forte reperiatur , ea facile explicabitur ex iis , quæ in perſona præcedenti obſervavimus.

I. perſona pluralis communis.

[מָסַרְנוּ , in pauſa מָסָרְנוּ , *tradidimus.*] Ex forma (-) , חָפַצְנוּ , & in pauſa חָפָצְנוּ *voluimus.*

Ex forma (ו) ſecundum analogiam , יָכֹלְנוּ *potuimus.*

In verbis quorum tertia rad. eſt נ , ea excidit ac compenſatur per daghéſch forte in נ terminationis , ut ſupra ת in ſecunda & prima perſona ſing. נָתַנּוּ pro נָתַנְנוּ *dedimus.*

Sic ex forma (-) ſecundum analogiam , זָקַנּוּ *ſenuimus.*

Ex forma ו , ſecundum eamdem analogiam , קָטֹנּוּ *minores ſumus.*

APPENDIX

AD BENONI.

Singulare maſculinum.

[מוֹסֵר *tradens.*] Cum (-) ſub ſecunda radicali, loco (‥), quod fit maxime cum ultima radicalis eſt ח, aut ע, ut: אֹבַד *perdens, periens,* אֹרַח Job. 31. v. 32. Vulg. *viator.* Lxx. ἐλθὼν *veniens, hoſpes.* In aliis tamen exemplaribus, etiam accuratioribus, אֹרַח accentum habet in penultima, proindeque *viam, iter,* & metonymice tantum *viatorem* ſignificat. נֹטֵעַ *plantans,* רֹגַע *ſcindens,* &c.

Cum hhiriq ſub eadem radicali, יוֹסִף *addens,* תּוֹמִיךְ *ſuſtentans.*

Cum ה paragogico, unde accentus eſt in penultima, בֹּעֵרָה *ardens.*

Cum י itidem paragogico, ut volunt, ſed quod erat antiqua vocalis *e*, quæ nunc exprimitur per (‥) quieſcens ſub ultima radicali ſubintellectum, אֹסְרִי *ligans,* חֹקְקִי *exſcindens,* חֹצְבִי *cædens,* יֹשְׁבִי *habitans,* שֹׁכְנִי *commoratus,* תֹּפְשִׂי *apprehendens,* &c. ubi (-) mutatur in (:), quaſi י iſtud eſſet affixum.

Cum (-) ſub prima litera radicali, אָבֵל *lugens,* גָּדֵל *creſcens,* דָּבֵק *adhærens,* &c. Aliis voces iſtæ ſunt potius nomina verbalia, quam participia.

Singulare femininum.

[מוֹסְרָה, מוֹסֶרֶת, & in pauſa מוֹסָרֶת *tradens.*] Servato (-) maſculini generis, quod ibi ſæpe accidit, בֹּגֵדָה *prævaricans,* יֹלֵדָה *pariens;* נֹטֵרָה *cuſtodiens,* &c.

Ex forma ת præcedente duplici (‥), אֹמֶנֶת *nutriens,* מֹלֶכֶת *regnans,* נֹפֶלֶת *cadens,* עֹמֶדֶת, & in pauſa עֹמָדֶת, *ſtans,* יֹשֶׁבֶת, & in pauſa יֹשָׁבֶת, *habitans,* &c.

Quando ultima radicalis eſt ח aut ע, pro duplici (‥) uſurpatur duplex (-), etiam in pauſa, ut: בֹּרַחַת *fugiens,* שֹׁמַעַת *audiens,* &c. Hæc autem forma ת frequentiſſima eſt in hoc participio ſingulari.

Cum י paragogico ex quo & hhiriq ultimæ radicali ſuppoſito fit hhiriq gadhol, ut in maſculino genere, duo (‥) mutantur in duo (:), quorum prius ob concurſum convertitur in (-), ut fit cum affixis, vide ſupra pag. 98. col. 2. & accentus præter analogiam reponitur in penultima, ut: אֹהַבְתִּי *amans,* אֹיַבְתִּי *inimica.* Et cum (:) ſub ת loco (:) יֹשַׁבְתִּי *habitans,* שֹׁכַנְתִּי *commorata.* Et ſine י paragogico, יֹלַדְתְּ *pariens.* Iſtud (י) hodie paragogicum, erat antiquitus vocalis *e*, quæ ſuppletur ſub ת in מוֹסֶרֶת; unde ſuſpicor veteres olim legiſſe אֹהֶבֶת, יֹשֶׁבֶת, יֹלֶדֶת, &c.

Plurale maſculinum.

מוֹסְרִים *tradentes.*

Plurale femininum.

מוֹסְרוֹת *tradentes.*

APPENDIX

AD PAOUL.

Singulare maſculinum.

[מָסוּר *traditus.*] Verba intranſitiva, ſeu neutra carent hoc participio: non enim à נָפַל v. g. *cecidit*, dicitur נָפוּל *caſus.* Si quandoque habeant, tunc paoúl proprie non eſt, ſed nomen formale, ut vocant, ſeu adjectivum, ut: עָצוּם *fortis*, ab עָצַם *fortis fuit, roboratus eſt.* Attamen à שָׁכַן *habitavit*, invenitur Jud. 8. v. 11. הַשְּׁכוּנֵי בָאֳהָלִים *habitantes in tabernaculis*, ubi anomalos ה articulus nomini conſtructo præfigitur. De hoc in Synt.

Cum (ֻ) euph. pro ו cum ſecunda rad. בָּטֻחַ *fiſus, confidens,* זָרֻעַ *ſatus, ortus,* לָבֻשׁ *indutus,* נָאֻם *dictus,* סָתֻם *occultus,* &c.

Singulare femininum.

[מְסוּרָה *tradita.*] Qaméts maſculini generis hîc mutatur in (ְ) ob accentum plus una ſyllaba ab eo remotum; ſicque in plurali tam maſcul. quam femin.

Cum (ְ) pro וּ, ut ſupra in maſculino, בְּעֻלָה *maritata*, חֲגֻרָה *accincta*, גְּנֻבָה *furto ſublata* res; unde in conſtr. בְּעֻלַת, חֲגֻרַת, & cum (י) paragogico, ſeu potius antiqua vocali *e*, quæ ſubintelligitur ſub ת, & mutato inſuper anomal*us* (-) in (ְ), גְּנֻבְתִי Gen. 31. v. 39. pro גְּנֻבַת *furto ſublatum* dici, i. die.

Plurale maſculinum.

[מְסוּרִים *traditi.*] Cum (ְ) pro וּ, אֱמֻנִים *nutriti.* Cum eodem (ְ) & daghéſch per legem *æquivalentiæ*, חֲקֻקִים *ſculpti*, *expreſſi*, *depicti.*

Plurale femininum.

[מְסוּרוֹת *traditæ.*] Cum (ְ) pro וּ, גְּרֻשׁוֹת *expulſæ*, &c.

APPENDIX
AD INFINITIVUM.

[מָסוֹר *tradere.*] Sic הָלוֹךְ *ire*, פָּגוֹשׁ *occurrere*, &c. Verum forma illa ſæpius uſitata eſt in verbi conduplicatione, tuncque infinitivus per gerundium in *do* exprimitur, ut: פָּרוֹחַ תִּפְרַח *germinando germinabit*, שָׁמוֹר תִּשְׁמְרוּן *cuſtodiendo cuſtodietis*, &c.

[מְסֹר vel מְסוֹר *tradere.*] Cum ה paragogico, hhólem ultimæ mutatur in (ָ hhatoúph), & quandoque in (ְ), quod ſedem commutat cum (ְ) penultimæ, ut: אָכְלָה ochlá *comedere.* Tamen ה iſtud rariſſime cum ſimplici infinitivo jungitur, ne videlicet confundatur cum imperativo, cui eadem litera etiam adjicitur. Sed ſæpius accedit infinitivo cui ל præponitur, ut: לְמָשְׁחָה *ad ungendum*, לְגָבְהָה *ad efferendum ſe*, לְחֶמְלָה *ad parcendum*, &c.

Quando ſecunda rad. gutturalis eſt, (ְ) dilatatur in (ֲ), ut diximus ſupra pag. 34. col. 1. Sic: לְרַחֲקָה *ad elongandum.* Interdum tamen ibi non dilatatur, ut: לְרָחְצָה *ad lavandum.* Quandoque etiam remanet hhólem, ut: פָּשֹׁטָה Iſai. 32. v. 11. *ſpoliare.* Quibuſdam imperativus eſt in quo tollitur נ per Chaldaiſmum, pro פְּשֹׁטְנָה. Vide infra appendic. ad imperativum, in ſecunda perſ. plur. fem. pag. 167. col. 2.

Cum י epenthetico ac mobili, & (-) ſub prima rad. loco (ְ), לִדְרֵיוֹשׁ 1. Eſd. 10. v. 16. pro לִדְרוֹשׁ *ad quærendum.* י iſtud videtur tranſpoſitum, ac olim ſcriptum fuiſſe inter ד & ר, ſic: לִדְיְרוֹשׁ, ita ut eſſet vocalis *e*, quæ in forma communi exprimitur per (ְ) ſub prima radicali. Vel amanuenſium oſcitantia duplex quondam exaratum fuit ו, ſic: לדרווש, & prioris infima tantum parte obliterata, remanſit caput, quod à ſequentibus exſcriptoribus ut (י) ſpectatum eſt ac deſcriptum.

Sequente maqqáph, hhólem mutatur in (ָ hhatoúph,) ut: מְלָךְ־ *regnare*, בְּעָנְשׁ־ *cum mulctaverit*, &c.

[מְסַר, & in pauſa מְסָר *tradere.*] Forma illa in hoc & duobus ſequentibus temporibus, fere tantum convenit verbis intranſitivis, raro tranſitivis, niſi terminentur in ח, aut ע, ut: לִשְׁכַּב *ad dormiendum*, שְׁלַח *extendere*, בְּקַע *ſcindere*, &c.

Cum ה paragogico, (-) mutatur in (ְ), & prius (ְ) ob concurſum convertitur in (ִ), vel in (-) ſub gutturali, ut: לְרִבְעָה *ad ineundum*, לְאַשְׁמָה *ad delinquendum*, &c. Quando ſecunda radicalis gutturalis eſt, (ְ) dilatatur in (ֲ), & prima radicalis notatur cum (-), ut: שַׁחֲטָה *mactare*, לְאַהֲבָה *ad diligendum*, לְתַאֲבָה *ad deſiderandum*, לְדַאֲבָה *ad dolendum*, &c. Aliis infinitivi illi ſunt nomina verbalia, *mactatio*, *amor*, *deſiderium*, *dolor*, &c. quæ caſum verbi ſui regunt, ut apud Latinos: *Quid tibi hanc curatio eſt rem?* Plaut. in Amphit. Act. 1. ſc. 3. De his in Syntaxi.

APPENDIX

AD IMPERATIVUM.

II. perſona ſingularis maſculina.

[מְסֹר vel מְסוֹר *trade.*] Prima radicali affecta (ְ) loco (ִ), תְּמֹךְ *ſuſtenta*, שְׁמוֹר *cuſtodi.* Aliis ſunt infinitivi pro imperativis poſiti.

Cum ה paragogico, hhólem mutatur in (ָ hhatoúph) inter quod & (ְ) primæ rad. fit tranſpoſitio, ut ſupra in infinitivo, ſic: זָכְרָה zochrá *memento*, קָרְבָה *accede*, שָׁמְרָה, & cum (ָ) magno ſeu *a*, ut indicat méthegh, שָׁמְרָה Pſal. 85. Heb. 86. v. 2. *cuſtodi.* Vel méthegh ibi male apponitur, vel non impedit quominus (ָ) ſit (ָ hhatoúph), vide ſupra pag. 39. col. 2.

Cum hhólem loco (ָ hhatoúph) ſub prima rad. quare (ְ) ſequens fit mobile, proindeque dilatatur in (ֲ), וְעָמָה Num. 23. v. 7. pro זָעֳמָה *deteſtare.*

Mutato hhólem in ( ) abſque metatheſi, & priori (ְ) converſo in (ִ), vel in (ַ) ſub gutturali ob concurſum, ut fit in flexione, מִכְרָה *vende*, אִסְפָה *congrega*, עִרְכָה *diſpone*, &c. Et cum daghéſch euphonico in ſecunda rad. נִצְּרָה *cuſtodi.* Vel imperativi illi ſunt ex forma מְסַר de qua mox.

Cum (ָ hhatoúph) loco hhólem ob ſequens maqqáph, זְכָר־ *recordare*, סְעָד־ *fulci*, &c.

[מְסַר, & in pauſa מְסָר *trade.*] In pauſa, שְׁכָב *dormi*, שְׁמָע *audi*, חֲכָם *ſapiens eſto*, אֱמָץ *roborare*, *robuſtus eſto*, &c. Et cum accentu miniſtro dargá, סְעָד *fulci*, Jud. 19. verſ. 5.

Cum ה paragogico, (ַ) mutatur in ( ), & prius (ְ) ob concurſum tranſit in hhiriq qatón, ut: שִׁכְבָה *dormi*, שִׁלְחָה *mitte*, שִׁמְעָה *audi*, &c.

Et (ַ) ultimæ mutato in (ָ), vel ob accentum pauſantem ab ultima ad penultimam aſcendentem; vel quia ה iſtud parag. eodem modo mutat (ַ) ac affixum. Vide ſupra pag. 161. סְלָחָה *condona*, שְׁאָלָה *pete*. שְׁמָעָה *audi*, &c. ubi retinetur (ְ) primæ radicalis, quia non concurrit cum altero. Et cum (ֲ) ſub non gutturali, וְסַעֲדֵנִי *& fulci te*, *& confortare.*

II. perſona ſingularis feminina.

[מִסְרִי, in pauſa ex forma hhólem, מְסֹרִי, ex forma (ַ) מִסְרִי *trade.*] In pauſa ex forma hhólem, עֲבֹרִי *tranſi.* In eadem pauſa ex forma (ַ), וּשְׂמָחִי *& lætare*, חֳרָבִי *deſolare*, cum (ֳ) loco (ֲ) ſub ח, quod rariſſime accidit. Cum eodem (ֳ) ſub litera non gutturali, וְצָעֳקִי *& clama.*

Poſito (ֶ) pro (ִ) ſub prima rad. חֶשְׂפִּי *denuda.* Schevá ſub ſecunda rad. gutturali dilatato in (ֲ), unde prima afficitur (ַ) וְטַחֲנִי *& mole.*

Cum (ָ hhatoúph) ſub prima rad. loco (ִ), מָלְכִי molchi *regna*, וְעָלְזִי *& exulta*, &c. Iſtud (ָ hhatoúph) natum eſt ex hhólem primariæ vocis, quod cum (ִ) primæ radicalis ſedem commutavit. Quando in hac forma ſecunda radicalis gutturalis eſt, ( ) quo afficitur, dilatatur in (ֳ); vide ſupra pag. 34. col. 1. ut: אֶחֳזִי cujus loco legitur וְאֶחֳזִי *& apprehende*, Ruth. 3. v. 15. cum (ֶ) pro (ָ hhatoúph), ſphalmate, ut videtur, graphico; ex (ָ) enim male formato facile naſcitur (ֶ). Ibi tamen exemplaria quædam habent אֶחֳזִי analogos. Cum eodem (ֳ) ſub litera à gutturali diverſa, קָסֳומִי *divina*, *bariolare*, 1. Reg. 28. v. 8. ubi ו antiqua vocalis *o* ſuperfluum eſt, ex quo puncta Maſſorethica textui Biblico inſcripta ſunt.

II. perſona pluralis maſculina.

[מִסְרוּ, in pauſa ex forma hhólem מְסֹרוּ, ex forma (ַ) מְסָרוּ *tradite.*] Sic extra pauſam, מִשְׁכוּ *trahite*, רִגְזוּ *iraſcimini*, &c. Cum eodem (ִ) ſub prima rad. eaque gutturali, loco (ַ), aut (ֶ), חִדְלוּ *ceſſate*, עִבְדוּ *ſervite*, עִמְדוּ *ſtate*, &c. Schevá ſub ſecunda rad. gutturali dilatato in (ֲ), quare prima afficitur (ַ), טַעֲמוּ *guſtate*, סַעֲדוּ *ful-*

Digitized by Google

che, שַׁחֲטוּ *jugulate*, &c. Et cum (·) mendoſo, ut videtur, pro (-) שִׁחֲדוּ *munera date*, Job. 6. v. 22. Eodem (·) ibidem dilatato ſecundum analogiam in (..), unde prima radic. notatur cum (-), אֶהֱבוּ *diligite*, אֶחֱזוּ *apprehendite, tenete.* Cum (- hhatouph) ſub prima rad. loco (·), ut ſupra in ſecunda perſona ſing. femin. חָרְבוּ *deſolamini*, מָשְׁכוּ *trahite*, שָׁדְדוּ *vaſtate*, Jerem. 49. v. 28. ubi (·) quieſcit ſub priori ד quamvis repetito.

In pauſa ex forma hhólem, גְּזֹרוּ *dividite*, הֲרֹגוּ *occidite*, עֲבֹדוּ *ſervite*, עֲמֹדוּ *ſtate*, &c. In eadem pauſa ex forma (-), אֱהָבוּ *diligite*, וְזַעֲקוּ *& clamate*, חֲדָלוּ *ceſſate*, וַחֲכָמוּ *& ſapientes eſtote*, שְׁמָעוּ *audite*, וְתָמְהוּ *& admiramini*, &c.

II. perſona pluralis feminina.

[מְסֹרְנָה, vel מְסַרְנָה, & in pauſa ex forma illa ultima, מְסַרְנָה *tradite.*] Ex forma hhólem חֲגֹרְנָה *accingimini*, סְפֹדְנָה *plangite*, &c. Ex forma (-), צְעַקְנָה *clamate*, שְׁמַעְנָה, & ſublato ה cum (-) præcedente, ac poſito (-) furtivo, ut nonnullis placet, ſub ע loco (·), שְׁמַעַן *audite*. Reſecto נ incrementi ex Chaldaiſmo, רְגָזָה pro רְגֹזְנָה, & in pauſa, רְגָזְנָה *contremiſcite*, Iſai. 32. v. 11. Sic ibidem, פְּשֹׁטָה pro פְּשֹׁטְנָה *ſpoliamini*, וַחֲגוֹרָה pro וַחֲגֹרְנָה *& accingimini.* Aliis infinitivi ſunt cum ה paragogico pro imperativis poſiti. Vide ſupra infinitivum.

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יִמְסֹר, vel יִמְסוֹר *tradet.*] Cum prima radicalis gutturalis eſt, ſchevá ei ſuppoſitum dilatatur analogωs in (..), unde (י) notatur cum (-), vide ſupra pag. 34. col 1. ut: יֶחֱשֹׂף *revelabit, denudabit*, &c. Schevá iſtud ſæpius etiam dilatatur ibidem in (-), quare (י) afficitur (-), ut: יַעֲבֹד *ſerviet*, יַעֲבֹר *tranſibit*, &c. Et (-) ad ſimplex (·) euphoniæ gratia reducto, ſervatoque (-) ſub (י), יַחְפֹּץ *volet*, יַחְגֹּר *accinget*, &c.

Sequente maqqáph, hhólem mutatur vulgo in (- hhatouph), ut: יִמְשָׁל־ *dominabitur*, יִקְבָּץ־ *congregabit*, &c.

[יִמְסַר, & in pauſa יִמְסָר *tradet.*] Sic extra pauſam, יִשְׁלַח *mittet*, &c. In pauſa, יִשְׁמָע *audiet*, יִשְׂמָח *lætabitur*, יִשְׂבָּע *ſaturabitur*, &c. Prima gutturali, יֶחְכַּם cum (·) ſimplici ſub ח loco (..) ad euphoniam, pro יֶחֱכַם *ſapiens erit.* Sic: יֶחְסַר *deficiet*, &c. Cum (-) loco (·) ſub non gutturali, & cum (·) pro (-) ſub (י), יִצְחַק *ridebit*, Gen. 21. v. 6.

III. perſona ſingularis feminina.

[תִּמְסֹר, vel תִּמְסוֹר; & ex forma (-), תִּמְסַר, in pauſa תִּמְסָר *tradet.*] Ex forma (-) extra pauſam, תִּשְׁכַּב *dormiet*, &c. In pauſa, וַתִּרְעָד *& tremuit*, &c. Prima gutturali, ſchevá dilatatur analogωs in (..), quare ת, notatur cum (-), ut: תֶּחֱרַב, cum (-) pro (-) ob pauſam, *deſolabitur*, וַתֶּחֱנַף *& polluit*, &c. Idem (·) ibidem dilatatur etiam in (-), & ת afficitur (-), ut: תַּהֲלֹךְ cujus loco mendoſe, ut videtur, legere eſt תִּהֲלַךְ *ibit*, Pſal. 72. Heb. 73. v. 9. Sic: וַתִּהֲלַךְ *& ivit*, Exod. 9. v. 23. Cum ה parag. וַתַּעְגְּבָה *& amavit*, Ezech. 23. v. 20. ubi (-) ע reductum eſt ad ſimplex (·) loco (-), ob aliud (·) ſequens, pro וַתַּעֲגְבָה.

II. perſona ſingularis maſculina.

[תִּמְסֹר, vel תִּמְסוֹר; & ex forma (-) תִּמְסַר, in pauſa תִּמְסָר *trades.*] Ex forma hhólem, תֶּחְרֹק *fundes*, &c. Prima gutturali, (·) dilatatur analogωs in (..), & ת afficitur (-), ut ſupra in tertia perſ. ſingul. maſc. Sæpe etiam ibidem dilatatur in (-), quare ת notatur cum (-), ut: תַּעֲבֹד *coles.*

Ex forma (-) תִּשְׁמַע, & in pauſa תִּשְׁמָע, *audies*, &c. Si prima fuerit gutturalis (·) dilatatur ut in forma hhólem, ſic: תַּחֲרִשׁ *ſileas*, תֶּחְכַּם cum (·) ſimplici ſub ח ad euphoniam, pro (..) תֶּחֱכַם *ſapiens eris*, &c.

Cum maqqáph, hhólem corripitur in (- hhatoúph), ut: ־תִּפְעָל *operaberis*, &c.

II. perſona ſingularis feminina.

[תִּמְסְרִי, in pauſa ex forma hhólem, תִּמְסֹרִי; ex forma (-), תִּמְסְרִי *trades.*] Schevá ſub ſecunda rad. gutturali mutato in (-), loco (-), niſi ſit lapſus amanuenſium, וַתִּשְׁחֲדִי, Ezech. 16. v. 33. *& munera dediſti.* In pauſa ex forma hhólem, תִּשְׁקֹטִי *quieſcet*, תַּחְשְׂכִי cum (·) ſimplici ad euphon. pro (-), ſic: תַּחְשְׂכִי, *prohibebis*, תַּעֲרְצִי *roborabis te*, ubi (·) ſub prima rad. dilatatur in (-) loco (-), proindeque ת afficitur (-). Vide ſupra pag. 156. Servato hhólem extra pauſam, & cum accentu in ultima, תַּעֲבוֹרִי *tranſibis*, Ruth. 2. v. 8. ubi mendoſe legitur תַּעֲבוּרִי cum ו. In pauſa ex forma (-), תִּלְבָּשִׁי *veſtieris*, &c. Et cum ן paragogico תִּדְבָּקִין *adhærebis.*

I. perſona ſingularis communis.

III. perſona pluralis communis.

[הִמְסִירוּ *tradere fecerunt.*] Prima gutturali, הֶאֱזִינוּ *aures præbuerunt.* Cum א, quod volunt eſſe epentheticum, ſed quod nobis videtur antiqua vocalis *ā* ה, הֶאֶזְנִיחוּ Iſai. 19. v. 6. pro הִזְנִיחוּ *& retro abierunt.* Aliis eſt forma Hebraica & Chaldaïca permixta: Chaldæi enim in hac conjugatione pro ה litera characteriſtica Hebræorum, uſurpant א. Vide Grammaticam Chaldaicam.

II. perſona pluralis maſculina.

[הִמְסַרְתֶּם *tradere feciſtis.*] Prima radicali gutturali, וְהַעֲבַרְתֶּם *& tranſire facietis.* Schevà pathahh reducto ad ſimplex (·), וְהַעְתַּרְתֶּם Ezech. 35. v. 13. *& multiplicaſtis*, Vulg. *& derogaſtis.* Sublata tertia rad. ה, eaque per daghéſch forte in ה incrementi compenſata, וְהִשְׁבַּתֶּם (à שָׁבַת) *& ceſſare facietis*, וְהִשְׁחַתֶּם (à שָׁחַת) *& corrumpetis.*

II. perſona pluralis feminina.

[הִמְסַרְתֶּן *tradere feciſtis.*] Cum ה paragogico in hac perſona plane inuſit. וְהִשְׁלַכְתֶּנָה Amos 4. v. 3. *& abjicietis.* Quibuſdam vox illa compoſita videtur ex hac perſona הִשְׁלַכְתֶּן, & ex ſecunda perſona plurali feminina fut. תַּשְׁלֵכְנָה.

I. perſona pluralis communis.

[הִמְסַרְנוּ, & in pauſa הִמְסָרְנוּ *tradere fecimus.*] Prima gutturali, הֶעֱמַדְנוּ *conſtituimus.* Cum (·) pro (·) ſub characteriſtica, הִכְלַמְנוּ *injuria affecimus.*

APPENDIX

AD BENONI.

Singulare maſculinum.

[מַמְסִיר *tradere faciens.*] Prima gutturali, מַאֲכִיל *cibans*, מַעֲמִיד *conſtituens*, &c. Hoc (-) dilatato in (-), quare מ afficitur (·), מֵאֲזִין; unde ſublato א, & (-) ac (·) contractis in (·) ſub מ, מֵזִין *advertens*, Prov. 17. v. 4. Poſſet referri ad זוּן, quod Arabibus, ut ex nominibus derivatis liquet, *intelligere* ſignificat. Cum ו paragogico, vel potius antiqua vocali *e*, quæ ſubintelligitur ſub tertia radicali ſonanti, הַמַּשְׁפִּילִי *humi-*

Digitized by Google

lians, *demittens ſe.* Sic : הַמַּגְבִּיהִי *exaltans.* Vide ſupra bénoni qal. Cum (-) in fine loco hhiriq, מַסְתִּר Iſai. 53. v. 3. *abſcondens.*

Singulare femininum.

[מַמְסִירָה, & ex terminatione ת præcedente duplici (..), מַמְסֶרֶת *tradere faciens.*] Prima gutturali, מַחֲכִימָה, & (-) ad ſimplex (·) reducto, מַחְכִּימָה, unde in conſtruct. מַחְכִּימַת *ſapientiam præſtans*, *ſapientem efficiens.* Ex terminatione ת præcedente duplici (-) pro duplici (..), ob tertiam radicalem ע, & cum (·) ſub characteriſtica מ loco (-), הַמִּרְשַׁעַת 2. Parap. 24. v. 7. *improbe agens*, *improba*, *impia.* Aliis eſt nomen ſubſtantivum *improbitas*, *impietas*, quod adjective hîc & cum emphaſi accipitur, q. d. *impiiſſima*, *improbiſſima.*

Plurale maſculinum.

[מַמְסִירִים *tradere facientes.*] Secunda radicali affecta (·) loco (י.) pronuntiationis accelerandæ gratia ; aut potius ex forma Chaldaïca, מַהְלְכִים Zach. 3. v. 7. pro מְהַלְּכִים *ambulantes*, *ambulare facientes*, *deducentes.* Sic : מַעְזְרִים *auxiliantes*, מַחְלְמִים *ſomniare facientes*, מַחְצְצְרִים *tubis clangentes*, 2. Paral. 29. v. 28. ubi redundat צ. Sed eſt potius bénoni piél מְחַצְּרִים cum poſteriori צ ſuperfluo, ex quo prius per daghéſch forte duplicatum eſt. Vide ſupra pag. 176. col. 2.

Plurale femininum.

[מַמְסִירוֹת *tradere facientes.*] Secunda radicali א ſublata, & motione ejus ad primam radicalem tranſeunte, & litera characteriſtica מ cum motione primæ radicalis notata, וּמְדִיבֹות Levit. 26. v. 16. pro וּמַדְאִיבוֹת (à דָּאַב) *cruciantes.* Aliis eſt Syriaſmus in quo א nunquam ante ſe patitur (:), ſed in ejus locum ſuam vocalem transfert, & in ea quieſcit, aut etiam plane occultatur. Referri etiam poſſet ad bénoni hiphil verbi דִּיב Hebræis inuſitati, ſed Chaldæis & Arabibus *liqueſecit* cor, h. e. dolore affecit, cruciavit.

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[הַמְסַר *tradere facere.*] Sic : הַחֲרֵשׁ *tacendo*, הַשְׁלֵךְ *projicere*, הַשְׂכֵּל *intelligendi*, &c. Cum (י) nunc ſuperfluo, ſed olim vocali *e*, quæ exprimitur hodie per (-) ſub ſecunda radicali, וְהַקְטִיר *& adolendo*, הַעֲנֵיק *munerando*, הַעֲמִיד *ſtatuere*, הַשְׁמִיד *perdendo*, &c. Sic cum א loco ה, אַשְׁכִּים *mane ſurgendo.* Et cum eodem א, ſed ſine י otioſo, אַבְרֵךְ *genua flectere*, Gen. 41. v. 43. ubi אַבְרֵךְ infinitivum eſſe liquet ex alio infinitivo ſequente וְנָתוֹן *& dare.* Aquila, teſte S. Hieron. quæſt. in Gen. tom. 2. nov. edit. col. 541. hanc vocem interpretatus eſt *adgeniculationem.* Sym. verbum Hebraïcum ABRECH retinuit. Idem S. Hieron. *genua flectere* tranſtulit. Origenes in omnibus catenis Regiis ad hanc vocem ſic ſcribit : τὸ Ἑβραϊκὸν ἔχει ἀβρὴχ, ὃ κυρίως σημαίνει πατὴρ ἁπαλὸς, καὶ εἰκότως· ἁπαλὸς γὰρ ὢν κατὰ τὴν ἡλικίαν, ὡς πατὴρ σωτήριον ἀρχὴν Αἰγυπτίοις ἐνεδείξατο. δηλοῖ δὲ ἄλλο οὐδὲν ἡ λέξις, ἢ τὸ γονατίζειν· φανερὰ γάρ ἐστιν ἡ φωνὴ τοῦ κήρυκος, &c. *Hebraïcum habet :* ABRECH, *quod proprie* PATER TENER *ſignificat. Et merito quidem : nam cum ætate tener eſſet* (Joſephus), *quaſi pater ſalutarem principatum Ægyptiis exhibuit. Hæc autem vox* (abrech) *nihil aliud ſignificat quam genua flectere : clara quippe eſt vox præconis*, &c. Unde S. Hieron. in quæſtionibus mox laudatis : *vox* ABRECH *mihi videtur*, inquit, *non tam adgeniculatio, quæ in ſalutando, vel adorando Joſeph accipi poteſt, intelligenda : quam illud, quod Hebræi tradunt, dicentes patrem tenerum & hoc ſermone transferri :* AB *quippe dicitur* PATER, RECH *delicatus, ſive tenerrimus ; ſignificante Scriptura, quod juxta prudentiam quidem, pater omnium fuerit : ſed juxta ætatem, tenerrimus adoleſcens & puer.* Vide Hexapla D. Bern. *de Montfaucon*, tom. 1. p. 49. col. 2.

Alii אַבְרֵךְ interpretantur : *pater regni*, ſive *regis* ; ab אָב *pater*, & רַךְ, ſive רַכָּא Thalmudiſtis *regnum*, aut *rex* : ut Romani dixerunt : *pater patriæ.* Alii volunt אַבְרֵךְ eſſe primam perſonam futuri hujuſce conjugationis, quaſi unuſquiſque ex turba clamarit : אַבְרֵךְ *genua flectam.* Aliis denique vox eſt Ægyptiaca πιαντομὸν quemdam ſignificans.

Cum ſecunda vel tertia radicalis eſt gutturalis, aut ר, pro (ֵ) vel (ִי) in ultima, ſæpius ibi reponitur (ַ), ut : הַרְקַח *condire*, הַפְצַר *repugnare*, הַזְכַּר, unde cum affixo, הַזְכִּרְכֶם *memorare vos*, &c.

[הַמְסִיר *tradere facere.*] Forma illa rarior eſt in infinitivo ſimplici, ut : הַכְלִים *erubeſcere*, הַעֲבִיר *tranſire faciendo.* At cum particulis *bichlám* fere perpetua eſt, ut : לְהַבְדִּיל *ad dividendum*, לְהַשְׁבִּית *ad ceſſare faciendum*, לְהַעֲבִיר *ad tranſire faciendum*, &c. Cum hiſce particulis, ſæpe extruditur ה articulus, ut : לַשְׁבִּית pro לְהַשְׁבִּית *ad ceſſare faciendum.* Sic : לַסְתִּיר *ad abſcondendum*, &c. Vide ſupra pag. 148. col. 2. Et cum (ֵ) in fine, pro (ִי), לַנְפִּל *ad dejiciendum*, לַשְׁמִעַ *ad audire faciendum*, לַשְׁמִד *ad perdendum*, &c. Cum (ַ) in fine, quod rariſſime accidit cum *bichlám*, לַעְשַׂר contracte pro לַעֲשַׂר *ad decimandum*, הַלְבֵּן & *ad dealbandum.*

Quandoque in hoc infinitivo ה afficitur (ִ) loco (ַ) ex forma præteriti, ut : הִמְלִיט *liberare*, הִרְגִּיז *commovere*, הִרְגִּיעַ *quietum reddere*, &c. Sic cum affixis, עַד־הִשְׁמִדוֹ *donec perdidit ipſe*, הִדְרִיכָהּ *calcandi eam*, הֶחֱזִיקִי *apprehendere me*, ubi ה afficitur (ֶ), quia (ִ) ſub ה dilatatum fuit in (ֶ).

Anomalum, aut potius mendoſum eſt הַצְּפִנוֹ *abſcondere eum*, Exod. 2. v. 3. cum daghéſch in צ, quod imprimendum erat in פ, ſic : הַצְפִּנוֹ.

Contractum eſt לְהָכִיל pro לְהַאֲכִיל *ad comedendum, ad conſumendum*, Ezech. 21. v. 28. al. 33. Vel eſt ex forma כּוּל in hiphil.

Prima & ſecunda radicalis tranſponuntur, ac inſuper litera characteriſtica ה excluditur in לַאֲרִיב *ad cruciandum*, 1. Reg. 2. v. 33. pro לַדְאִיב, & cum ה characteriſt. לְהַדְאִיב.

APPENDIX
AD IMPERATIVUM.

II. perſona ſingularis maſculina.

[הַמְסֵר, vel הַמְסִיר *tradere fac.*] Sic ex forma (ֵ), הַחֲזֵק *apprehende*, הַעֲמֵק *profundum pete*, &c. Sequente maqqáph, aut accentu tonico concurrente, (ֵ) corripitur in (ֶ), ut : הַעֲבֶר־ *tranſire fac*, &c.

Media gutturali, aut tertia ר, pro (ֵ) vel (ִי) in ultima, ſæpius adhibetur (ַ), ut : הַרְחַק *elonga*, הַנְחַת *deſcendere fac*, הַמְסַר *mutare fac*, הַיְשַׁר Pſal. 5. v. 9. quod Maſſorethæ legendum docent הַיְשֵׁר *dirige*, &c.

II. perſona ſingularis feminina.

[הַמְסִירִי *tradere fac.*] Schevá primæ radicalis dilatato in (ֲ), הַחֲזִיקִי *inſtaura*, Nah. 3. v. 14. הַחֲזִיקִי & *apprehende*, Gen. 21. v. 18.

II. perſona pluralis maſculina.

[הַמְסִירוּ *tradere facite.*] Prima gutturali, הַחֲזִיקוּ *confortate*, *confirmate.*

II. perſona pluralis feminina.

[הַמְסֵרְנָה *tradere facite.*] Tertia radicali ן abjecta, ac per daghéſch forte in נ incrementi compenſata, הַאֲזֵנָּה pro הַאֲזֵנְנָה *audite*, *auſcultate*, Gen. 4. v. 23.

APPENDIX
AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יַמְסִיר, vel יַמְסֵר, vel יַמְסַר *tradere faciet.*] Sic ex terminatione (ֵ), יַשְׁכֵּן *collocabit*, יַאֲמֵן *credet*, הַמְלֵךְ & *regnare fecit*, הַקְהֵל & *congregare fecit*, &c. Sequente maqqáph, (ֵ) corripitur in (ֶ), ut : בַּחֲזֶק־

& apprehendit , תַּשְׁלִיךְ *& projecit* , &c.

Cum ultima radicalis eſt gutturalis , ſæpe in fine adhibetur (-) loco (-) aut (ִי) , ut : יַבְטַח *confidere faciet* , תַּכְנַע *& humiliavit* , תַּצְמַח *& germinare fecit* , תַּצְלַח *& proſperatus eſt* , &c.

Abjecta prima radicali א cum ſua motione , יַהֵל pro יַאֲהֵל *tentoria figet* , Iſai. 13. v. 20.

Remanente eadem prima radicali א , ſed motione ejus (-) , & (-) præcedente contractis in (ֵ) ſub characteriſtica , תֵּאצֶל *& ſepoſuit* , Num. 11. v. 25. pro תַּאֲצִל . In וַיָּאצֶל autem (-) ultimæ mutatur in (ֶ) ob accentum ab ultima ad penultimam retractum , qua de re in fuſiori de accentibus tractatu. Poſſet etiam futurum iſtud referri ad צוּל , quod Arabibus idem ſignificat ; & א ſpectari ut antiqua vocalis אֵת (ֵ).

III. perſona ſingularis feminina.

[תַּמְסִיר , vel תַּמְסֵר , aut תַּמְסַר *tradere faciet.*] Ut in tertia ſingulari maſculina.

II. perſona ſingularis maſculina.

[תַּמְסִיר , vel תַּמְסֵר , aut תַּמְסַר *tradere facies.*] Prima gutturali , תַּאֲכִל *cibabis.* Ultima gutturali ח aut ע , תַּשְׁמַע *audire facies* , &c.

II. perſona ſingularis feminina.

[תַּמְסִירִי *tradere facies.*] Servatur hhiriq ob incrementum vocale.

I. perſona ſingularis communis.

[אַמְסִיר , vel אַמְסֵר , aut אַמְסַר *tradere faciam.*] Ex forma (ִי) , & cum hhiriq qatón pro hhiriq gadhól , אַחְרִשׁ *ſilebo.* Cum ה paragogico uſurpatur forma hhiriq , ut : אַשְׁלִיכָה *projiciam* , אֹבִידָה (ab אָבַד in forma quieſcent. Pé א , de qua in cap. ſeq.) *perdam.* Cum eadem litera paragogica , & א epenthetico mobili , וְאַשְׂמְאִילָה *& ſiniſtram petam* , Gen. 13. v. 9. Schevá אֵת ו copulativi , & (-) characteriſticæ contractis in (-) ſub ו , וָאַעְשִׁר pro וְאַעְשִׁר , non dilatato (·) ſub ע , *& ditatus ſum* , Zach. 11. v. 5. Vel, ut aliis videtur , anomalia illa nata eſt ex Syriaſmo , quo א non fert ante ſe (ִ) , ſed in ejus locum vocalem ſuam ſubſtituit , in qua ſilet , ſeu quieſcit , & interdum etiam plane occultatur. Quod analogiæ magis conſonum eſt ; nam ex duabus vocalibus contractis naſcitur magna. Eodem ( ) remanente ſimplici ſub prima radicali gutturali , ſeu non dilatato ad euphoniam , וְאַחְזִק *& confirmabo.*

Excidente prima radicali , & motione ejus (-) contracta cum (-) characteriſticæ in (·) ſub eadem characteriſtica , אָזִין *auſcultabo* , אֹסִיף *congregabo* , pro אַאֲזִין ab אָזַן , & אַאֲסִיף ab אָסַף . Vel forma illa deſumitur ex verbis quieſc. in ſecunda radicali זוּן , & סוּף , de quibus in cap. ſequenti ; verba enim imperfecta nonnunquam formas ſuas , interdum & ſignificationes , ut dicemus ibidem , confundunt.

III. perſona pluralis maſculina.

[יַמְסִירוּ *tradere facient.*] Secunda radicali affecta (ִ) loco (ִי) , ex forma Chaldaïca , & accelerandæ pronuntiationis gratia , תַּדְבִּקוּ *& aſſequuti ſunt* , תַּדְרִכוּ *& intenderunt* , vel *intendunt.* Cum ן paragogico , & (ֻ) euphonico pro (וּ) in fine , יַרְשִׁיעֻן *condemnabunt.*

III. perſona pluralis feminina.

[תַּמְסֵרְנָה *tradere facient.*] In hac & ſecunda perſona plurali feminina , uſurpatur forma (-).

II. perſona pluralis maſculina.

[תַּמְסִירוּ *tradere facietis.*] Cum א epenthetico & mobili , ut ſupra in prima perſona ſingulari , תַּשְׂמְאִילוּ *ad dexteram ibitis.*

II. perſona pluralis feminina.

[תַּמְסֵרְנָה *tradere facietis.*] Vide ſupra tertiam perſonam pluralem maſculinam.

I. perſona pluralis communis.

[נַמְסִיר , vel נַמְסֵר *tradere faciemus.*] Cum ה paragogico , נַשְׁחִיתָה *perdamus* , *corrumpamus.*

§. VI.

CONJUGATIO HOPHAL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[הָמְסַר , & in pauſa הָמְסָר *tradere* , vel *tradi factus eſt.*] Cum prima radicalis eſt gutturalis , (ׇ) vulgo dilatatur in (ֳ) ; & ſic in tota illa conjugatione , ut : הָעֳמַד ex analogia , *conſtitutus eſt.* Hoc (ׇ) non dilatato ad euphoniam , & pronuntiationis accelerandæ gratia , הָחְפַּךְ *ſubverſus eſt.* Cum (ֻ) pro (ׇ hhatoúph) , ut non raro in hac conjugatione accidit , הֻשְׁלַךְ *projectus eſt* , הֻשְׁכַּב & *proſtrabitur.*

III. perſona ſingularis feminina.

[הָמְסְרָה , & in pauſa הָמְסָרָה *tradere* , vel *tradi facta eſt.*] Sic in pauſa הֻשְׁלָכָה *projecta eſt.* (ׇ) ſub prima radicali gutturali dilatato in (ֳ) , הָחֳרָבָה *vaſtata eſt.*

II. perſona ſingularis maſculina.

[הָמְסַרְתָּ , & in pauſa הָמְסָרְתָּ *tradere* , vel *tradi factus es.*] Sic extra pauſam , הֻשְׁלַכְתָּ *projectus es.*

II. perſona ſingularis feminina.

[הָמְסַרְתְּ , & in pauſa הָמְסָרְתְּ *tradere* , vel *tradi facta es.*] Cum (ֻ) pro (ׇ hhatoúph) ſub characteriſtica , & (ַ) furtivo loco (ְ) ſimplicis ſub tertia radicali ח , הֻמְלַחַתְּ *ſalita es.*

I. perſona ſingularis communis.

[הָמְסַרְתִּי , & in pauſa הָמְסָרְתִּי *tradere* , vel *tradi factus* , aut *facta ſum.*] Sic extra pauſam , הֻשְׁלַכְתִּי *projectus ſum.* Speciali anomalia laborat הֶחֳדַלְתִּי Jud. 9. vv. 9. 11. 13. Lxx. μὴ ἀπολείψασα *nunquid deſerens ?* Vulg. *nunquid poſſum deſerere ?* ubi , ſecundum Grammaticos non paucos , הֶ duplici munere fungitur ; nempe ה interrogantis , quare notatur cum (ֶ) ob gutturalem ſequentem : & ה characteriſtici. Forte error eſt amanuenſium , qui pro (ׇ hhatoúph) ה illi ſupponendo , ſcripſere (ֶ) , ſic : הֶחֳדַלְתִּי , pro הָחֳדַלְתִּי *deſiſtam-ne ?* Vel alio ſphalmate graphico , pro (ַ) ſub ה , repoſuerunt (ֶ) ; ita ut ſcripſerint הֶחֳדַלְתִּי pro הַחֲדַלְתִּי in hiphil , *nunquid ceſſare faciam ?* Unde ſequitur אֶת־ communis accuſativi articulus. In hac utraque conjectura ſubintelligenda eſt litera ה interrogans , quod interdum accidit , ut videbimus in Syntaxi. Præterea in priori expoſitione ſupplenda eſt præpoſitio מ ante אֶת־ , ſic : *deſiſtam-ne* מֵאֶת־ *à* pinguedine mea ? Aliis הֶחֳדַלְתִּי eſt prima perſona ſingularis præteriti qal , cum ה interrogante præfixo , ita ut (ֶ) τὸ (ֳ) ſub ה natum ſit ex obſcuriore méthegh , ſic : הַֽחֲדַלְתִּי ; tum méthegh illo mutato in (ֶ) ex amanuenſium oſcitantia , הֶחֲדַלְתִּי ; & adjecto alio méthegh , הֶֽחֳדַלְתִּי.

III. perſona pluralis communis.

[הָמְסְרוּ , & in pauſa הָמְסָרוּ *tradere* , vel *tradi facti* , aut *factæ ſunt.*] Sic in pauſa , הָרְעָלוּ Nah. 2. v. 4. *agitatæ* , *commotæ ſunt* (abietes).

II. perſona pluralis maſculina.

[הָמְסַרְתֶּם *tradere* , vel *tradi facti eſtis.*]

II. perſona pluralis feminina.

[הָמְסַרְתֶּן *tradere* , vel *tradi factæ eſtis.*]

I. perſona pluralis communis.

[הָמְסַרְנוּ , & in pauſa הָמְסָרְנוּ *tradere* , vel *tradi facti* , aut *factæ ſumus.*]

APPENDIX

ad Paoul.

Singulare maſculinum.

[מְמֻסָּר *tradere*, vel *tradi factus.*] Cum (ֳ hhatoúph) pro (ֻ) ſub litera characteriſtica, מְשֻׁחָת *corruptus*, מְשֻׁזָּר *contortus*, *conduplicatus.* Prima gutturali, (ִ) dilatatur in (ֵ), unde מ afficitur (ֳ hhatoúph), מָאחָז *apprehenſus*, מָעֳמָד *conſtitutus.*

Singulare femininum.

[מְמֻסָּרָה, ex terminatione ה, præcedente duplici (ָ), מְמֻסֶּרֶת, in pauſa מְמֻסָּרֶת *tradere*, vel *tradi facta.*] Ex terminatione ת extra pauſam, מְשֻׁלֶּכֶת *projectum* (cadaver).

Plurale maſculinum.

[מְמֻסָּרִים *tradere*, vel *tradi facti.*] Schevá ſub prima radicali gutturali dilatato in (ֲ), ut ſupra in ſingulari maſculino, מָאחָזִים *contenti*, *contigui.*

Plurale femininum.

[מְמֻסָּרוֹת *tradere*, vel *tradi facta.*] Prima gutturali, מָחֳרָבוֹת *vaſtata*, *deſolata.* Vide plurale maſculinum præcedens. Servata characteriſtica communi conjugationis cum characteriſtica ſpeciali hujus participii, quod in lingua Chaldaica infrequens non eſt, מְהֻקְצָעוֹת *angulata*, ubi מ afficitur (ְ) motione vulgari ſervilium. Vide ſupra p. 135. coll. 1. 2. מִבְדָּלוֹת *ſeparata*, aut potius *ſeparationes*, vide in Lexico ſub litera מ : eſt enim nomen ſubſtantivum potius quam participium.

APPENDIX

ad Infinitivum.

[הִמָּסֵר *tradere*, vel *tradi fieri.*] Schevá ſub prima radicali gutturali dilatato in (ֳ), חָחֳרֵב *deſolando.* Et ſchevá ad euphoniam non dilatato, חָחְתֵּל *faſciando.* Cum ה paragogico, (ֵ) mutatur in (ָ), ut: הִשָּׁכְבָה Ezech. 32. v. 19. *& proſterni*, qui infinitivus hic loco eſt imperativi : præcedit enim רְדָה *deſcende.* Lxx. & Vulg. per imperativum reddiderunt ; illi quidem : *καὶ κοιμήθητι*, hic vero : *& dormi.*

APPENDIX

ad Futurum.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יִמָּסֵר, & in pauſa יִמָּסַר *tradere*, vel *tradi fiet.*] Prima gutturali, יֵעָמֵד *conſtituetur*, *ſiſtetur*, יָחֳרַם, & in pauſa יָחֳרָם *devovebitur*, *ut anathema perdetur.*

III. perſona ſingularis feminina.

[תִּמָּסֵר, & in pauſa תִּמָּסַר *tradere*, vel *tradi fiet.*] Sic in pauſa תִּקָּטַר *adolebitur.*

II. perſona ſingularis maſculina.

[תִּמָּסֵר, & in pauſa תִּמָּסַר *tradere*, vel *tradi fies.*]

II. perſona ſingularis feminina.

[תִּמָּסְרִי, & in pauſa תִּמָּסֵרִי *tradere*, vel *tradi fies.*]

I. perſona ſingularis communis.

[אִמָּסֵר, & in pauſa אִמָּסַר *tradere*, vel *tradi fiam.*]

III. perſona pluralis maſculina.

[יִמָּסְרוּ, & in pauſa יִמָּסֵרוּ *tradere*, vel *tradi fient.*] Cum (ֻ) ſub characteriſtica pro (ֳ hhatoúph, & (ֵ) loco ( ) ſub ſecunda radicali ob pauſam, יֻשְׁלָכוּ *projicientur.*

Digitized by Google

III. perſona pluralis feminina.

[תִּמָּסַרְנָה , & in pauſa תִּמָּסַרְנָה *tradere* , vel *tradi fient.*]

II. perſona pluralis maſculina.

[תִּמָּסְרוּ , & in pauſa תִּמָּסֵרוּ *tradere* , vel *tradi fietis.*]

II. perſona pluralis feminina.

[תִּמָּסַרְנָה , & in pauſa תִּמָּסַרְנָה *tradere* , vel *tradi fietis.*]

I. perſona pluralis communis.

[נִמָּסֵר , & in pauſa נִמָּסֵר *tradere* , vel *tradi fiemus.*]

§. VII.

CONJUGATIO HITHPAEL.

CONJUGATIO illa formatur ex piél , mutato ( ) in (-) , & præpoſito charactere הִתְ præterito , infinitivo , & imperativo ; מִתְ participio , יִתְ denique futuro. Secundæ ejus radicali daghéſch quoque imprimitur, quod ab ea , utpote gutturali , aut ר , excidens compenſatur vulgo per (.) loco (-) ſub prima radicali. Sæpe tamen perit abſque compenſatione.

Syllabæ characteriſticæ הִתְ accedit *ſyncopa* & *metatheſis*.

Syncopa , cum litera ה , aut litera ת ſeorſim tolluntur ; vel cum utraque abjicitur.

Litera ה tollitur , cum accedit characteriſtica propria temporis , ut fit in participio & futuro , ut : מִתְמַסֵּר , pro מִהִתְמַסֵּר *tradens ſe* , יִתְמַסֵּר , pro יְהִתְמַסֵּר *tradet ſe.*

Litera ת exſulat , cum euphoniæ cauſa in primam radicalem contrahitur , ac in ea per daghéſch forte compenſatur , ut : הִנַּבֵּאתִי pro הִתְנַבֵּאתִי *prophetavi.* Sicque ſemper , quando prima radicalis eſt ד , ט , ת. Alias in Bibliis id rarum eſt ; ſed apud Thalmudicos frequentiſſimum.

Interdum perit utraque , & ſaltem ultima ת compenſatur per daghéſch forte in prima litera radicali , ut : מִדַּבֵּר , pro מִתְדַּבֵּר *loquens* , *ſermocinans* , וְיִנַּשֵּׂא , pro וְיִתְנַשֵּׂא *& exaltetur.*

Literæ ת fit metatheſis , quando prima radicalis eſt ז , ס , צ , שׁ vel שׂ, tunc enim literis illis poſtponitur , ac inſuper poſt ז mutatur in ד , & poſt צ convertitur in ט ; idque euphoniæ gratia : quod argumento eſt ט & ת cum daghéſch notatum non eodem plane modo ſonare , ut diximus ſupra pag. 6. col. 2. Metatheſis hujus exempla ſint : הִזְדַּמַּן *præparavit ſe* , (verbum Chaldaïcum ; nam lingua Hebraïca non ſuppeditat exemplum hujuſce metatheſeos in verbis à ז incipientibus ,) pro הִתְזַמַּן : הִסְתַּבֵּל pro הִתְסַבֵּל *oneravit ſe* : הִצְטַדֵּק pro הִתְצַדֵּק *juſtificavit ſe.*: הִשְׁתַּבַּח pro הִתְשַׁבַּח *laudavit ſe.* Verbum unicum שׁוּט *circuire* , *curſitare* , de quo in cap. ſeq. hanc metatheſim non admittit.

Ad hanc etiam conjugationem pertinent verba, quæ unam aut alteram radicalem geminant, & de quibus ſupra in piél pag. 173.

APPENDIX

Ad Præteritum.

III. perſona ſingularis maſculina.

[הִתְמַסֵּר, vel הִתְמַסַּר, & in pauſa הִתְמַסָּר *tradidit ſe.*] Sic ex terminatione (-), הִתְמַכֵּר *vendidit ſe*, הִתְאַמֵּץ *roboravit*, *confirmavit ſe*, &c. Sequente maqqáph, aut accentu tonico concurrente, (-) corripitur in (ֶ), ut: הִתְהַלֶּךְ־ *ambulavit*, &c. Ex forma, ſeu terminatione (-), הִתְחַזֵּק *confirmavit ſe*, הִתְגַּלַּח *raſit ſe*, &c. Ex eadem forma, & in pauſa, הִתְאַזָּר *accinxit ſe*, הִתְגַּלָּח *& radet ſe*, &c. Media gutturali, aut ר, daghéſch excidens vulgo compenſatur per (ָ) ſub prima radicali, ut: הִתְבָּרֵךְ *& benedicet ſe*, &c.

Cum א affecto (ֶ) loco ה characteriſtici, ex forma Chaldaica, אֶתְחַבַּר *conſociavit ſe*, 2. Paral. 20. v. 35. Formam compoſitam ex niphál & hithpaél, quæ apud Rabbinos frequens eſt, agnoſcunt Grammatici in וְנִכַּפֵּר *& expiabitur*, Deut. 21. v. 8. נִ eſt ex niphál נִכְפַּר, כִּפֵּר vero ex hithpaél הִתְכַּפֵּר, cujus ת excidens compenſatur per daghéſch forte in כ vocis וְנִכַּפֵּר. Si puncta ſic mutentur: וְנִכְפַּר, erit purum putumque præteritum niphál.

III. perſona ſingularis feminina.

[הִתְמַסְּרָה, in pauſa ex forma (-), הִתְמַסֵּרָה, ex forma (-), הִתְמַסָּרָה *tradidit ſe.*] Formam compoſitam ex hophál & hithpaél eſſe volunt in הֻדַּשְּׁנָה *impinguatus eſt* (gladius), Iſai. 34. v. 6. הֻ eſt ex hophal cum (ֻ) pro (ָ hhatoúph); reliquum vero ex hithpaél, ita ut daghéſch forte impreſſum fuerit דּ, ad compenſandum ת characteriſticum ejectum; & aliud daghéſch forte conjugationis character exciderit ex שׁ, ob (ְ) ei ſuppoſitum. Punctis ſic mutatis: הֻדְשְׁנָה, vel הֻדַּשְּׁנָה, erit præteritum hophál.

II. perſona ſingularis maſculina.

[הִתְמַסַּרְתָּ, & in pauſa הִתְמַסָּרְתָּ *tradidiſti te.*]

II. perſona ſingularis feminina.

[הִתְמַסַּרְתְּ, & in pauſa הִתְמַסָּרְתְּ *tradidiſti te.*]

I. perſona ſingularis communis.

[הִתְמַסַּרְתִּי, & in pauſa הִתְמַסָּרְתִּי *tradidi me.*] Cum (ָ) loco (-) ſub ſecunda radic. quod & in qál obſervatum eſt ſupra p. 163. col. 1. וְהִתְקַדִּשְׁתִּי *& ſanctificabo me*, וְהִתְגַּדִּלְתִּי *& magnificabo me*, *& magnificum oſtendam me*, in quibus duobus exemplis accentus eſt in ultima ob ו convertens præteritum in futurum. Secunda radicali gutturali, daghéſch ab ea excidens compenſatur per (ָ) loco (-) ſub prima, ut: הִתְנַחַמְתִּי, unde cum ו convertente, & in pauſa, quapropter (-) ſecundæ radicalis mutatur in (ָ), וְהִנֶּחָמְתִּי *& conſolabor me*, Ezech. 5. v. 13. ubi ת reſectum compenſatur per daghéſch forte in נ, quod afficitur (ִ) loco (ִ), ob aliud (ֶ) ſequens ſub gutturali ח. Accentus denique non deſcendit ad ultimam, ut in duobus exemplis præcedentibus, quia ibi pauſam efficit; qua de re infra lib. 3. in prolixiori de accentibus tractatu.

Geminatis radicalibus, & in pauſa, הִתְמַהְמָהְתִּי (à מָהַהּ) *cunctatus ſum.*

III. perſona pluralis communis.

[הִתְמַסְּרוּ, & in pauſa ex forma (-) הִתְמַסֵּרוּ ex forma (-) הִתְמַסָּרוּ *tradiderunt ſe.*] Compoſitum eſt ex hophál & hithpaél, ut volunt Grammatici, הָתְפָּקְדוּ Num. 1. v. 47. &c. *recenſiti, numerati fuerunt.* Qaméts hhatoúph ſub ה eſt ex hophál, cetera vero ex hithpaél, in quo verbum iſtud pro (-) ſub prima radicali & daghéſch forti in ſecunda, habet (ָ) ſub prima per legem æquivalentiæ. Si ה in hoc exemplo afficiatur (ִ), loco (ָ hhatoúph), vox erit analoga in hac conjugatione hithpaél, ſic: הִתְפָּקְדוּ, ut legitur Jud. 20. v. 17.

Digitized by Google

Compoſitum etiam volunt ex puál & hithpaél וְהִתְגֹּעֲשׁוּ *& concutientur*, Jerem. 25. v. 16. הִתְ eſt ex hithpaél, גֹּעֲשׁוּ vero ex puál cum hhólem pro (ֻ) ad compenſandum dagh. ejectum. Vox illa referri etiam poteſt ad hithpoél, vel hithpoál: ut enim ex piél formatur poél, & ex puál fingitur poál: ſic ex poél formari poteſt hithpoél, & ex poál fingi poteſt hithpoál.

Cum prima rad. eſt ט vel ת, quæ ſunt literæ ejuſdem organi, ת characteriſticum excidit, & compenſatur per daghéſch forte in prima illa radicali, ut: הִטַּהֲרוּ pro הִתְטַהֲרוּ *purificaverunt ſe*, 1. Eſd. 6. v. 20. cum (ַ) ſub ט loco (ְ) ad compenſandum daghéſch ejectum.

In pauſa ex forma (ָ), הִתְאַפָּקוּ *continuerunt ſe*, וְהִטֶּהָרוּ *& purificabunt ſe*, ubi ת excidit, ut mox diximus, & pro (ַ) ſub ט reponitur (ֶ) ob aliud (ָ) ſequens ſub gutturali ה.

Geminatis radicalibus, הִתְמַהְמְהוּ (à מָהַהּ) *cunctantur*, הִשְׁתַּעַשְׁעוּ cum metatheſi ת, (à שָׁעַע) *delicias agunt* Et in pauſa, הִתְגַּלְגָּלוּ (à גָּלַל) *devolvunt ſe*, הִתְקַלְקָלוּ (à קָלַל) *velociter moventur*, *conturbantur*.

II. perſona pluralis maſculina.

[הִתְמְסַרְתֶּם *tradidiſtis vos.*] Cum (ִ) ſub ſecunda rad. pro (ַ), וְהִתְקַדִּשְׁתֶּם *& ſanctificabitis vos.*

II. perſona pluralis feminina.

[הִתְמְסַרְתֶּן *tradidiſtis vos*] ut in eadem ſecunda perſona plurali maſculina.

I. perſona pluralis communis.

[הִתְמְסַרְנוּ, & in pauſa הִתְמְסָּרְנוּ *tradidimus nos.*] Geminatis radicalibus, & in pauſa, הִתְמַהְמָהְנוּ *cunctati ſumus.*

APPENDIX

AD BENONI.

Singulare maſculinum.

[מִתְמַסֵּר *tradens ſe.*] Compenſato dagh. ejecto ex ſecunda radicali ejus recipiendi incapaci, מִתְבָּרֵךְ *benedicens ſibi.* Eodem excidente abſque compenſatione, מִתְנַחֵם *conſolans ſe.* Sublato per ſyncopen ת characteriſtico, eoque compenſato per daghéſch forte in prima radicali, מִדַּבֵּר pro מִתְדַּבֵּר *loquens*, *ſermocinans*, מִטַּהֵר pro מִתְטַהֵר, non compenſato daghéſch ejecto, *purificans ſe.* Eodem ת characteriſtico poſt primam radicalem tranſpoſito, מִסְתַּתֵּר pro מִתְסַתֵּר *latitans*, מִשְׂתַּכֵּר pro מִתְשַׂכֵּר *mercedem reportans.*

Compoſitum ex puál & hithpaél, מִנֹּאָץ Iſai. 52. v. 5. *irritatum*, ubi ת characteriſticum excidens compenſatur per daghéſch forte in נ, נֹּאָץ eſt ex puál cum hhólem pro (ֻ) ad compenſandum daghéſch ejectum. Si punctis mutatis legatur מְנֹאָץ, erit paoúl analogum τῷ puál.

Geminatis radicalibus, מִתְמַהְמֵהַּ (à מָהַהּ) *cunctans*, *cunctatus*, מִתְלַהְלֵהַּ (à לָהַהּ) *inſaniens.*

Singulare femininum.

מִתְמַסְּרָה, & ex terminatione ת, præcedente duplici (ֶ), מִתְמַסֶּרֶת, & in pauſa, מִתְמַסָּרֶת *tradens ſe.*] Sic ex terminatione ת extra pauſam, מִתְאַמֶּצֶת *roborans ſe.* Et cum duplici (ַ) pro duplici (ֶ) ob tertiam radicalem ח, מִתְלַקַּחַת *comprehenſus*, *immixtus* (ignis)

Plurale maſculinum.

[מִתְמַסְּרִים *tradentes ſe.*] Geminatis radicalibus, & ת characteriſtico excidente compenſato per daghéſch forte in prima radicali, מִתַּעְתְּעִים pro מִתְתַּעְתְּעִים (à תָּעָה) *errantes.*

Plurale femininum.

[מִתְמַסְּרוֹת *tradentes ſe.*]

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[הִתְמַסֵּר, & ex forma (-) הִתְמַסַּר, & in pauſa הִתְמַסֵּר *tradere ſe.*] Media gutturali, aut ר; ac daghéſch ab ea excidente compenſato, לְהִתְפָּאֵר *ad gloriandum*, לְהִתְגָּרֵד *ad ſcalpendum ſe.* Eodem excidente abſque compenſatione, הִתְנַחֵל *poſſeſſorem conſtituere ſe*, לְהִתְנַחֵם *ad conſolandum ſe.* Ex forma (-) extra pauſam, הִתְגַּלַּע *miſceri.* Cum metatheſi literæ ת, הִסְתַּפֵּחַ pro הִתְסַפֵּחַ *adjungere ſe*, לְהִשְׁתַּבֵּחַ pro לְהִתְשַׁבֵּחַ *ad laudandum ſe*, מִתְשׁוֹרֵר pro מִתְשׁוֹרֵר, daghéſch excidente compenſato, *ut non excreſceret.* Compoſitum, ut volunt, ex hophál & hithpaél, הֻכַּבֵּס *lavari*, הֻ eſt ex hophál cum (ֻ) pro (ָ hhatoúph) ſub ה, ut in hac conjugatione interdum fieri diximus ſupra p. 187. col. 1. Dagh. forte in כ compenſat ת ejectum. Cetera ex hithpaél. Si, punctis leviter mutatis, legas הֻכְבֵּס huchbés, vel הָכְבֵּס hochbés, habebis infinitivum analogum hophál.

APPENDIX

AD IMPERATIVUM.

II. perſona ſingularis maſculina.

[הִתְמַסֵּר, ex terminatione (-) הִתְמַסַּר, & in pauſa הִתְמַסֵּר *trade te.*] Ex forma (-), הִתְחַזַּק *robora te, robuſtus eſto*, הִתְעַנַּג *oblecta te*, &c. Hinc in pauſa, & cum ה paragogico, הִתְיַצָּבָה *ſtatue te.* Daghéſch excidente compenſato, הִתְפָּאֵר *gloriare.*

II. perſona ſingularis feminina.

[הִתְמַסְּרִי, in pauſa ex forma (-) הִתְמַסָּרִי, & ex forma (-) הִתְמַסְּרִי *trade te.*] Daghéſch excidente ex media gutturali, aut ר, abſque compenſatione, הִתְאַחֲדִי *uni te*, הִתְנַעֲרִי *excute te ipſam.* In pauſa ex forma (-), & cum ה epenthetico ac ſuperfluo, הִתְפַּלָּשְׁתִּי Mich. 1. v. 10. pro הִתְפַּלָּשִׁי, ut legendum monent Maſſorethæ, *voluta te.* Forte vox illa compoſita eſt ex הִתְפַּלְּשִׁי extra pauſam, *voluta te, volutare*, & ex אַתְּי *tu*, fem. cum (ּ) ſub א loco (-) ob pauſam; & cum (י) ſuperfluo in fine, de quo ſupra pag. 72. col. 2.

II. perſona pluralis maſculina.

[הִתְמַסְּרוּ, in pauſa ex forma (-) הִתְמַסָּרוּ, ex forma (-) הִתְמַסְּרוּ *tradite vos.*] Sublato per ſyncopen ת characteriſtico, eoque per daghéſch forte primæ radicali impreſſum compenſato, הִטַּהֲרוּ, & daghéſch excidente compenſato, הִטָּהֲרוּ *purificate vos*, הִתַּמְּהוּ *obſtupeſcite*, pro הִתְטַהֲרוּ, הִתְתַּמְּהוּ. In pauſa ex forma (-), הִתְקַדָּשׁוּ *ſanctificamini, ſanctificate vos.*

Geminatis radicalibus, הִתְמַהְמְהוּ (à מָהַהּ) *tardi eſtote.*

II. perſona pluralis feminina.

[הִתְמַסֵּרְנָה, & ex forma (-) הִתְמַסַּרְנָה, & in pauſa הִתְמַסֵּרְנָה *tradite vos.*]

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יִתְמַסֵּר, & ex forma (-) יִתְמַסַּר, in pauſa יִתְמַסֵּר *tradet ſe.*] Ex forma (-), וַיִּתְאַמֵּץ *& confirmavit ſe*, &c. Ex eadem forma, & in pauſa, יִתְגַּלָּע *miſcebitur*, וַיִּתְעַבֵּר *& iratus eſt*, יִתְנֶחָם *pœnitebit eum*, compenſato daghéſch ex ſecunda radic. ejecto per (ֶ) ſub prima ad euphoniam loco (ַ) ob aliud (ָ) ſub gutturali ח. Ex forma (-) correpti in

Digitized by Google

in (ּ) ob maqqáph, aut accentum tonicum concurrentem, יִתְנַכֶּר־ *agnoſcetur.*

Cum metatheſi literæ ת, יִסְתַּבֵּל pro יִתְסַבֵּל *onerabitur*, יִשְׁתַּמֵּר pro יִתְשַׁמֵּר *obſervabit*, vel *obſervat aſſiduè.* Geminatis radicalibus, יִתְמַהְמַהּ (à מָהַהּ) *cunctabitur*, יִתְמַרְמַר (à מָרַר) *exacerbabit ſe.*

III. perſona ſingularis feminina.

[תִּתְמַסֵּר, & ex forma (-) תִּתְמַסַּר, in pauſa תִּתְמַסָּר *tradet ſe.*] Specialiter anomalum, aut potius mendoſum eſt וַתֵּתַצַּב *& ſtiterat ſe*, Exod. 2. v. 4. pro וַתִּתְיַצֵּב, ejecta prima radicali (י) cujus motio tranſit ſub ſecundum ת characteriſticum, priori affecto (-) loco (ִ) ad euphoniam. Forte etiam וַתֵּתַצַּב eſt à verbo Hebræis inuſitato תָּצַב, cujus ת characteriſticum excidens compenſatur per daghéſch forte in ת radicali, ſic: וַתִּתַּצֵּב pro integro וַתִּתְתַּצֵּב; & poſito (-) ſub priori ת pro (ִ) & daghéſch in ת ſeq. per legem æquivalentiæ, וַתֵּתַצַּב. Adde verbum תָּצַב in lingua Arabica uſitatum eſſe, ac ſignificare *deſcendere*, qui ſenſus hîc ſat commodus eſt: *& deſcenderat* (ad flumen) *ſoror ejus*, &c.

Daghéſch excidente compenſato, & retracto accentu ob ו converſivum; quare (-) corripitur in (ֶ), וַתִּתְפָּעֶם *& conſternatus eſt* (ſpiritus ejus.)

Geminata prima & tertia radic. וַתִּתְחַלְחַל *& dolore affecta eſt*, Eſth. 4. v. 4. (à חִיל).

II. perſona ſingularis maſculina.

[תִּתְמַסֵּר, & ex forma (-) תִּתְמַסַּר, in pauſa תִּתְמַסָּר *trades te.*] Ex forma (-) extra pauſam, תִּתְהַדַּר *decorem arrogabis tibi.* In pauſa ex eadem forma תִּתְחַסָּד *benignum exhibebis te.* Sic cum ſyncopa literæ charact. ת, quæ compenſatur per daghéſch forte in prima rad. תִּתַּמָּם pro תִּתְתַּמָּם *integrum præbebis te*, תִּתַּפָּל *perverſum, diſtortum exhibebis te*, 2. Reg. 22. v. 27. pro תִּתְתַּפָּל, ubi literarum ת & פ metatheſis eſt, pro תִּתְפַּתָּל, ut legitur Pſal. 17. Heb. 18. v. 27. duo enim illa loca ſunt parallela; à verbo פָּתַל in hithpaél *luctari*, & more luctantium *diſtorqueri.*

Daghéſch excidente ex ſecunda rad. ר, ac per (ָ) loco (-) ſub prima compenſato, & ex forma (-) in pauſa, תִּתְבָּרָר Pſal. 17. Heb. 18. v. 27. *purum exhibebis te*, cujus loco legitur 2. Reg. 22. v. 27. תִּתָּבָר, ubi tertia rad. ר tollitur, motio ſecundæ tranſit ſub primam, & (ָ) primæ ſub ת characteriſticum, cui imprimitur daghéſch forte, quod venit ſemper poſt motionem parvam, quam non ſequitur accentus, vel (ְ). Vide ſupra pag. 29. col. 2. Aliis תִּתַּבָּר futurum eſt conjugationis Chaldaicæ Ittaphál verborum defectivorum ע, pro תִּתַּבַּר; unde mutato (-) ultimæ in (ָ) ob pauſam, & reſoluto (-) alterius ת, & daghéſch τῦ ב, in (ְ) ſub eodem ſecundo ת, per legem æquivalentiæ, תִּתְבָר.

II. perſona ſingularis feminina.

[תִּתְמַסְּרִי, in pauſa ex forma (-) תִּתְמַסָּרִי, ex forma (-) תִּתְמַסָּרִי *trades te.*] In pauſa ex forma (-), & cum ן paragogico תִּתְחַפָּשִׂין *ſubduces te.* Et cum metatheſi ת, תִּשְׁתַּכָּרִין *ebria eris.*

I. perſona ſingularis communis.

[אֶתְמַסֵּר, ex forma (-) אֶתְמַסַּר, in pauſa אֶתְמַסָּר *tradam me.*] Daghéſch excidente compenſato, אֶתְפָּאֵר *gloriabor.* Ex forma (-) mutati in (ָ) ob pauſam, אֶתְאַפָּק *continebo me*, וָאֶתְאַפַּק *& continui me*, אֶתְפָּאַר *gloriabor*, ubi daghéſch excidens compenſatur per (ָ) loco (-) ſub פ. Sic: אֶתְנֶחָם *conſolabor me*, cum (ֶ) loco (ַ) ſub נ ob aliud (ָ) ſequens ſub gutturali ח. Vide ſupra tertiam perſonam ſing. maſculinam. Cum ה paragogico, אֶתְהַלְּכָה *indeſinenter ibo*, אֶתְיַצְּבָה *ſiſtam me*, &c. Litera ת tranſpoſita, אֶשְׁתַּמֵּר, & cum ה paragogico אֶשְׁתַּמְּרָה *obſervabo me, cavebo mihi*, à שָׁמַר, pro אֶתְשַׁמֵּר, & אֶתְשַׁמְּרָה.

III. perſona pluralis maſculina.

[יִתְמַסְּרוּ, in pauſa ex forma (-) יִתְמַסָּרוּ, ex forma (-) יִתְמַסָּרוּ *tradent ſe.*] Daghéſch excidente ex ſecunda rad. etiam non gutturali, ob (ְ) ei ſuppoſitum, וַיִּתְיַלְדוּ *& natales ſuos profeſſi ſunt*, Num. 1. v. 18. Eo-

Digitized by Google

dein daghéſch ex media gutturali, aut ר, excidente ac compenſato, יִתְפָּרְדוּ *dividentur*, &c. Sic ex פָּקַד, וַיִּתְפָּקְדוּ & *recenſiri ſunt*, cum (·) loco (-) & daghéſch per legem æquivalentiæ. Cum ן paragogico, & in pauſa ex forma (-), יִתְהַלָּכוּן *ambulabunt*. Et abſque ן paragogico, יִתְבַּקָּעוּ *ſcindentur*, וַיִּתְאַבְּלוּ & *luxerunt*, &c. Forma compoſita ex poäl & hithpaël, יִתְגֹּעֲשׁוּ *commovebuntur*. Vox illa referri poteſt ad hithpoël, vel hithpoäl. Vide ſupra pag. 191. col. 1. Geminatis radicalibus, tranſpoſito ת characteriſtico, & cum ן paragogico, יִשְׁתַּקְשְׁקוּן (à שָׁקַק) *collident ſe*, Nah. 2. v. 5.

III. perſona pluralis feminina.

[תִּתְמַכַּרְנָה, & ex forma (-) תִּתְמַכַּרְנָה, in pauſa תִּתְמַכַּרְנָה *tradent ſe.*] Ex forma (-) extra pauſam, תִּתְעַלַּפְנָה *animo deficient.*

II. perſona pluralis maſculina.

[תִּתְמַכְּרוּ, in pauſa ex forma (-) תִּתְמַכָּרוּ, ex forma (-) תִּתְמַכְּרוּ *tradetis vos.*] Ex forma (·), & in pauſa, תִּתְיַמָּרוּ *ſuperbe loquemini*, *ſuperbietis*; ab אָמַר, mutato א in (י) ex facili permutatione literarum אהוי. Daghéſch ex ſecunda radicali, vel ר excidente, ac compenſato, תִּתְנֶחָלוּ cum (·) ſub נ loco (·) ad euphoniam, propter aliud (·) ſequens ſub gutturali ח, vide primam perſonam ſingularem præteriti. Illud autem (·) pro (-) ibi reponitur ob pauſam. Et ſine daghéſch ex idemus compenſatione, ac extra pauſam, תִּתְנַחֲלוּ *poſſidebitis.*

II. perſona pluralis feminina.

[תִּתְמַכַּרְנָה, & ex forma (-) תִּתְמַכַּרְנָה, in pauſa תִּתְמַכַּרְנָה *tradetis vos.*] ut tertia perſona pluralis feminina.

I. perſona pluralis communis.

[נִתְמַכֵּר, & ex forma (-) נִתְמַכַּר, & in pauſa נִתְמַכָּר *trademus nos.*] Ex forma (-) in pauſa, & tranſpoſito ת characteriſtico, ac in ט mutato, נִצְטַדָּק (à צָדַק) *juſtificabimus nos.*

Huc uſque de verbis Hebræorum perfectis, quorum analogia, quæ majoribus literis; & ducto per integram paginam verſu exponitur, à linguæ Sanctæ candidatis diligenter eſt addiſcenda priuſquam verba imperfecta aggrediantur: ea enim, ut par eſt, cognita, nullo fere negotio imperfectorum notitiam ſibi comparabunt. Secus, perfecta cum imperfectis, & viciſſim, imperfecta cum perfectis confundent; cumque ſe multum profeciſſe crediderint, veſtigia non ſine tædio ac moleſtia cogentur relegere. Nunc itaque de verbis imperfectis, ſervata eadem methodo, diſſerendum.

CAPUT IX.

De Verbis imperfectis.

VERBA imperfecta ea ſunt, ut diximus ſupra pag. 129. quorum aliqua è tribus literis radicalibus vel *deficit*, vel *quieſcit*. Hinc duplex oritur verborum imperfectorum genus: alia ſiquidem *defectiva* ſunt; alia vero *quieſcentia*.

Digitized by Google

Verba *defectiva* vocantur, quorum aliqua radicalis in quibuſdam ſaltem conjugationibus, aut conjugationum temporibus, *deficit*, ſeu *excidit*. Ea autem litera deficiens, ſeu excidens, compenſatur analogus per daghéſch forte, quod imprimitur literæ immediate ſequenti, modo tamen litera illa ſequens non ſit prima dictionis litera, quæ non recipit daghéſch forte, niſi rariſſime euphonicum & anomalum, de quo ſupra pag. 29. col. 2. & de quo hîc non agitur: modo etiam litera illa non ſit ultima vocis, & poſtquam non ſubintelligitur alia; illi enim ultimæ literæ nunquam pariter infigitur daghéſch forte. Si igitur litera, quæ excidentem ſequitur, prima, aut ultima dictionis fuerit; litera excidens minime compenſatur, ut ex plurimis exemplis infra proferendis conſtabit.

Verba *quieſcentia* ea ſunt, quorum aliqua radicalis in quibuſdam pariter conjugationibus, aut ſaltem temporibus, *quieſcit*, vel etiam *deficit*; ſed per magnam motionem loco parvæ ſub litera immediate præcedente compenſanda: in quo verba illa diſcrepant à defectivis, quæ literam excidentem per daghéſch forte ſolent compenſare. De hoc duplici verborum imperfectorum genere, in duobus ſequentibus articulis agemus. Sed prius nonnulla verbis utriſque communia opus eſt obſervare.

I°. Plurima verba imperfecta, maxime defectiva, non raro perfectorum more flectuntur. Imo unum idemque tempus modo perfectam, modo imperfectam habet formam.

II°. Terminationes, ſeu incrementa, quæ genera, numeros, ac perſonas conſtituunt, eadem plane ſunt in verbis imperfectis, atque in perfectis. Literæ characteriſticæ conjugationum, temporum & perſonarum, ſunt quoque eædem, & iiſdem etiam ſæpius afficiuntur motionibus. Adeo ut in ſolas fere radicales, & earum puncta vocalia, cadat, cum adeſt, anomalia.

III°. Verba imperfecta ejuſdem, ſæpe etiam & diverſi ordinis, formas ſuas interdum confundunt, h. e. verba defectiva in prima radicali quandoque flectuntur ut verba defectiva in ſecunda; & viciſſim. Sic verba quieſcentia non ſolum inter ſe, verum etiam cum defectivis formas ſuas inter flectendum non raro commutant; quorum omnium exempla in appendicibus afferentur.

IV°. Verborum imperfectorum litera quælibet radicalis, brevitatis ergo, deſignatur tribus literis radicalibus verbi פָּעַל antiqui, ut diximus, conjugationum perfectarum paradigmatis. Unde verba, quorum prima radicalis deficit, aut quieſcit, dicuntur defectiva, vel

quieſcentia פ *Pé* : quia פ eſt prima litera hujuſce verbi פָּעַל. Sic verba, quæ deficiunt, aut quieſcunt in ſecunda radicali, vocantur defectiva, aut quieſcentia ע *Aím* : quia ע inter literas פָּעַל ſecundum obtinet locum. Denique verba, quorum tertia radicalis quieſcit, appellantur quieſcentia ל *Lámedh* : quia ל tertia eſt litera תֵּו פָּעַל.

ARTICULUS I.

De Verbis defectivis.

ILLA omnia & ſola verba apud Hebræos cenſentur defectiva,

I°. Quæ incipiunt à litera נ *Noún*, appellanturque defectiva *Pé* נ *Noún*, ut : נָגַשׁ *acceſſit*, נָדַר *vovit*, נָפַל *cecidit*, &c. Vide appendicem.

II°. Quorum ſecunda & tertia radicalis eſt eadem, ſeu quæ ſecundam radicalem duplicant, ut : גָּלַל *volvit*, סָבַב *circumdedit*, רָבַב *multiplicatus eſt*, &c. Eaque verba appellantur *defectiva* ע, ſeu in ſecunda radicali, quæ, ut in articulo ſequenti videbimus, ſæpe deficit : & *duplicantia*, ſeu *geminantia* ע, quia ſecundam ſuam radicalem geminant.

APPENDIX

De Verbis defectivis Pé י, *&* Pé ל.

PLERIQUE omnes Grammatici verbis defectivis *Pé* נ adjungunt ſeptem verba, quæ vocant defectiva *Pé* (י). Ea autem ſunt : יָצַב *ſtatuit*, יָצַג idem, יָצַע *ſtravit*, יָצַק *fudit*, יָצַת *arſit*, יָנַח *repoſuit*, יָקַף *circumdedit*, quæ primæ radicalis, quam fingunt (י), defectum patiuntur iis in locis, ubi excidit נ in verbis ab hac litera incipientibus. Verum cum ex conjectura potius quam ex rei veritate, ut docet Qimhhi in Michol fol. 93. horumce verborum prima radicalis ſtatuatur (י); ea enim in præterito non ſunt uſitata, nihil impedit quominus eorum themata fingantur נָצַב, נָצַג, &c. Sic : נָנַח *repoſuit*, quamvis in Scriptura non inveniatur aliud verbum à duplici נ inchoatum. Nomina itaque derivata יָצוּעַ, v. g. *ſtratum*, יָצִיעַ *ſubſtructio*, &c. erunt à יָצַע : futurum vero יַצִּיעַ in hiphil, *ſternet*, erit à נָצַע; interdum enim in lingua Hebraica verba in diverſis imperfectorum generibus idem ſignificant, ut : בָּרַר & בָּרָה *elegit*, מוּל & נָמַל *circumcidit*, נָקַשׁ & יָקַשׁ *illaqueavit*, *laqueos tetendit*, מָשַׁשׁ & מוּשׁ *palpavit*, &c. quare non raro formas ſuas confundunt, ut diximus ſupra pag. 195.

Opus igitur non eſt fingere claſſem verborum defectivorum *Pé* (י), uti nec defectivorum *Pé* ל, quamvis duo verba לָקַח *cepit*, לָתַע *evulſit*, primam ſuam radicalem vulgo amittant, ubi ea in defectivis *Pé* נ abjicitur : nam fingi etiam poſſunt themata נָקַח & נָתַע. Ne tamen à trita via nimium deflectere videamur, illa quoque verba cum aliis Grammaticis defectiva *Pé* (י), & defectiva *Pé* ל appellabimus, eorumque exempla in ſequentibus defectivis *Pé* נ, afferemus. Ut autem ab iis verba illa facilius ſecernantur, eorum themata parentheſi incluſa, vel alia ratione indicata exhibebimus.

Digitized by Google

§. I.

De Verbis defectivis Pé נ.

VERBA defectiva Pe נ primæ radicalis defectum patiuntur, ubi ea ex analogia flexionis ( ) muto afficienda eſt: nempe in futuro qál, præterito & bénoní niphál, & in tota conjugatione hiphíl & hophál. His in locis prima radicalis excidens compenſatur per daghéſch forte literæ ſecundæ radicali impreſſum; modo tamen ſecunda illa radicalis, abjecto נ, non ſit prima dictionis litera, quæ vulgo daghéſch iſtud non admittit; tunc enim נ abſque compenſatione excidit. Alibi, hoc eſt, in præterito, bénoní, paoúl, infinitivo & imperativo qál: in infinitivo, imperativo, & futuro niphál: & in conjugationibus integris piél & puál, verba illa ſunt perfecta. Vide append. & ſeq. paradigma.

Formas & characteres verborum illorum quod attinet; imperativus & futurum qál deſinunt communiter in (-) ſæpe etiam in hhólem. Vox primaria præteriti piél terminatur in (-), ſenſuque à primaria voce præteriti niphál, & à prima perſona plurali futuri qál formæ (-), diſtinguitur. Literæ characteriſticæ hophál afficiuntur (·) loco (· hhatoúph), ut fit etiam interdum in verbis perfectis: quia duæ illæ motiones facile invicem permutantur.

Horum autem verborum paradigma ſit verbum נגש *acceſſit*, quod ex eorum numero eſt, quæ in temporibus ſupra notatis, & in appendice ſequenti indicandis, primam ſuam radicalem נ amittunt. Iſtud autem verbum non ſolum ubi imperfectum eſt; verum etiam ubi perfectorum analogiam ſequitur, integrum flectere operæ pretium eſſe judicavimus.

APPENDIX

De verbis defectivis* Pé נ, Pé (י), *&* Pé ל, *quæ vel in infinitivo, vel in imperativo, vel in utroque illo modo, ſeu tempore conjugationis qál prima ſua radicali deſtituuntur.

QUAMVIS verba defectiva *Pé* נ, *Pé* י, & *Pé* ל, primam ſuam radicalem communiter amittere incipiant in ſolo futuro qál: ſunt tamen tria, quorum prima illa radicalis excidit in hujuſce conjugationis infinitivo, quem terminant in ת præcedente duplici (·), aut duplici (-) pro duplici (·), quando ultima eorum litera radicalis eſt ח aut ע, ut: צקת (à יצק) *fundere*, פחת (à נפח) *reſpirare*, טעת (à נטע) *plantare.* Horum imperativus perfectorum more vulgo flectitur.

E contrario tria illa verba: נסע *profectus eſt*, נשל *extraxit*, נשק *oſculatus eſt*, in infinitivo perfecta ſunt; at in imperativo, qui vulgo deſinit in (-), primam ſuam radicalem amittunt, ſic: סע *proficiſcere*, של *extrahe*, שק *oſculare.*

Denique verborum נגע *percuſſit*, נגש *acceſſit*, נשא *tulit*, נתן *dedit*, לקח *cepit*, prima radicalis utrobique, h. e. cum in infinitivo, tum in imperativo deficit; quamvis etiam in eorum nonnullis more perfectorum retineatur, ut in appendicibus ſequenti paradigmati ſubjiciendis videbimus.

HITHPAEL.		HOPHAL.		HIPHIL.		PUAL.	
Perſonæ		Perſonæ		Perſonæ		Perſonæ	
Fem. Com.	Maſc.	Fem. Com.	Maſc.	Fem. Com.	Maſc.	Fem. Com.	Maſc.
התנגשה	התנגש	הגשה	הגש	הגישה	הגיש	נגשה	נגש
התנגשת	התנגשת	הגשת	הגשת	הגשת	הגשת	נגשת	נגשת
התנגשתי		הגשתי		הגשתי		נגשתי	
התנגשו		הגשו		הגישו		נגשו	
התנגשתן	התנגשתם	הגשתן	הגשתם	הגשתן	הגשתם	נגשתן	נגשתם
התנגשנו		הגשנו		הגשנו		נגשנו	
מתנגשה	מתנגש	caret.		מגישה	מגיש	נגשה	נגש
מתנגשות	מתנגשים			מגישות	מגישים	נגשות	נגשים
caret.		מגשה	מגש	caret.		מנגשה	מנגש
		מגשות	מגשים			מנגשות	מנגשים
בהתנגש, כהתנגש, להתנגש, מהתנגש	התנגש		הגש	בהגיש, כהגיש, להגיש, מהגיש	הגש		נגש
התנגשי	התנגש	caret.		הגישי	הגש	caret.	
התנגשנה	התנגשו			הגשנה	הגישו		
תתנגש	יתנגש	תגש	יגש	תגיש	יגיש	תנגש	ינגש
תתנגשי	תתנגש	תגשי	תגש	תגישי	תגיש	תנגשי	תנגש
אתנגש		אגש		אגיש		אנגש	
תתנגשנה	יתנגשו	תגשנה	יגשו	תגשנה	יגישו	תנגשנה	ינגשו
תתנגשנה	תתנגשו	תגשנה	תגשו	תגשנה	תגישו	תנגשנה	תנגשו
נתנגש		נגש		נגיש		ננגש	

PIEL. Personæ Fem.	Com.	Masc.	NIPHAL. Personæ Fem.	Com.	Masc.	QAL. Personæ Fem.	Com.	Masc.			
נגשה		נגש	נגשה		נגש	נגשה		נגש *accessit.*	3.	Sing.	PRÆTERITA.
נגשת		נגשת	נגשת		נגשת	נגשת		נגשת	2.		
	נגשתי			נגשתי			נגשתי		1.		
	נגשו			נגשו			נגשו		3.	Plur.	
נגשתן		נגשתם	נגשתן		נגשתם	נגשתן		נגשתם	2.		
	נגשנו			נגשנו			נגשנו		1.		
מנגשה		מנגש	נגשה		נגש	נגשה		נגש		Sing.	BENONI.
מנגשות		מנגשים	נגשות		נגשים	נגשות		נגשים		Plur.	
	caret.			caret.		נגושה		נגוש		Sing.	PAOUL.
						נגושות		נגושים		Plur.	
	בנגש, כנגש, לנגש, מנגש	נגש		בהנגש, כהנגש, להנגש, מהנגש	הנגש		בגשת, כגשת, לגשת, מגשת	גשת			INFINITIVI ET GERUNDIA.
נגשי		נגש	הנגשי		הנגש	גשי		גש		Sing.	IMPERATIVI.
נגשנה		נגשו	הנגשנה		הנגשו	גשנה		גשו		Plur.	
תנגש		ינגש	תנגש		ינגש	תגש		יגש	3.	Sing.	FUTURA.
תנגשי		תנגש	תנגשי		תנגש	תגשי		תגש	2.		
	אנגש			אנגש			אגש		1.		
תנגשנה		ינגשו	תנגשנה		ינגשו	תגשנה		יגשו	3.	Plur.	
תנגשנה		תנגשו	רנגשנה		תנגשו	תגשנה		תגשו	2.		
	ננגש			ננגש			נגש		1.		

CUM verba illa, exceptis conjugationibus, conjugationumque temporibus ſupra recenſitis, perfecta ſint: eorum anomalias in capitis præcedentis appendicibus expoſuimus. Eorum igitur quatenus imperfectorum conjugationes, & tempora in ſequentibus excutere ſufficiet.

CONJUGATIO QAL.

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[גֶּשֶׁת, & in pauſa גָּשֶׁת *accedere.*] Sic extra pauſam, בְּצֶקֶת (à יָצַק) *in fundendo.* In hoc verbo, uti & in aliis ſupra memoratis, quæ primæ ſuæ radicalis in hoc infinitivo defectum patiuntur, ea excidit abſque compenſatione; quod ſecunda radicalis fiat prima dictionis litera, quæ daghéſch forte non recipit, niſi euphonicum, de quo ſupra pag. 29. col. 2. Daghéſch igitur, quod τῷ ג in גֶּשֶׁת inſcribitur, lene eſt, ac literis *beghádh kephàth* initio dictionis familiare, ut diximus ſupra pag. 27. Quamvis etiam literæ בכלם huicce infinitivo præponantur: nihilominus tamen prima radicalis excidit abſque compenſatione, licet ſecunda non ſit prima vocis litera. Nam ex quatuor illis literis, duæ priores ב & כ afficiuntur (ְ), poſt quod non ſequitur daghéſch forte. Vide ſupra pag. 29. col. 2. ל afficitur (ַ), quod etiam poſt ſe non patitur iſtud daghéſch, niſi intercedat accentus, qui locum hic non habet. Poſt מ imprimitur quidem daghéſch forte ſecundæ radicali: at dagh. iſtud hic adhibetur ad compenſandum ן τῷ מִן deperditum, minime vero ad damnum primæ radicalis in hoc infinitivo excidentis ſarciendum. Adde τῷ בכלם infinitivo eſſe adventitium, proindeque cum modo adſit, modo abſit; ſecundam radicalem natura cenſeri primam dictionis literam.

Cum duplici (ַ) pro duplici (ֶ) ob tertiam rad. gutturalem ח, aut ע, בְּגַעַת *cum attigerit*, קַחַת (à לָקַח) *accipere*; & cum (ְ) ſub ק loco (ַ) accelerandæ pronuntiationis gratia, קְחַת־ idem, 4. Reg. 12. v. 9. Invenitur etiam לָקֹחַ, Deut. 31. v. 26. in forma perfect. Cum *bikhlám*, לָצֶקֶת (à יָצַק) *ad fundendum*, ubi ל afficitur (ָ) motione ipſi communi ante infinitivos penacutos, quales ſunt iſti, & monoſyllabos, ut diximus ſupra pag. 148. col. 1. Sic cum duplici (ַ), לָטַעַת *ad plantandum*, לָפַחַת *ad ſufflandum*, לָקַחַת (à לָקַח) *ad accipiendum*, &c. Aliorum verborum infinitivi ſervant נ, ut: נְסֹעַ *recedere.*

APPENDIX

AD IMPERATIVUM.

II. perſona ſingularis maſculina.

[גַּשׁ, in pauſa גָּשׁ; ex forma (ַ) גֶּשׁ, ex forma hhólem גֹּשׁ *accede.*] In hoc imperativo, ſicut in infinitivo præcedente, excidit prima radicalis abſque compenſatione. Ex forma (ַ) גַּע *tange*, שַׁל *extrahe*, צַק, & perfecte ex forma hhólem, יְצֹק (à יָצַק) *funde*, קַח, & perfecte לְקַח (à לָקַח) *accipe.* Cum ה paragogico, גְּשָׁה *accede*; נְשָׁקָה cum (ָ) loco (ְ) ſub שׁ, *& oſculare.* Ex forma (ַ) correpti in (ֶ) ob maqqáph, גֶּשׁ־הָלְאָה *accede, concede ultra*, Gen. 19. v. 9.

II. perſona ſingularis feminina.

[גְּשִׁי *accede.*] Sic: פְּחִי וּפְחִי *& ſuffla*, קְחִי, & perfecte, לִקְחִי (à לָקַח) *accipe.* Servato hhólem primariæ vocis, licet extra pauſam, גֹּשִׁי *accede*, Ruth. 2. v. 14. ubi vox illa

præter

Digitized by Google

præter analogiam cum duplici accentu notatur, altero in penultima, quare retinetur hhólem ſecundæ perſonæ ſing. maſculinæ; accentus enim ſive tonicus, ſive euphonicus, proprie cum (·) non conjungitur: altero in ultima, quaſi à forma גְּשִׁי. De hoc duplicis in una eademque dictione accentus conſortio, infra lib. 3. cap. 1. diſſeremus.

II. perſona pluralis maſculina.

[גְּשׁוּ, & in pauſa ex forma (-) גַּשׁוּ *accedite.*] Sic: סְעוּ *proficiſcimini*, קְחוּ, & in pauſa קָחוּ *accipite*, à לָקַח. Remanente hhólem primariæ vocis ob accentum ab ultima ad penultimam, propter concurſum, tranſeuntem, גֹּשׁוּ *accedite*, Joſ. 3. v. 9.

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יִגַּשׁ, in pauſa יִגָּשׁ; ex forma hhólem יִגּוֹשׁ *accedet.*] Sic ex forma (-) יִגַּע *tanget*, וַיִּגַּע *& tetigit*, וַיִּדַּר *& vovit*, וַיִּקַּח (à לָקַח) *& cepit*, &c. Ex eadem forma & in pauſa, וַיִּפָּל *& ſucciſus eſt.* Media gutturali, aut ר, & daghéſch excidente compenſato per (-) loco (·) ſub characteriſtica, יֵחַת *deſcendet.* Ex forma hhólem יִבּוֹל *decidet*, יִגּוֹשׁ *exactorem aget*, יִדּוֹד *fugiet*, יִגֹּף *percutiet*, יִצּוֹק (à יָצַק) *fundet*, &c. Anomalum eſt יִשַּׁל pro יִשֹּׁל *excutiet*, Job. 27. v. 8. ubi eſt (-) pro (·) & daghéſch, per legem æquivalentiæ; (·) loco (-), quia duæ illæ motiones ſæpius invicem permutantur; & accentus in penultima præter analogiam, non enim concurrit cum tonico, neque ulla regula ad hanc ſyllabam retrahitur; niſi (..) in voce ſequenti אֱלֹהַּ ſyllabam non conſtituat, ut diximus ſupra pag. 35. col. 1. Servata prima radicali, quod non raro accidit, maxime cum ſecunda radicalis eſt gutturalis, יִנְעָם ex forma (-) mutati in (·) ob pauſam, *jucundus erit*, יִנְטוֹר ex forma hhólem, *cuſtodiet*, &c.

III. perſona ſingularis feminina.

[תִּגַּשׁ, in pauſa תִּגָּשׁ, ex forma hhólem תִּגּוֹשׁ *accedet.*] Ex forma (-) וַתִּתַּךְ *& effuſa eſt*, וַתִּדַּד *& fugit*, וַתֵּצֵא (à יָצָא) *& arſit*, &c. Media gutturali, תֵּחַת Prov. 17. v. 10. cum accentu in penult. præter analogiam; & in forma perfecta, תִּנְחַת *deſcendet.* Ex forma hhólem, תִּפֹּל *cadet*, תִּצּוֹק (à יָצַק) *fundet*, &c.

II. perſona ſingularis maſculina.

[תִּגַּשׁ, in pauſa תִּגָּשׁ; ex forma hhólem תִּגּוֹשׁ *accedes.*] Sic ex forma (-), תִּטַּע *plantabis*, תִּקַּח (à לָקַח) *accipies*, &c. Ex forma hhólem, תִּגּוֹשׁ *exiges*, תִּדּוֹר *vovebis*, תִּצֹּר *cuſtodies.* In forma perfecta תִּנְגֹּף *impelles*, תִּנְחַל *poſſidebis*, &c.

II. perſona ſingularis feminina.

[תִּגְּשִׁי, in pauſa ex forma (-) תִּגָּשִׁי, ex forma hhólem תִּגּוֹשִׁי *accedes.*] Sic: תִּקְחִי (à לָקַח) *accipies*, ejecto daghéſch ex ק ob (·) ſuppoſitum.

I. perſona ſingularis communis.

[אֶגַּשׁ, in pauſa אֶגָּשׁ; ex forma hhólem אֶגּוֹשׁ *accedam.*] Ex forma (-), אֶסַּק *aſcendam*, אֶקַּח, & cum ה paragog. אֶקְחָה abſque daghéſch in ק ob (·) ſubſcriptum, *accipiam*, (à לָקַח) &c. Ex forma hhólem, אֶגֹּף *percutiam*, אֶצֹּר *cuſtodiam*, אֶתֹּץ *deſtruam*, אֶצֹּק (à יָצַק) *fundam*, אֶצֹּר, cum ה parag. אֶצְּרָה, & in pauſa אֶצֹּרָה *cuſtodiam*, &c.

III. perſona pluralis maſculina.

[יִגְּשׁוּ, in pauſa ex forma (-) יִגָּשׁוּ, ex forma hhólem יִגּוֹשׁוּ *accedent.*] Sic: יִנָּתְקוּ *avellentur*, יִצְּקוּ (à יָצַק) *fundent*, יִקְחוּ (à לָקַח) *accipient*, &c. Et daghéſch excidente ex ſecunda radic. ob (·) ſuppoſitum, וַיִּסְעוּ *& profecti ſunt*, וַיִּצְקוּ *& fuderunt*, &c. Media gutturali, & daghéſch excidente per (-) loco (·) ſub characteriſtica compenſato, יֵחָתּוּ Job. 21. v. 13. *deſcendent*, ubi eſt (-)

Digitized by Google

ſequente daghéſch per legem æquivalentiæ, loco (-) ſub ה ob pauſam, pro יִתְּחוּ. Sic: יִצָּתוּ *exurentur*, à יָצַת. In eadem pauſa ex forma (-), יִפָּלוּ *ſuccidentur*, יִקָּחוּ *accipient*, à לָקַח. Et cum ן paragogico in eadem forma & pauſa, יִשָּׁקוּן *oſculabuntur*, &c. In pauſa ex forma hhólem, יִתֹּצוּ *diruent*, &c. Et cum ן paragogico, יִפֹּלוּן *decident*, יִדֹּדוּן *fugient*, &c. Ex forma perfectorum, וַיִּנְהֲגוּ *& abduxerunt*, וַיִּנְאֲפוּ *& mœchati ſunt*, וַיֹּאמְרוּ *& dixerunt*, &c. In pauſa ex terminatione (-) & cum ן paragogico יִנְאָצוּן *ſpernent*, &c. Ex terminatione hhólem abſque illo ן paragogico, יִנְקֹפוּ *concîdent*, &c.

III. perſona pluralis feminina.

[תִּגַּשְׁנָה, in pauſa תִּגַּשְׁנָה, ex forma hhólem תִּגֹּשְׁנָה *accedent.*] Ex forma (-) cum apocopa ה in fine, וַתִּגַּשְׁןָ *& acceſſerunt.* Servato ה, תִּצַּתְנָה (à יָצַת) *ſuccendentur.* Ex forma hhólem תִּשֹּׁפְנָה *ſtillabunt.*

II. perſona pluralis maſculina.

[תִּגְּשׁוּ, in pauſa ex forma (-) תִּגָּשׁוּ, ex forma hhólem תִּגֹּשׁוּ *accedetis.*] Sic: תִּקְּחוּ, vel ſine daghéſch in ק ob (ְ) ſubſcriptum, תִּקְחוּ (à לָקַח) *accipietis.* Ex forma hhólem in pauſa, & cum ן paragogico, תִּתֹּצוּן *deſtruetis.*

I. perſona pluralis communis.

[נִגַּשׁ, in pauſa נִגָּשׁ; & ex forma hhólem נִגֹּשׁ *accedemus.*] Ex forma (-) נִקַּח (à לָקַח) *accipiemus.* Cum ה paragogico, נִפְּלָה *cademus.* Et abjecto daghéſch ex ſecunda rad. ob (ְ) ſubſcriptum, נִקְחָה (à לָקַח) *accipiemus*, נִסְעָה *proficiſcemur.*

CONJUGATIO NIPHAL.

APPENDIX

AD PRAETERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[נִגַּשׁ, & in pauſa נִגָּשׁ *accedere juſſus eſt.*] Sic extra pauſam, נִתַּךְ *effuſus eſt*, &c. In pauſa, & in forma perfecta, נִלְקָח (à לָקַח) *capta eſt* (arca). Media gutturali, & daghéſch excidente abſque compenſatione, נִחַם pro נִחַם *conſolationem accepit*, item, *pœnituit.* Geminata tertia radic. נִפְלַל Ezech. 28. v. 23. (à נָפַל) *& corruet.* Alii, & *judicabitur*, à פָּלַל. Vide infra in præterito niphál defectivorum ע. Ex forma hhólem, quæ etiam in verb. perfect. interdum conſpicitur, נִמּוֹל *circumciſus eſt*, נֵעוֹר, ſecundum nonnullos, *excitatus*, *ſuſcitatus eſt*; cum (..) ſub נ loco (ִ) ad compenſandum daghéſch ejectum. Vide etiam infra præteritum niphál verborum quieſc. ע.

III. perſona ſingularis feminina.

[נִגְּשָׁה, & in pauſa נִגָּשָׁה *accedere juſſa eſt.*] Extra pauſam, נִדְּחָה *depulſa eſt*, נִצְּתָה (à יָצַת) *accenſa eſt*, נִצְּבָה, & in pauſa נִצָּבָה (à יָצַב) *ſtatuit ſe*, *ſtans erat.* Analogum eſt נִלְקָחָה in pauſa (à לָקַח) *capta eſt.*

I. perſona ſingularis communis.

[נִגַּשְׁתִּי, in pauſa נִגָּשְׁתִּי *accedere juſſus*, vel *juſſa ſum.*] Analogum eſt נִנְעַרְתִּי (à נָעַר) *excuſſus ſum.*

III. perſona pluralis communis.

[נִגְּשׁוּ, in pauſa נִגָּשׁוּ *accedere juſſi*, vel *juſſæ ſunt.*] Sic: נִקְּבוּ *expreſſi ſunt*, *nominati ſunt*, נִצְּבוּ (à יָצַב) *ſteterunt*, נִצְּתוּ (à יָצַת) *ſuccenſæ ſunt*; cujus loco legitur Jerem. 2. v. 15. נִצְּתָה, h. e. ſecundum literas, נִצְּתָה *ſuccenſa eſt* quælibet ex ejus urbibus; ſecundum autem puncta vocalia, נִצְּתוּ, ut legendum monent Maſſorethæ, *ſuccenſæ ſunt* urbes ejus. Vide ſimilem anomaliam ſupra pag. 163. coll. 1. 2. pag. 170. col. 2. 180. col. 2. Daghéſch excidente ex ſecunda rad. abſque compenſatione, נִחֲתוּ *demiſſæ ſunt.* Ex forma hhólem remanentis ob accentum Tiph-

hhá, נִמֹּלוּ *circumciſi ſunt*, Gen. 17. v. 27. quæ tamen vox melius pertinet ad niphál quieſcentium Aïin ו, de quibus in articulo ſequenti. In pauſa ex forma (-) נִתָּעוּ (à לָתַע) *commoliti*, *evulſi ſunt*.

II. perſona pluralis maſculina.

[נִגַּשְׁתֶּם *accedere juſſi eſtis.*] Sic: וְנִתַּכְתֶּם & *conſtabimini*.

APPENDIX

AD BENONI.

Singulare maſculinum.

[נִגָּשׁ *accedere juſſus.*] Sic: נִגָּף *percuſſus*, נִדָּח *impulſus*, נִצָּב (à יָצַב) *conſtitutus*, *ſtans*. Media gutturali, & daghéſch excidente non compenſato, נִחָם *pœnitens*.

Singulare femininum.

[נִגָּשָׁה, & ex forma ת præcedente duplici (‥), נִגֶּשֶׁת, in pauſa נִגָּשֶׁת *accedere juſſa.*] Sic: נִצָּבָה, & ex forma ת, נִצֶּבֶת (à יָצַב) *ſtans*, *ſubſiſtens*. Ex eadem terminatione ת, נִתֶּכֶת *effuſa*, &c. Et cum duplici (-) pro duplici (‥) ob tertiam radicalem gutturalem ח, נִדַּחַת *depulſa*, נִצַּחַת *fortis*, *pervicax*, *contentioſa*, &c.

Plurale maſculinum.

[נִגָּשִׁים *accedere juſſi.*] Sic: נִגָּפִים *percuſſi*, נִדָּחִים *depulſi*, נִצָּבִים (à יָצַב) *ſubſiſtentes*, &c. Ex forma hhólem, נִמֹּלִים *circumciſi*, quod referri poteſt ad bénoní niphál verborum quieſcentium ע, de quibus in articulo ſequenti. נֵאֹרִים vide in bénoní niphál defectivorum ע.

Plurale femininum.

[נִגָּשׁוֹת *accedere juſſæ.*] Sic: הַנִּצָּבוֹת cum ה articulo, à יָצַב, *adſtantes*, &c.

Cetera hujus conjugationis tempora perfecta ſunt: quare eorum anomalias in verbis perfectis obſervavimus.

CONJUGATIO HIPHIL.

APPENDIX

AD PRAETERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[הִגִּישׁ *admovit.*] Sic: הִגִּיד *nuntiavit*, הִכִּיר *agnovit*, &c. Ex defectivis Pé (י), הִצִּיב *ſtatuit*, הִצִּיג idem, unde cum affixo, הִצִּיבַנִי *ſtatuit me*, הִצִּית *accendit*, הִנִּיחַ *repoſuit*, הִקִּיף *circumdedit*.

III. perſona ſingularis feminina.

[הִגִּישָׁה *admovit.*] Ex defectivis Pé (י), הִקִּיפָה *circumdedit*, &c.

II. perſona ſingularis maſculina.

[הִגַּשְׁתָּ, in pauſa הִגָּשְׁתָּ *admoviſti.*] Ex defectivis Pé (י), הִצַּבְתָּ *ſtatuiſti*, הִנַּחְתָּ *repoſuiſti*. Et cum affixis, וְהִנַּחְתּוֹ & *repones illud*, וְהִנַּחְתָּם & *repones eas* (virgas).

II. perſona ſingularis feminina.

[הִגַּשְׁתְּ, in pauſa הִגָּשְׁתְּ *admoviſti.*] Tertia radicalis ח, aut ע ibi afficitur (-) furtivo loco ( ), ut: הִגַּעַתְּ *perveniſti*, Eſth. 4. v. 14.

I. perſona ſingularis communis.

[הִגַּשְׁתִּי, in pauſa הִגָּשְׁתִּי *admovi.*] Sic extra pauſam, הִדַּחְתִּי *depuli*, וְהִתַּכְתִּי & *fundam*, &c. In pauſa, הִפָּחְתִּי *efflare feci*. Ex defectivis Pé (י) הִנַּחְתִּי *repoſui*, הִצַּגְתִּי, unde cum affixis, וְהִצַּגְתִּיו & *ſtatuam eum*, וְהִצַּגְתִּיהָ & *ſtatuam eam*, וְהִצַּתִּי & *accendam*, Jerem. 17. v. 27. cum accentu in penultima, licet præponatur ו converſivum; quia concurrit tonicus in voce monoſyllaba ſequenti. Præ-

terea abjicitur tertia radicalis ה, & compenſatur per daghéſch forte in ה incrementi, pro הִצַּתְּתִי. Servata analogia perfectorum, הִנְחַלְתִּי *poſſidendum tradidi.*

III. perſona pluralis communis.

[הִגִּישׁוּ *admoverunt.*] Sic : הִצִּיקוּ *fuderunt*, &c. Ex defectivis *Pé* (י), הִנִּיחוּ *repoſuerunt*, הִקִּיפוּ *circumdederunt*, הִצִּיבוּ *ſtatuerunt*, הִצִּיתוּ *accenderunt.*

II. perſona pluralis maſculina.

[הִגַּשְׁתֶּם *admoviſtis.*] Sic : וְהִגַּשְׁתֶּם & *admovebitis*, &c. Ex defectivis *Pé* (י), הִקַּפְתֶּם *circumdediſtis*, unde cum ו converſivo, וְהִקַּפְתֶּם & *circumdabitis*, 4. Reg. 11. v. 8.

APPENDIX

Ad Benoni.

Singulare maſculinum.

[מַגִּישׁ *admovens.*] Sic : מַגִּיד *annuntians*, מַכִּיר *agnoſcens*, מַצִּיל *eruens*, &c. In forma perfectorum, מַנְחִיל *poſſidere faciens.* Ex defectivis *Pé* (י), מַנִּיחַ *reponens*, מַקִּיף *circumdans*, מַצִּיב, מַצִּיג *ſtatuens*, &c.

Singulare femininum.

[מַגִּישָׁה, & ex terminatione ת, præcedente duplici (··)°, מַגֶּשֶׁת, in pauſa מַגָּשֶׁת *admovens.*] Sic ex terminatione ת, מַגֶּדֶת *annuntians*, מַשֶּׂגֶת *aſſequens*, מַגַּעַת cum duplici (-) pro duplici (··) ob ע, *pertingens.*

Plurale maſculinum.

[מַגִּישִׁים *admoventes.*] Sic : מַכִּירִים *agnoſcentes*, מַפִּילִים *procidere facientes*, מַגִּידִים, unde plur. conſt. מַגִּידֵי *annuntiantes.* Ex defectivis *Pé* (י), מַקִּיפִים *circumdantes*, &c.

APPENDIX

Ad Infinitivum.

[הַגֵּשׁ, vel הַגִּישׁ *admovere.*] Ex forma (··), הַסֵּךְ *fundere*, &c. Ex defectivis *Pé* (י), הַקֵּף *circumdare*, הַצֵּג *ſtatuere*, &c. Cum (י) nunc ſuperfluo ; ſed olim vocali *e*, quæ nunc exprimitur per (··) ſub ſecunda radicali, הַבֵּיט *aſpicere*, הַגֵּיד *nuntiare*, הַסֵּיךְ *fundere*, &c. Ex defectivis *Pé* (י), הַקֵּיף *circumdare*, *circumdando.*

Ex forma hhiriq, הַגִּיד *nuntiare*, הַבִּיט *aſpicere*, &c. Cum (·) pro (-) ſub characteriſtica, ex forma præteriti, וְהִצִּיל & *liberare.* Vide ſupra infinitivum hiphil verborum perfectorum, pag. 185. col. 2. Accedentibus literis *biklám*, uſurpatur vulgo forma (·), ut : לְהַגִּיד *ad annuntiandum*, לְהַפִּיל *ad cadere faciendum*, *ad dejiciendum*, &c. Ex defectivis *Pé* (י), לְהַצִּיב *ad ſtatuendum*, לְהַנִּיחַ, unde cum affixis, לְהַנִּיחוֹ *ad reponendum eum*, &c. Servata prima radicali more perfectorum, בְּהַנְחִיל cum (-), *in poſſidere faciendo*, לְהַנְחִיל *ad poſſidere faciendum*, לְהַתִּיךְ *ad fundendum*, לַנְפִּיל extruſo ה characteriſtico, pag. 148. col. 2. pro לְהַנְפִּיל *ad dejiciendum*, &c.

APPENDIX

Ad Imperativum.

II. perſona ſingularis maſculina.

[הַגֵּשׁ, vel הַגִּישׁ *admove.*] Sic ex forma (··), הַסֵּךְ *funde*, &c. Ex defectivis *Pé* (י), הַצֵּג *ſtatue*, &c. Sequente maqqáph, (··) corripitur in (··), ut : הַבֶּט־ *reſpice*, וְהַגֶּד־ & *nuntia*, הַכֶּר־ *agnoſce*, &c. Cum ה paragogico uſurpatur forma hhiriq, ut : הַגִּישָׁה *admove*, הַבִּיטָה *reſpice*, הַגִּידָה *nuntia*, &c. Sic ex defectivis *Pé* (י), הַנִּיחָה *dimitte.* Ex

Digitized by Google

iiſdem defectivis, ſed abſque ה paragogico, הַצֵּב *ſtatue*, הַנַּח cum (-) loco (·.) ob ultimam gutturalem ח, pro הַנִּיחַ *repone*. Ex forma perfectorum, הַנְחֵת (à נָחַת) *deſcendere fac*, *demitte*, cum (-) in fine, ut fit etiam in perfectis. Vide ſupra p. 185. col. 1.

II. perſona ſingularis feminina.

[הַגִּישִׁי *admove.*] Sic: הַגִּידִי *nuntia*, &c.

Ex defectivis *Pé* (י), הַצִּיבִי *ſtatue*, &c.

II. perſona pluralis maſculina.

[הַגִּישׁוּ *admovete.*] Sic: הַבִּיטוּ *reſpicite*; *intuemini*, הַגִּידוּ *nuntiate*, הַפִּילוּ *projicite*, הַצִּילוּ *liberate*, *eripite*, &c. Ex defectivis *Pé* (י), הַצִּיגוּ *ſtatuite*, הַצִּיתוּ *ſuccendite*, הַנִּיחוּ, & ſine י, הַנְּחוּ *relinquite*, *finite*, *reponite*, הַקִּיפוּ *circumdate*, &c.

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יַגִּישׁ, vel יַגֵּשׁ, vel יַגֶּשׁ *admovebit.*] Sic: יַבִּיט *reſpiciet*, וַיַּבֵּט *& reſpexit*, וַיַּגֵּשׁ *& obtulit*, &c. Sed forma illa (-) uſurpatur maxime cum tertia radicalis eſt ח, aut ע, ut: וַיַּדַּח *& impulit*, 4. Reg. 17. v. 21. ubi ſic legendum docent Maſſorethæ, quamvis ſcriptum ſit וַיַּדַּא cum א loco ח, וַיַּגַּע *& tetigit*, יַסַּע *proficiſci faciet*, וַיַּסַּע *& proficiſci fecit*, &c.

Ex defectivis *Pé* (י), יַצִּיג, יַצֵּב & יַצִּיב, & יַצֵּג *ſtatuet*, יַצִּיעַ *ſternet*, יַצִּיק *fundet*, יַצִּית, unde (-) correpto in (·) ob maqqáph ſequens, וַיַּצֶּת־ *& accendit*, וַיַּקַּף *& circumdedit*, יַנִּיחַ *reponet*; & cum (-) in fine, וַיַּנַּח *& repoſuit*.

Cum (·) ſub characteriſtica loco (-) & daghéſch in litera ſequente, per legem æquivalentiæ, & correpto (-) in (·) ob accentum ab ultima ad penultimam retractum propter ו converſivum, וַיָּזֶד (à נָזַד) pro וַיַּזֵּד *& coxit*. Sic: וַיָּשֶׁר (à נָשַׁר) cum (-) pro (·) ob ultimam radicalem ר, pro וַיַּשֵּׁר, aut וַיַּשֵּׁר *& ſerravit*. Vel, quod vero ſimilius eſt, futura illa ſunt ex forma futurorum hiphíl verborum quieſcentium ע, de quibus in articulo ſequenti.

Ex forma perfecta, יַנְחִיל, & ſine (י), יַנְחִל *poſſidendum tradet*.

III. perſona ſingularis feminina.

[תַּגִּישׁ, vel תַּגֵּשׁ, vel תַּגֶּשׁ *admovebit.*] Ex terminatione (-), וַתַּגֵּד *& nuntiavit*, &c. Ex terminatione (-), וַתַּגַּע *& tetigit*. Sic ex defectivis *Pé* (י), וַתַּנַּח *& repoſuit*.

II. perſona ſingularis maſculina.

[תַּגִּישׁ, vel תַּגֵּשׁ, vel תַּגֶּשׁ *admovebis.*] Ex forma (-), וַתַּגֵּר *& diffluere feciſti*, תַּפֵּל *cadere ſines*, *permittes*, תַּצֵּל *eripies*, *auferes*, &c. Ex defectivis *Pé* (י), תַּצִּיג, תַּצִּיב *ſtatues*, תַּנַּח *repones*, *ſubtrahes*, &c. Ex forma perfectorum, תַּנְחִיל, unde cum affixo, תַּנְחִילֶנָּה *hæreditare facies eam*.

I. perſona ſingularis communis.

[אַגִּישׁ *admovebo.*] Sic: אַשִּׂיג *attingam*, &c. Cum ה paragogico, וְאַבִּיטָה *& reſpiciam*, וְאַגִּידָה *& annuntiabo*, &c. Ex defectivis *Pé* (י), אַצִּיג, unde cum ה paragogico, אַצִּיגָה *ſtatuam*. Sic: אַצִּיעָה *ſternam*. Cum affixo נּוּ, & præfixo שֶׁ, שֶׁאַנִּיחֶנּוּ (ab יָנַח) *quod deponam eum*.

III. perſona pluralis maſculina.

[יַגִּישׁוּ *admovebunt.*] Sic: יַבִּיטוּ, & cum ן paragog. יַבִּיעוּן *eructabunt*, &c. Cum (·) loco (·.) ſub ſecunda radicali, accelerandæ pronuntiationis gratia, וַיַּכֻּתוּ *& contriverunt*, cum affix. וַיַּכְּתוּם *& contriverunt eos*, à verbo inuſit. נָכַת. Alii referunt ad hiphíl כָּתַת. Cum eodem affix. & ex forma perfect. וַיַּנְעִלוּם *& calcearunt eos*. Ex defect. *Pé* (י), וַיַּצִּיגוּ, וַיַּצִּיבוּ *& ſtatuerunt*, וַיַּצִּיקוּ *& fuderunt*, וַיַּצִּיתוּ *& accenderunt*, יַנִּיחוּ *reponent*, וַיַּנִּיחוּ *& repoſuerunt*, יַקִּיפוּ *circumdabunt*.

III. perſona pluralis feminina.

[תֻּגַּשְׁנָה , ex forma (-) תֻּגָּשְׁנָה *admovebunt.*] Sic ex forma (-) תַּבַּעְנָה *eructabunt.*

II. perſona pluralis maſculina.

[תֻּגְּשׁוּ , & cum ן paragogico תֻּגְּשׁוּן *admovebitis.*] Ex defectivis *Pé* (י) , תַּצִּיתוּ *accendetis , ſuccendetis* , תַּסֵּבּוּ *circumdabitis.*

I. perſona pluralis communis.

[נַגִּישׁ , vel נַגֵּשׁ *admovebimus.*] Cum (-) ſub characteriſtica loco (-) & dagheſch , & correpto (-) in (-) , ob accentum retractum , ut ſupra in tertia perſona ſingulari maſculina , quam vide , נָבֵל , pro נָבַל *& defluximus.*

CONJUGATIO HOPHAL.

APPENDIX

Ad Praeteritum.

[הֻגַּשׁ , & in pauſa הֻגָּשׁ *admotus eſt.*] Ex defectivis *Pé* (י) , הֻצַּב , הֻצַּג *conſtitutus eſt.*

[הֻגְּשָׁה , & in pauſa הֻגָּשָׁה *admota eſt.*] Ex defectivis *Pé* (י) , & compoſitum ex hiphil & hophál , וְהֻנִּיחָה *& reponetur*, Zach. 1. verſ. 11. cum accentu in penultima ob concurſum , cum deberet eſſe in ultima , propter ו convertens præterit. in futurum. Si in hac voce ſpectetur (י) ut antiqua vocalis *e* , quæ nunc per (.) ſub ſecunda radicali exprimitur , erit purum hophál הֻנְּחָה.

[הֻגַּשְׁתִּי , & in pauſa הֻגָּשְׁתִּי *admotus ſum.*] In forma perfectorum , & cum (- hhatoúph), ut in iiſdem perfectis , pro (.) , הָנְחַלְתִּי *poſſidere factus ſum.*

[הֻגְּשׁוּ , & in pauſa הֻגָּשׁוּ *admoti , vel admotæ ſunt.*] In forma perfecta , הָנְתְּקוּ *avulſi ſunt.*

Ad Paoul.

[מֻגָּשׁ *admotus.*] Ex defectivis *Pé* (י) , מֻצָּב *conſtitutus , erectus* , מֻצָּק *fuſus* , מֻנָּח *repoſitus.*

Ad Futurum.

[יֻגַּשׁ , & in pauſa יֻגָּשׁ *admovebitur.*] Ex defectivis *Pé* (י) , יֻצַּג *ſtatuetur* , יֻצַּע *ſternetur.* Ex defectivis *Pé* ל , יֻקַּח *ſumetur.*

[תֻּגְּשׁוּ , & in pauſa תֻּגָּשׁוּ *admovebimini.*] Sic extra pauſam , תֻּתְּכוּ *fundemini , conflabimini* , Ezech. 22. v. 22.

MANTISSA

De Verbo נָתַן dedit.

Cum ſpecialibus anomaliis obnoxium ſit verbum נָתַן *dedit* : hîc ſpeciatim de eo juvat differere.

I°. Verbum iſtud primam ſuam radicalem amittit etiam in infinitivo & imperativo qál , ut diximus ſupra pag. 197. col. 2.

II°. Tertia ejus radicalis ן abjicitur ubicunque poſt ipſam ſequitur ת , aut aliud נ ; hoc eſt , in ſecundis & primis perſonis præteritorum , & in infinitivo qál ex forma ת præcedente duplici (.).

III°. Infinitivus , imperativus , & futurum qál deſinunt in (-) , ut : תֵּת תֵּת *dare* , תֵּן *da* , יִתֵּן *dabit.* Denique verbum iſtud uſitatum duntaxat reperitur in conjugatione qál & niphál ; & in tertia perſona ſingulari maſculina futuri hophál.

Digitized by Google

NIPHAL. Perſonæ Fem.	Com.	Maſc.	QAL. Perſonæ. Fem.	Com.	Maſc.			
נִתְּנָה		נִתַּן	נָתְנָה	*dedit.*	נָתַן	3.	Singul.	Praeterita.
caret.		caret.	נָתַתְּ		נָתַתָּ	2.		
	caret.			נָתַתִּי		1.		
	נִתְּנוּ			נָתְנוּ		3.	Plural.	
caret.		נִתַּתֶּם	caret.		נְתַתֶּם	2.		
	נִתַּנּוּ			נָתַנּוּ		1.		
caret.		נִתָּן	caret.		נוֹתֵן		Singul.	Benoni.
caret.		caret.	caret.		נוֹתְנִים		Plural.	
	caret.		caret.		נָתוּן		Singul.	Paoul.
			נְתוּנוֹת		נְתוּנִים		Plural.	
					נָתוֹן			Infinitivi et Gerundia.
					נְתוֹן			
		הִנָּתֵן	לָתֵת }		תֵּת			
					תִּתֵּן			
					תֵּתֵן			
	caret.		תְּנִי		תֵּן		Singul.	Imperativi.
			caret.		תְּנוּ		Plural.	
תִּנָּתֵן		יִנָּתֵן	תִּתֵּן		יִתֵּן	3.	Singul.	Futura.
caret.		תִּנָּתֵן	תִּתְּנִי		תִּתֵּן	2.		
	caret.			אֶתֵּן		1.		
caret.		יִנָּתְנוּ	caret.		יִתְּנוּ	3.	Plural.	
caret.		caret.	caret.		תִּתְּנוּ	2.		
	caret.			נִתֵּן		1.		

Digitized by Google

APPENDIX.

CONJUGATIO QAL.

Praeteritum.

נָתַן, in pauſa נָתָן *dedit*, maſc.

נָתְנָה, in pauſa נָתָנָה *dedit*, fem.

נָתַתָּ, & expreſſo ה in fine, quod ibi latebat, נָתַתָּה *dediſti*, maſc. In hac perſona, uti & in ſequentibus, tertia rad. נ abjicitur ob ת, vel נ ſequens, in quo compenſatur per daghéſch forte, pro נָתַנְתָּ, &c. Porro תָּ in נָתַתָּ non eſt proprie ultima vocis litera cui iſtud daghéſch nunquam imprimitur: nam poſt illam literam ſubintelligitur ה, quod, nonnunquam exprimitur, ut mox diximus. Vide etiam ſupra pag. 27. col. 2. Cum aphæreſi primæ rad. תַּתָּה pro נָתַתָּה. Vide ſupra pag. 162. col. 2. ubi voces illæ ſcribuntur ſine ה in fine, quia ibi agitur tantum de literæ נ aphæreſi.

נָתַתְּ, abjecto נ pro נָתַנְתְּ *dediſti*, fem. נ iſtud excidens compenſatur per daghéſch forte in ת, quod non eſt ultima dictionis litera; quandoquidem poſt illud ſubintelligi poteſt (י), quod exprimitur Ezech. 16. v. 36. ſic: נָתַתִּי. Vide etiam ſupra pag. 163. col. 1.

נָתַתִּי, in pauſa נָתָתִּי *dedi*, comm. excidente tertia rad. נ pro נָתַנְתִּי. Vide præcedentes perſonas.

נָתְנוּ, in pauſa נָתָנוּ, Ezech. 27. v. 19. cum daghéſch euphonico in נ, *dederunt*.

נְתַתֶּם, abjecto נ ob ת ſequens, pro נְתַנְתֶּם *dediſtis*.

נָתַנּוּ *dedimus*, ejecto נ rad. ob aliud נ ſequens, quod etiam in verbis perfectis obſervatum eſt ſupra pag. 163. col. 2.

Benoni et paoul.

Verbi hujus participia perfecta ſunt, excepto plurali feminino paoúl, in quo ſecunda radicalis afficitur (ְ) loco (וּ) ad euphoniam, ſic: נְתֻנוֹת *datæ*.

Infinitivus.

Infinitivus ille verborum perfectorum & imperfectorum formam ſequitur. Perfectorum,

נְתֹן, נָתוֹן, & ſequente maqqáph, נְתָן־ nethon- *dare*.

Imperfectorum, תֵּת *dare*, pro תֶּנֶת, cujus נ abjicitur ob ת ſequens, in quo נ iſtud excidens non compenſatur per daghéſch forte, quia ת illud eſt ultima dictionis litera.

Cum ל præfixo, quod ibi, utpote ante infinitivum monoſyllabum, afficitur (ָ), vide ſupra pag. 148. col. 1. לָתֵת *ad dandum*. Pro (ָ) ſub priori ת reponitur (ְ), quando ſequitur vox monoſyllaba, aut penacuta, propter quam accentus retrahitur ab ultima ad penultimam, ut: לָתֶת לְךָ *ad dandum tibi*, Gen. 51. v. 7. ubi לְךָ monoſyllabum eſt, (ְ) enim, ut diximus ſupra pag. 35. col. 1. ſyllabam proprie non efficit. לָתֶת לָנוּ *ad dandum nobis*. Cum ן paragogico præcedente (ֵ), & נ radicali excidente compenſato per daghéſch forte in ſecundo ת, quare prius afficitur (ִ) loco (ֵ); quia poſt motiones magnas non ſequitur analogus daghéſch iſtud, תִּתֵּן *dare*, unde לְתִתֵּן 3. Reg. 6. v. 19. *ad dandum*, *ad ponendum*. Anomalum eſt, aut potius mendoſum, תְּתֹן 3. Reg. 17. v. 14. ubi Maſſorethæ legendum docent תֵּת *dare*. Si literarum habeatur ratio, erit תִּתֵּן, ut ſupra.

Imperativus.

תֵּן, & ſequente maqqáph תֶּן־, & cum ה paragogico תְּנָה *da*, maſc.

תְּנִי, & in pauſa תֵּנִי *da*, femin.

תְּנוּ *date*, maſc.

Futurum.

יִתֵּן, & ſequente maqqáph, יִתֶּן־ *dabit*, maſc.

תִּתֵּן, & ſequente maqqáph, תִּתֶּן־ *dabit*, fem.

תִּתֵּן, & ſequente maqqáph, תִּתֶּן־ *dabis*, maſc.

תִּתְּנִי *dabis*, fem. Thren. 2. v. 18. &c.

אֶתֵּן, ſequente maqqáph, אֶתֶּן־, & cum ה paragogico, אֶתְּנָה, in pauſa אֶתֵּנָה *dabo.*

יִתְּנוּ, in pauſa יִתֵּנוּ *dabunt*, maſc.

תִּתְּנוּ, in pauſa תִּתֵּנוּ *dabitis*, maſc.

נִתֵּן, ſequente maqqáph, נִתֶּן־ cum (-) loco (..), & cum ה paragogico נִתְּנָה *dabimus.*

CONJUGATIO NIPHAL.

Praeteritum.

נִתַּן *datus eſt.*

נִתְּנָה, in pauſa נִתָּנָה *data eſt.*

נִתְּנוּ, in pauſa נִתָּנוּ *dati, æ, a, ſunt.*

נִתַּנּוּ, abjecto נ radicali ob aliud נ ſequens, in quo compenſatur per daghéſch forte, pro נִתַּנְנוּ, *dati ſumus.*

Benoni et infinitivus.

Bénoní, נִתָּן *datus*, ut in verbis defectivis *Pé* נ.

Infinitivus הִנָּתֵן *dando*, לְהִנָּתֵן *ad dandum*, ut in perfectis.

Futurum.

יִנָּתֵן, & ſequente maqqáph, aut concurrente accentu tonico, יִנָּתֶן־ *dabitur, maſc.* Sic:

תִּנָּתֵן, & תִּנָּתֶן־ *dabitur*, fem.

יִנָּתְנוּ *dabuntur*, maſc.

CONJUGATIO HOPHAL.

Conjugatio illa nullum habet tempus in Scripturis uſitatum, præter tertiam perſonam ſingularem maſculinam futuri יֻתַּן *dabitur.* Invenitur 2. Reg. 21. v. 6. יֻנְּתַן, quod Maſſorethæ notant legendum יֻתַּן. Verum ſi ſpectentur literæ, erit vel futurum hophál in forma perfecta יֻנְתַּן cum (ֻ) pro (ָ hhatoúph), ut in hoc futuro interdum accidit: vide ſupra pag. 188. col. 2. in fine; vel futurum niphal יִנָּתֵן, ut ſupra.

§. II.

De verbis defectivis ע Aïin.

ALTERUM verborum defectivorum genus eorum eſt, quorum ſecunda & tertia radicalis eſt eadem, ut: גָּנַן *protexit*, &c. Hæc verba ſæpe perfecta ſunt, ſeu more perfectorum flectuntur, expreſſis tribus literis radicalibus, ut: זָמַם *cogitavit*, כָּלְלוּ *perfecerunt*, וְחִלְּלוּ *& profanabunt*, &c. tuncque vocantur *duplicantia*, ſeu *geminantia* ע, h. e. ſecundam radicalem.

At cum verba illa imperfecta ſunt, eorum ſecunda radicalis deficit, ſeu excidit; & compenſatur per daghéſch forte in tertia radicali, modo ſit illius recipiendi capax, vide ſupra pag. 195. ut: תַּם pro תָּמַם *conſumtus eſt*, תַּמּוּ pro תָּמְמוּ *conſumti ſunt*, &c. Quare verba illa vocantur *defectiva* ע, ſeu in ſecunda radicali.

Porro ſecunda illa radicalis, cum hæc verba imperfecte flectuntur; deficit in conjugationibus qál (exceptis participiis, quæ ſunt perfecta) niphál, hiphíl & hophál. Conjugationes piél, puál, & hithpaél, quod attinet, *vel* perfectæ ſunt, ut: זִקֵּק *defæcavit*, חֻצְּצוּ *diſciſſi ſunt*, אֶתְחַנַּן

deprecabor, &c. *Vel* imperfectæ; tuncque à perfectis in hoc tantum diſcrepant, quod pro daghéſch forti ſecundæ radicali impreſſo, prima afficiatur hhólem immutabili, ut: עוֹלַלְתָּ pro עִלַּלְתָּ *feciſti*, עוֹלַל pro עֻלַּל *factus eſt*, הִתְרוֹצְצוּ pro הִתְרַצְּצוּ *collidebant ſe*. Unde à grammaticis appellantur vulgo *poél*, *poál*, & *hithpoél*.

Solæ igitur quatuor conjugationes qál, niphál, hiphíl & hophál, quatenus imperfectæ, nonnihil tyronibus faceſſere poſſunt negotii, quod ut expediatur, regulæ quædam cum generales, tum particulares paradigmati deſcribendo præmittendæ ſunt.

REGULÆ GENERALES.

I. Secunda litera radicalis deficiens compenſatur per daghéſch forte tertiæ radicali impreſſum, quando ei accedit incrementum. Secus; ſecunda illa radicalis excidit abſque compenſatione: cum enim tertia radicalis, abſente incremento, ſit ultima dictionis litera, daghéſch hujuſmodi reſpuit. Vide ſupra pag. 195. & infra pag. 216. in tertia perſona ſingulari maſculina. Quum, accedente incremento, tertia radicalis eſt gutturalis, aut ר: daghéſch ab ea excidens compenſatur vulgo per magnam motionem loco parvæ ſub prima radicali. Vide infra pag. 216. col. 1. in tertia perſona ſingulari feminina.

II. In ſecundis & primis perſonis præteritorum, tertia radicalis afficitur hhólem loco (׃) quieſcentis, quod ferre non poteſt accentum tonicum, qui in his perſonis penultimam occupat. Vide ibidem in ſecunda perſona ſingulari maſculina.

III. Perſonæ imperativorum & futurorum, quæ in verbis perfectis deſinunt in נָה, in his terminantur in ֶינָה. Vide paradigma.

IV. Literæ characteriſticæ magnis motionibus pro parvis afficiuntur; nempe (ָ) in futuro qál, præterito & bénoni niphál, infinitivo, imperativo, & futuro hiphíl. (ֵ) in præterito & bénoni ejuſdem hiphíl. (וּ) denique in toto hophál. Ex his autem motionibus (ָ) & (ֵ) remanent, cum accentus eſt in ſyllaba immediate ſequente: at cum ulterius removetur, mutantur in (ְ) ſub non gutturali, in (ֲ) ſub gutturali. וּ vero nunquam mutatur, niſi raro in (ֻ), aut in (ֳ hhatouph), ſequente daghéſch forti; idque ad euphoniam, & per legem æquivalentiæ. Vide paradigma.

V. Verba illa quandoque flectuntur more defectivorum *Pé* נ, de quibus in §. præcedente; & quieſcentium ע *Aïin*, quæ in artic. ſeq. expendemus.

REGULÆ PARTICULARES.

QAL.

Præteritum deſinit in (-), rariſſime in (וֹ).

Participia *bénoní* & *paoúl* perfecta ſunt.

Infinitivus, imperativus, & futurum terminantur in (וֹ), aliquando in (ו) ex forma quieſcentium ע, de quibus in art. ſeq. raro in (-). Hhólem autem remanet cum habet ſecum accentum tonicum; ſecus, mutatur in (ֻ) ſequente dagh. forti ad ſecundam radicalem excidentem compenſandam. Patháhh vero in hac & ſequentibus conjugationibus retinetur, ſequente pariter poſt ipſum daghéſch forti, eadem de cauſa, qua venit poſt hhólem ipſum, cum ei incrementum adjicitur.

NIPHAL.

Præteritum deſinit in (-), raro in (-), vel (וֹ).

Participium bénoní ſing. maſculinum deſinit in (-), & interdum in (-). At in ſingulari feminino, & plurali tam maſculino quam feminino, (-) mutatur in (-), & (-) in (-), ſequente poſt utramque motionem daghéſch forti ad compenſandum ſecundæ radicalis excidium.

Infinitivus exit in (וֹ), aliquando in (-), raro in (-).

Imperativus & futurum terminantur in (-), rariſſime in (וֹ).

HIPHIL.

Tota hæc conjugatio deſinit in (-), etiam in infinitivo cum literis בכלם. Interdum tamen pro illo (-) uſurpatur (-) immutabile, maxime cum tertia radicalis eſt ח, ע, aut ר. Quod (-) attinet, mutatur in (-) ſequente daghéſch forti, quoties accentu tonico deſtituitur. Vide paradigma.

HOPHAL.

Præteritum & futurum terminantur in (-) immutabile.

Infinitivus deſinit in (-), ſæpe etiam in (-).

Paoúl ſingulare maſculinum exit in (-), quod in ſingulari feminino, & in plurali cum maſc. tum fem. mutatur in (-) ſequente dagh. forti.

Hæ ſunt conjugationum illarum voces primariæ, quæ ſubjectis *Memorialibus*, ſeu vocibus technicis, facilius adhuc, opinor, & intelligentur, & in quolibet verbo ſecundam radicalem geminante formabuntur. Ea autem memorialia accommodantur verbo סָבַב *circumdedit*, quod infra pagg. 214. 215. ceu defectivorum ע paradigma flectetur.

Digitized by Google

MEMORIALIA.

Ut conjugationum illarum voces primariæ facilius memoria tenerentur, memorialia quædam excogitata ſunt, quibus cognitis, modorum, ſeu temporum cujuſlibet è quatuor illis conjugationibus characteres ac formæ nullo negotio à tyronibus addiſcentur. Illa autem memorialia ſunt pro conjugatione

QAL.

סַבְיְסוֹב, cujus prima ſyllaba סַב dat præteritum; ſecunda יְ characterem futuri; tertia סוֹב infinitivum, imperativum, & futurum formæ communis. Bénoní & paoúl, ut diximus, perfecta ſunt.

NIPHAL.

נִהִיסַּב, נִ character eſt præteriti & bénoní; הִ· ſequente daghéſch forti, character infinitivi & imperativi; י ſequente pariter daghéſch forti, character futuri; סַב denique communis temporum omnium terminatio, excepto bénoní, quod deſinit in (ָ); & infinitivo, qui vulgo terminatur in hhólem.

HIPHIL.

הֵמְהִיסַב, הֵ format characterem præteriti; מְ bénoní; הָ infinitivi & imperativi; יָ futuri; סֵב vulgarem conjugationis hujus terminationem.

HOPHAL.

הומויסָב, הו characterem exhibet præteriti & infinitivi, יו futuri; סָב conjugationem terminat, ſi paoúl excipias, quod deſinit in (ָ); & infinitivum, qui communiter exit in (ֵ), quamvis etiam non renuat (ֶ), ut ſupra diximus.

Alia memorialia ad iſtorum normam pro aliis verbis facile eſt fingere. Sic v. g. pro qál verbi גָּלַל, גַּלִיגוֹל. Pro niphál, נִהִיגַּל. Pro hiphil, הֵמְהִיגַל. Pro hophál הומויגַל. Ita etiam pro qál verbi חָרַר, חַרְיַחוֹר. Pro niphál, נֵהֵיחַר cum (ֵ) ſub ה loco (ִ), ad compenſandum dagh. ex prima rad. ח ejectum. Pro hiphíl, הֵמְהֵיחֵר. Pro hophál, הומויחַר, &c.

Ut autem voces primariæ tum conjugationum illarum, tum trium aliarum poél, poál & hithpoél melius adhuc tyronum & animis & oculis obverſentur: eas in ſequenti ſchemate deſcribendas duximus, in quo exhibentur etiam quatenus perfectæ; ut quid inter eas intercedat diſcriminis, primo oculorum intuitu advertatur.

Digitized by Google

SCHEMA

Complectens voces primarias cum perfectas, tum imperfectas omnium conjugationum verborum defectivorum **ע.**

Futura.	Imperat.	Infinitiv.	Paoúl.	Bénoní.	Præterit.	Conjugationes
יִסְבּוֹב יָסֹב	סְבוֹב סֹב	סְבוֹב סֹב	סָבוּב	סוֹבֵב	סָבַב סַב	Perfectæ Defectivæ } Qal.
יִסָּבֵב יִסַּב	הִסָּבֵב הִסַּב	הִסָּבֵב הִסַּב	caret.	נִסְבָּב נָסַב	נִסְבַּב נָסַב	Perfectæ Defectivæ } Niphál.
יְסַבֵּב יְסוֹבֵב	סַבֵּב סוֹבֵב	סַבֵּב סוֹבֵב	caret.	מְסַבֵּב מְסוֹבֵב	סִבֵּב סוֹבֵב	Perfectæ Piél. Defectivæ Poél.
יְסֻבַּב יְסוֹבַב	caret.	סֻבּוֹב סוֹבוֹב	מְסֻבָּב מְסוֹבָב	סֻבָּב סוֹבָב	סֻבַּב סוֹבַב	Perfectæ Puál. Defectivæ Poál.
יַסְבִּיב יָסֵב	הַסְבֵּב הָסֵב	הַסְבֵּב הָסֵב	caret.	מַסְבִּיב מֵסֵב	הִסְבִּב הֵסֵב	Perfectæ Defectivæ } Hiphil.
יֻסְבַּב יוּסַב	caret.	הֻסְבַּב הוּסַב	מֻסְבָּב מוּסָב	caret.	הֻסְבַּב הוּסַב	Perfectæ Defectivæ } Hophál.
יִסְתַּבֵּב יִסְתּוֹבֵב	הִסְתַּבֵּב הִסְתּוֹבֵב	הִסְתַּבֵּב הִסְתּוֹבֵב	caret.	מִסְתַּבֵּב מִסְתּוֹבֵב	הִסְתַּבֵּב הִסְתּוֹבֵב	Perfectæ Hithpaél. Defectivæ Hithpoél.

His præmiſſis, jam verbum סָבַב *circuivit*, *circumdedit*, quatenus imperfectum flectendum eſt. In hujus autem ſeptima conjugatione hithpoél prima radicalis ס præponitur literæ characteriſticæ ת; ſeu, quod idem eſt, litera illa characteriſtica poſtponitur primæ radicali ס, quæ ex earum numero eſt, quæ hancce metatheſin patiuntur. Vide ſupra pag. 189. ubi trajectionis hujus leges fuſe explicantur.

Denique in ſecundis perſonis pluralibus præteritorum poél & poál, prima radicalis retinet hhólem quo afficitur, quamvis accentus tonicus longius una ſyllaba ab eo removeatur; quia hhólem iſtud in daghéſch excidentis ſupplementum uſurpatur, proindeque mutationi non eſt obnoxium.

HITHPOEL.			HOPHAL.			HIPHIL.			POAL.		
Perſonæ			Perſonæ			Perſonæ			Perſonæ		
Fem.	Com.	Maſc.	Fem.	Com.	Maſc.	Fem.	Com.	Maſc.	Fem.	Com.	Maſc.
הסתובבה		הסתובב	הוסבה		הוסב	הסבה		הסב	סובבה		סובב
הסתובבת		הסתובבת	הוסבות		הוסבות	הסבות		הסבות	סובבת		סובבת
	הסתובבתי			הוסבותי			הסבותי			סובבתי	
	הסתובבו			הוסבו			הסבו			סובבו	
הסתובבתן		הסתובבתם	הוסבותן		הוסבותם	הסבותן		הסבותם	סובבתן		סובבתם
	הסתובבנו			הוסבונו			הסבונו			סובבנו	
מסתובבה		מסתובב		caret.		מסבה		מסב	סובבה		סובב
מסתובבות		מסתובבים				מסבות		מסבים	סובבות		סובבים
	caret.		מוסבה		מוסב		caret.		מסובבה		מסובב
			מוסבות		מוסבים				מסובבות		מסובבים
בהסתובב, כהסתובב, להסתובב, מהסתובב		הסתובב			הוסב	בהסב, כהסב, להסב, מהסב		הסב			סובב
הסתובבי		הסתובב		caret.		הסבי		הסב		caret.	
הסתובבנה		הסתובבו				הסבינה		הסבו			
תסתובב		יסתובב	תוסב		יוסב	תסב		יסב	תסובב		יסובב
תסתובבי		תסתובב	תוסבי		תוסב	תסבי		תסב	תסובבי		תסובב
	אסתובב			אוסב			אסב			אסובב	
תסתובבנה		יסתובבו	תוסבינה		יוסבו	תסבינה		יסבו	תסובבנה		יסובבו
תסתובבנה		תסתובבו	תוסבינה		תוסבו	תסבינה		תסבו	תסובבנה		תסובבו
	נסתובב			נוסב			נסב			נסובב	

Digitized by Google

POEL. Personæ Fem.	Com.	Maſc.	NIPHAL. Personæ Fem.	Com.	Maſc.	QAL. Personæ Fem.	Com.	Maſc.			
סוֹבְבָה		סוֹבֵב	נָסַבָּה		נָסַב	סַבָּה	*circum-*	סַב	3.	Sing.	PRÆTERITA.
סוֹבַבְתְּ		סוֹבַבְתָּ	נְסַבּוֹת		נְסַבּוֹתָ	סַבּוֹת	*dedit.*	סַבּוֹתָ	2.		
	סוֹבַבְתִּי			נְסַבּוֹתִי			סַבּוֹתִי		1.		
	סוֹבְבוּ			נָסַבּוּ			סַבּוּ		3.	Plur.	
סוֹבַבְתֶּן		סוֹבַבְתֶּם	נְסַבּוֹתֶן		נְסַבּוֹתֶם	סַבּוֹתֶן		סַבּוֹתֶם	2.		
	סוֹבַבְנוּ			נְסַבּוֹנוּ			סַבּוֹנוּ		1.		
מְסוֹבְבָה		מְסוֹבֵב	נְסַבָּה		נָסָב	סוֹבְבָה		סוֹבֵב		Sing.	BENONI.
מְסוֹבְבוֹת		מְסוֹבְבִים	נְסַבּוֹת		נְסַבִּים	סוֹבְבוֹת		סוֹבְבִים		Plur.	
	caret.			caret.		סְבוּבָה		סָבוּב		Sing.	PAOUL.
						סְבוּבוֹת		סְבוּבִים		Plur.	
	בְּסוֹבֵב			בְּהִסּוֹב			בְּסוֹב				INFINITIVI ET GERUNDIA.
	כְּסוֹבֵב	סוֹבֵב		כְּהִסּוֹב	הִסּוֹב		כְּסוֹב	סוֹב			
	לְסוֹבֵב			לְהִסּוֹב			לָסוֹב				
	מְסוֹבֵב			מֵהִסּוֹב			מִסּוֹב				
סוֹבְבִי		סוֹבֵב	הִסַּבִּי		הִסַּב	סֹבִּי		סֹב		Sing.	IMPERATIVI.
סוֹבֵבְנָה		סוֹבְבוּ	הִסַּבֶּינָה		הִסַּבּוּ	סְבֶּינָה		סֹבּוּ		Plur.	
תְּסוֹבֵב		יְסוֹבֵב	תִּסַּב		יִסַּב	תָּסוֹב		יָסוֹב	3.	Sing.	FUTURA.
תְּסוֹבְבִי		תְּסוֹבֵב	תִּסַּבִּי		תִּסַּב	תָּסֹבִּי		תָּסוֹב	2.		
	אֲסוֹבֵב			אֶסַּב			אָסוֹב		1.		
תְּסוֹבֵבְנָה		יְסוֹבְבוּ	תִּסַּבֶּינָה		יִסַּבּוּ	תְּסֻבֶּינָה		יָסֹבּוּ	3.	Plur.	
תְּסוֹבֵבְנָה		תְּסוֹבְבוּ	תִּסַּבֶּינָה		תִּסַּבּוּ	תְּסֻבֶּינָה		תָּסֹבּוּ	2.		
	נְסוֹבֵב			נִסַּב			נָסוֹב		1.		

Digitized by Google

CONJUGATIO QAL.

APPENDIX

AD PRAETERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[סַב , in pauſa סָב , & ex forma hhólem סֹב *circumdedit.*] In hac perſona excidit ſecunda radicalis abſque compenſatione, quia tertia in qua compenſanda erat per daghéſch forte, eſt ultima dictionis litera, quæ daghéſch hujuſmodi non admittit; idque in omnibus perſonis, aut temporibus incremento deſtitutis accidit. Verum (ַ) ſecundæ illius radicalis deficientis tranſit ad primam, quæ eo afficitur loco (ָ). In pauſa, רָב Pſal. 17. Heb. 18. v. 15. *multiplicavit.* Ex forma hhólem, גֹּל Pſal. 21. Heb. 22. v. 9. *volvit, devolvit ſe, ſperavit*, &c. Alius eſt infinitivus pro præterito poſitus. De hac enallage in Syntaxi.

III. perſona ſingularis feminina.

[סַבָּה , & in pauſa סָבָּה *circumdedit.*] Sic חַתָּה , & in pauſa חָתָּה *contrita eſt*, חָתָּה *& conteretur*, &c. Tertia radicali gutturali, aut ר; daghéſch ab ea excidens compenſatur per (ָ) loco (ַ) ſub prima, ut: שָׁחָה *incurvata, humiliata eſt*, חָרָה *& exuratur*, &c.

II. perſona ſingularis maſculina.

[סַבּוֹתָ , vel סַבֹּתָ *circumdediſti.*] Sic: קַלּוֹתָ *vilis, contemtibilis factus es*, שַׁלּוֹתָ *ſpoliaſti*, &c. Expreſſo ה, quod in fine latebat, סַכּוֹתָה *obumbraſti*, וְקַצּוֹתָה *& abſcindes*, cum accentu in ultima ob ו converſivum. In hac perſona, necnon in aliis primis ac ſecundis tam ſingularibus quam pluralibus præteritorum qál, niphál, hiphil & hophál, tertia radicalis afficitur hhólem loco (ְ) ob accentum tonicum, qui in his perſonis penultimam occupat, quique componi non poteſt cum (ְ) nativa in verbis perfectis tertiæ hujus radicalis motione: dici enim non poteſt סַבְּתָ , סַבְּתִּ , סַבְּתִּי , &c.

II. perſona ſingularis feminina.

[סַבּוֹת , vel סַבֹּת *circumdediſti.*] ת in hac perſona, ſicuti & in aliis ſecundis perſonis ſingularibus conjugationum niphál, hiphil & hophál, caret daghéſch leni & ( ) expreſſo: quia non præcedit aliud (ְ), aut (ַ) furtivum. Vide ſupra pag. 24. col. 1.

I. perſona ſingularis communis.

[סַבּוֹתִי , vel סַבֹּתִי *circumdedi.*] Sic: דַּלּוֹתִי *attenuatus ſum*, קַלֹּתִי *contemtibilis factus ſum*, &c. Cum accentu in ultima præter analogiam חַמֹּתִי Iſai. 44. v. 16. *incalui.* Daghéſch ex tertia radicali gutturali, aut ר excidente, ac compenſato per (ָ) ſub prima loco (ַ), וְאָרוֹתִי *& maledicam*, וּבָרוֹתִי *& eligam*, cum accentu in ultima ob ו converſivum. Et daghéſch excidente abſque compenſatione, שַׁחוֹתִי *humiliavi me*, &c.

III. perſona pluralis communis.

[סַבּוּ , in pauſa סָבּוּ *circumdederunt.*] Sic: אַפְסוּ תַּמּוּ *defecerunt*, תַּמּוּ *perfecerunt*, &c. Cum accentu in ultima præter analogiam, vel ex forma quieſc. Lam. ה, de quibus in art. ſeq. זַכּוּ *mundiores facti ſunt*, רַכּוּ *molliora ſunt*, &c. In pauſa, רָבּוּ *multiplicata ſunt*, &c. Ex forma hhólem, רֹמּוּ *elevati ſunt*, וַיָּרֹבּוּ *& jaculati ſunt.* Daghéſch excidente abſque compenſatione, צַחוּ *candidi facti ſunt*, שַׁחוּ *incurvati ſunt*, cum accentu in ultima, ut in aliis mox recenſitis. Ex forma perfectorum, & in pauſa: חָנָנוּ *miſerti ſunt.* Sic extra pauſam, וְסָבְבוּ *& circuibunt.* Et cum א epenthetico, aut mutata tertia radic. in א, בָּזְאוּ *diripuerunt.* At vox illa melius refertur ad verbum inuſitatum בָּזָא ex quieſcentibus Lámédh א, de quibus in art. ſeq.

II. perſona pluralis feminina.

[סַבּוֹתֶם , vel סַבֹּתֶם *circumdediſtis.*] Sic

cum

Digitized by Google

cum ו convertente præteritum in futurum, וְסַבֹּתֶם & *circumdabitis*, & *circuibitis*, וּמַדֹּתֶם & *menſurabitis.*

I. perſona pluralis communis.

[סַבּוֹנוּ, vel סַבֹּנוּ *circumdedimus.*] Sic: בַּזּוֹנוּ *prædati ſumus*, דַּלּוֹנוּ *attenuati ſumus*, &c. Ejecto daghéſch ex tertia radicali, ac mutato hhólem in (ֹ), accelerandæ pronuntiationis gratia; vel ex forma quieſc. ע, de quibus in art. ſeq. תַּמְנוּ, & in pauſa תָּמְנוּ Jerem. 44. v. 18. &c. *conſumti ſumus*, *defecimus*, *ceſſavimus*, &c. Eſt & aliud תַּמְנוּ Pſal. 63. Heb. 64. v. 7. quod Lxx. interpretantur ἐξέλιπον, Vulg. Lat. & S. Hieron. *defecerunt.* Hebræi etiam in tertia perſona exponunt. Ibi igitur vel נ eſt pro ם, ſic: תַּמְמוּ in forma perfect. Vel ת ponitur pro ט, ſic: טָמְנוּ *abſcondunt*, ut explicat R. Salomon. Vel denique, quod vero ſimilius eſt, fingendum verbum תָּמַן, unde תָּמְנוּ, & mendoſe, ut videtur, תַּמְנוּ.

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[סוֹב, vel סֹב; & ex forma (-) סַב *circumdare.*] Sequente maqqáph, hhólem formæ סֹב mutatur in (ָ hhatoúph), ut: בָּרָן־ beron- *in cantando.* Cum ה paragogico רֹעָה *frangendo*, ſervato hhólem ad compenſandum daghéſch ex tertia rad. ע ejectum, pro רְעַעַה, aut רֹעַה roweá; accedente enim incremento, vel ה paragogico, ſecunda radicalis, ſecundum analogiam, compenſari debet per dagh. forte in tertia, & hhólem mutari in (ֻ), aut in (ָ hhatoúph). Ex forma (-), רַע *frangendo*, בְּשַׁךְ *ſecundum tendere*, i. cum tenduntur, לָרַד *ad ſternendum*, quod ſyncopa videtur pro לִרְדֹד; nam ל ante infinitivos monoſyllabos & penacutos afficitur (ָ), ut diximus ſupra pag. 148. col. 1. Daghéſch excidente ex tertia gutturali, aut ר, ac compenſato per (ָ) loco (-) ſub prima radicali, לָבָרָם pro לְבָרְם *ad declarandum eos*, à בָּרַר, unde infinitivus cum ל, לָבַר, & mutato (ַ) in (ָ) ob accentum nimis diſtantem, לָבָרָם. Ex forma quieſcentium ע, de quibus in art. ſeq. לָבוּר *ad declarandum*, לָחוּל *ad ſaltandum*, לָעוּת *ad tempeſtive loquendum*, &c. Ex forma infinitivi *piél* quieſcentium lamédh ה, de quibus in eodem articulo, חַנּוֹת, quaſi ab חָנָה, *gratiam facere*, שַׁמּוֹת, veluti à שָׁמַם *deſolare.* Denique in forma perfectorum, אָרוֹר *maledicere*, צָרוֹר *oppugnare*, בַּעֲזוֹז *in roborando*, לִסְבֹב *ad circumeundum*, &c. Sic ex forma (-) mutati in (ָ) ob accentum pauſantem, לַחְמָם, contracte pro לְחֻמָּם, *ad incaleſcendum*, *ad calefaciendum ſe*, Iſai. 47. v. 14.

APPENDIX

AD IMPERATIVUM.

II. perſona ſingularis maſculina.

[סוֹב, vel סֹב; & ex forma (-) סַב *circumda.*] Sic: גֹּל, & ex forma (-) גַּל *devolve*, *aufer.* Ex eadem forma (-), & cum ה paragogico, אָרָה *maledic*, ubi daghéſch excidens ex ר compenſatur per (ָ) ſub א loco (-), pro אַרָּה. Sic cum eodem (ָ) pro (-) & daghéſch per æquivalentiæ legem, קָבָה *exſecrare*, *maledic*, pro קַבָּה. Huc etiam referunt קָבְנוֹ qovnó *exſecrare eum*, cum נ epenthetico, pro קָבּוֹ qobbó, aut קָבֵר ex forma hhólem. Sed eſt potius à themate inuſitato קָבַן. Vel ſi legas cum aliis punctis קָבֶּנּוּ qobbénnou, vel קָבֶנּוּ, vox erit analoga. Ex forma quieſcentium ע (excepto daghéſch) & cum ה paragogico, עוּזָה *confirma*, Pſal. 67. Heb. 68. v. 29.

II. perſona pluralis feminina.

[סֹבִּי, vel סֹבִּי *circumda.*] Sic: וְרֹנִּי & *canta*, ſervato hhólem ob accentum in penultima collocatum. At ſi reponatur in ul-

Digitized by Google

tima, hhólem mutatur in (ָ hhatoúph), ut: רָנִּי idem, גָּזִּי *tonde*, חָגִּי *celebra*, &c.

II. perſona pluralis maſculina.

[סֹבּוּ, vel סֹבּוּ *circumdate.*] Sic: וְדֹמּוּ *& tacete*, כֹּתּוּ *concidite*, שֹׁמּוּ *obſtupeſcite*, הִתְנֹעֲרוּ *& excutite vos*, *& congregamini*, &c. cum accentu in penultima. Verum ſi occupet ultimam, hhólem corripitur in (ָ hhatoúph) ut in ſecunda perſona ſingul. fem. ſic: רָנּוּ *cantate.*

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יָסוֹב, vel יָסֹב *circumdabit.*] Sic: יָעֹז *roborabitur*, &c. Accentu ab ultima ad penultimam ob ו converſivum aſcendente, hhólem ultimæ mutatur in (ָ hhatoúph), ut: וַיָּבָל viiávol *& pabulum præbuit*, וַיָּרָם *& contrivit*, וַיָּחָם *& calefacta eſt* (caro), וַיָּסָב *& circuivit*, &c. Et cum (ַ) ad euphoniam pro (ָ hhatoúph), וַיָּרַם *& vermes produxit.* At cum pauſante, remanet hhólem, ut: וַיָּהֹם *& contrivit*, 2. Reg. 22. v. 15.

Qaméts characteriſticæ mutato in parvam motionem ſequente daghéſch per legem æquivalentiæ, וַיִּדֹּם *& conticuit*, וַיִּסֹּב *& circuivit*, וַיִּקֹּד *& inclinavit ſe*, וַיִּקֹּב *& maledixit*, יִשֹּׁם *obſtupeſcet*, וַיִּתֹּם *& defecit*, &c. Sic ex terminatione (ַ), יִגַּר, unde in pauſa יִגָּר *ruminabit*, יֵחַת, & in pauſa יֵחָת *conteret*, ubi daghéſch ex ſecunda radicali excidens compenſatur per (ֵ) loco (ִ) ſub characteriſtica. Sunt tamen qui futura illa referunt ad niphál; vide ibi. Alii illa repetunt à verbis defectivis *Pé* נ, quorum formam verba illa interdum imitantur, ut diximus ſupra pag. 210.

Ex forma quieſcentium ע, יָרֹן *cantabit*, יָרוּץ *quaſſabit*, יָשׁוּד *vaſtabit*, &c.

In forma perfectorum, יְחָנַן *gratiam faciet.*

III. perſona ſingularis feminina.

[תָּסוֹב, vel תָּסֹב *circumdabit.*] Cum ה paragogico, תָּרֹנָּה *cantabit*, *prædicabit.* Ex forma quieſcentium ע, וַתֵּרֹץ *& conteratur*, cum (ֵ) euphonico pro (ו). Cum (ִ) ſub charact. & daghéſch in prima rad. pro (ָ), ut in perſona præcedenti, וַיִּתֹּם *& completus eſt* (annus.)

II. perſona ſingularis maſculina.

[תָּסוֹב, vel תָּסֹב *circumdabis.*] Sic: תָּחֹן *miſereberis*, &c. Ex forma defectivorum *Pé* נ, & cum affixo, תִּקֳּבֶנּוּ *maledices ei*, Num. 23. v. 25. ubi eſt (ֳ) ſub ק loco (ֹ), ex terminatione hhólem. Quædam exemplaria ibidem habent (ָ) ſic: תִּקָּבֶנּוּ ex forma (ַ), quod in hoc futuro cum affixis mutatur in (ָ), ut videbimus infra.

I. perſona ſingularis communis.

[אָסוֹב, vel אָסֹב *circumdabo.*] Sic: אָחֹן *miſerebor*, &c. Cum (ֶ) ſub א, & daghéſch in prima radicali, per legem æquivalentiæ; vel ex forma defectivorum *Pé* נ; vel denique in futuro niphál, אֶקֹּב *maledicam*, וָאֶכֹּת *& contrivi.* Vide ſupra tertiam perſonam ſing. maſculinam.

III. perſona pluralis maſculina.

[יָסוֹבּוּ, vel יָסֹבּוּ *circumdabunt.*] Sic: יָחֹגּוּ *titubabunt*, וַיִּמַּקּוּ *& attenuati ſunt*, וַיָּשֹׁחוּ *& humiliati ſunt*, ubi daghéſch excidit ex ח abſque compenſatione, quia jam præcedit magna motio.

III. perſona pluralis feminina.

[תְּסֻבֶּינָה *circumdabunt.* Gen. 37. v. 27.] Cum (ְ) ſub prima rad. loco (ָ), תְּצִלֶּינָה *tinnient.* Vel potius eſt futurum hiphil, de quo infra. Ex forma defectivorum *Pé* נ, תִּמַּקְנָה *contabeſcent*, תְּצִלֶּנָה *tinnient.*

I. perſona pluralis communis.

[נָסוֹב, vel נָסֹב *circumdabimus.*] Cum ה paragogico, & ſine daghéſch in tertia radicali ejus recipiendi licet capaci, וְנָבֹנָה 1. Reg.

14. v. 36. pro וְנִבֹּזָה *& prædemur.* Vel eſt ex forma quieſcentium ע ; quæ etiam in hoc futuro interdum deſinunt in hhólem , ut in articulo ſeq. videbimus. Cum eodem ה paragogico , mutato hhólem in (ִ) accelerandæ pronuntiationis gratia , & ejecto daghéſch ex tertia radicali : quia illud nunquam ſequitur poſt (ִ) ſive ſimplex , ſive compoſitum , ut diximus ſupra pag. 29. col. 2. וְנָבְלָה Gen. 11. v. 7. pro וְנָבֹלָּה *& confundamus.* Aliis eſt tertia perſona ſingularis feminina præteriti niphál , mutato eadem de cauſa (ַ) in (ִ), pro וְנָבְלָה *& confundatur.* Aliis eſt prima perſona pluralis futuri hiphil , mutato pariter (ַ) in (ִ) pro וְנָבְלָה *& confundamus.* Vide ibi.

CONJUGATIO NIPHAL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[נָסַב , in pauſa נָסָב ; ex forma (ַ) נָסַב ; ex forma hhólem נָסוֹב *circumdatus eſt.*] Sic ex forma (ַ) extra pauſam , נִחַר *exuſtum eſt* , וְנָסַב *& circuivit* , וְנָקַל *& leve erit* , &c. In pauſa , נָקָל *levis fuit* , וְנָמַס *& liquefactus eſt* , נִחַר *conſumtus , exuſtus eſt , defecit* , &c. Ex forma defectivorum *Pé* נ , & daghéſch excidente abſque compenſatione , נִחַר pro נִנְחַר *exuſtum eſt.* Sic : נִחַת *contritus eſt* , נִחַל , & in pauſa נִחָל *profanatus eſt* , &c. Ex forma (ַ) , וְנָמַס *& liqueſcet* , נָקַל *levis fuit* , הֲנָקֵל *num leve fuit ?* Ex forma hhólem , נָגֹזוּ *attonſus eſt , totondit ſe* , וְנָרֹץ *& confringatur.* Ex forma perfectorum , וְנִפְלָל *& judicabitur* , alii , *& cadet* , à נָפַל. Vide ſupra pag. 202. col. 1.

III. perſona ſingularis feminina.

[נָסַבָּה , in pauſa נָסָבָּה ; ex forma (ַ) נָסַבָּה *circumdata eſt.*] Ex forma (ַ) , & extra pauſam , נָשַׁמָּה *deſolata eſt* , &c. Ex forma (ַ) , נָסַבָּה *converſa eſt , convertit ſe.* Mutato (ַ) in (ִ) , & ſublato daghéſch ex tertia radicali , accelerandæ & allevandæ pronuntiationis gratia , וְנָבְקָה *& exhaurietur* , *& dirumpetur* , וְנָסַבָּה *& ambiebatur.* Et ſecundum nonnullos , וְנָבְלָה *& confundatur.* Vide ſupra primam perſonam plur. fut. qál. Ex forma defectivorum *Pé* נ , & ſine daghéſch excidentis compenſatione , וְנִחַתָּה Pſal. 17. Heb. 18. v. 35. *& confractus eſt* (arcus) , ubi Lxx. ἐθου , Vulg. Lat. *& poſuiſti* , legebant וְנִחַתָּה , uti & S. Hieron. qui interpretatur : *& componens.*

II. perſona ſingularis feminina.

[נְסַבּוֹתָ , vel נָסַבְּתְ *circumdata es.*] Ex forma defectivorum *Pé* נ , daghéſch excidente compenſato , & cum (י) ſuperfluo in fine , ubi olim fungebatur munere vocalis *e* , quæ nunc exprimitur per (ִ) ſub ת , נֶחַנְתְּי Jerem. 22. v. 23. *gratioſa es* , vel *eris.* Et ſine daghéſch excidentis compenſatione , וְנִחַלְתְּי *& profanata es , & profana facta es* , Ezech. 22. v. 16. ubi Lxx. καὶ κατακληρονομήσω , Vulg. *& poſſidebo* , legebant וְנִחַלְתִּי , à נָחַל. Punctis ſic mutatis , & ſublato י hodie ſuperfluo , נֶחַנְתְּ , נִחַנְתְּ , וְנִחַלְתְּ , voces illæ ad analogiam revocabuntur.

I. perſona ſingularis communis.

[נְסַבּוֹתִי , vel נָסַבְּתִי *circumdatus ſum.*] Sic : וְנָקַלֹּתִי *& vilior fiam* , 2. Reg. 6. v. 22.

III. perſona pluralis communis.

[נָסַבּוּ , in pauſa נָסָבּוּ ; ex forma hhólem , נָסֹבּוּ vel נָסֹבוּ *circumdati* , vel *circumdatæ ſunt.*] Sic ex forma (ַ) , & extra pauſam , נָמַקּוּ *contabuerunt* , נָשַׁמּוּ *deſolati ſunt* , &c. Ex forma defectivorum *Pé* נ , & daghéſch excidente non compenſato , נִחֲתוּ , pro נִנְחֲתוּ , Pſal. 37. Heb. 38. v. 3. *confracta ſunt.* Alii , *deſcenderunt* , à נָחַת. Sic : נִחַרוּ Pſal. 101. Heb. 102. v. 4. cum (ָ) loco (ַ) ob pauſam , *exardeſcunt* , וְנִחָרוּ Lxx. καὶ μιανθήσονται

(τὰ ἅγια) *& polluentur*, *& profanabuntur*, (ſanctuaria, ſancta) Ezech. 7. v. 24. ubi Vulg. *& poſſidebunt*, legebat נִחֲלוּ à נָחַל in tertia perſona plurali præteriti qal. Ex forma hhólem, נָגֹזּוּ *tonſi ſunt*, וְנָגֹלּוּ *& convolventur*, וְנָקֹטּוּ *& ſuccidentur*, &c.

I. perſona pluralis communis.

[נְסַבּוֹנוּ *circumdati*, vel *circumdata ſumus.*] Sic : נְשַׁדֹּנוּ *vaſtati ſumus*, Mich. 2. v. 4. ubi pro hhólem repoſitum erat ו, quod & ipſum ad euphoniam mutatum eſt in (ּ).

APPENDIX

ad Benoni.

Singulare maſculinum.

[נָסָב, ex forma (ּ) נָסַב *circumdatus.*] Sic : נָבָר *purus*, *mundus*, וְנָמֵס *& liqueſcens*, הֲנָקֵל *an leve* fuit ? 3. Reg. 16. v. 31. ubi forte melius legeretur הֲנָקֵל, ibi enim minime neceſſaria videtur interrogatio, quæ idcirco à Lxx. & Vulg. negligitur.

Singulare femininum.

[נְסַבָּה נְסַבֶּה *circumdata.*] In hoc ſingulari feminino, & in plurali tam maſculino quam feminino, (ּ) characteriſticæ mutatur in (ּ) ob accentum plus una ſyllaba ab eo remotum ; ultimæ vero (ּ) vel (־) mutatur illud quidem in (־) ; hoc vero in (ּ) ſequente daghéſch ad ſecundam radicalem excidentem compenſandam, ut diximus ſupra pag. 211. nam poſt motiones magnas, quales hîc ſunt (ּ) & (־), non ſequitur daghéſch hujuſmodi, niſi intercedat accentus tonicus, qui in participiis quatenus nominibus ultimam, non vero penultimam ſyllabam occupat. Sic : נְקַלָּה, & cum ה interrogativo הֲנְקַלָּה *an levis eſt* res ? *an leviuſculum* ? Cum ה articulo, הַנְּשַׁמָּה *deſolata.* Ex forma (־), נְסִבָּה 2. Paral. 10. v. 15. *cauſatum*, fem. pro neutro genere quo carent Hebræi. Aliis eſt nomen ſubſtantivum *cauſa.* Lxx. μεταστροφὴ *converſio.* Vulg. *voluntas.*

Plurale maſculinum.

[נְסַבִּים נְסַבִּים *circumdati.*] Sic : נְמַקִּים *tabeſcentes.* Ex forma defectivorum *Pé* נ, נֵאָרִים Malach. 3. v. 9. *maledicti*, ubi (־) reponitur ſub נ ad daghéſch excidens compenſandum. Sic etiam cum ה artic. הַנֵּחָמִים *incaleſcentes*, Iſai. 57. v. 5. ubi Lxx. παρακαλοῦντες *conſolantes.* Vulg. *qui conſolamini*, à נִחַם *conſolationem accepit.*

Plurale femininum.

[נְסַבּוֹת נְסַבּוֹת *circumdata.*] Sic : נְשַׁמּוֹת *deſolata*, Iſai. 54. v. 3.

APPENDIX

ad Infinitivum.

[הִסּוֹב, ex forma (־) הִסֵּב, ex forma (־) הִסַּב *circumdari.*] Sic ex forma hhólem, הִבּוֹק *evacuando*, וְהִבּוֹז *& diripiendo.* Ex forma (ּ), הִמֵּס *liqueſcendo*, כְּהִמֵּס *ut liqueſcit*, הֵחַל cum (־) ſub characteriſtica ob dagh. ejectum, *profanari.* Et ex forma (־), unde cum affixo, לְהֵחַלּוֹ Levit. 21. v. 4. *ut polluat ſe*, *ut polluatur.*

APPENDIX

ad Imperativum.

II. perſona pluralis maſculina.

[הִסֹּבּוּ, in pauſa הִסַּבּוּ ; ex forma hhólem, הִסֹּבּוּ *circumdamini.*] Sic ex forma (־), הִבָּרוּ *purificamini*, *purificate vos.* Vide etiam imperativum hithpaël quieſcentium lamedh ה.

In pauſa, & daghéſch ex tertia rad. excidente per (-) ſub prima compenſato, הִבָּרוּ *mundamini, purgate vos.* Ex forma hhólem, הֵרֹמּוּ *tollite vos*, cum (-) loco (·) ſub characteriſtica, ad compenſandum daghéſch ex prima radicali ejectum.

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יִסַּב, in pauſa יִסָּב; ex forma hhólem יִסֹּב *circumdabitur.*] Sic ex forma (-) extra pauſam, יִגַּז *auferetur*, וַיִּשַּׁח & *incurvavit ſe*, יִדַּל *attenuabitur*, יִשַּׁךְ *humiliabitur*, יִמַּד *menſurabitur*, וַיִּמַּם & *contabuit*, יֵרַךְ cum (-) loco (·) ſub (י) ad compenſandum daghéſch ejectum, *molleſcat*; & ſic per legem æquivalentiæ, יֵמַר *amareſcet*, &c. In pauſa, יִמָּס *tabeſcet, liqueſiet*, יֵחָל *profanabitur*, יֵחָר *exardeſcet*, יֵחָם *caleſiet*, &c. cum (-) ſub (י) ob daghéſch ex prima rad. ejectum. Ex forma hhólem, יִדֹּם *ſilebit*, יִשֹּׁם *obſtupeſcet*, וַיִּתֹּם & *conſumta eſt* (pecunia), יֵרֹעַ *confringetur*, cum (-) ſub (י) loco (·) ob daghéſch ejectum. Vide etiam futurum qál, ad quod exempla illa referri poſſunt. Ex forma perfectorum, ſed ſecunda radicali mutata in א, יִמָּאֵס *liqueſiet.* Job. 7. v. 5. pro יִמָּסֵס. Verum aut א iſtud erat antiqua vocalis *a*, quæ nunc exprimitur per (-) ſub מ, quare א male afficitur (-), pro יִמָּאֵס, & ſublato א utpote inutili poſt adſcripta puncta vocalia, יִמָּס. Aut perſona illa formata eſt ex מָאַס *aſpernatus eſt*, &c.

III. perſona ſingularis feminina.

[תִּסַּב, in pauſa תִּסָּב; ex forma hhólem תִּסֹּב *circumdabitur.*] Ex forma (-), תִּמַּק *tabeſcet.* Cum (·) loco (-) ob pauſam, & cum (-) ſub ת loco (·) ad compenſandum daghéſch ejectum, תֵּחַת *conteretur.* Cum (-) ſub eodem ת loco (·) & daghéſch, per legem æquivalentiæ, וַתֵּקַל & *vilis facta eſt.* Ex forma hhólem תִּבּוֹק *evacuabitur*, תִּבֹּז *diripietur*, &c. vide ſupra fut. qál. Et hhólem mutato in (·) ad euphoniam, תִּתַּם *conſumetur.* Ex forma (-), quæ hîc communis non eſt, תֵּחַל Levit. 21. v. 9. cum (-) loco (·) ſub ת ob dagh. ejectum, *polluerit*, *profanaverit ſe.* Lxx. βεβηλωθῆ *profanata fuerit.* Quidam, *cœperit*, quaſi ſcriptum eſſet תָּחֵל in futuro hiphil, de quo infra.

II. perſona ſingularis maſculina.

[תִּסַּב, in pauſa תִּסָּב; ex forma hhólem תִּסּוֹב, aut תִּסֹּב *circumdaberis.*] Ex forma (-), תֵּחַת, & in pauſa תֵּחָת *conſterneris, paveas*, ubi ת afficitur (-) loco (·) ob daghéſch ejectum & compenſatum. Sic ex forma hhólem, תֵּרוֹץ *confringêris, conquaſſaberis.*

II. perſona ſingularis feminina.

[תִּסַּבִּי, ex forma hhólem תִּסֹּבִּי *circumdaberis.*] Sic ex forma hhólem תִּדֹּמִּי *exſcinderis*, quod etiam referri poteſt ad futurum qál. Vide illic.

I. perſona ſingularis communis.

[אִסַּב, in pauſa אִסָּב; ex forma hhólem אִסֹּב *circumdabor.*] Ex forma (-), & cum (·) ſub א pro (·) אִכַּף *incurvabo me.* Daghéſch excidente ex prima radicali gutturali aut ר, & compenſato per (-) loco (·) ſub א, וָאֵחַל & *profanatus ſum.* Sic per legem æquivalentiæ, וָאֵקַל pro וָאֵקַל & *contemtibilis fui.* Et cum י ſuperfluo, ſed quod erat antiqua vocalis *e*, quæ exprimitur hodie per (-) ſub א, אֵיתָם *integer ero.* Cum ה paragogico, אֵחַתָּה *pavebo, conſternabor.* Ex forma hhólem, וָאֵדֹּם & *tacui*, quod referri etiam poteſt ad qal, quod vide.

III. perſona pluralis maſculina.

[יִסַּבּוּ, in pauſa יִסָּבּוּ; ex forma hhólem יִסֹּבּוּ *circumdabuntur.*] Sic ex terminatione (-), יִקַּלּוּ *leves erunt*, Iſai. 30. v. 16. יִדַּמּוּ, & in pauſa יִדָּמּוּ *exſcindentur, conticeſcent*, יִמַּקּוּ, & in pauſa יִמָּקּוּ *tabeſcent*, יִתַּמּוּ, & in pauſa יִתָּמּוּ *deficient*, &c. Daghéſch exci-

Digitized by Google

dente ex tertia rad. abſque compenſatione, וישחו & *humiliabuntur.* Eodem excidente ex prima rad. ac per (-) loco (·) ſub (י) compenſato, יחמו *incaleſcent*, יחתו *conterentur, timebunt*, &c. Sic cum (-) ſub (י) loco (·) & daghéſch, per legem æquivalentiæ, יקלו 1. Reg. 2. v. 30. cum (·) loco (-) ob pauſam, *leves fient.* Eodem ejecto ex prima & tertia radicali, ac priori quidem compenſato per (-) ſub characteriſt. poſteriori vero per (·) ſub prima radicali, יחרו *adurentur.* Mutato (-) primæ radicalis in (·) accelerandæ pronuntiationis gratia, & daghéſch excidente ex tertia radicali, quia nunquam venit poſt (·), ויתמו & *conſumti ſunt*, וימכו & *inclinati ſunt*, &c. Et ejecto daghéſch etiam ex prima radicali ob (·) ſuppoſitum ידמו *conticeſcent.* Ex forma hhólem, וירמו & *extulerunt ſe*, cum (-) ſub י loco (·) ob daghéſch ejectum. Ex forma perfectorum, & mutata ſecunda rad. in א, ימאסו *liqueſcent.* Sed venit potius à מסס. Vide ſupra tertiam perſ. ſing. maſc.

III. perſona pluralis feminina.

[תסבינה *circumdabuntur.*] Huc referunt nonnulli תצלנה *tinnient*, תמקנה *marceſcent*, abjecto (י) terminationem præcedente, & mutato (·) in (·) ſub tertia radicali, ex qua ejicitur daghéſch tum ob (·) ſuppoſitum, tum accelerandæ pronuntiationis gratia. Verum futura illa melius revocantur ad qál, ex forma defectivorum *Pé* נ. Vide ſupra pag. 218. col. 2.

II. perſona pluralis maſculina.

[תסבו, & in pauſa תסבו *circumdabimini.*] Sic extra pauſam, תכתו *exſcindemini.* In pauſa, תחתו *conſternabimini, pavebitis*, cum (-) ſub ת ob daghéſch ex prima radicali ejectum.

I. perſona pluralis communis.

[נסב, & in pauſa נסב *circumdabimur.*] Cum ה paragogico, & mutato (-) primæ rad. in (·) accelerandæ, & allevandæ pronuntiationis gratia, ונדמה & *ſileamus.*

CONJUGATIO POEL.

CONJUGATIO illa vel perfecta eſt, vel imperfecta, ut diximus ſupra pagg. 209. 210. Si perfecta: ejus anomaliæ in conjugat. perfectarum appendicibus expoſitæ ſunt, ubi etiam afferuntur exempla verborum illorum, cum primam tantum radicalem geminatam ſecundæ poſtponunt, ut: גלגל *volvit*, &c. Ea enim inter flectendum analogiam perfectorum ſequuntur.

Si conjugatio illa imperfecte flectatur, ejus anomalia in eo ſolo poſita eſt, quod loco daghéſch fortis ſecundæ radicali impreſſi, prima afficiatur hhólem immutabili, quantumvis ab eo diſtet accentus tonicus: magna enim motio, quæ daghéſch excidentis compenſandi gratia adhibetur, vix eſt mutationi obnoxia.

Ceterum conjugatio illa, quod ad (-) ultimæ ſyllabæ mutationem attinet, eodem prorſus modo flectitur ac verborum perfectorum piél, ut ex ſuperiori paradigmate, & exemplis ſubjectis liquet.

Cum autem exempla illa, in hac & ſequenti conjugatione, frequenter admodum in Scripturis non occurrant; neque anomalia multa laborent: varias temporum perſonas titulis diſtinguere operæ pretium eſſe nequaquam exiſtimavimus.

Digitized by Google

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

[סוֹבְבָה *circumdedit*, fem.] Sic : עוֹלְלָה *conficit*, Thren. 3. v. 51.

[סוֹבַבְתָּ *circumdediſti*, maſc.] Sic : עוֹלַלְתָּ *feciſti*, Thren. 2. v. 22.

[סוֹבַבְתִּי *circumdedi*, com.] Sic cum ו copulativo, וְעֹלַלְתִּי *& confeci*, Job. 16. v. 15. וְדוֹמַמְתִּי *& ſedavi*, S. Hieron. *& ſilere feci*, Pſal. 130. Heb. 131. v. 2. ubi Lxx. ἐξύψωσα, Vulg. Lat. *& exaltavi*, legebant וְרוֹמַמְתִּי à רוּם, vel רָמַם. Ceterum prima illa perſona referri etiam poteſt ad דּוּם. Vide infra Poél quieſc. ע.

AD BENONI.

[מְסוֹבֵב *circumdans*, maſc.] Sic : מְחוֹקֵק *legem ferens*, *legifer*, *legiſlator*, Deut. 33. v. 21. &c. מְחוֹנֵן *gratiam faciens*, Prov. 14. v. 21. מְעוֹדֵד *erigens*, *ſtatuminans*, Pſal. 146. Heb. 147. v. 6. מְעוֹלֵל *conficiens*, Iſai. 3. v. 12. מְעוֹנֵן *præſtigiator*, Deut. 18. v. 10. מְקֹשֵׁשׁ *colligens*, Num. 15. v. 32. &c.

[מְסוֹבְבָה, & ex terminatione ה præcedente duplici (‥), מְסוֹבֶבֶת *circumdans*, fem.] Sic : מְקֹשֶׁשֶׁת *colligens*, 3. Reg. 17. v. 12.

[מְסוֹבְבִים *circumdantes*, maſc.] Sic : מְחֹקְקִים *legiſlatores*, Jud. 5. v. 14.

[מְסוֹבְבוֹת *circumdantes*, fem.] Sic : מְתוֹפְפוֹת *tympanizantes*, *tympana pulſantes*, Nah. 2. v. 7.

AD INFINITIVUM.

[סוֹבֵב *circumdare.*] Sic : עוֹלֵל *racemando*, Jerem. 6. v. 9. לְקֹשֵׁשׁ *ad conquirendum*, *ad colligendum*, Exod. 5. v. 12.

AD IMPERATIVUM.

[סוֹבֵב *circumda*, maſc.] Sic : עוֹלֵל *fac*, Thren. 2. v. 22.

AD FUTURUM.

[תְּסוֹבֵב *circumdabis*, maſc.] Sic : תְעוֹלֵל *racemabis*, Levit. 19. v. 10.

[יְסוֹבְבוּ *circumdabunt*, maſc.] Sic : יְעוֹלְלוּ *racemabunt*, Jerem. 6. v. 9. וַיְרֹצְצוּ *& contriverunt*, Jud. 10. v. 8.

CONJUGATIO POAL.

ILLA conjugatio, quatenus imperfecta, nihil diſcrepat à Poél unde venit, niſi in ſola ultima motione quæ eſt (‥) loco (‥). Excipitur paoúl, quod more participiorum paſſivorum deſinit in (‥). Bénoni non eſt in uſu. Si ex analogia formetur, erit סוֹבָב, ut in paradigmate deſcriptum eſt.

APPENDIX*

AD PRÆTERITUM.

[סוֹבַב *circumdatus eſt.*] Sic : עוֹלַל *factus eſt*, Thren. 1. v. 12. רוֹמָם cum (‥) loco (‥) ob pauſam, *& exaltatus eſt*, Pſal. 65. Heb. 66. v. 17. quod etiam referri poteſt ad poál verbi רוּם. Vide infra poal quieſcentium ע.

AD PAOUL.

[מְסוֹבָב *circumdatus.*] Sic : מְהוֹלָל *inſanus factus*, Eccle. 2. v. 2. מְחוֹלָל *vulneratus*, Iſai. 53. v. 5.

[מְסוֹבָבָה *circumdata.*] Sic : מְגוֹלָלָה *volutatum* (veſtimentum) Iſai. 9. v. 5.

[מְסוֹבָבִים *circumdati.*] Sic : מְהוֹלָלִים, unde cum affixo, מְהוֹלָלַי *inſani mei*, *inſanientes in me*, Pſal. 101. Heb. 102. v. 9. ubi Lxx. οἱ ἐπαινοῦντές με, Vulg. Lat. *qui laudabant me*, verbum הָלַל & *laudare* & *inſanire* ſignificat. S. Hieron. *exſultantes*, legebat, מְחוֹלְלַי ab חָלַל *ſaltavit*, *tripudiavit*, &c.

[מְסוֹבָבוֹת *circumdata.*] Sic : מְגֹרָרוֹת *ſerrati*, *ſerra diſſecti* (lapides) 3. Reg. 7. v. 9.

Digitized by Google

CONJUGATIO HIPHIL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[הֵסַב, ex forma (-) הֵסֵב *circumdedit.*] Sic ex forma (-), הֵסַב *circuire, circumdare fecit,* הֵחֵל *incœpit.* Ex forma (-) הֵדַק *comminuit,* הֵמַר *amaritudine affecit,* הֵקַל *levius affecit,* הֵרַךְ *emollivit,* הֵשַׁח *depreſſit,* הֵתַז *amputavit,* &c.

III. perſona ſingularis feminina.

[הֵסֵבָּה *circumdedit.*] Sic: הֵחֵלָּה *incœpit.* Abſque daghéſch in tertia rad. הֵעֵזָה Prov. 7. v. 13. pro הֵעֵזָּה *confirmavit.* Vel eſt ex forma quieſcentium ע, de quibus in articulo ſeq. Vel errore amanuenſium daghéſch iſtud excidit.

II. perſona ſingularis maſculina.

[הֲסִבּוֹתָ, vel הֵסַבֹּתָ *circumdediſti.*] Sic: הֲשִׁמּוֹתָ *deſolaſti.* Quando prima rad. eſt gutturalis, ה afficitur (-); ſchéva enim compoſitum gutturales præcedere non ſolet, ob ejus nimiam in prolatione celeritatem, quæ cum gutturalium gravitate pugnat, ut: הַחִלּוֹתָ *incœpiſti,* Deut. 3. v. 4. הַחִתּוֹתָ *confregiſti.* Iſai. 9. v. 3. Vide primam perſonam ſing.

II. perſona ſingularis feminina.

[הֲסִבּוֹת *circumdediſti.*] Sic: הֲדִקּוֹת *& comminues.*

I. perſona ſingularis communis.

[הֲסִבּוֹתִי, vel הֲסִבֹּתִי *circumdedi.*] Sic: הֲסִבּוֹתִי *& averti,* הֲשִׁמּוֹתִי *& admirari, obſtupeſcere faciam,* cum accentu in ultima ob ו converſivum. Cum (-) loco (-) ſub characteriſtica ob gutturalem ſequentem, הַחִלֹּתִי *incœpi.* Vide ſecundam perſ. ſing. maſc. Ex forma perfectorum, הַחְתַּתִּי Jerem. 49. v. 17. *& pavere faciam, & conſternabo,* ubi ה afficitur (-) loco (-), ſic: הַחִתֹּתִי. Vide ſupra pag. 34. col. 1. Præterea tertia radic. ת excidit, & compenſatur per daghéſch forte in ת incrementi, pro: הַחְתַּתְתִּי. Si puncta ſic mutaveris: הֲחִתֹּתִי, vox erit analoga.

III. perſona pluralis communis.

[הֵסַבּוּ, ex forma (-), הֵסֵבּוּ, quod legitur 1. Reg. 5. v. 9. *circumdederunt.*] Sic ex forma (-), הֵחֵלּוּ *cœperunt.* Ex forma (-), etiam cum accentu pauſante, הֵתַמּוּ *abſolverunt, perfecerunt,* הֵשַׁמּוּ *deſolarunt.*

APPENDIX

AD BENONI.

Singulare maſculinum.

[מֵסֵב, ex terminatione (-), מֵסַב *circumdans.*] Sic ex terminat. (-), מֵחֵל *incipiens,* מֵסֵב *circumdans.* Ex termin. (-) מֵסַב idem, מֵצַל *obumbrans.* In forma perfector. מַשְׁמִים *ſtupore correptus.* Vulg. *mœrens,* Ezech. 3. v. 15. al. 16.

Singulare femininum.

[מְסִבָּה *circumdans.*] Quando tertia radicalis gutturalis eſt, aut ר, retinetur (-) ſub prima radicali ad compenſandum daghéſch ejectum, ut: מְצֵרָה Jerem. 48. v. 41. *afflicta.* Vulg. optime, *parturiens.*

Plurale maſculinum.

מְסִבִּים, unde cum affixo מְסִבַּי *circumdantium me,* Pſal. 139. Heb. 140. v. 10. ubi eſt (-) ſub ב loco (-), ob pauſam.

Plurale femininum.

מְסִבּוֹת *circumdantes, circumeuntes,* Job. 37. v. 12.

APPENDIX

Digitized by Google

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[הָסֵב, ex forma (-) הָסֵב *circumdare.*] Sic ex forma (-), הָמֵר & *amaritudine afficere, amarum reddere*, מֵהָחֵל *ab incipere*, הָתֵם *conſumere*, כְּהָתֵם *ſecundum conſummari, cum conſummati fuerint*, וּלְהָתֵם, ut legendum docent Maſſorethæ Dan. 9. v. 24. & *ut perficiatur, conſummetur.* Vulg. & *impleatur.* Theodotio καὶ τοῦ σφραγίσαι & *ad ſignandum*, legebat וּלְחתם cum ח pro ה, ut fert textûs lectio, ſeu כְּתִיב τò. Ex forma (-), לְהָבֵר *ad purgandum*, לְהָדֵק *ad comminuendum*, 2. Paral. 34. v. 7. cum (-) anomalo, vel potius mendoſo, ſub ה loco (-). Vide infra tertiam perſonam ſingul. femininam futuri. In forma perfectorum, הַשְׁמֵם *deſolare.*

APPENDIX

AD IMPERATIVUM.

II. perſona ſingularis maſculina.

[הָסֵב, ex forma (-) הָסֵב *circumda.*] Sic ex forma (-), הָחֵל *incipe.*

II. perſona ſingularis feminina.

הָסֵבִּי Cant. 6. v. 4. *verte, averte.*

II. perſona pluralis maſculina.

[הָסֵבּוּ, ex forma (-) הָסֵבּוּ *circumdate.*] Sic ex forma (-), הָבֵרוּ *purgate, tergite, acuite*, Jerem. 51. v. 11. ubi daghéſch excidit abſque compenſatione; quia jam præcedit motio magna. Ex termin. (-), הָשַׁמּוּ & *obſtupeſcite.* In forma perfecta, הָרְנִינוּ *cantate.*

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יָסֵב *circumdabit.*] Sic: יָגֵן *proteget*, יָחֵל *incipiet*, &c. Accentu ab ultima ad penultimam ob ו converſivum retracto, quare (-) mutatur in (-), וַיָּגֶל & *revolvit*, וַיָּדֶק & *comminuit*, וַיָּסֶךְ & *texit*, וַיָּטֶל & *jecit*, &c. Mutato (-) characteriſticæ in (-) ſequente daghéſch, per legem æquivalentiæ, יַתֵּם & *perficiet*, & *conſummabit*, וַיַּסֵּב & *circumduxit.* Sic ex forma quieſcentium י, יַשִּׁים *deſolabit.* Et daghéſch illo excidente ex gutturali, abſque compenſatione, יַחֵל *profanabit*, ut diſtinguatur à ſuperiori יָחֵל *incipiet.* Ex forma quieſcentium *Pé* א, de quibus in artic. ſeq. יַאהִיל *ſplendebit*, Job. 25. v. 5. Vel potius א iſtud erat antiquitus vocalis *a* τοῦ י characteriſtici, ſic: יַאהִיל ex forma quieſc. י, aut יָאהִיל, ita ut י poſterius ex quo factum eſt hhiriq, fuerit etiam olim vocalis *e*, quæ in verborum illorum forma communi exprimitur per (-) ſub prima radicali, ut: יָחֵל.

III. perſona ſingularis feminina.

[תָּסֵב *circumdabit.*] Cum (-) anomalo, vel potius mendoſo, ſub characteriſtica ת pro (-), ut ſupra in infinitivo, תָּחֵל *incipiet, cœperit.* Vel eſt ex forma quieſcentium *Pé* י in qal, de quibus in art. ſeq. Cum (-) loco (-), quod & ipſum eſt pro (-), ob accentum ab ultima ad penultimam propter ו convertens retractum, וַתָּרֶץ & *confregit*, Jud. 9. v. 53. pro וַתָּרֹץ; quia duæ illæ motiones ſæpius invicem commutantur.

II. perſona ſingularis maſculina.

[תָּסֵב *circumdabis.*] Mutato (-) characteriſticæ in (-) & daghéſch, per legem

æquivalentiæ, ut ſupra in tertia ſingul. maſc. תַּמֵּר *exacerbabis*, תָּתֵם *perficies*, *integras facies* vias tuas, Job. 22. v. 3.

I. perſona ſingularis communis.

[אָסֵב *circumdabo.*] Sic: אָחֵל *incipiam*, à quo diſtinguitur אָחֵל *profanabo*, cujus characteriſtica in hac perſona, uti in tertia ſing. maſc. afficitur (-) loco (.). In forma perfectorum, אֲרַנֵּין *cantabo.*

III. perſona pluralis maſculina.

[יָסֵבּוּ *circumdabunt.*] Sic: יָחֵלּוּ & *cœperunt*, &c. Mutato (.) characteriſticæ in (-) ſequente daghéſch, per legem æquivalentiæ, וַיָּסֵבּוּ & *circumduxerunt.* Ejecto daghéſch ex tertia radicali, & converſo (-) primæ in (:), accelerandæ pronuntiationis gratia, וַיַּכְּתוּ & *contriverunt.* Sic cum affixo, וַיַּכְּתוּם & *contriverunt eos.* Quidam futura illa referunt ad hiphil verbi inuſit. נָכַת. Vide pag. 205. col. 2.

III. perſona pluralis feminina.

[תְּסֻבֶּינָה *circumdabunt.*] Sic: תְּצִלֶּינָה *tinnient*, תְּחִלֶּינָה *incipient.*

II. perſona pluralis maſculina.

[תָּסֹבּוּ *circumdabitis.*] Sic: תָּחֵלּוּ *incipietis.*

I. perſona pluralis communis.

[נָסֵב *circumdabimus.*] Cum ה paragogico, וְנָסֵבָּה 1. Paral. 13. v. 3. & *reducamus.* Huo referunt quidam וְנָבְלָה & *confundamus*, Gen. 11. v. 7. mutato (-) primæ rad. in (:), & ejecto dagh. ex tertia, pronuntiationis accelerandæ gratia. Vide ſupra pag. 219. coll. 1. 2. in prima perſona plurali futuri qal; & ibidem col. 1. in tertia perſona ſingulari feminina præteriti niphal: ad tres enim illas perſonas vox iſta à Grammaticis revocatur. Mutato (.) characteriſticæ in (-) & dagh. per legem æquivalentiæ, & ex terminatione quieſcent. ע, וַנַּשִּׁים & *deſolavimus.*

CONJUGATIO HOPHAL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona pluralis communis.

[הוּסַבּוּ *circumdati ſunt.*] Mutato ו characteriſticæ in (ֻ) ſequente daghéſch forti, per legem æquivalentiæ, converſo item (-) primæ radicalis in (:) accelerandæ pronuntiationis gratia, & ejecto dagh. forti ex tertia rad. quia dagh. iſtud nunquam venit poſt motiones breviſſimas, vide ſupra pag. 219. coll. 1. 2. הֻמְּכוּ Job. 24. v. 24. pro הוּמַכּוּ, & ſervato ו, הוּמְכוּ & *humiliabuntur*, & *deprimentur.*

APPENDIX

AD PAOUL.

Singulare maſculinum.

[מוּסָב *circumdatus.*] Ezech. 41. verſ. 7. מוּסַב־הַבַּיִת *circumdata domus*, cum (-) ſub ס loco (.) ob maqqáph ſequens; vel potius ob regimen: videtur enim eſſe nomen ſubſtantivum conſtr. *ambitus*, *circuitus*, *cochlea domus*, &c. nam maqqáph non mutat vulgo (.) in (-); ſed hhól. in (. hhat.) & (-) in (.).

Plurale femininum.

[מוּסַבּוֹת *circumdata.*] Cum (ֻ) euphonico ſub מ loco (ו), מֻסַבֹּת מִשְׁבְּצוֹת זָהָב Exod. 28. v. 11. *circumdatos*, *incluſos* (lapides onychinos) *incluſoriis*, *ocellaturis*, *fundis*, *cælaturis aureis*; ſic enim vocem מִשְׁבְּצוֹת interpretantur. Nos Galli dicimus: *enchaſſées dans des chatons d'or.*

Digitized by Google

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[הוּסַב, vel ex forma (-), הוּסַב *circumdari.*] Ex terminatione (-), cum affixo tertiæ perſonæ ſing. femin. & cum (- hhatóuph) ſequente daghéſch forti, per legem æquivalentiæ, loco ו, הָשַּׁמָּה hoſchſchammá Levit. 26. v. 35. *deſolari*, vel *deſolatio ejus*, ubi ה affixum caret mappiq, quod interdum accidere diximus ſupra pag. 128. col. 2. in fine. Hinc cum בְּ præfixo, & punctis tranſpoſitis, בָּהְשַׁמָּה bohſchammá, ibidem v. 43. pro בְּהָשַּׁמָּה behoſchſchammá, *in deſolari*, vel *deſolatione ejus*; ubi daghéſch forte ejicitur ex שׁ ob (:) præcedens poſt quod nunquam ſequitur daghéſch hujuſmodi, ut diximus ſupra pag. 219. coll. 1. 2. & ה affixum caret quoque mappiq.

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יוּסַב, in pauſa יוּסָב *circumdabitur.*] Sic: יוּאַר *maledicetur*, יוּעַם *obſcurabitur*, &c. Cum daghéſch anomalo in prima radicali, & in pauſa, יִסֹּב *circumdabitur*, *circumagetur*, יוּשַּׁד *vaſtabitur.* Cum (ֻ) euphonico pro (וּ), יֻחַן *miſericordia*, *gratia fiet.* Cum (ֻ) & daghéſch forti, per legem æquivalentiæ, pro eodem ו, יֻכַּת *conteretur.*

III. perſona pluralis maſculina.

[יוּסַבּוּ, in pauſa יוּסָבּוּ *circumdabuntur.*] Cum (ֻ) & daghéſch forti, pro ו, ut mox in tertia perſona ſingulari maſculina, & in pauſa, יֻכָּתּוּ *conterentur.* Ex forma quieſcentium ע, de quibus in articulo ſequenti, cum (ֻ) euphonico pro ו ſub characteriſtica, & in pauſa, וְיֻחָקוּ *& deſcribentur*, Job. 19. v. 23.

CONJUGATIO HITHPOEL.

ISTHÆC conjugatio in his verbis, uti in perfectis, deducitur ex poél, cui præmittitur character הִת, &c. In ea itaque hhólem penultimæ ubique remanet: tſeré vero ultimæ mutatur, aut remanet, ut ſupra in poél, vel ut in hithpaél perfectorum.

In hac autem conjugatione verbi סָבַב, prima radicalis ס præponitur ante ת characteriſtico, ſecundum regulas traditas ſupra pag. 189.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

[הִסְתּוֹבְבָה *circumdata eſt.*] Sic: הִתְרוֹעֲעָה *contrita eſt*, Iſai. 24. v. 19.

[הִסְתּוֹבְבוּ *circumdati ſunt.*] Cum metatheſi literæ ה, & cum א affecto (ֶ) pro ה cum hhiriq qatón, ex Chaldaiſmo, אֶשְׁתּוֹלְלוּ, Pſal. 75. Heb. 76. v. 6. pro הִשְׁתּוֹלְלוּ *in prædam tradiderunt ſe.* Lxx. ἐταράχθησαν, Vulg. Lat. *turbati ſunt.* S. Hieron. *ſpoliati ſunt.*

AD BENONI.

[מִסְתּוֹבֵב *circumdatus.*] Sic: מִתְרוֹנֵן *cantillans*, Pſal. 77. Heb. 78. v. 65. מִסְתּוֹלֵל, cum metatheſi ת, *extollens ſe*, Exod. 9. v. 17.

[מִסְתּוֹבְבִים *circumdati.*] Sic: מִתְגּוֹדְדִים *incidentes ſe*, Jerem. 41. v. 5.

[מִסְתּוֹבְבוֹת *circumdatæ.*] Sic: מִתְנוֹסְסוֹת *erecti*, *elevati* erunt (lapides) *inſtar vexilli*, Zach. 9. v. 16. ubi Vulg. *elevabuntur.*

ad Infinitivum.

[הסתובב *circumdari.*] Sic cum ל præfixo, להתגלל *ad volutandum, ad devolvendum ſe*, Gen. 43. v. 18.

ad Imperativum.

[הסתובבו *circumdamini*, maſcul.] Sic: התקוששו Soph. 2. v. 1. *excutite vos.* Alii, *congregate vos, congregamini, convenite.*

ad Futurum.

[יסתובב *circumdabitur*, maſc.] Sic cum metatheſi ת, ישתומם *obſtupeſcet*, Pſal. 142. Heb. 143. v. 4.

[תסתובב *circumdabitur*, fem.] Ex terminatione (-) mutati in (·) ob pauſam, תשתוחח *deprimit, dejicit ſe, dejicitur*, Pſal. 41. Heb. 42. v. 7.

[תסתובבי *circumdaberis*, femin.] Sic: תשתוחחי *deprimeris, dejiceris, triſtis es*, Pſal. 41. Heb. 42. v. 6. 12. Pſal. 42. Heb. 43. v. 5. תתגודדי Mich. 4. v. 14. al. cap. 5. v. 1. & in pauſa ex forma (-), תתגודדי Jerem. 47. v. 5. *incides te.* Alii, ut Vulg. *vaſtaberis, conciderìs.*

[אסתובב *circumdabor*, com.] Sic cum metatheſi ת, ואשתומם *& obſtupeſcam*, Iſai. 63. v. 5. Sic etiam ex terminatione (-) mutati in (·) ob pauſam, אשתונן *acuar*, Pſal. 72. Heb. 73. v. 21. Et cum ſyncopa ת, cujus excidium compenſatur per daghéſch infixum primæ radicali, quæ cum illud recipere nequeat, compenſatur & iſtud daghéſch excidens per (-) ſub א in ארומם, pro אתרומם, *exaltabor*, Iſai. 33. v. 10. Vide etiam hithpoél quieſc. ע, ad quod nonnulli perſ. illam referunt. Si punctis mutatis legas ארומם, erit futurum poél.

[יסתובבו *circumdabuntur*, maſc.] Sic: ויתרצצו *& collidebant ſe*, Gen. 25. v. 22. Et ex forma (-) mutati in (·) ob pauſam, יתגודדו *turmatim convenient*, Jerem. 5. v. 7.

ARTICULUS II.

De Verbis quieſcentibus.

Verba *quieſcentia* ea ſunt, quorum aliqua è tribus literis radicalibus eſt א, ה, ו, vel י, quas literas ſupra pag. 24. *quieſcentes* diximus; quod ſæpius *quieſcant*, ſeu non proferantur. Ut autem literæ illæ verba quieſcentia conſtituant, certum ordinem inter radicales ſervare debent. Nam, v. g. א, vel י primum locum: ו, vel י ſecundum: א vel ה tertium occupare tenentur. Si alio ordine diſponantur, tunc non verba quieſcentia & imperfecta, ſed perfecta efficiunt, ut: גאל *redemit*, הלך *ambulavit*, מהר *dotavit*, &c.

Quæ verba incipiunt ab א, vel י, ut: אהב *dilexit*, ישב *ſedit*; ea appellantur quieſcentia *Pé* א, vel quieſcentia *Pé* י. Quæ vero habent pro ſecunda radicali ו, vel י, ut: קום *ſurgere*, גיל *exſultare*; illa nuncupantur quieſcentia *Aïin* ו, vel quieſcentia *Aïin* י. Quæ denique deſinunt in א vel ה, ut: מצא *invenit*, גלה *migravit*, ea vocantur quieſcentia *lámedh* א, vel *lamédh* ה.

Horum autem verborum anomalia in eo poſita eſt, quod eorum litera radicalis, quæ ex אהוי eſt, in quibuſdam conjugationibus, aut ſal-

Digitized by Google

tem conjugationum temporibus, *quieſcat*, vel etiam *excidat*, ſed compenſanda vulgo per magnam motionem loco parvæ, ſub litera præcedenti; in quo verba illa diſcrepant à defectivis, quæ hujuſmodi literam excidentem, non per magnam motionem, ſed per daghéſch forte literæ ſequenti impreſſum ſolent compenſare.

§. I.

De verbis quieſcentibus Pé א.

HÆc verba ex imperfectorum albo jure expungit doctiſſimus *Buxtorfius*: ea ſiquidem ſæpius perfecta ſunt; nec quierem, aut excidium primæ ſuæ radicalis patiuntur, niſi in ſolo futuro qál, & interdum hiphíl, quod etiam ſæpius analogum eſt, ut: תֶּאֱבַל *lugebit*, qál; יַאֲמִין *credet*, hiphíl. Cum autem futura illa imperfecta ſunt, prima radicalis א quieſcit in hhólem vulgo deficiens, quo literæ characteriſticæ afficiuntur. Interdum etiam א iſtud plane excidit, idque præſertim in prima perſona ſingulari; ne duo א ſe ſe immediate conſequantur, alterum characteriſticum, radicale alterum. Præterea futurum iſtud in qál terminatur in (-), vel in (-); in hiphíl autem deſinit in hhiríq, vel in (-) more perfectorum.

Sufficiat igitur duo illa futura quatenus imperfecta hîc integra flectere.

Futurum Hiphil. Fem.	Comm.	Masc.	Futurum Qal. Fem.	Comm.	Masc.		
תֹּאכִיל	*cibabit.*	יֹאכִיל	תֹּאכַל	*comedet.*	יֹאכַל	3	Sing.
תֹּאכִילִי	*cibabis.*	תֹּאכִיל	תֹּאכְלִי	*comedes.*	תֹּאכַל	2	
	ciba- אֹכִיל *bo.*			*come-* אֹכַל *dam.*		1	
תֹּאכֵלְנָה	*cibabunt.*	יֹאכִילוּ	תֹּאכַלְנָה	*comedent.*	יֹאכְלוּ	3	Plur.
תֹּאכֵלְנָה	*cibabitis.*	תֹּאכִילוּ	תֹּאכַלְנָה	*comedetis.*	תֹּאכְלוּ	2	
	ciba- נֹאכִיל *bimus.*			*come-* נֹאכַל *demus.*		1	

APPENDIX

AD FUTURUM QAL.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יֹאכַל, vel יֹאכֵל *comedet.*] Ex forma (·) mutati in (·) ob accentum ab ultima ad penultimam à ו converſivo retractum, וַיֹּאמֶר & cum (-) loco (,) וַיֹּאמַר *& dixit*, Job. 3. v. 2. &c. Sic א deficiente, וַתֹּסֶף pro וַתֹּאסֶף *& addidit*.

III. perſona ſingularis feminina.

[תֹּאכַל, vel תֹּאכֵל *comedet.*] Abjecta prima radicali א, & (-) ultimæ correpto in

(ֵ) ob accentum ab ultima ad penultimam retractum, ut in tertia ſing. maſcul. וַיֹּאחֶז 2. Reg. 20. v. 9. pro וַיֹּאחֵז, quod legitur Ruth. 3. v. 15. *& apprehendit.* Sic cum affixo, וַתֹּפֵהוּ *& coxit eam* (farinam), ab אָפָה.

II. perſona ſingularis maſculina.

[תֹּאכַל, vel תֹּאכֵל *comedes.*] Ex forma (ַ), & abjecto א, תֹּסֵף *recipies.*

II. perſona ſingularis feminina.

[תֹּאכְלִי *comedes.*] Sublato א, & hhólem mutato in (ֵ) ſub characteriſtica ex forma Chaldaica, תֵּזְלִי *abibis*, *digredieris.* Vel eſt ex forma quieſcentium *Pé* י, de quibus in §. ſequenti.

I. perſona ſingularis communis.

[אֹכַל vel אֹכֵל *comedam.*] In hac perſona abjicitur א radicale, pro אֶאֱכַל, &c. Sic ex forma (ַ) אֹמַר *dicam.* Ex forma (ֵ) וָאֹחֵז *& apprehendi.* Cum ה paragogico, quod mutavit (ַ), vel (ֵ) in (ְ), אֹכְלָה *comedam* אֹמְרָה *dicam*, אֹחֲזָה *apprehendam*, אֹסְפָה *congregabo*, &c. Et cum ו loco (ְ) ſub ſecunda radicali, quaſi ex forma quieſcentium ע, de quibus infra §. 3. וָאֵנוֹשָׁה *& languidus fui.*

Ex forma Chaldaïca, אֵהַב, & in pauſa, אֵהָב *diligam*, וָאֵחַר *& moratus ſum.* Vide ſupra ſecundam perſonam ſingularem femin.

III. perſona pluralis maſculina.

[יֹאכְלוּ, & in pauſa יֹאכֵלוּ *comedent.*] Abjecto א, aut mutato in ו, יוֹכְלוּ Ezech. 42. v. 5. *abſumebant.* Alii, *capiebant*, *continebant.* Vulg. *ſupportabant*, legebant יְכִלּוּ, ut habent exemplaria quædam, à יָכוֹל, vel כּוּל. Extruſo plane א, יֹמְרוּ, unde cum affixo, יֹמְרוּךָ *obloquentur tibi.* Schevá nato ex (ֵ) dilatato in (ֱ) pro (ֶ), יֹאחֲזוּךָ *apprehendent te.* Ex quieſcentibus *Pé* א & *Lámedh* ה, יֹאבוּ *volent*, *acquieſcent.*

II. perſona ſingularis maſculina.

[תֹּאכְלוּ, & in pauſa תֹּאכֵלוּ *comedetis.*] Cum ן paragogico, & (ֵ) euphonico pro (ְ), תֹּאמֵרוּן, ſed abſque ן paragogico & א, ſed cum ו, תֹּמְרוּ *dicetis.* Ex quieſcentibus *Pé* א, & *Lámedh* ה, תֹּאבוּ *volueritis.*

I. perſona pluralis communis.

[נֹאכַל, vel נֹאכֵל *comedemus.*] Cum ה paragogico, וְנֹאכְלָה *& comedemus*, נֹאבְדָה *pereamus*, *peribimus*, &c.

APPENDIX

AD FUTURUM HIPHIL.

III. perſ. ſing. maſc. & I. comm.

[יֹאכִיל, vel יֹאכֵל *cibabit.*] א abjecto, aut mutato in ו, ex facili permutatione literarum אהוי, & (ֵ) ultimæ correpto in (ֶ) ob ו converſivum, quod accentum ab ultima ad penultimam retrahit, וַיּוֹחֶר *& fecit ut tardaret*, *& moratus eſt.* Vel eſt ex forma quieſcentium *Pé* (י), de quibus in §. ſequenti: nam verba illa formas ſuas interdum commutant.

In prima perſ. cum ה parag. & (ְ) ſub ſecunda radicali accelerandæ pronuntiationis gratia, וָאוֹצְרָה 2. Eſd. ſeu Neh. 13. v. 13. *& theſaurarios conſtitui.* אוֹזִין pro אַאֲזִין *auſcultabo*, & אֹסֵף, vel אֹסִיף, pro אַאֲסִיף *congregabo*, vide ſupra pag. 186. col. 2.

§. II.

De verbis quieſcentibus Pé (י).

VERBA quorum prima radicalis eſt (י), ut: יָשַׁב *ſedit*, appellantur quieſcentia *Pé* (י), quod vel *quieſcit*, vel *excidit*, vel mutatur in ו, ubi ex analogia flexionis (י) muto, ſeu quieſcente afficien-

dum eſt, h. e. in futuro qál, præterito & bénoní niphál, & in conjugationibus integris hiphíl & hophál.

Quieſcit י in futuro qál, *vel* in hhiríq; tuncque futurum iſtud deſinit vulgo in (-), quandoque in (-), ut: אִיבַשׁ *areſcam*, אִינַק *ſugam*, אִישַׁן *dormiam*, &c. יִצֹּר *formabit*, unde וַיִּצֶר *& formavit*, mutato (-) in (-) ob accentum ab ultima ad penultimam retractum. *Vel* in (-) in quod pariter futurum iſtud terminatur, ut: אֵילֵךְ, unde cum ה paragogico, אֵילְכָה *ibo.* Verum ſæpiſſime

Deficit י in eodem futuro qál, cujus characteriſtica afficitur *vel* (-), in quod pariter tempus illud communiter deſinit, quamvis etiam terminetur in (-), maxime ob ultimam gutturalem, aut ר, ut: יֵשֵׁב *ſedebit*, יֵדַע *ſciet*, יֵצַר *arctabitur*, יֵלֵךְ *& ibit*, &c. *Vel* hhiríq; tumque futurum iſtud deſinit vulgo in (-), quandoque etiam in (-), ut: יִבַשׁ *areſcet*, יֵחַם *incaleſcet*, וַיִּשַׁר *& rectum fuit*, יִצַּר, unde (-) correpto in (-) propter accentum ab ultima ad penultimam retractum, ut ſupra, וַיִּצֶר *& formavit.*

Mutatur denique י in ו quieſcens in hhólem in præterito & bénoní niphál; & in tota conjugatione hiphíl; in ו quieſcens in ſchouréq in tota conjugatione hophál. Vide paradigma. Iſtud autem ו vel י ubique in flexione remanet, quamvis accentus tonicus plus una ſyllaba ab eo removeatur: quia magna motio, quæ ad literam quieſcentem, aut excidentem compenſandam adhibetur, vix eſt mutationi obnoxia. Iódh iſtud mutatur etiam in ו conſonans in infinitivo, imperativo, & futuro niphál, ſed ſolius euphoniæ cauſa; ו enim cum daghéſch forti notatum facilius pronuntiatur, quam י eodem puncto inſignitum.

De cetero verba illa perfecta ſunt, præter יָדַע *ſcivit*, יָלַד *genuit*, יָלַךְ *ivit*, יָצָא *exivit*, יָרַד *deſcendit*, יָרַשׁ *poſſedit*, יָשַׁב *ſedit*, quæ infinitivum & imperativum qál communiter formant ut quædam defectiva *Pé* י, de quibus ſupra pag. 197. in appendice, h. e. quæ in his duobus modis primæ ſuæ radicalis י defectum patiuntur, ac infinitivum vulgo terminant in ח præcedente duplici (-), ut: שֶׁבֶת *ſedere*; vel duplici (-) ob ultimam radicalem ע, ut: דַּעַת *ſcire.* Eorum autem imperativus deſinit vel in (-), ut: שֵׁב *ſede*; vel in (-), præſertim ſi ultima radicalis ſit gutturalis, ut: דַּע *ſcito.*

Horumce verborum paradigma ſit יָשַׁב, quod omnes anomalias continet, & cujus etiam conjugationes perfectas, ut tyronum animis altius inſigantur, hîc integras deſcribere non pigebit, ut ſupra pagg. 198. 199. in verbis defectivis *Pé* נ fecimus: permagni enim intereſt ut, dum verba imperfecta addiſcuntur, non negligantur perfecta.

HITHPAEL.			HOPHAL.			HIPHIL.			PUAL.		
Perſonæ			Perſonæ			Perſonæ			Perſonæ		
Fem.	Com.	Maſc.	Fem.	Com.	Maſc.	Fem.	Com.	Maſc.	Fem.	Com.	Maſc.
התישבה		התישב	הושבה		הושב	הושיבה		הושיב	ישבה		ישב
התישבת		התישבת	הושבת		הושבת	הושבת		הושבת	ישבת		ישבת
	התישבתי			הושבתי			הושבתי			ישבתי	
	התישבו			הושבו			הושיבו			ישבו	
התישבתן		התישבתם	הושבתן		הושבתם	הושבתן		הושבתם	ישבתן		ישבתם
	התישבנו			הושבנו			הושבנו			ישבנו	
מתישבה		מתישב		caret.		מושיבה		מושיב	ישבה		ישב
מתישבות		מתישבים				מושיבות		מושיבים	ישבות		ישבים
	caret.		מושבה		מושב		caret.		מישבה		מישב
			מושבות		מושבים				מישבות		מישבים
בהתישב, כהתישב, להתישב, מהתישב		התישב			הושב	בהושיב, כהושיב, להושיב, מהושיב		הושב			ישוב
התישבי		התישב		caret.		הושיבי		הושב		caret.	
התישבנה		התישבו				הושבנה		הושיבו			
תתישב		יתישב	תושב		יושב	תושיב		יושיב	תישב		יישב
תתישבי		תתישב	תושבי		תושב	תושיבי		תושיב	תישבי		תישב
	אתישב			אושב			אושיב			אישב	
תתישבנה		יתישבו	תושבנה		יושבו	תושבנה		יושיבו	תישבנה		יישבו
תתישבנה		תתישבו	תושבנה		תושבו	תושבנה		תושיבו	תישבנה		תישבו
	נתישב			נושב			נושיב			נישב	

PIEL.

Digitized by Google

PIEL. Perſonæ Fem.	PIEL. Com.	PIEL. Maſc.	NIPHAL. Perſonæ Fem.	NIPHAL. Com.	NIPHAL. Maſc.	QAL. Perſonæ Fem.	QAL. Com.	QAL. Maſc.			
יִשְּׁבָה		יִשֵּׁב	נוֹשְׁבָה		נוֹשַׁב	יָשְׁבָה	*ſedit.*	יָשַׁב	3.	Sing.	PRÆTERITA.
יִשַּׁבְתְּ		יִשַּׁבְתָּ	נוֹשַׁבְתְּ		נוֹשַׁבְתָּ	יָשַׁבְתְּ		יָשַׁבְתָּ	2.		
	יִשַּׁבְתִּי			נוֹשַׁבְתִּי			יָשַׁבְתִּי		1.		
	יִשְּׁבוּ			נוֹשְׁבוּ			יָשְׁבוּ		3.	Plur.	
יִשַּׁבְתֶּן		יִשַּׁבְתֶּם	נוֹשַׁבְתֶּן		נוֹשַׁבְתֶּם	יְשַׁבְתֶּן		יְשַׁבְתֶּם	2.		
	יִשַּׁבְנוּ			נוֹשַׁבְנוּ			יָשַׁבְנוּ		1.		
מְיִשְּׁבָה		מְיִשֵּׁב	נוֹשָׁבָה		נוֹשָׁב	יוֹשְׁבָה		יוֹשֵׁב		Sing.	BENONI.
מְיִשְּׁבוֹת		מְיִשְּׁבִים	נוֹשָׁבוֹת		נוֹשָׁבִים	יוֹשְׁבוֹת		יוֹשְׁבִים		Plur.	
	caret.			caret.		יְשׁוּבָה		יָשׁוּב		Sing.	PAOUL.
						יְשׁוּבוֹת		יְשׁוּבִים		Plur.	
בְּיִשֵּׁב כְּיִשֵּׁב לְיִשֵּׁב מִיִּשֵּׁב		יִשֵּׁב	בְּהוֹשֵׁב כְּהוֹשֵׁב לְהוֹשֵׁב מֵהוֹשֵׁב		הוֹשֵׁב	בְּשֶׁבֶת כְּשֶׁבֶת לָשֶׁבֶת מִשֶּׁבֶת		שֶׁבֶת			INFINITIVI ET GERUNDIA.
יַשְּׁבִי		יַשֵּׁב	הוֹשְׁבִי		הוֹשֵׁב	שְׁבִי		שֵׁב		Sing.	IMPERATIVI.
יַשֵּׁבְנָה		יַשְּׁבוּ	הוֹשַׁבְנָה		הוֹשְׁבוּ	שֵׁבְנָה		שְׁבוּ		Plur.	
תְּיַשֵּׁב		יְיַשֵּׁב	תּוֹשֵׁב		יוֹשֵׁב	תֵּשֵׁב		יֵשֵׁב	3.	Sing.	FUTURA.
תְּיַשְּׁבִי		תְּיַשֵּׁב	תּוֹשְׁבִי		תּוֹשֵׁב	תֵּשְׁבִי		תֵּשֵׁב	2.		
	אֲיַשֵּׁב			אוֹשֵׁב			אֵשֵׁב		1.		
תְּיַשֵּׁבְנָה		יְיַשְּׁבוּ	תּוֹשַׁבְנָה		יוֹשְׁבוּ	תֵּשַׁבְנָה		יֵשְׁבוּ	3.	Plur.	
תְּיַשֵּׁבְנָה		תְּיַשְּׁבוּ	תּוֹשַׁבְנָה		תּוֹשְׁבוּ	תֵּשַׁבְנָה		תֵּשְׁבוּ	2.		
	נְיַשֵּׁב			נוֹשֵׁב			נֵשֵׁב		1.		

CONJUGATIO QAL.

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

Præcedentia conjugationis hujus tempora perfecta ſunt. Si quæ in iis occurrant anomaliæ, illæ in verborum perfectorum appendicibus fuerunt expoſitæ.

[שֶׁבֶת, & in pauſa שָׁבֶת *ſedere.*] Sic: לֶכֶת & in pauſa לָכֶת *ire*, רֶדֶת *deſcendere*, & cum בְּרֶדֶת *in deſcendendo*, לָרֶדֶת, בִּכְלֹם cum (-) ſub ל ob accentum in penultima, vide ſupra pag. 148. col. 1. *ad deſcendendum*, מֵרֶדֶת *à deſcendendo*, לֶדֶת *parere*, לֵלֶדֶת, & cum ſyncopa ר׳ ,ת׳ לָלֶת *ad pariendum*, לָרֶשֶׁת *ad poſſidendum*, &c. Et cum duplici (-) pro duplici (-) ob ultimam radicalem gutturalem ע, דַּעַת *ſcire*, לָדַעַת *ad ſciendum*, &c. Ex forma perfectorum, יְשׁוֹב, & per aphæreſin primæ radicalis, שׁוֹב, quod etiam referri poteſt ad שׁוּב, *ſedendo*, *manendo*, יְלֹד *parere.* Sic alia verba quieſcentia *Pé* (י), quæ ex numero ſupra exceptorum non ſunt, in hoc infinitivo perfectorum analogiam ſequuntur, ut: יְסוֹר *fundare*, unde cum ל affecto hhiriq ob ſequens י cum (·) notatum, vide ſupra pag. 148. col. 1. לִיסּוֹד *ad fundandum*, ubi inſuper eſt daghéſch anomalum in ס. Vide etiam ſupra pagin. 176. col. 2. Sic יְבוֹשׁ *areſcere*, & cum ב affecto hhiriq ob eamdem rationem qua ל præcedens, בִּיבוֹשׁ *in areſcendo.*

Voces יְכֹלֶת *poſſe*, יְבֹשֶׁת *exſiccari*, quas volunt nonnulli infinitivos eſſe compoſitos ex perfect. יָכֹל & imperfect. כֹּלֶת, יָבֵשׁ & בֹּשֶׁת, ſunt nomina verbalia, quæ verbi ſui caſum regunt, & de quibus in Syntaxi. Idem dicendum de דֵּעָה, לֵדָה, & cum (·) רְדָה, quæ magis ſunt nomina ſubſtantiva: *ſcientia*, *partus*, *deſcenſus*; quam infinitivi *ſcire*, *parere*, *deſcendere.* Vide ſupra pag. 165. col. 2. in fine.

APPENDIX

AD IMPERATIVUM.

II. perſona ſingularis maſculina.

[שֵׁב, vel שֵׁבָה *ſede.*] Sic ex forma (-), רֵשׁ *poſſide*, לֵךְ, ſequente maqqáph, לֶךְ־, cum ה paragogico לְכָה, & ter ſine iſto ה expreſſo, ſed ſubintellecto, לְכָ, Num. 23. v. 13. Jud. 19. v. 13. 2. Paral. 25. v. 17. *ito*; שֵׁב, & cum ה paragogico שְׁבָה *ſede*, רֵד, cum ה paragogico רְדָה, in pauſa רֵדָה *deſcende*, &c. Ex forma (-), דַּע *ſcito*, רֵשׁ cum (-) loco (-) ob pauſam, *poſſide*, הַב *da*, à יְהַב Chald. quod in hoc infinitivo amittit pariter primam ſuam radicalem; & cum ה paragogico, quod ibi eodem modo puncta mutat ac affixum, הָבָה, quod ſemel accentum habet in ultima, nempe Gen. 9. v. 21. Ex forma perfectorum יְרַשׁ, unde cum ה paragogico, & in pauſa, quare (-) mutatur in (-), יְרָשָׁה *poſſide.*

II. perſona ſingularis feminina.

[שְׁבִי, in pauſa שֵׁבִי *ſede.*] Sic in pauſa, לֵכִי *vade.* Et cum (-) ſub ſecunda radicali loco (-), הָבִי *da.*

II. perſona pluralis maſculina.

[שְׁבוּ, in pauſa שֵׁבוּ *ſedete.*] Sic extra pauſam, רְדוּ *deſcendite*, וּרְשׁוּ *& poſſidete*, &c. In pauſa, לֵכוּ *ite*, שֵׁבוּ *ſedete*, &c. Et extra pauſam, הָבוּ, Oſe. 4. v. 18. & cum (-) הָבוּ *date*, ubi accentus eſt in ultima præter analogiam.

II. perſona pluralis feminina.

[שֵׁבְנָה *ſedete.*] Sic: לֵכְנָה, & ſublato ה in fine, לֵכְן *ite.*

Digitized by Google

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יֵשֵׁב , יֵשֶׁב , יֵשְׁב , יֵשֵׁב *ſedebit.*] Sequente immediate maqqáph , vel accentu tonico , aut accentu ab ultima ad penultimam ob ו converſivum retracto , (‐) ultimæ corripitur in (ֶ) , ut : יֵלֶךְ־ *ibit* , וַיֵּלֶךְ & *ivit* , וַיֵּשֶׁב & *ſedit* , וַיִּצֶר & *formavit* , וַיֵּצֶר & *in anguſtia fuit* , &c. Et cum (‐) pro (ֶ) ob ultimam radicalem ע , וַיֵּרַע & *diſplicuit* , &c. Ex forma (‐) , וַיִּשַׁר & *rectum fuit* , וַיִּקַץ & *expergeſactus eſt* , ubi inſuper eſt daghéſch forte in ſecunda radicali ק , per legem æquivalentiæ ; (י) enim ibi deficiens compenſandum foret per (‐) ſub characteriſtica , ut ſæpe fit , vel per (י.). Pro hujuſmodi autem (‐) aut (י.) , hic reponitur hhiriq qatón , ſequente daghéſch forti , quod ſupplendum videtur , quoties præcedit parva illa motio ; nam quando ſequitur (ׂ) , illud mobile eſt , ut liquet ex accentu méthegh ipſi præpoſito , ut : יִרְשׁוּ *poſſidebunt* , Abd. v. 20. &c. ubi (ׂ) legitur vel quia eſt ſub litera daghéſch notanda , quamvis eo non ſit notata : vel quia ibi hhiriq qatón loco hhiriq gadhól uſurpatur. Ex eadem forma , & cum hhiriq modo gadhól , modo qatón ſub characteriſtica , יֵחַם *incaleſcet* , יִקַץ , & in pauſa יִקָץ *evigilabit* , יִסָּךְ in pauſa , *unget* , &c. Et cum (‐) ſub characteriſtica , יֵקַר *ardebit* , יֵקַר *pretioſus erit* , יֵרַע , & cum accentu in penultima præter analogiam , ut Job. 20. v. 26. יֵרַע *affligetur* , &c. Formam perfectam & imperfectam mixtam volunt in יְיֵדָע Pſal. 137. Heb. 138. v. 6. *cognoſcet* , י ex forma perfectorum eſt , cum (ׂ) motione nativa harumce literarum characteriſticarum quando non ſequitur aliud (ׂ) , יֵדָע vero ex forma imperfectorum & in pauſa. Quid , ſi pro יֵדָע vel יְיֵדָע errore graphico irrepſerit יְיֵדָע ?

III. perſona ſingularis feminina.

[תֵּשֵׁב , vel תֵּשֶׁב , & in pauſa תֵּשֵׁב *ſedebit.*] Ex forma (‐) , תֵּחַד *uniatur* , תֵּרֵד *deſcendet* , תֵּרַע *diſplicebit* , תֵּשַׁם , & in pauſa תֵּשָׁם *deſolabitur* , תֵּקַע *recedat* , &c. Accentu ab ultima ad penultimam ob ו converſivum retracto , & (‐) ultimæ correpto in (ֶ) , וַתֵּלֶד & *peperit* , וַתֵּצֶר & *in anguſtia fuit* , &c. Et cum (‐) pro (ֶ) ob ultimam radicalem ע , וַתֵּקַע & *luxatum eſt* (acetabulum femoris) Gen. 32. v. 26.

II. perſona ſingularis feminina.

[תֵּשְׁבִי *ſedebis.*] (י) quieſcente in (‐) , הֲתֵיטְבִי *an melior es ?* Ex forma (‐) mutati in qaméts ob pauſam , תֵּדָעִי *ſcies* , תִּינָקִי י quieſcente in (ׂ) *ſuges* , &c.

I. perſona ſingularis communis.

[אֵשֵׁב , &c. *ſedebo.*] Cum ה paragogico , & ex forma (‐) in penultima , & in ultima ſyllaba , וָאֵשְׁבָה & *ſedebam.* In pauſa , וְאֵשָׁבָה & *habitabo* , & *ſedebo.* Iódh quieſcente in (‐) , אֵילְכָה *ibo.* Ex forma (‐) in ultima & cum (‐) in penult. וָאֵלֵךְ & *ivi* , אֵדַע , in pauſa אֵדָע *ſciam.* Cum ה paragogico , וְאֵדְעָה & *cognoſcam* , & in pauſa , וָאֵדָעָה & *cognovi.* Ex eadem forma , ſed cum hhiriq in penultima , אִינַק *ſugam* , אִיבַשׁ *areſcam* , &c. Cum ה paragogico & extra pauſam , אִיעֲצָה *conſulam.* In pauſa , וָאִישָׁנָה & *dormivi.* Ex forma defectivorum *Pé* נ , אֶצָּרְךָ etſtſorchá *formarem te* , וְאֶצָּרְךָ veetſtſorchá & *formabo te.* Sic : וְאֶסֳּרֵם & *caſtigabo eos* , cum (ֳ) ſub ס pro (ׂ) ſimplici. Aliis (‐) characteriſticæ reſolvitur in (ֶ) ſequente daghéſch , per legem æquivalentiæ , & uſurpatur forma hhólem , licet in his verbis inuſitata.

III. perſona pluralis maſculina.

[יֵשְׁבוּ , in pauſa יֵשֵׁבוּ *ſedebunt.*] Sic : יֵלְכוּ , in pauſa יֵלֵכוּ , & cum ן parag. יֵלְכוּן *ibunt.* Cum (ֲ) loco (ְ) ſub ſecunda radicali ח , quare characteriſtica afficitur (ֶ) , וַיֶּחֱמוּ pro וַיֵּחְמוּ & *incaleſcebant.* Vel eſt ex

forma quieſcentium Lámedh ה, de quibus infra §. 5. Ex forma hhiriq ſub characteriſtica, יִרְשׁוּ *poſſidebunt*, יִשְׁנוּ *dormient*, &c. pro יִירְשׁוּ, aut יִרְשׁוּ, &c. Vide ſupra tertiam perſonam ſingularem maſculinam. Ex eadem forma, & terminatione (-) mutati in (-) ob pauſam, יִעָפוּ *laborabunt.* Ex forma hhólem in his verbis inſolita, יֵאֹתוּ לָנוּ *acquieſcent nobis*, Gen. 34. v. 22. ubi retinetur hhólem, licet extra pauſam, ob accentum ab ultima ad penultimam retractum, quia concurrit alter in לָנוּ.

III. perſona pluralis feminina.

[תֵּשַׁבְנָה, vel תֵּשַׁבְנָה, in pauſa תֵּשַׁבְנָה *ſedebunt.*] Sic ex forma (-), תֵּלַכְנָה *ibunt*, וַתֵּלַדְנָה *& pepererunt*, &c. In pauſa ex eadem forma, & (י) quieſcente in hhiriq, תִּישַׁכְנָה *deſolabuntur.* Mixta forma maſculina & feminina, quia in lingua Hebraïca genera ſæpius confunduntur, תֵּחַמְנָה *ut conciperent*, vel *& conceperunt*, Gen. 30. v. 38. וַיִּשַּׁרְנָה *& recta contenderunt*, 1. Reg. 6. v. 12. ubi שׁ notatur cum daghéſch forti, quia (י) afficitur hhiriq qatón pro hhiriq gadhól. Vide ſupra tertiam perſonam ſingularem maſculinam. Ceterum his characteribus maſculinis vires maſculas ſignificari volunt Hebræi. Vide ſupra pag. 169. col. 1.

II. perſona pluralis maſculina.

[תֵּשְׁבוּ, in pauſa תֵּשֵׁבוּ *ſedebitis.*] Sic: תֵּלְכוּ, in pauſa תֵּלֵכוּ, cum ן paragogico & extra pauſam, תֵּלְכוּן, in pauſa תֵּלֵכוּן *ibitis.*

I. perſona pluralis communis.

[נֵשֵׁב *ſedebimus.*] Cum ה paragogico, נֵרְדָה *deſcendemus*, נֵלְכָה, & in pauſa נֵלֵכָה *ibimus*, נֵדְעָה, & in pauſa ex forma (-), נֵדָעָה *ſciemus.* Cum eodem ה paragogico, & ex terminatione hhólem, נֵאוֹתָה *acquieſcamus*, Gen. 34. v. 23.

CONJUGATIO NIPHAL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[נוֹשַׁב, & in pauſa נוֹשָׁב *habitatus eſt.*] Prima radicalis (י) in hoc præterito, & in bénoni ſequente, mutatur in ו quieſcens in hhólem, ut diximus ſupra pag. 231. Sæpe tamen ו iſtud excidit, & hhólem eſt deficiens. נֹודַע *cognitus eſt*, נֹולַד *genitus eſt*, *natus eſt*, נֹוקַשׁ *illaqueatus eſt*, נוֹשַׁע *ſalvatus eſt*, &c. In pauſa, נוֹאָשׁ *deſperatum*, *conclamatum eſt.*

I. perſona ſingularis communis.

[נוֹשַׁבְתִּי *habitatus ſum.*] Cum hhólem deficiente, נֹעַדְתִּי *conveni.*

III. perſona pluralis communis.

[נוֹשְׁבוּ, & in pauſa נוֹשָׁבוּ *habitati*, vel *habitatæ ſunt*] Sic: וְיִקֹשׁוּ *& illaqueabuntur*, וְנוֹעֲדוּ *& convenient*, &c. In pauſa, נוֹדָעוּ *cognita ſunt.* Cum ו pro ו, & cum daghéſch in ſecunda radicali, quaſi vox compoſita eſſet ex niphál & puál, נוּלְּדוּ 1. Paral. 3. v. 5. cap. 20. v. 8. *nati ſunt*, pro נוֹלְדוּ, quod forte olim ſic legebatur; nam poſt vocales longas, ac præſertim poſt ſchouréq, rariſſime & improprie ſequitur daghéſch forte, ut diximus ſupra pag. 29. col. 2.

Anomalum eſt נוֹשָׁבָה Jerem. 22. v. 6. ubi ſecundum literas eſt נוֹשָׁבָה *habitata eſt* urbs quælibet, in tertia perſona ſingulari feminina, & in pauſa: ſecundum autem puncta vocalia, נוֹשָׁבוּ, vel cum (-) in fine pro ו, נוֹשָׁב, utrobique in pauſa, *habitatæ ſunt* urbes. Vide ſimilem anomaliam ſupra pag. 163. coll. 1. 2. pag. 170. col. 2. &c.

I. perſona pluralis communis.

[נוֹשַׁבְנוּ, & in pauſa נוֹשָׁבְנוּ *habitati*, vel *habitatæ ſumus.*] Sic in pauſa, נוֹשָׁעְנוּ Jerem. 8. v. 20. *ſalvati ſumus.*

Digitized by Google

APPENDIX

AD BENONI.

Singulare maſculinum.

[נוֹשָׁב *habitatus.*] Sic : נוֹלָד *natus*, & cum ה præfixo, הַנּוֹלָד *qui natus eſt*, &c. Et cum (ֵ) in fine loco (ָ), ut nonnullis placet, נוֹקֵשׁ *illaqueatus*, Pſal. 9. v. 17. Lxx. συνελήφθη Vulg. Lat. *comprehenſus eſt.* Aliis eſt bénoni qal verbi נָקַשׁ *illaqueavit ſe*, *illaqueatus eſt.*

Singulare femininum.

נוֹשֶׁבֶת, & ex forma ה præcedente duplici (ָ), נוֹשָׁבָה *habitata*, Ezech. 26. v. 17.

Plurale maſculinum.

[נוֹשָׁבִים *habitati.*] נִחָמִים, quod huc referunt nonnulli, vide ſupra pag. 220. col. 2.

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[הִוָּשֵׁב *habitari.*] In hoc infinitivo, ſicuti in imperativo & futuro hujuſce conjugationis, prima radicalis י, facilioris pronuntiationis cauſa, mutatur in ו, ut diximus ſupra pag. 231. Sic : בְּהִוָּלֵד, unde retracto accentu ab ultima ad penultimam ob concurſum, proindeque (ֵ) correpto in (ֶ), בְּהִוָּלֶד לוֹ *quando natus eſt ei*, Gen. 21. v. 5. Et cum affixo, בְּהִוָּסְדָם *cum conſultarent ipſi*, ſeu *conſilium caperent*, Pſal. 30. Heb. 31. v. 14.

APPENDIX

AD IMPERATIVUM.

II. perſona ſingularis feminina.

[הִוָּשְׁבִי *habitare.*] Sic : הִוָּסְרִי *erudire*, Jerem. 6. v. 8. ubi euphoniæ gratia י mutatur in ו, ut ſupra in infinitivo, quem vide.

II. perſona pluralis maſculina.

[הִוָּשְׁבוּ *habitamini.*] Sic : הִוָּסְרוּ *erudimini*, *eruditionem accipite*, Pſal. 2. v. 10. הִוָּשְׁעוּ *ſalvamini*, Iſai. 45. v. 22.

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יִוָּשֵׁב, & ex forma (ַ) יִוָּשַׁב *habitabitur.*] Sic : וַיִּוָּתֵר *& relictus eſt*, יִוָּשֵׁעַ *ſalvabitur*, יִוָּדַע, & ex forma (ַ), יִוָּדַע *cognoſcetur*, וַיִּוָּעַץ *& conſilium iniit*, &c. Analogum eſt וַיִּיָּחֶל *& expectavit*, cum (ֶ) in fine loco (ֵ) ob accentum ab ultima ad penultimam à ו converſivo retractum.

II. perſona ſingularis maſculina.

[תִּוָּשֵׁב *habitaberis.*] Sic : תִּוָּרֵשׁ *pauper efficiaris*, ſignificatione deſumta à יָרַשׁ *pauperem eſſe*, vel *fieri.*

II. perſona ſingularis feminina.

[תִּוָּשְׁבִי, & in pauſa תִּוָּשֵׁבִי *habitaberis.*] Sic in pauſa, תִּוָּשֵׁעִי *ſalvaberis.*

I. perſona ſingularis communis.

[אִוָּשֵׁב, & ex terminatione (ַ), אִוָּשַׁב *habitabor.*] Cum (ִ) ſub א loco (ֶ), quod in hoc futuro ſæpius fieri diximus ſupra pag. 173. col. 1. אִוָּשֵׁעַ *ſalvus ero*, אִוָּרֵשׁ *pauper efficiar*, אִוָּעֵד *conveniam*, &c. Cum ה paragogico, & ſervato (ַ) ob pauſam, וְאִוָּשֵׁעָה *& ſalvus ero.* Accentu ad penultimam retracto ob concurſum, proindeque

mutato (-) ultimæ in (·), אוּלַּד בּוֹ *in qua* (die) *natus ſum.* Ex terminatione (-), וְאִוָּדַע *& innotui.*

III. perſona pluralis maſculina.

[יְוֹשְׁבוּ, in pauſa יוֹשֵׁבוּ *habitabuntur.*] Sic: וַיִּוָּתְרוּ *& remanſerant*, &c. Anomalum eſt וַיִּלְּדוּ *& nati ſunt*, 2. Reg. 3. v. 2. ubi ſecundum puncta Maſſorethica legendum וַיִּוָּלְדוּ; ſecundum autem literas, יֻלְּדוּ in præterito puál.

II. perſona pluralis maſculina.

[תְּוֹשְׁבוּ, in pauſa תּוֹשֵׁבוּ *habitabimini.*] Sic extra pauſam, תּוּסְרוּ *erudiemini*, &c. In pauſa, & cum ן paragogico, תּוּשָׁעוּן *ſalvi eritis.*

I. perſona pluralis communis.

[נוּשַׁב *habitabimur.*] Cum ה paragogico, תִּוָּכְחָה *& increpemus, arguamus nos invicem, diſceptemus*, &c.

CONJUGATIO HIPHIL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[הוֹשִׁיב *habitare fecit.*] Sic: הוֹאִיל Deut. 1. v. 5. *voluit, acquievit*; vel, ut interpretantur Lxx. ἤρξατο, Vulg. *cœpit.* Cum hhólem defectivo, ut ſæpe accidit in hac conjugatione, maxime quando ſequitur gutturalis, aut ר, ut: הֹלִיד *genuit*; quod ſic undecies, obſervantibus Maſſorethis, ſcribitur; הֹרִישׁ *expulit*, &c. Sæpe etiam deficit י in fine, ut: הוֹרִד *demiſit, deſcendere fecit*, הוֹשִׁעַ *ſalvavit*, &c.

Ex forma defectivorum ע, de quibus ſupra, vel quieſcentium itidem ע, de quibus in parag. ſeq. vel, ut aliis placet, ex Syriaſmo, verba quædam in hac conjugatione habent (-) ſub characteriſtica, prima radicali (י) otioſa remanente, aut etiam exſulante, הֵיטִיב *benefecit*, וְהֵילִל *& ejulavit*, vel *ejulabit*, &c. Et ſic in aliis modis, ſeu temporibus, & perſonis.

III. perſona ſingularis feminina.

[הוֹשִׁיבָה *habitare fecit.*] Characteriſtica affecta (-), & prima radicali ſublata, הֵינִקָה. *lactavit.* Vide tertiam perſonam ſingularem maſculinam.

II. perſona ſingularis maſculina.

[הוֹשַׁבְתָּ, & in pauſa הוֹשָׁבְתָּ *habitare feciſti.*] Sic: הוֹלַדְתָּ *genuiſti*, הוֹפַעְתָּ, cum (·) ſub פ loco (-) ob pauſam, *illuſtraſti*, &c. Cum (-) ſub characteriſtica loco hhólem, הֵיטַבְתָּ *benefeciſti.* Vide tertiam perſonam ſingularem maſculinam.

II. perſona ſingularis feminina.

[הוֹשַׁבְתְּ *habitare feciſti.*] Characteriſtica notata cum (-) loco hhólem, הֵיטַבְתְּ *benefeciſti.* Vide tertiam perſonam ſingularem maſculinam.

I. perſona ſingularis communis.

[הוֹשַׁבְתִּי *habitare feci.*] Sic: הוֹאַלְתִּי *volui*, וְהוֹדַעְתִּי *& notum faciam*, &c. Et cum י pro ה, יוֹדַעְתִּי *notum feci*, 1. Reg. 21. v. 2. al. 3. quod alii ad poël referunt. Vide ſupra pag. 175. col. 1.

III. perſona pluralis communis.

[הוֹשִׁיבוּ *habitare fecerunt.*] Cum (-) loco ו ſub characteriſtica, הֵיטִיבוּ, vel הֵטִיבוּ *benefecerunt.* Vide ſupra tertiam perſonam ſingularem maſculinam.

I. perſona pluralis communis.

[הוֹשַׁבְנוּ *habitare fecimus.*] Sic: הוֹאַלְנוּ *acquievimus*, &c. Characteriſt. affecta (-) loco ו, וְהֵיטַבְנוּ, vel וְהֵטַבְנוּ *benefaciemus.* Vide ſupra tertiam perſ. ſingul. maſculinam.

APPENDIX

AD BENONI.

Singulare maſculinum.

[מוֹשִׁיב *habitare faciens.*] Sic : מוֹשִׁיעַ *ſalvans*, &c. Cum י paragogico, quod erat olim vocalis *e*, quæ ſubintelligitur ſub ultima rad. מוֹשִׁיבִי *habitare faciens*, Pſal. 112. Heb. 113. v. 9. Vide ſupra bénoni qâl perfectorum. Cum (-) ſub characteriſt. pro ו, מֵיטִיב, vel מֵטִיב, vel מֵטִב *benefaciens.* Vide præteritum.

Singulare femininum.

[מוֹשִׁיבָה, & ex terminatione ה præcedente duplici (·), מוֹשֶׁבֶת, in pauſa מוֹשָׁבֶת *habitare faciens.*] Ex verbo deficiente *Pé* י, quod tamen hic quieſcentium formam imitatur, מוֹצֶקֶת, unde in pauſa מוֹצָקֶת *fundens*, 4. Reg. 4. v. 5. ubi ſecundum literas, ſeu כְּתִיב ut legendum מְיַצֶּקֶת in piél. Cum (-) ſub charact. pro ו, מֵינֶקֶת *lactans.* Vide præteritum.

Plurale maſculinum.

[מוֹשִׁיבִים *habitare facientes.*] Sic : מוֹדִיעִים *notum facientes*, &c. Analogum, ſeu perfectum eſt מֵימִינִים *dexterantes*, h. e. *dextera manu utentes*, 1. Paral. 12. v. 2. Cum (-) loco hhólem ſub charact. מֵיטִיבִים, vel מֵטִיבִים *benefacientes.* Vide præteritum.

Plurale femininum.

[מוֹשִׁיבוֹת *habitare facientes.*] Cum (-) pro ו ſub characteriſtica, מֵינִיקוֹת *lactantes, nutrices.* Vide præteritum.

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[הוֹשֵׁב, vel הוֹשִׁיב *habitare facere.*] Sic : הוֹכֵחַ *increpando*, לְהוֹרִיד *ad dejiciendum*, &c. Cum י antiqua vocali *e*, ſed punctis adſcriptis ſuperfluo, הוֹלִיד *parere*, & הוֹעִיל *prodeſſe*, &c. Cum (-) ſub charact. הֵיטֵב, & cum י ſuperfluo הֵיטִיב *benefacere*; cum ל, לְהֵיטִיב *ad benefaciendum.* Suppreſſo י rad. לְהֵמִין *dexteram petere, ad dexteram ire.* Vide præteritum. Cum י parag. aut potius antiqua vocali *e*, quæ ſubintelligitur ſub ultima radicali, לְהוֹשִׁיבִי *ad collocandum.* Vide ſupra bénoni.

APPENDIX

AD IMPERATIVUM.

II. perſona ſingularis maſculina.

[הוֹשֵׁב, vel הוֹשִׁיב *habitare fac.*] Sic : הוֹרֵד *demitte*, הוֹאֶל, & ſequente maqqáph, aut accentu tonico, הוֹאֶל־ *velis, acquieſcas.* Ultima guttur. aut ר, ſæpius uſurpatur (-) in fine, ut : הוֹדַע *notum fac*, הוֹשַׁע *ſalva*, & הוֹקַע *ſuſpende*, הֹקַר *pretioſum habe*, &c. Cum ה paragogico, הוֹשִׁיעָה *ſalva*, &c. Ex forma perfectorum, הַיְשַׁר *dirige*, Pſal. 5. v. 9. ut ibi legendum docent Maſſorethæ, pro הוֹשַׁר, ut ferunt textûs literæ conſonantes. Cum (-) pro ו ſub characteriſtica, & prima radicali י otioſa remanente, הֵילֵל *ejula*, הֵיטֵב, unde cum ה paragogico, הֵיטִיבָה *benefac.* Vide præteritum.

II. perſona ſingularis feminina.

[הוֹשִׁיבִי *habitare fac.*] Cum (-) loco ו ſub characteriſtica, הֵילִילִי *ejula*, הֵימִינִי *dexteram pete*, הֵילִיכִי *abduc*, הֵינִיקִי, unde cum affixo הֵינִיקִהוּ & *lacta eum*, Exod. 2. v. 9. ubi pro (י) ſub ק, reponitur ſimplex (·), pro הֵינִ קִיהוּ. Quod attinet (-) characteriſt. Vide præteritum.

II. perſona pluralis maſculina.

[הוֹשִׁיבוּ *habitare facite.*] Sic : הוֹאִילוּ *velitis*, *acquieſcite*, &c. Characteriſtica affecta (-) pro ו, הֵילִילוּ *ejulate*, הֵיטִיבוּ, vel הֵטִיבוּ *benefacite.* Vide præteritum.

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יוֹשִׁיב, vel יוֹשֵׁב *habitare faciet.*] Sic : יוֹשִׁיעַ *ſalvabit*, יוֹכִיחַ *arguet*, יוֹסֵף *adjiciet*, &c. Accentu ab ultima ad penultimam aſcendente ob ו converſivum, (-) corripitur in (·), ut : וַיּוֹאֶל *& voluit*, וַיּוֹלֶד *& genuit*, וַיּוֹלֶךְ *& deduxit*, וַיֹּסֶף *& adjecit*, &c. Pro eodem (-) ultimæ, interdum etiam uſurpatur (-), maxime quando ultima radicalis gutturalis eſt, vel ר, ut : וַיּוֹלַךְ *& deduxit*, Thren. 3. v. 2. יוֹכַח *arguet*, &c. Servata characteriſtica conjugationis ex forma Chaldaica, quare י notatur cum (·) motione genuina ſervilium, ac præſertim literarum futuri & aliorum temporum characteriſticarum, vide ſupra pag. 135. coll. 1. 2. יְהוֹשִׁיעַ *ſalvabit.* Cum (-) ſub charact. loco ו, vide præteritum, יֵיטִיב, יֵיטֵב, יֵטֵב, & prima radicali י mobili, יְיֵטַב *bene erit*, *benefaciet.* Sic : יְיֵדַע *notum faciet*, יְיֵלִיל *ejulabit.*

III. perſona ſingularis feminina.

[תּוֹשִׁיב, vel תּוֹשֵׁב *habitare faciet.*] Sic : תֹּסֵף *addet*, & retracto accentu ab ultima ad penultimam ob ו converſivum, וַתֹּסֶף *& addidit.* Ultima gutturali, aut ר, pro (-), vel (·) ultimæ, ſæpius uſurpatur (-), ut : תּוֹפַע *ſplendeat*, & retracto accentu ob ו converſivum, & poſito (-) loco (·) propter ultimam gutturalem, וַתֹּפַע *& ſplenduit.* Cum (·) in ultima loco (-) ob pauſam, וַיּוֹתֵר *& reliquum fecit.* Characteriſt. affecta (-) pro ו, vide præteritum, וְתֵינִק *& lactet.* Cum ו converſivo, וַתֵּינַק *& lactavit*, וַיֵּיטֵב *& bene inſtruxit*, *bene ornavit*, ubi hhiriq vel (-) corripitur in (·) ob accentum retractum ad penultimam.

II. perſona ſingularis maſculina.

[תּוֹשִׁיב, vel תּוֹשֵׁב *habitare facies.*] Sic : תּוֹשִׁיעַ *ſalvabis*, תּוֹסִיף, & תּוֹסֵף, & ex terminatione (-), תּוֹסֵף *addes*, &c. Ex eadem terminatione (-), תּוֹתַר *creſcas*, *excellas*, תּוֹכַח *corripias*. &c. (-) ultimæ reſoluto in duplex (:), & ſine daghéſch leni in ף licet poſt (·) quieſcens, תּוֹסְףְ Prov. 30. v. 6. pro תּוֹסֵף *addes.* Cum (-) ſub characteriſtica loco ו, תֵּיטִיב, & ſublato י radicali, תֵּטִיב *benefacies.* Vide præteritum.

II. perſona ſingularis feminina.

[תּוֹשִׁיבִי *habitare facies.*] Sic : תּוֹסִיפִי, & bis cum accentu in ultima præter analogiam, תּוֹסִפִי *addes.* Cum (-) ſub characteriſtica loco ו, תֵּיטִבִי *benefacies.* Vide præteritum. Hhiriq ſecundæ rad. mutato in (·) accelerandæ pronuntiationis gratia, הֲתֵיטְבִי *num bona eris?* Poteſt eſſe etiam ex qal, vide ſupra pag. 235. col. 2.

I. perſona ſingularis communis.

[אוֹשִׁיב, vel אוֹשֵׁב *habitare faciam.*] Sic : אֹסִף, vel אֹסֵף *addam*, &c. Cum ה paragogico, אוֹדִיעָה *notum faciam*, אוֹחִילָה 2. Reg. 18. v. 14. *exſpectabo*, Vulg. *aggrediar.* Lxx. hic duplicem exhibent verſionem, nempe ἄρξομαι *incipiam*, cujus interpretationis auctor legebat אָחֵלָה, vel אֲחִלָּה, ita ut (·) eſſet vocalis *e*, quæ nunc per (-) exprimitur, ab חָלַל in hiphil. Altera verſio eſt μενῶ *ex, ectabo*, à יָחַל ſecundum præſentem analogiam. Eſt & aliud אוֹחִילָה Jerem. 4. v. 19. quod Lxx. vertunt ἀλγῶ, Vulg. *doleo*, ſumta ſignificatione à חול in cujus futuro qal eſſe poteſt ſecundum literas, ſeu כְּתִיב זה, ſic : אֲחוּלָה ; ſcribitur enim cum ו, ſic : אחולה. Cum (-) ſub charact. loco (י), vide præteritum, אֵיטִיב, & cum ה parag. אֵיטִיבָה *benefaciam.* Sic : אֵימְנָה *ad dexteram ibo*, וְאֵילִילָה *& ejulabo.* Et lecto (י) radicali, ut ſupra in tertia ſingulari maſculina, אֲיֵלִיל *ejulabo.*

Perfectum

Digitized by Google

Perfectum eſt אַיְסִיר , unde cum affixo , אַיְסִירֵם *caſtigabo eos.* Oſe. 7. v. 12.

III. perſona pluralis maſculina.

[יוֹשִׁיבוּ *habitare facient.*] Sic cum hhólem deficiente , וַיְסִפוּ *& adjecerunt.* Servata characteriſtica præteriti , eaque affecta (ֵ) loco hhólem , vide præteritum , יְהֵילִילוּ , & excluſa illa characteriſtica , ac י radicali motionem ejus aſſumente , יְיֵלִילוּ *ejulabunt.* Iódh iſto quieſcente , יֵיטִיבוּ *bene facient.* In forma perfecta , יֵישִׁירוּ Prov. 4. v. 25. *dirigent* , *dirigant* , vel etiam *dirigantur* , hiphil enim paſſive interdum ſignificat.

II. perſona pluralis maſculina.

[תּוֹשִׁיבוּ *habitare facietis.*] Cum ן parag. & (ִ) loco (ִי) תֹּסִפוּן , & ex forma quieſcentium *Pé* א , תֹּאסִפוּן *addetis.* Ex eadem forma , ſed perfecta , תְּאֵמִינוּ *dexteram petetis* , *ad dexteram ibitis.* Cum (ֵ) ſub charact. pro ו , vide præteritum , תֵּיטִיבוּ *bene facietis.* Prima radicali י mobili , ut ſupra in perſona præcedenti , תְּיֵלִילוּ *ejulabitis.*

I. perſona pluralis communis.

[נוֹשִׁיב *habitabimus.*] Cum ה paragogico , נוֹדִיעָה *notum faciemus* , &c.

CONJUGATIO HOPHAL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[הוּשַׁב *habitare factus eſt.*] Sic : הוּסַד *fundata eſt* (domus) , הוּצַק *diffuſus eſt* , à יָצַק defectivo *Pé* י , ſed quod hic formam quieſcentium imitatur , הוּרַד *deſcendere factus eſt* , *demiſſus eſt* , &c. Cum ו loco וּ cum characteriſtica , הוֹדַע *notum factum eſt* ; Levit. 4. v. 23. ſed poteſt eſſe in hiphil : tertia enim perſona verborum activorum ſæpe in paſſiva ſignificatione accipitur , ut videbimus in Syntaxi.

APPENDIX

AD PAOUL.

Singulare femininum.

[מוּשֶׁבֶת , & ex forma ה præcedente duplici (ָ) מוּשָׁבָה *habitare facta.*] Sic ex terminatione ת præcedente duplici (ֶ) , pro duplici (ֶ) ob ultimam radicalem ע , מוּדַעַת *notum factum* ſit , Iſai. 12. v. 5. Hebræi enim ad neutrum genus , quo carent , exprimendum , ſæpe utuntur feminino , ut diximus ſupra pag. 50. & infra videbimus in Syntaxi.

Plurale maſculinum.

[מוּשָׁבִים *habitare facti.*] Sic : מוּעָדִים *conſtituti* , *poſiti* , Jerem. 24. v. 1.

Plurale femininum.

[מוּשָׁבוֹת *habitare factæ.*] Cum (ֻ) ſub characteriſtica ad euphoniam , pro ו , מֻעָדוֹת *conſtitutæ* , *paratæ* , *verſæ* facies tuæ , Ezech. 21. v. 16. al. 21.

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[הוּשַׁב *habitare fieri.*] Compoſitum ex hoc infinitivo , & ex infinitivo qal , הוּלֶדֶת Ezech. 16. v. 4. cum daghéſch anomalo in ל ; & cum (ֻ) & daghéſch per legem æquivalentiæ loco ו , הֻלֶּדֶת Gen. 40. verſ. 20. *naſci.*

APPENDIX

ad Futurum.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יוּשַׁב, & in pauſa יוּשָׁב *habitare fiet.*] Sic extra pauſam, יוּכַל *poterit.* In pauſa יוּקָד *ardebit*, יוּלָּד *qui naſcetur*, cum daghéſch anomalo in ל, יוּכָל *poterit.* Et cum (ֻ) ſub charact. loco ו, יֻכַל *& prævaluit.*

II. perſona ſingularis maſculina.

[תּוּשַׁב *habitare fies.*] Sic: תּוּרַד *demittêris*, תּוּכַל, & in pauſa תּוּכָל *poteris*, &c. Cum ֻ loco ו, תּוּתַר *excellas*, *creſcas*, ſecundum Qimhhi & Aben-Eſram; at melius refertur ad hiphil, vide ſupra pag. 240. col. 2.

I. perſona ſingularis communis.

[אוּשַׁב, in pauſa אוּשָׁב *habitare fiam.*] Sic: אוּבַל *ducar*, אוּכַל, in pauſa אוּכָל, & cum (ֻ) pro ו, אֻכַל *potero.*

III. perſona pluralis maſculina.

[יוּשְׁבוּ, in pauſa יוּשָׁבוּ, *habitare fient.*] Sic: יוּכְלוּ, in pauſa יוּכָלוּ; & cum (ֻ) euphonico ſub charact. loco ו, יֻכְלוּ, in pauſa יֻכָלוּ *poterunt.*

II. perſona pluralis maſculina.

[תּוּשְׁבוּ *habitare fietis.*] Sic: תּוּכְלוּ *poteritis.*

I. perſona pluralis communis.

[נוּשַׁב *habitare fiemus.*] Sic: נוּכַל, & cum ה paragogico נוּכְלָה *poterimus.*

CONJUGATIONES

PIEL, PUAL, ET HITHPAEL.

Conjugationes illæ perfectæ ſunt, exceptis tribus verbis יָדַע *ſcivit*, יָכַח *arguit*; & יָסַר *erudivit*, quæ euphoniæ gratia in temporibus, ſeu modis ſequentibus conjugationis hithpaél mutant י in ו, ut:

A יָדַע invenitur in infinitivo בְּהִתְוַדַּע *in innoteſcendo.* In futuro אֶתְוַדַּע, unde in pauſa אֶתְוַדָּע, *innoteſcam.*

A יָכַח in futuro יִתְוַכָּח ex terminatione (ַ) mutati in (ָ) ob pauſam, *diſceptabit.*

A יָסַר in præterito וְנִוַּסְּרוּ *& erudientur*, ubi pro ה ponitur נ ex conjugatione niphál, vocem enim illam compoſitam volunt ex niphál & hithpaél. Deinde ת characteriſt. tollitur, compenſaturque per daghéſch forte in ו, pro וְהִתְוַסְּרוּ. Si punctis mutatis legas וְנוֹסְרוּ, vox erit analoga in præterito niphál.

§. III.

De verbis quieſcentibus Aíin (ו) *vel* (י).

Verba quorum ſecunda radicalis eſt ו, ut: קוּם *ſurgere*; vel י, ut: בִּין *intelligere*, vocantur quieſcentia *Aíin* ו, vel *Aíin* י. Vide notas. Sive autem verborum illorum ſecunda radicalis ſit ו, vel י, perinde eſt: nam eodem modo flectuntur, ut: קָם *ſurrexit*, בָּן *intellexit.* Porro ut anomala eorum conjugandi ratio melius intelligatur: regulæ cum generales, tum particulares ſtatuendæ ſunt, ac memoria-

Digitized by Google

ſia proponenda, ut ſupra pagg. 210. 211. 212. in verbis defectivis *Aín*, quibuſcum verba illa maximam habent neceſſitudinem; utpote quæ eorum flectendi rationem non raro imitentur.

REGULÆ GENERALES.

I. SECUNDA verborum illorum radicalis ו, aut י, vel *quieſcit*, vel *excidit*.

Quieſcit in וּ ſchouréq, h. e. וּ iſtud, vel (י) fit וּ in paoúl, infinitivo, imperativo, & futuro qál. Quieſcit in וֹ hhólem, ſeu וֹ iſtud, aut (י) convertitur in וֹ in conjug. niphál, piél, puál, & hithpaél, quibus in locis וֹ duplici munere fungitur, literæ radicalis ſcilicet, & vocalis.

Excidit ו, vel י, in præterito & bénoní qál, & in conjugationibus integris hiphíl & hophál. Nam in הֵקִים, v. g. præterito hiphíl, י radicale non eſt, ſed vocale, ut in verbis perfectis.

II. In præterito niphál ſemper, & hiphíl ſæpius, tertia radicalis afficitur וֹ loco (.) quieſcentis, in primis & ſecundis perſonis cum ſingularibus, tum pluralibus, tam maſculinis, quam femininis. Quare aliud וֹ præcedens in præterito niphál, mutatur vulgo in וּ, ne duo hhólem ſe ſe immediate conſequantur.

III. Literæ characteriſticæ futuri qál, præteriti & bénoní niphál, & omnium temporum, ſeu modorum conjugationum hiphíl & hophál, iiſdem magnis motionibus afficiuntur, ac in verbis defectivis ע; nempe: (.) in futuro qál, præterito & bénoní niphál, infinitivo, imperativo, & futuro hiphíl; (-) in præterito & bénoní niphál; (וּ) denique in tota conjugatione hophál. Vide ſupra pag. 210. Reg. IV.

IV. Conjugationes piél, puál, & hithpaél, quæ etiam à forma appellantur poél, poál, & hithpoél, vide ſupra pag. 210. formantur repetita ultima radicali, & prima affecta hhólem, abſque daghéſch in ſecunda. Ceterum flectuntur ut verba perfecta, vel ut poél, poál, & hithpoél verborum defectivorum ע, quæ vide, & paradigma infra ſubjiciendum. Hic igitur ſuperſunt quatuor duntaxat conjugationes qál, niphál, hiphíl & hophál expendendæ, circa quas, præter ea, quæ in genere obſervavimus, hæc in ſpecie notanda ſunt.

REGULÆ PARTICULARES.

QAL.

Præteritum, in quo ſecunda radicalis excidit, terminatur vulgo in (.), aliquando in (-), interdum etiam in (וֹ), ut in verbis perfectis.

Ex his autem motionibus, (ֵ) & (ַ) remanent tantum in tertiis perſ. alibi mutantur in (ַ); hhólem vero ubique remanet, præterquam in ſecundis perſ. plural. ubi mutatur in (ֳ hhatoúph). Vide appendices.

Bénoní, in quo excidit pariter ſecunda radicalis, deſinit etiam vel in (ֵ), vel in (ָ), vel in (וֹ) immutabilia.

Paoúl, infinitivus, imperativus, & futurum deſinunt in וּ, quandoque in וֹ pariter immutabilia. Futurum interdum terminatur etiam in (ַ), cum ultima radicalis eſt gutturalis, aut ר.

NIPHAL.

Omnia conjugationis hujus tempora deſinunt in (וֹ), quod in primis & ſecundis perſonis mutatur in (וּ), ob aliud (וֹ) ſequens. Alibi remanet. Rariſſime præteritum deſinit etiam in (ָ).

HIPHIL.

Conjugatio hæc in omnibus ſuis temporibus, ſeu modis, terminatur vel in (ִי), vel in (ֵ) immutabilia. Quandoque etiam deſinit in (ַ), cum litera ultima radicalis gutturalis eſt, vel ר.

HOPHAL.

Præteritum & futurum deſinunt in (ַ). Paoúl exit in (ָ). Infinitivus denique terminatur in (ֵ) ex analogia perfectorum; nullum enim ejus exemplum in Bibliis uſitatum occurrit. Quare modum, ſeu tempus illud in paradigmate duximus omittendum. Horum autem verborum paradigma ſit ▭קוּ *ſurgere*, cujus hæc ſunt

MEMORIALIA.

QAL.

▭קָמִיקוּ, קָם dat præteritum & bénoní, יָ characterem futuri, ▭קוּ paoúl, infinitivum, imperativum, & futur. prout vulgo terminantur.

NIPHAL.

▭נְהִיקוֹ, נָ character eſt præteriti & bénoní, הִ ſequente daghéſch forti, infinitivi & imperativi, יִ, ſequente eodem daghéſch, futuri, ▭קוֹ denique conjugationem vulgo terminat.

HIPHIL.

▭הֲמְהִיקִים, הֲ format characterem præteriti, מ bénoní, הָ infinitivi & imperativi, יָ futuri, קִים vulgarem conjugationis terminationem.

HOPHAL.

הומויקם , הו conſtituit characterem præteriti & infinitivi , מו_ עֹו paoúl, יו futuri , קם conjugationem terminat, excepto paoúl, quod, ut diximus, deſinit in (ָ).

Ut autem verborum illorum magis magiſque pateat imperfectio, ſeu à perfectis diſcrepantia: non abs re fuerit primarias eorum voces imperfectas in ſequenti ſchemate perfectis ſubjicere, ut ſupra pag. 213. in defectivis ע.

SCHEMA

Complectens voces primarias cum perfectas, tum imperfectas omnium conjugationum verborum quieſcentium ע.

Futura.	Imperat.	Infinitiv.	Paoúl.	Bénoní.	Præterit.	Conjugationes
יָקוּם יָקֻם	קוּם קֻם	קוּם קֻם	קָוּם קָום	קוֹם קָם	קָוַם קָם	Perfectæ Quieſcent. } Qál.
יִוָּקֵם יִקּוֹם	הִוָּקֵם הִקּוֹם	הִוָּקֵם הִקּוֹם	caret.	נִקְוָם נָקוֹם	נִקְוַם נָקוֹם	Perfectæ Quieſcent. } Niphál.
יְקַוֵּם יְקוֹמֵם	קַוֵּם קוֹמֵם	קַוֵּם קוֹמֵם	caret.	מְקַוֵּם מְקוֹמֵם	קִוֵּם קוֹמֵם	Perfectæ } Piél. Quieſcent. } Poél.
יְקֻוַּם יְקוֹמַם	caret.	caret.	מְקֻוָּם מְקוֹמָם	caret.	קֻוַּם קוֹמַם	Perfectæ } Puál. Quieſcent. } Poál.
יַקְוִים יָקִים	הַקְוֵם הָקֵם	הַקְוִים הָקִים	caret.	מַקְוִים מֵקִים	הִקְוִים הֵקִים	Perfectæ Quieſcent. } Hiphil.
יָקְוַם יוּקַם	caret.	הָקְוַם הוּקַם	מָקְוָם מוּקָם	caret.	הָקְוַם הוּקַם	Perfectæ Quieſcent. } Hophál.
יִתְקַוֵּם יִתְקוֹמֵם	הִתְקַוֵּם הִתְקוֹמֵם	הִתְקַוֵּם הִתְקוֹמֵם	caret.	מִתְקַוֵּם מִתְקוֹמֵם	הִתְקַוֵּם הִתְקוֹמֵם	Perfectæ } Hithpaél. Quieſcent. } Hithpoél.

Jam verbum iſtud integrum flectendum eſt, ad cujus normam non ſolum exiguntur alia verba, quorum ſecunda rad. eſt ו; verum etiam ea quæ pro ſecunda illa radic. habent (י), ut diximus ſupra pag. 242.

Digitized by Google

HITHPOEL.	HOPHAL.	HIPHIL.	POAL.
Perſonæ	Perſonæ	Perſonæ	Perſonæ
Fem. Com. Maſc.	Fem. Com. Maſc.	Fem. Com. Maſc.	Fem. Com. Maſc.
התקומם התקוממה התקוממת התקוממת התקוממתי התקוממו התקוממתם התקוממתן התקוממנו	הוקם הוקמה הוקמת הוקמת הוקמתי הוקמו הוקמתם הוקמתן הוקמנו	הקים הקימה הקימות הקימות הקימותי הקימו הקימותם הקימותן הקימונו	קומם קוממה קוממת קוממת קוממתי קוממו קוממתם קוממתן קוממנו
מתקומם מתקוממה מתקוממים מתקוממות	caret.	מקים מקימה מקימים מקימות	caret.
caret.	מוקם מוקמה מוקמים מוקמות	caret.	מקומם מקוממה מקוממים מקוממות
התקומם } בהתקומם, כהתקומם, להתקומם, מהתקומם	caret.	הקים vel הקם } בהקים, כהקים, להקים, מהקים	caret.
התקומם התקוממי התקוממו התקוממנה	caret.	הקם הקימי הקימו הקמנה	caret.
יתקומם תתקומם תתקומם תתקוממי אתקומם יתקוממו תתקוממנה תתקוממו תתקוממנה נתקומם	יוקם תוקם תוקם תוקמי אוקם יוקמו תוקמנה תוקמו תוקמנה נוקם	יקים תקים תקים תקימי אקים יקימו תקמנה תקימו תקמנה נקים	יקומם תקומם תקומם תקוממי אקומם יקוממו תקוממנה תקוממו תקוממנה נקומם

POEL. Perſonæ Fem.	Com.	Maſc.	NIPHAL. Perſonæ Fem.	Com.	Maſc.	QAL. Perſonæ Fem.	Com.	Maſc.			
קוֹמְמָה		קוֹמֵם	נָקוֹמָה		נָקוֹם	קָמָה		קָם *ſurrexit.*	3.	Sing.	PRÆTERITA.
קוֹמַמְתְּ		קוֹמַמְתָּ	נְקוּמוֹת		נְקוּמוֹתָ	קַמְתְּ		קַמְתָּ	2.		
	קוֹמַמְתִּי			נְקוּמוֹתִי			קַמְתִּי		1.		
	קוֹמְמוּ			נָקוֹמוּ			קָמוּ		3.	Plur.	
קוֹמַמְתֶּן		קוֹמַמְתֶּם	נְקוּמוֹתֶן		נְקוּמוֹתֶם	קַמְתֶּן		קַמְתֶּם	2.		
	קוֹמַמְנוּ			נְקוּמוֹנוּ			קַמְנוּ		1.		
מְקוֹמְמָה		מְקוֹמֵם	נְקוֹמָה		נָקוֹם	קָמָה		קָם		Sing.	BENONI.
מְקוֹמְמוֹת		מְקוֹמְמִים	נְקוֹמוֹת		נְקוֹמִים	קָמוֹת		קָמִים		Plur.	
	caret.			caret.		קוּמָה		קוּם		Sing.	PAOUL.
						קוּמוֹת		קוּמִים		Plur.	
	בְּקוֹמֵם, כְּקוֹמֵם, לְקוֹמֵם, מִקּוֹמֵם	קוֹמֵם		בְּהִקּוֹם, כְּהִקּוֹם, לְהִקּוֹם, מֵהִקּוֹם	הִקּוֹם		בְּקוּם, כְּקוּם, לָקוּם, מִקּוּם	קוּם			INFINITIVI ET GERUNDIA.
קוֹמְמִי		קוֹמֵם	הִקּוֹמִי		הִקּוֹם	קוּמִי		קוּם		Sing.	IMPERATIVI.
קוֹמֵמְנָה		קוֹמְמוּ	הִקּוֹמְנָה		הִקּוֹמוּ	קוּמְנָה		קוּמוּ		Plur.	
תְּקוֹמֵם		יְקוֹמֵם	תִּקּוֹם		יִקּוֹם	תָּקוּם		יָקוּם	3.	Sing.	FUTURA.
תְּקוֹמְמִי		תְּקוֹמֵם	תִּקּוֹמִי		תִּקּוֹם	תָּקוּמִי		תָּקוּם	2.		
	אֲקוֹמֵם			אֶקּוֹם			אָקוּם		1.		
תְּקוֹמֵמְנָה		יְקוֹמְמוּ	תִּקּוֹמְנָה		יִקּוֹמוּ	תְּקוּמֶנָה		יָקוּמוּ	3.	Plur.	
תְּקוֹמֵמְנָה		תְּקוֹמְמוּ	תִּקּוֹמְנָה		תִּקּוֹמוּ	תְּקוּמֶנָה		תָּקוּמוּ	2.		
	נְקוֹמֵם			נִקּוֹם			נָקוּם		1.		

NOTÆ.

OMNIA verba quorum ſecunda radicalis eſt ו, vel י, non ſunt imperfecta; quædam enim ex eis perfectorum analogiam ſequuntur, ut: אָיַב *inimicitias geſſit*, גָּוַע *exſpiravit*, עָוַת, ſive עִוֵּת in piël, *pervertit*, רָוַח *reſpiravit*, שָׁוַע *vociferatus eſt*, &c.

Quæ deſinunt in ה, & quorum media radicalis eſt ו, vel י: ea ſunt tantummodo quieſcentia Lámedh ה, de quibus infra §. 5. ut: אָוָה *concupivit*, קָוָה *exſpectavit*, הָיָה *fuit*, חָיָה *vixit*, &c.

Horumce verborum thema deſumitur ex infinitivo qál, in quo tres literæ radicales exprimuntur; non ex præterito, ut in aliis verbis, quia ſecunda radicalis in eo deficit.

Denique verba illa defectivorum ע flexionem, ut jam monuimus, non raro imitantur; ſive ob mutuam, qua inter ſe devinciuntur, neceſſitudinem; ſive quia defectiva ע, præter vulgares eorum interpretationes, olim etiam ſignificabant ut quieſcentia illa ע, quæ eorum formam imitantur. Sic: v. g. בָּזַז præter *diripiendi* ſenſum, qui in vulgaribus Lexicis ipſi affingitur, olim etiam ſignificare poterat *ſpernere*; quo ſenſu accipitur בַּז Zach. 4. v. 10. quod referunt ad בּוּז, quamvis formam habeat à בָּזַז. Idem dicendum de omnibus verbis imperfectis, quæ aliorum imperfectorum ſequuntur analogiam.

CONJUGATIO QAL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[קָם *ſurrexit.*] Cum א, quod vocant epentheticum, ſed quod erat olim vocalis *a* quæ nunc exprimitur per qaméts ſub ק, וְקָאם Oſe. 10. verſ. 14. *& ſurget.* Sequente maqqáph, remanet (ָ), ut: שָׁת־לִי *poſuit mihi*, Gen. 4. v. 25. ubi apponitur méthegh, quo magis declaretur (ָ) magnum. Vide ſupra pag. 40. col. 1. Ex forma (ֵ), מֵת *mortuus eſt.* Ex forma hhólem, אוֹר *luxit*, *illuxit*, *ſplenduit*: בּוֹשׁ *erubuit*, &c. Sequente maqqaph, hhólem iſtud corripitur in (ָ hhatóuph), ut: אֲשֶׁר־גָּר־שָׁם *ubi habitavit*, Gen. 35. v. 27. Ex forma defectivorum ע, בַּז *ſprevit*, טַח *oblevit*, *obduxit*; vel paſſive *oblitus*, *obductus eſt.* Forte בָּזַז olim ſignificabat etiam *ſprevit*, & טָחַח uſitatum erat in eodem ſenſu ac טוּחַ. Vide notas ſuperior.

III. perſona ſingularis feminina.

[קָמָה *ſurrexit.*] Sic: חָלָה *parturivit*, &c. Cum (ָ) loco (ָ) ſub ultima radicali, niſi ſit error amanuenſium, וְלָנָה *& commorabitur*, Zach. 5. v. 4. Cum א epenthetico ac mobili, וְרָאֲמָה *& exaltabitur*, quaſi à רָאַם. Vel potius א iſtud erat antiqua vocalis *a*, cui nunc reſpondet (ָ) ſub ר, unde melius forte legendum וְרָאמָה. Vide tertiā perſ. ſing. maſc. Ex forma Chaldaica, in qua ה mutatur in ת, & (ָ) in (ַ), וְשָׁבַת *& revertetur.* Vide ſupra pag. 162. col. 1. Cum accentu in ultima præter analogiam, בָּזָה *ſprevit*, Iſai. 37. v. 22. At cum ו converſivo accentus ſyllabam illam occupat, ut: וְשָׁבָה *& reverſa fuerit*, וְרָעָה *& malus fuerit* (oculus), וּבָאָה *& veniet*, וְחָלָה *& permanebit.* וְנָחָה *& requieſcet*, &c.

Ex forma (ֵ), מֵתָה *mortua eſt.* Ex forma hhólem, בּוֹשָׁה *erubuit*, *pudore ſuffuſa eſt.*

II. perſona ſingularis maſculina.

[קַמְתָּ, & in pauſa קָמְתָּ *ſurrexiſti.*] In hac & ſequentibus præteriti hujus perſonis, excepta tertia plurali, motio ſecundæ radicalis excidentis tranſit ſub primam: קַמְתָּ enim, v. g. eſt pro קְוַמְתָּ, aut קְיַמְתָּ. Expreſſo in fine ה, quod ibi latebat, רַצְתָּה *cucurriſti*, בַּנְתָּה *intellexiſti*, &c. Sublata per

ſyncopen

Digitized by Google

ſyncopen ultima radicali ת, eaque compenſata per daghéſch forte in ת incrementi, שַׁתָּ, ut fert Textûs lectio, *poſuiſti*, Pſal. 89. Heb. 90. v. 8. ubi accentus anomalos eſt in ultima, pro שַׁתָּ, aut cum ה expreſſo in fine, ut legendum docent Maſſorethæ, שַׁתָּה.

II. perſona ſingularis feminina.

[קַמְתְּ, & in pauſa קָמְתְּ *ſurrexiſti.*] Ex forma hhólem, בֹּשְׁתְּ *confuſa es*, וְבֹשְׁתְּ *& confunderis.* Cum י paragogico, ſeu potius antiqua vocali *e*, quæ per (ִ) ſub ת hodie exprimitur, וְשַׂמְתִּי *& pones.* Vide ſupra pag. 163. col. 1. pag. 175. col. 1. &c.

I. perſona ſingularis communis.

[קַמְתִּי, & in pauſa קָמְתִּי *ſurrexi.*] Tertia radicali ת ſublata per apocopen, & compenſata in ת ſequenti per daghéſch forte, שַׁתִּי *poſui*, Pſal. 72. Heb. 73. v. 28. ubi accentus eſt in ultima præter analogiam, וָמַתִּי *& moriar*, pro שַׁתְּתִּי, וָמַתְתִּי. Sic cum affixo, וְשַׁתִּיהָ *& ponam eam.* In pauſa, שַׂשְׂתִּי *lætatus ſum*, סַכְתִּי *unxi*, &c. Ex forma hhólem, בֹּשְׁתִּי *erubui.*

III. perſona pluralis communis.

[קָמוּ *ſurrexerunt.*] Ex forma defectivorum ע, vel mutato (ָ) in (ַ) ſequente daghéſch forti per legem æquivalentiæ, שַׁתּוּ *poſuerunt.* Ex forma (ֵ), מֵתוּ *mortui ſunt.* Ex forma hhólem, בּוֹשׁוּ, vel בֹּשׁוּ *erubuerunt, confuſi ſunt*, זֹרוּ *alienati ſunt*, טֹבוּ *boni ſunt.* Mutato hhólem in (ֻ) ſequente daghéſch forti, per legem æquivalentiæ, תֻּכּוּ לְרַגְלֶךָ Deut. 33. v. 3. *conjuncti ſunt ad pedem tuum.* Lxx. ὑπὸ σὲ εἰσὶ *ſub te ſunt.* Vulg. *appropinquant pedibus ejus.* Pagninus deducit ex puál verbi inuſitati חָכָה, cui favet accentus in ultima, quamvis non raro in hac perſona ſyllabam iſtam occupet, ut: נָמוּ *dormitarunt*, נָעוּ *vagati ſunt*, טָחוּ *linierunt*, פָּקוּ *titubarunt*, צָדוּ *venati ſunt*, רָבוּ *litigarunt*, &c. quæ formam quieſcentium lámedh ה, de quibus infra, imitantur.

II. perſona pluralis maſculina.

[קַמְתֶּם *ſurrexiſtis.*] Cum (ְ) loco (ַ) ſub prima radicali: quia duæ illæ motiones ſæpius invicem permutantur, וּפִשְׁתֶּם *& creſcetis.* Vide ſupra pag. 163. col. 2. Ex forma hhólem, ſi eſſet in uſu, בָּשְׁתֶּם boſchtém *erubuiſtis*, mutato hhólem in (ָ hhatoúph), ut ſchevá ſequens quieſcat; nam cum accentus ſit in ultima, ſi retineretur hhólem, ſchevá legeretur poſt ipſum, utpote poſt motionem magnam non fultam accentu tonico.

I. perſona pluralis communis.

[קַמְנוּ, & in pauſa קָמְנוּ *ſurreximus.*] Sic: מַתְנוּ, & in pauſa מָתְנוּ *mortui eſſemus*, רַדְנוּ *dominati ſumus*, Jerem. 2. v. 31. ubi Vulg. *receſſimus*, referebat ad יָרַד *deſcendit*, &c. unde per aphæreſin רַדְנוּ pro יָרַדְנוּ. Sublata tertia radicali נ, ac compenſata per dagh. forte in נ incrementi, וְלַנּוּ pro וְלַנְנוּ *& pernoctemus.* Ex forma hhólem, בֹּשְׁנוּ *erubuimus.*

APPENDIX

AD BENONI.

Singulare maſculinum.

[קָם *ſurgens.*] Cum (ָ) loco (ֵ), quaſi ex verbis defectivis ע, לַח *virens, viridis*, סָר *recedens*, &c. quæ aliis pura ſunt nomina adjectiva. Ex forma (ֵ), מֵת *moriens, moriturus, mortuus*, עֵר *vigilans*, כֵּן *rectus*, &c. Ex forma hhólem, אוֹר *lucens*, גֹּחִ, unde cum affix. גּוֹחִי *abripiens me.* Sic: גֹּחִי *educens me*, &c. quæ poſſunt eſſe nomina adjectiva.

Singulare femininum.

[קָמָה *ſurgens.*] Sic: זָבָה, unde in conſtructo זָבַת *fluens*, ſervato (ָ) penultimæ. Vide ſupra pag. 87. col. 1. Ex forma (ֵ), מֵתָה *mortua.*

Plurale maſculinum.

[קָמִים *ſurgentes.*] Cum א epenthetico, aut potius antiqua vocali *a*, quæ nunc ex-

Digitized by Google

primitur per (ֶ) ſub שׁ, הַשָּׁאטִים *vaſtantes.* Ex forma (ָ), מֵתִים *morientes*, *mortui*, לָנִים *commorantes*, &c. Ex forma hhólem, קוֹמִים, unde cum ה artic. הַקּוֹמִים *inſurgentes*, בּוֹשִׁים, vel בֹּשִׁים *erubeſcentes*, בֹּסִים *conculcantes.* Aliis ſunt potius nomina participialia quam participia.

Plurale femininum.

[קָמוֹת *ſurgentes.*] Cum א epenthetico, ut mox in plurali maſculino, רָאמוֹת *altæ*, שָׁאטוֹת *vaſtantes*, *ſpernentes.* Aliis Syriaſmus eſt, quo ו in hoc participio mutatur in א, quod fit etiam interdum apud Chaldæos.

APPENDIX

AD PAOUL.

Singulare maſculinum.

[קוּם *excitatus.*] Participium iſtud rarum eſt, cum ex iis verbis pauca ſint tranſitiva. Sic: סוּג *averſus*, בּוּז *ſpretus*, לוּט *involutus*, מוּל *circumciſus.*

Singulare femininum.

[קוּמָה *excitata.*] Sic: וְסוּרָה *& recedens*, *& declinans*, לוּטָה *involutus* (gladius), שׂוּמָה *poſitum* (hoc), *poſita* (cædes.) Cum (ְ) in fine loco (ָ), niſi ſit error amanuenſium, זוּרֶה pro זוּרָה *compreſſum* (ovum), Iſai. 59. v. 5. Cum ו in penultima loco ו, רֹעָה Prov. 25. v. 19. unde שֵׁן רֹעָה *dens confractus*, Vulg. *putridus.* Aliis eſt nomen participiale.

Plurale maſculinum.

[קוּמִים *excitati.*] Cum (ֻ) euphonico pro ו, מֻלִים *circumciſi.*

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[קוּם vel קֹם *ſurgere.*] Ex forma ו cujus loco ponitur (ֻ) ad euphoniam, לָנֻס *ad fugiendum*, ubi ל afficitur (ָ) motione ejus communi ante infinitivos monoſyllabos & diſſyllabos penacutos. Vide ſupra pag. 148. col. 1. Ex forma hhólem, קוֹם *ſurgere*, בּוֹשׁ *erubeſcere*, גּוֹר *peregrinari*, לוֹט *operire*, *operimentum*, סוֹר *recedere*, סוֹךְ *ungi*, *ungere*, צוֹד *venari*, רוֹב *litigare*, שׁוֹב *reverti*, &c. quorum pars maxima per gerundium in *do* exponitur. Sic etiam בּוֹא, & cum ה paragogico & accentu in ultima præter communem analogiam, בְּבֹאָה *cum ingreſſi fuerint*, 3. Reg. 14. v. 12. Ex forma quieſcentium lamedh א, de quibus infra, רָצוֹא pro רוּץ, aut רוֹץ *currendo*, Ezech. 1. v. 14. Cum א proſthethico, ſeu primæ radicali præpoſito, אָדוֹשׁ *triturando*, Iſai. 28. v. 28. Aliis Syriaſmus eſt, quo media radicalis א primæ interdum præmittitur, ſic: אָדוֹשׁ pro דָּאוֹשׁ; unde fingunt verbum דָּאַשׁ, ex quo Arabum דאס *trituravit.* Alii denique אָדוֹשׁ repetunt à verbo inuſitato אָדַשׁ, quod apud Syros reperitur, ſed in alio ſenſu.

APPENDIX

AD IMPERATIVUM.

II. perſona ſingularis maſculina.

[קוּם, vel קֹם *ſurge.*] Ex forma ו, cujus loco reponitur (ֻ) ad euphoniam, שֻׁב *revertere.* Ex eadem forma, & cum ה paragogico, חוּסָה *parce*, חוּשָׁה *feſtina*, שׁוּבָה, & cum (ֻ) pro ו, שֻׁבָה, & quinquies cum accentu in ultima, שׁוּבָה *revertere*, קוּמָה & bis קוּמָה *ſurge.* Ex forma hhólem, מוֹל *circumcide*, צוֹר *liga*, שׁוֹב *revertere*, בּוֹא, & cum ה paragogico, וּבוֹאָה, vel וּבֹאָה *& veni.*

Digitized by Google

II. perſona ſingularis feminina.

[קוּמִי *ſurge.*] Cum accentu in ultima, quod ſæpiuſcule accidit, עוּרִי *evigila*, שׁוּבִי *revertere*, &c. Ex forma hhólem, בּוֹשִׁי *erubeſce*, וְדוֹשִׁי & *tritura*, וְגוֹחִי & *educ*, & *profer*, &c.

II. perſona pluralis maſculina.

[קוּמוּ *ſurgite.*] Ex forma hhólem, שׁוֹטוּ *clamate*, בּוֹשׁוּ *erubeſcite*, דֹּמּוּ *filete*, Iſai. 23. v. 2. ubi alia exemplaria habent דֹּמוּ cum daghéſch in מ, quaſi à דָּמַם. Cum (ֻ) euphonico ſub prima radic. loco ו, עֻצוּ *conſilium inite.*

II. perſona pluralis feminina.

[קוּמֶנָה, & ex forma hhólem, קֹמְנָה *ſurgite.*] Sic ex forma hhólem, שֹׁבְנָה *revertimini.*

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יָקוּם, vel יָקֹם, aut יָקֹם *ſurget.*] Sic ex forma ו, יָמוּת, & ex forma hhólem יָמֹת *morietur.* Ex eadem forma ו, יָקוּט *tædio afficiet*, וַיָּרָם & *exaltabitur*, וַיָּשָׁב & *revertetur*, &c. Accentu non pauſante ad penultimam retracto ob ו converſivum, hhólem corripitur in (ָ hhatoúph), ut: וַיָּגָז & *rapuit*, וַיָּגָר & *timuit*, וַיָּמָת & *mortuus eſt*, וַיָּרָם & *elevatum eſt*, וַיָּקָץ & *tædio affectus eſt*, &c. Loco (ָ hhatoúph) uſurpatur vulgo (ַ) ad euphoniam, quando prima, vel tertia gutturalis eſt, aut etiam tertia ר, ut: וַיָּסַר & *declinavit*, וַיָּצַר & *obſedit*, וַיָּעַר & *compreſſit*, וַיָּעַד & *conteſtatus eſt*, וַיָּעַט & *invectus eſt*, וַיָּשַׂר & *imperavit*, וַיָּעַף & *defatigatus eſt*, à perfecto עָיֵף, ſed quod in hoc futuro flectitur more imperfectorum, eâque formâ diſtinguitur à וַיָּעָף & *volavit.* At cum accentus eſt pauſans, remanet in ultima, ubi retinetur etiam hhólem, ut וַיָּמֹת & *mortuus eſt*, וַיָּשֹׁב & *reverſus eſt*, וַיָּעֹף & *volavit*, וַיָּצֹם & *jejunavit*, &c. quibus in locis eſt Sóph paſoúq, vel Athnáhh. Cum (ֵ) ſub characteriſtica ex forma quieſcentium *Pé* י, יֵבוֹשׁ, vel יֵבֹשׁ *erubeſcet*, quaſi à יָבֵשׁ. Et ſic in aliis perſonis. Ex eadem forma, ſed י prima radic. ſervato, mutatoque (ֵ) ultimæ in (ֶ) ob accentum ad penult. vi ו convertentis retractum, וַיִּישֶׂם & *repoſuit*, Gen. 50. v. 26. i. *repoſitus eſt*, ut optime reddidit Vulg. nam verborum activ. tertia perſ. ſæpe paſſive ſumitur, ut videbimus in Syntaxi.

III. perſona ſingularis feminina.

[תָּקוּם, vel תָּקֹם *ſurget.*] Sic ex forma hhólem, תָּחֹס *parcat*, וַתָּמֹג & *liquefacta eſt*, cum accentu pauſante; at ubi non diſtinguit accentus, hhólem corripitur in (ָ hhatoúph), ut ſupra in tertia perſona ſing. maſc. ut: וַתָּחָס & *pepercit*, וַתָּשָׁב & *reverſa eſt*, &c. Sic quando ſequitur vox monoſyllaba, aut diſſyllaba penacuta, vel maqqáph, ut: תָּשָׁב־נָא *revertatur quaſo.* Cum (ַ) loco (ָ hhatoúph), ut ſupra in tertia ſing. maſc. וַתָּנַח & *requievit.* Cum (ַ) ſub characteriſtica ex forma quieſc. lamédh ה per apocopen, וַתַּחַשׁ & *feſtinavit*, Job. 31. v. 5. Cum (ֵ) ſub eadem characteriſtica, תֵּבוֹשׁ *erubeſcet.* Vide tertiam perſonam ſingularem maſculinam.

II. perſona ſingularis maſculina.

[תָּקוּם, vel תָּקֹם *ſurges.*] Cum ה paragogico & ex forma ו, quod mutatur in (ֻ) ad euphoniam, תָּעֻפָה *obtenebreſces*, vel *evolabis.* Ex forma ו, quod corripitur in (ָ hhatoúph) ob accentum ab ultima ad penultimam ob ו convertens retractum, וַתָּשָׁב & *reverſus es*, &c. cum (ַ) loco (ָ hhatoúph), וַתָּגַח & *prodis.* Et ſine ו converſivo, nec alio accentu tonico concurrente, תָּצַר *hoſtiliter agas*, Deut. 2. v. 9.

II. perſona ſingularis feminina.

[תָּקוּמִי, vel תָּקֹמִי *ſurges.*] Ex forma ו, & cum (ַ) ſub characteriſtica loco (ָ),

תֵּבוֹשִׁי *confunderis*, *erubeſces.* Vide tertiam perſonam ſingularem maſculinam.

I. perſona ſingularis communis.

[אָקוּם, vel אָקֹם *ſurgam.*] Cum ה paragogico, אָפוּגָה *timebo*, *dubitabo*, אָקוּמָה *ſurgam*, &c. & cum (ְ) pro ו, אָסֻרָה *divertam.* Ex forma hhólem, & cum (ֵ) ſub characteriſtica, vide tertiam perſonam ſingularem maſculinam, אֵבוֹשׁ, & cum ה paragogico, אֵבוֹשָׁה *erubeſcam.*

III. perſona pluralis maſculina.

[יָקוּמוּ, vel יָקֹמוּ *ſurgent.*] Ex forma ו & cum ן paragogico, quod cum retrahat accentum à penultima ad ultimam, in cauſa eſt cur (ָ) characteriſticæ mutetur in (ְ), ut: יְשׁוּבוּן *revertentur*, יְרוּצוּן *current*, יְקוּמוּן & cum (ְ) euphonico pro ו, יְקֻמוּן *ſurgent*, *reſurgent*, &c. Ex forma ו, יָשׂוּרוּ *regnabunt*, *regnant.* Cum ן parag. יְקֹשׁוּן *tendiculas ponent.* Cum (ֵ) ſub characteriſtica, יֵבוֹשׁוּ, vel יֵבֹשׁוּ *erubeſcent.* Vide tertiam perſonam ſingularem maſculinam.

III. perſona pluralis feminina.

[תְּקוּמֶנָה, vel תָּקֹמְנָה *ſurgent.*] Ex forma ו, וַתָּאֹרְנָה 1. Reg. 14. v. 27. ut legunt Maſſorethæ, Vulg. *& illuminati ſunt* (oculi ejus). At ſecundum τὸ כְּתִיב, ſeu textûs lectionem, וַתִּרְאֶנָה abſque ו quieſcente, ut fit interdum, pro וַתִּרְאֶינָה, Lxx. καὶ ἀνέβλεψαν *& reſpexerunt*, à רָאָה *vidit*, *reſpexit.* Ita, ſecundum eoſdem Maſſoret. תְּשַׁבְנָה Ezech. 35. v. 9. *revertentur*, ubi textûs literæ ferunt תְּשׁבְנָה, Lxx. κατοικηθῶσιν, Vulg. *habitabuntur*, à יָשַׁב *ſedit*, *habitavit.*

Sublata per apocopen ultima litera ה, תְּשֻׁבְןָ *revertentur.* Ex terminatione defectivorum ע, תְּמוֹטֶינָה *commovebuntur*, תְּעוּפֶינָה *convolabunt*, תְּפוּצֶין, cum apocopa ה, *diſpergentur.* Ejecto ו quieſcente, eoque per daghéſch forte ſequenti ɔ impreſſum compenſato, תְּמֻתֶנָה *morientur*, תְּפֻצֶנָה *diſpergentur*; in quibus vocibus (ָ) characteriſticæ mutatur in (ֻ) ob accentum plus una ſyllaba ab eo remotum.

II. perſona pluralis maſculina.

[תָּקוּמוּ, vel תָּקֹמוּ *ſurgetis.*] Cum ן parag. & (ְ) pro ו, תְּמֻתוּן *moriemini.* Ex forma ו, & cum (ֵ) loco (ָ) ſub characteriſtica, תֵּבוֹשׁוּ *erubeſceris.* Vide tertiam perſonam ſingularem maſculinam.

II. perſona pluralis feminina.

[תְּקוּמֶנָה, vel תָּקֹמְנָה *ſurgetis.*] Ex terminatione defectivorum ע, & cum (ְ) euphonico pro ו ſub prima radicali, תְּשֻׁבֶינָה *revertemini.* Vide ſupra tertiam perſ. plur. femin.

I. perſona pluralis communis.

[נָקוּם, vel נָקֹם *ſurgemus.*] Cum ה paragogico, נָקוּמָה *ſurgemus*, נְשׁוּבָה *revertemur*, נָנוּסָה *fugiamus*, וְנָסוּרָה *& divertemus*, וְנָעֻפָה cum (ְ) euphonico pro ו, *& avolavimus*, &c. Ex forma ו, & ſine ה paragogico, נָסוֹג *retrocedemus.*

CONJUGATIO NIPHAL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[נָקוֹם *excitatus eſt.*] Ex forma defectivorum *Pé* נ, נֵעוֹר *ſuſcitatus eſt*, *ſuſcitavit ſe*, ubi (ֵ) eſt loco hhíriq & daghéſch primæ literæ radicali imprimendi. Quanquam vox illa poſſit eſſe etiam à נָעַר, vide ſupra pag. 202. col. 1. Ex forma defectivorum ע, נָמַר, unde in pauſa נָמָר, Jerem. 48. v. 11. Vulg. *immutatus eſt.* Lxx. ἐξέλιπε *defecit.* Quidam, *amarus factus eſt*, *in amaritudinem factus eſt*, à מָרַר.

III. perſona ſingularis feminina.

[נָקוֹמָה *excitata eſt.*] Sic: נְבוֹכָה *perplexa*

erat, נְכוֹנָה *ſtabilitum eſt* (regnum), &c. Ex forma defectivorum ע, quæ interdum mutant (-) primæ radicalis in (·), ut diximus ſupra pag. 219. col. 1. נָקֹטָה *faſtidit*. Vox illa poteſt etiam eſſe tertia perſona ſingularis feminina præteriti qál verbi נָקַט Hebræis inuſitati, ſed Chaldæis *tædio*, *faſtidio fuit*, *tædio affecit*, *afflixit*, &c.

I. perſona ſingularis communis.

[נְקוּמוֹתִי *excitatus*, *excitata ſum.*] Sic: נְפוּגוֹתִי *debilitatus ſum*, נְסוּגוֹתִי *declinavi*. Et cum (ְ) euphonico pro ו, נְבֻנוֹתִי *intellexi*.

II. perſona pluralis maſculina.

[נְקוּמוֹתֶם *excitati eſtis.*] Cum duplici hhólem, נְקֹטוֹתֶם *faſtidio fuiſtis*, נְפֹצוֹתֶם *diſperſi eſtis*.

APPENDIX

AD BENONI.

Singulare maſculinum.

[נָקוֹם *excitatus.*] Sic: נָבוֹן *intelligens*, נָכוֹן *paratum*, *ſtabile*, &c. Cum ו in fine loco ו, נָצוּר *obſeſſus*, quod nonnulli referunt ad paoúl qál verbi נָצַר *cuſtodivit*, *obſedit*. נָבוּב *vacuus*, *excavatus*, *excors*, &c. quod pariter venire poteſt ab inuſitato נָבַב.

Singulare femininum.

[נְקוֹמָה *excitata.*] Sic: נְכוֹנָה *rectum*, femininum pro neutro genere, quo deſtituuntur Hebræi. Cum ו loco hhólem, נְצוּרָה *obſeſſa*. Vide ſupra ſing. maſc. Ex terminatione ת præcedente (·), נְפוֹצֶת *diſperſa*, ubi remanet (·) ob accentum in penultima, à quo proinde plus una ſyllaba non diſtat.

Plurale maſculinum.

[נְקוֹמִים *excitati.*] Sic: נְלוֹזִים & *perverſi*. Cum ו pro hhólem, נְבוּכִים, unde cum (ְ) euphonico נְבֻכִים *perplexi*.

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[הִקּוֹם *excitari*] Sic: הִטּוֹחַ *illiniri*, *obduci*, הִמּוֹל *circumcidendo*. Prima radicali gutturali, daghéſch ex ea excidens compenſatur per (-) ſub characteriſtica, ut: הֵאוֹר, unde cum ל excludente ה charact. & motionem ejus aſſumente, לֵאוֹר *ad illuſtrandum*, *ut illuſtretur*. Vide ſupra pag. 148. col. 2. Cum ו in fine pro ו, בְּהִדּוּשׁ *cum trituratur*, כְּהִתּוּךְ *ſicut conflatur*, Ezech. 22. v. 22. ab inuſitato הִתּוּךְ, quod etiam eſt nomen ſubſtantivum.

APPENDIX

AD IMPERATIVUM.

II. perſona ſingularis maſculina.

[הִקּוֹם *excitare.*] Sic: הִכּוֹן *præparare.*

II. perſona pluralis maſculina.

[הִקּוֹמוּ *excitamini.*] הִמּוֹלוּ *circumcidimini.*

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יִקּוֹם *excitabitur.*] Sic: יִנּוֹן, ut legendum docent Maſſorethæ Pſal. 71. Heb. 72. v. 17. Lxx. διαμενεῖ *permanebit*. Vulg. Lat. *permanet*. S. Hieron. *perſeverabit*. Alii, *ſoboleſcet*, *propagabitur*, &, ſi fas ita loqui, *filiabitur*, à nomine inde derivato נִין *filius*.

Daghéſch ex prima radic. gutturali excidente, ac compenſato per (-) ſub characteriſt. יָעוֹר *excitabitur*, הֵאִיר *& illuxit.*

III. perſona ſingularis feminina.

[תְּקוֹמֵם *excitabitur.*] Sic: וַתֵּהֹם *& perſtrepuit*, *& perſonuit*, cum (-) ſub ת ad compenſandum daghéſch ex prima rad. gutturali ejectum.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יְקוֹמְמוּ *excitabuntur.*] Sic: וַיִּמֹּלוּ Gen. 34. v. 24. *& circumciſi ſunt*, vel *& circumciderunt*; niphál enim verborum Hebræorum active interdum ſignificat inſtar mediorum apud Græcos, & deponentium apud Latinos. Vide ſupra pag. 132. col. 1.

CONJUGATIO POEL.

Conjugatio illa, quam מְרֻבָּע *quadratam* recte appellari poſſe diximus ſupra pag. 131. col. 2. formatur repetita tertia radicali, & prima affecta hhólem immutabili; ו enim quocum hhólem iſtud componitur, vel eſt ſecunda radicalis, quæ hîc & literæ, & vocalis munere fungitur: vel ad ſecundam illam radicalem excidentem compenſandam adhibetur, ut: קוֹמֵם *ſtatuit*, *erexit*, &c. Magna autem motio, quæ literæ excidenti, aut quieſcenti compenſandæ inſervit, vix mutatur, ut jam ſæpe diximus. Interdum tamen verba illa in hac & VII. conjugatione formam Piél perfectorum imitantur, h. e. recipiunt daghéſch in ſecunda radicali, quæ eſt י ſive genuinum, ſive natum ex ו ob facilem literarum אֶהֱוִי permutationem, ut: קִיֵּם *ſtabilivit*, הִצְטַיַּדְנוּ *in viaticum accepimus.*

Ceterum conjugatio illa, quod motionem ultimam (-) attinet, eodem plane modo flectitur ac piél perfectorum, vel poél defectivorum ע, quod vide ſupra pag. 223. Hoc ut planum atque evidens fiat, exempla quædam hîc operæ pretium eſt congerere.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

[קוֹמֵם *erexit*, *excitavit*, maſc.] Ex forma perfectorum, קִיֵּם *ſtabilivit*, Eſth. 9. v. 31. ubi ex facili permutatione literarum אֶהֱוִי, ו convertitur in (י).

[קוֹמְמָה *erexit*, *excitavit*, femin.] Sic: חֹלְלָה *formavit*, Job. 26. v. 13.

[קוֹמַמְתָּ *erexiſti*, *excitaſti*, maſc.] Sic: פוֹרַרְתָּ *diſſipaſti*, Pſal. 73. Heb. 74. v. 13. כּוֹנַנְתָּ Pſal. 118. Heb. 119. v. 9. & cum ה expreſſo in fine, & (-) ſub priori נ loco (-) ob pauſam, כּוֹנַנְתָּה Pſal. 8. v. 4. *fundaſti*, &c.

[קוֹמַמְתִּי *erexi*, *excitavi*, com.] Sublata per apocopen tertia radicali ה, eaque compenſata per daghéſch forte in ſequente ת terminationis, מֹתַתִּי 2. Reg. 1. v. 16. pro מֹתַתִּי *interfeci.* וְדוֹמַמְתִּי *& ſilere feci*, quod huc referunt nonnulli, vide ſupra in poél defectivorum ע. Geminata prima & tertia radic. & ex forma perfectorum, וְסִכְסַכְתִּי *& miſcebo*, Vulg. *& concurrere faciam*, Iſai. 19. v. 2. Aliud exemplum vide ſupra in piél perfectorum, pag. 175. col. 1.

[קוֹמְמוּ *erexerunt*, *excitarunt*, com.] Sic: כּוֹנְנוּ Pſal. 10. Heb. 11. v. 2. *paraverunt.* Ex forma perfectorum, קִיְּמוּ *ſtabilierunt*, Eſth. 9. v. 31.

[קוֹמַמְתֶּם *erexiſtis*, *excitaſtis*, maſc.] Perfectum eſt וְחִיַּבְתֶּם *& reum peragetis*, *condemnabitis*, Dan. 1. v. 10.

AD BENONI.

[מְקוֹמֵם□ *erigens*, *excitans*, maſc.] Sic : מְחוֹלֵל־כֹּל *formans omnia*, Prov. 26. v. 10. cum (ּ) loco (ֵ), quamvis ſequatur maqqáph. qua de re infra lib. 3. cap. 1. מְמוֹתֵת *interficiens*, 1. Reg. 14. v. 13. מְשׁוֹבֵב *avertens*, Iſai. 58. v. 12. מְרוֹמֵם *exaltans*, unde cum affixo מְרוֹמְמִי *exaltans me*, Pſal. 9. v. 14.

[מְקוֹמֶמֶת□, vel מְקוֹמְמָה *erigens*, *excitans*, fem.] Sic ex terminatione ת præcedente duplici (ֶ), מְחוֹלֶלֶת *dolore aſſiciens*, Iſai. 51. v. 9.

[מְקוֹמְמִים□ *erigentes*, *excitantes*, maſc.] Sic : מְשׁוֹטְטִים□ *peragrantes*, *circumeuntes*, Zach. 4. v. 10. Geminata prima & tertia radicali, מְזַעְזְעִים, unde cum affixo, מְזַעְזְעֶיךָ *commoventes*, Vulg. *lacerantes te*, Habac. 2. v. 7.

[מְקוֹמְמוֹת□ *erigentes*, *excitantes*, fem.] Sic cum ל præfixo, לַמְקוֹנְנוֹת *lamentatrices*, Jerem. 9. v. 16. מְצוֹדְדוֹת *venatrices*, Ezech. 13. v. 20. מְשׁוֹטְטוֹת *diſcurrentes*, 2. Paral. 16. v. 9.

AD INFINITIVUM.

[קוֹמֵם□ *erigere*, *excitare.*] Sic : עוֹרֵר *ſuſcitare*, Job. 3 v. 8. לְצוֹדֵד *ad venandum*, Ezech. 13. v. 18. לְשׁוֹבֵב *ad reducendum*, Iſai. 49. v. 5. Ex forma perfectorum לְקַיֵּם *ad ſtatuendum*, Eſth. 9. v. 21.

AD IMPERATIVUM.

[קוֹמֵם□ *erige*, *excita*, maſc.] Cum ה paragogico, כּוֹנְנָה *dirige*, *præpara*, Pſal. 89. Heb. 90. v. 17. עוֹרְרָה *ſuſcita*, *excita*, Pſal. 79. Heb. 80. v. 2. Atque ita perſona illa cum ה iſto paragogico conjuncta ſolo ſenſu à tertia ſingulari feminina præteriti diſtinguitur.

[קוֹמְמוּ *erigite*, *excitate*, maſc.] Sic : רוֹמְמוּ *exaltate*, *excelſum prædicate*, Pſal. 98. Heb. 99. v. 5.

AD FUTURUM.

[יְקוֹמֵם□ *eriget*, *excitabit*, maſc.] Sic : יְמוֹלֵל *ſuccidet*, Pſal. 89. Heb. 90. v. 6. יְשׁוֹבֵב *convertet*, Pſal. 22. Heb. 23. v. 3. יְשׂוֹחֵחַ *meditabitur*, *loquetur*, Iſai. 53. v. 8. יְרוֹמֵם, unde cum affixo, יְרוֹמְמֵנִי *exaltabit me*, Pſal. 26. Heb. 27. v. 5. Geminata prima & tertia radicali, & ex forma piël perfectorum, וַיְפַרְפְּרֵנִי *& diſrupit me*, Job. 16. v. 12. וַיְפַצְפְּצֵנִי *& contritum diſſecit me*, ibid.

[תְּקוֹמֵם□ *eriget*, *excitabit*, fem.] Sic : תְּמוֹתֵת *interficiet*, Pſal. 33. Heb. 34. v. 22.

[תְּקוֹמֵם□ *eriges*, *excitabis*, maſc.] Sic : תְּכוֹנֵן *præparabis*, Pſal. 20. Heb. 21. v. 13. תְּרוֹמֵם, unde cum affixo, תְּרוֹמְמֵנִי *exaltabis me*, Pſal. 17. Heb. 18. v. 49.

[אֲקוֹמֵם□ *erigam*, *excitabo*, com.] Sic : אֲשׂוֹחֵחַ *meditabor*, *eloquar*, Pſal. 142. Heb. 143. v. 5. Ex forma perfectorum cum ה paragogico, & in pauſa; quare remanet (ַ), וָאֲקַיֵּמָה *& ſtatui*, Pſal. 118. Heb. 119. v. 106.

[יְקוֹמְמוּ, & in pauſa, Iſai. 61. v. 4. יְקוֹמֵמוּ *erigent*, *ſtatuent*, *excitabunt*, maſc.] Sic in pauſa, יְרוֹצֵצוּ *diſcurrent*, Nah. 2. v. 4. Et geminata prima radicali loco tertiæ, יְעֹעֵרוּ Iſai. 15. v. 5. pro יְעוֹרְרוּ *excitabunt*, Vulg. *levabunt.* Quidam referunt ad רִיעַ *vociferari*, ita ut יְעֹעֵרוּ ſit per metatheſin, pro יְרֹעֲעוּ *vociferabuntur.* Geminata quidem tertia radicali, ſed altera ex geminatis primæ præpoſita, יְעַלְעוּ Job. 39. v. 30. in forma perfectorum, pro יְלַעֲעוּ *abſorbebunt.* Melius vox illa deduceretur ex inuſitato עָלַע, quamvis non reperiantur hodie verba perfecta quorum prima & tertia radicalis ſit eadem. Ex hoc autem verbo עָלַע, futurum piël erit יְעַלֵּעַ, vel cum (ַ) in fine loco (ֵ) ob gutturalem ע, יְעַלַּע, unde in tertia perſona plurali maſculina יְעַלְּעוּ, & ſine daghéſch in ל ob (ְ) ipſi ſuppoſitum, vide ſupra pag. 174. col. 2. in tertia perſona ſingulari feminina præteriti, יְעַלְעוּ *abſorbebunt*, Vulg. *lambent.*

[תְּקוֹמֵמְנָה□ *erigent*, *excitabunt*, fem.] Sublata tertia radicali נ repetita, eaque per daghéſch forte in נ terminationis compenſata, תְּקוֹנֵנָּה Ezech. 32. v. 16. pro תְּקוֹנֵנְנָה *lamentabuntur.*

[תְּקוֹמֵמְנָה□ *erigetis*, *excitabitis*, fem.] Sic : תְּצוֹדֵדְנָה *venamini*, Ezech. 16. v. 18.

CONJUGATIO POAL.

HÆc conjugatio eadem eſt ac præcedens ex qua formatur, niſi quod deſinat in (-) loco (.). Excipitur ſolum paoúl, quod more participiorum paſſivorum deſinit in (.). Bénoní, infinitivus, & imperativus non ſunt in uſu; aut eorum exempla in Scripturis ſaltem deſiderantur. Aliorum vero temporum, quæ ſunt uſitata, hæc exempla referre ſufficiat.

Præteritum.

[קוֹמַם, in pauſa קוֹמָם *excitatus eſt.*] Sic extra pauſam, עוֹלַל *factus eſt*, Thren. 1. v. 12. quod etiam ad poál עֹלַל referri poteſt. Vide ſupra pag. 223. In pauſa וְרוֹמָם & *exaltatus eſt*, Pſal. 65. Heb. 66. v. 17.

[קוֹמַמְתָּ, in pauſa קוֹמָמְתָּ *excitatus es.*] Sic in pauſa, חוֹלָלְתָּ *formatus es*, Job. 15. v. 7.

[קוֹמַמְתִּי, in pauſa קוֹמָמְתִּי *excitatus ſum.*] Sic in pauſa, חוֹלָלְתִּי *formatus ſum*, Pſal. 50. Heb. 51. v. 7.

[קוֹמְמוּ, in pauſa קוֹמָמוּ *excitati, excitatæ ſunt.*] Sic in pauſa, כּוֹנָנוּ *præparata ſunt*, Ezech. 28. v. 13.

Paoul.

[מְקוֹמָם *excitatus.*] Sic: מְחוֹלָל *dolore affectus*, Iſai. 53. v. 5. מְרוֹמָם *exaltatum* (nomen) 2. Eſd. 9. v. 5. ubi tamen in libris etiam accuratius editis pro (.) ſub priori מ reponitur (-).

[מְקוֹמֶמֶת, & ex forma ה præcedente duplici (∵), מְקוֹמֶמֶת *excitata.*] Sic: מְשׁוֹבֶבֶת *redux, redire facta*, Ezech. 38. v. 8.

Futurum.

[יְקוֹמַם, in pauſa יְקוֹמָם *excitabitur*, maſc.] Sic in pauſa, יְרוֹעָע *clamor, vociferatio fiet*, Iſai. 16. v. 10.

[יְקוֹמְמוּ, in pauſa יְקוֹמָמוּ *excitabuntur*, maſc.] Sic in pauſa, יְחוֹלָלוּ *reformabuntur*, Job. 26. v. 5.

[תְּקוֹמַמְנָה *excitabuntur*, fem.] Sic: תְּרוֹמַמְנָה *exaltabuntur*, Pſal. 74. Heb. 75. v. 11.

CONJUGATIO HIPHIL.

APPENDIX

ad Præteritum.

III. perſona ſingularis maſculina.

[הֵקִים, vel הֵקַם *ſtatuit.*] Sic ex forma hhiriq, הֵסִיר *amovit*, הֵפִיר *diſſipavit*, הֵנִיף *elevavit*, הֵפִיץ *diſperſit*, הֵעִיר *ſuſcitavit*, הֵמִיר, & cum (י) hodie ſuperfluo, ſed antiqua vocali *e*, quæ nunc exprimitur per (-) ſub ה, הֵימִיר *mutavit*, &c. Ex forma (-), הֵפַר *irritum fecit, diſſipavit*, &c. Quando ultima rad. gutturalis eſt, aut ר, pro (-) in ultima, ſæpe uſurpatur (-), ut: הֵרַע *malefecit*, הֵפֵר *irritavit, irritum fecit*, הֵצַר *anguſtiavit*, &c. Cum א epenthetico, & ex forma quieſc. Pé (י), כֻּל הִבְאִישׁ Iſai. 30. v. 5. Vulg. *omnes confuſi ſunt.* Quidam vocem hanc ad בָּאַשׁ referentes interpretantur: *omnes putruerunt, fœtidi facti ſunt.* Secundum hanc expoſitionem, א radicale eſt, ac legendum הִבְאִישׁ. Ex eadem forma, & ſine א epenthetico, הוֹבִישׁ, vel הֵבִישׁ *erubuit, pudefecit.*

III. perſona ſingularis feminina.

[הֵקִימָה, & הֵקַמָה *ſtatuit.*] Sic ex forma (-) ſub prima radicali, הֵקֵרָה Jerem. 6. v. 7. *effudit*,

effudit. Lxx. ψύχει, Vulg. interp. *frigidam facit*; deducebant à קָרַר Chaldæis, Arabibus, & procul dubio olim etiam Hebræis, *frigefacio*, *refrigero.* Ex forma defectivor. ע, הֵסַתָּה *incitavit.* Ex forma quieſcentium *Pé* (י), de quibus in §. præcedenti, הוֹבִישָׁה, vel הֵבִישָׁה *erubuit*, *pudeſecit.*

II. perſona ſingularis maſculina.

[הֲקִימוֹתָ, vel הֲקִמוֹתָ, & cum hhólem deficiente הֲקִמֹתָ *ſtatuiſti.*] Sic ex forma (י), הֲכִינוֹתָ *præparaſti*, *ſtabiliviſti*, &c. Ex forma (־), הֲרֵעֹתָ *maleſeciſti*, *malis affeciſti.* Et cum accentu tonico in ultima ob ו converſivum, וַהֲקֵמֹתָ *& eriges*, וַהֲרֵמֹתָ *& extolles.* Quando prima radicalis gutturalis eſt, characteriſticæ ſubjicitur (־) ſimplex loco (־), quod gutturales non ſolet præcedere, ut diximus ſupra pag. 224. col. 1. in verbis defectivis ע, הֵעַדְתָּ, & expreſſo ה in fine, הַעֲדֹתָה *conteſtatus es.* Cum (־) ſub characteriſt. pro (־), הֲשִׁיבוֹתָ *beneſeciſti*, הֲבִישׁוֹתָ *confudiſti*, הֲשִׁיבוֹתָ *averiſti*, &c. Sublata per aphæreſin characteriſtica, רִיבוֹתָ Job. 33. v. 13. pro הֲרִיבוֹתָ *contendiſti.*

[נִמְצְאָה, & ex forma ת præcedente duplici (ֶ), נִמְצֵאת *inventa.*] Sic ex forma ת, נִפְלֵאת, unde per contractionem נִפְלָאת, ex quo per craſin alteram de qua ſupra in bénoni qál, נִפְלָאת *occulta*, *mirabilis.* Ita quoque נִטְמְאָה *polluta*, נִשֵּׂאת (à נִשָּׂא) *allata*, quamvis legatur etiam ex prima forma נִשָּׂאָה *elevatus* (collis), Iſai. 30. v. 25. Ex quieſc. Pé (י) & Lámedh א, נוֹרָאָה *formidabilis.*

Plurale maſculinum.

[נִמְצָאִים *inventi.*] Sic cum ה articulo הַנִּקְרָאִים *vocati*, Ezech. 48. v. 1. Cum (ִ) ſub ſecunda radicali loco (ָ), vel accelerandæ pronuntiationis gratia, vel quia (ִ) iſtud natum eſt ex (ַ), quaſi à ſingulari inuſitato נִמְצָא, ut nonnullis placet, vide ſupra bénoni niphál quieſc. Pé (י), הַנִּמְצָאִים *inventi*, Eſth. 1. v. 5. cap. 4. v. 16. 1. Reg. 13. v. 15. נִבְּאִים (à נִבָּא) *prophetantes*, 1. Reg. 19. v. 20. Jerem. 14. v. 15. &c. Invenitur tamen ſemel הַנִּבְּאִים Ezech. 13. v. 2. נִטְמְאִים *polluti*, Ezech. 20. v. 30. 31. נֶחְבְּאִים *abſconditi*, Joſ. 10. v. 17.

Plurale femininum.

[נִמְצָאוֹת *inventa.*] Ex defectivis Pé נ & quieſcentibus Lámedh א, הַנִּשָּׂאוֹת *elati* (colles). Ex quieſcentibus Pé (י) & Lámedh א, נוֹרָאוֹת *terribiles*, *terribilia*, &c.

Digitized by Google

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[הִמָּצֵא *inveniri.*] Mutato א in ה, & characteriſtica affecta (-) loco (·) ad compenſandum daghéſch ex prima radicali ejectum, הֵרָפָה *ſanari*, הֵחָבָה *abſcondi.* Ex forma quieſcent. Lámedh ה, הִנַּבּוֹת, unde cum ב præfixo, & affixo ו, בְּהִנַּבְאוֹתוֹ *in prophetando eo, cum prophetaverit*, Zach. 13. v. 4.

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יִמָּצֵא *invenietur.*] Sic ex defectiv. Pé נ & quieſcentibus Lámedh א, יִנָּשֵׂא *attolletur.*

II. perſona pluralis maſculina.

[תִּמָּצֵא *invenieris.*] Ex quieſcentibus Pé (י) & Lámedh א, תִּוָּרֵא *timeberis*, ubi (י) mutatur in ו facilioris pronuntiationis gratia. Vide ſupra pag. 231.

I. perſona ſingularis communis.

[אִמָּצֵא *inveniar.*] Cum ה paragogico, & (·) loco (·) ſub characteriſtica, vide ſupra pag. 173. col. 1. אִמָּלְאָה *replebor.*

III. perſona pluralis maſculina.

[יִמָּצְאוּ, & cum ן paragogico יִמָּצְאוּן *invenientur.*] Cum א paragogico ex uſu Arabico, aut potius ex literarum metatheſi, & ex forma quieſc. Lám. ה, יִנָּשׂוּא Jerem. 10. v. 5. pro יִנָּשְׂאוּ *portabuntur.* Ex forma quieſc. eorumdem verborum Lám. ה, & cum (-) loco (·) ſub (י) ad compenſandum dagh. ejectum, יֵרָפוּ 4. Reg. 2. v. 22. pro יֵרָפְאוּ *& ſanatæ ſunt* (aquæ).

II. perſona pluralis maſculina.

[תִּמָּצְאוּ, & in pauſa תִּמָּצֵאוּ *inveniemini.*] Sic in pauſa, תִּקָּרֵאוּ *vocabimini*, תִּנָּשֵׂאוּ *portabimini*, &c. Aliæ futuri hujus perſonæ nullam habent difficultatem.

CONJUGATIO PIEL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[מִצֵּא, vel מִצָּא *invenit.*] Sic ex forma (-) מִלָּא *implevit*, קִנָּא *zelatus eſt*, נִשָּׂא *extulit*, &c. Interdum etiam primaria illa vox deſinit in (·), vel ex terminatione quieſcentium Lám. ה, vel potius ex forma (-) perfectorum, quod (-) in his verbis mutatur in (·) ob א quieſcens, ut: דִּכֵּא *contrivit*, מִלֵּא *implevit*, נִשֵּׂא *tulit*, *donavit*, &c.

II. perſona ſingularis maſculina.

[מִצֵּאתָ *inveniſti.*] Sic: חִטֵּאתָ *& expiabis*, וּמִלֵּאתָ *& implebis*, וּבֵרֵאתָ cum (-) ſub ב loco (·) ad compenſandum daghéſch ex ר ejectum, *& excides tibi*, &c. ubi accentus tonicus ultimam occupat ob præfixum ו converſivum. Ex forma quieſcentium Lámedh ה, vel א in (י) mutato, נִבֵּיתָ pro נִבֵּאתָ *prophetaſti.*

I. perſona ſingularis communis.

[מִצֵּאתִי *inveni.*] Ex altera forma quieſc. Lám. ה, ſed א ſervato, רִפֵּאתִי *ſanavi.* Geminatis radicalibus, טִאטֵאתִי, unde cum ו converſivo, & affixo ה, וְטֵאטֵאתִיהָ Iſai. 14.

v. 23. *& everram*, *& ſcopabo eam*, quod alii referunt ad verbum טֵאטֵא, ſicque geminatur ſecunda radicalis. Alii ad טוּא, unde repetitur prima & tertia. Alii ad טָאָה, quare duplicatur prima & ſecunda. Vox illa erit analoga ſi deducatur à טְטֵא, & prius א in וְטֵאטֵאתִיהָ ſpectetur ut antiqua vocalis *i* vel *e* prioris ט; quædam enim exemplaria habent וְטֵאטֵאתִיהָ cum (ּ) ſub utroque ט. Primam autem & ſecundam radicalem interdum geminari probat דַּדֶּה *ſenſim procedere.*

II. perſona pluralis maſculina.

[מְצָאתֶם *inveniſtis.*] Sic: רְפָאתֶם *ſanaſtis*, &c. Cum (י) nunc ſuperfluo, ſed antiqua vocali תֹּ ה incrementi, וּמִלֵּאתִים Ezech. 11. v. 6. *& repleviſtis.*

I. perſona pluralis communis.

[מָצָאנוּ *invenimus.*] Ex altera forma quieſcentium Lam. ה, ſed א ſervato, ut ſupra in prima perſona ſingulari, רִפִּאנוּ *ſanavimus*, Jerem. 51. v. 9.

APPENDIX

AD BENONI.

Plurale maſculinum.

[מְמַצְּאִים *invenientes.*] Sic: מְשַׂנְאִים, unde cum ו conv. & affixo, וּמְשַׂנְאֵינוּ Pſal. 43. Heb. 44. v. 8. 11. *& oſores noſtros*, ſine dagh. in נ ob (ְ) ſuppoſitum. Daghéſch ex ר excidente ac compenſato per (ָ) loco (ַ) ſub (י), מְיָרְאִים Nehem. ſeu 2. Eſd. 10. v. 14. *terrentes.* Plurale femininum, ſicut & ſingulare maſculinum nulla laborant anomalia.

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[מַצֵּא *invenire.*] Sic cum ל præfixo, לְמַלֵּא *ad implendum*, לְחַטֵּא *ad expiandum*, &c. Daghéſch excidente compenſato per (ֵ) loco (ַ) ſub prima radicali, לְיָרֵא, unde cum affixo, לְיָרְאֵנִי *ad terrendum me.* Ex forma quieſc. Lam. ה, ſed remanente א, קַנֵּא *zelando*, רַפֵּא *ſanando.* Et cum ה in fine ex eorumdem verborum altera forma, לְמַלְּאוֹת *ad implendum*, Exod. 31. v. 5. cap. 35. v. 33. Et cum ו ſuperfluo לְמַלְּאוֹת, quaſi eſſet לְמַלְּאוֹת, ut habent exemplaria quædam 1. Paral. 29. v. 5. & 2. Paral. 36. v. 21.

APPENDIX

AD IMPERATIVUM.

II. perſona ſingularis maſculina.

[מַצֵּא *inveni.*] Sic: מַלֵּא *imple*, נַשֵּׂא *extolle*, unde cum ו copul. & affixo, וְנַשְּׂאֵם *& extolle eos*, Pſal. 27. Heb. 28. v. 9. Daghéſch excidente compenſato per (ֵ) loco (ַ) ſub prima radicali, ut ſupra in infinitivo, בָּרֵא *elige*, ſignificatione deſumta à בָּרָה.

II. perſona pluralis maſculina.

[מַצְּאוּ *invenite.*] Excidente daghéſch ex ſecunda radicali ob (ְ) ei ſuppoſitum, מַלְאוּ *implete*, Jerem. 4. v. 5. וּמַלְאוּ *& implete*, Ezech. 9. v. 7.

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יְמַצֵּא *inveniet.*] Sic: יְמַלֵּא, & cum ה loco א, יְמַלֶּה Job. 8. v. 21. *implebit.* Cum ו copulativo affecto hhiriq ob (י) ſequens notatum cum (ְ), וִימַלֵּא *& implebis*, Job. 15.

v. 2. Vide infra in conjunctionibus varias τῦ נ motiones.

II. perſona ſingularis feminina.

[תִּמְצְאִי, & in pauſa תִּמְצָאִי *invenies.*] Sic geminatis radicalibus, abjecto א, & in pauſa, תְּשַׂגְשֵׂגִי *creſcere facies*, Iſai. 17. v. 11. Vide ſupra pag. 178. col. 1. in piél perfect.

III. perſona pluralis maſculina.

[יִמְצְאוּ, & in pauſa יִמְצָאוּ *invenient.*] Sic in pauſa, יִמַּלְאוּ *implebunt*, Ezech. 7. v. 19. Extra pauſam, & ejecto daghéſch ex ל ob ( ) ſubſcriptum, וַיְמַלְאוּ & *impleverunt*, Gen. 42. v. 25. Ex forma quieſcentium Lámedh ה, & א extrito, וַיְרַפּוּ Jerem. 8. v. 11. pro וַיְרַפְּאוּ & *curabant.*

II. perſona pluralis maſculina.

[תִּמְצְאוּ *invenietis.*] Cum ן paragogico, תְּדַכְּאוּן, unde cum affixo, & ſervato iſto נ, וּתְדַכְּאוּנַנִי & *contereтis me*, Job. 19. v. 2. Plura de iſto נ cum affixis retento, infra in verbis cum affixis.

CONJUGATIO PUAL.

CONJUGATIO illa ſequitur analogiam Puál verborum perfectorum, niſi quod perſonæ, quæ in verbis perfectis terminantur in (ֶ), in his deſinant in (ֵ) ob א quieſcens, ut diximus ſupra pag. 267.

PRÆTERITUM.

[מֻצָּא *inventus eſt.*] Daghéſch excidente ex ſecunda radicali, eoque compenſato per hhólem, קֹרָא *vocatum, clamatum eſt*, Ezech. 10. v. 13. וְקֹרָא & *vocabitur*, Iſai. 62. v. 2. &c.

PAOUL.

[מְמֻצָּא *inventus.*] Sic dagh. excidente compenſato, מְקֹרָא, unde cum affixo מְקֹרָאִי *vocatus meus, vocatus à me*, Iſai. 48. v. 12.

[מְמֻצָּאֵת *inventa.*] Sic: מְטֻפָּאָה *impurata*, Ezech. 4. v. 14.

[מְמֻצָּאִים *inventi.*] Sic: מְמֻלָּאִים *impleti*, Cant. 5. v. 14. מְסֻלָּאִים *æſtimati*, Thren. 4. v. 2.

[מְמֻצָּאוֹת *inventa.*] Sic: מְטֻלָּאוֹת *reſarta* (calceamenta), Joſ. 9. v. 5.

FUTURUM.

[תְּמֻצָּא *invenietur.*] Mutato א in ה, תְסֻלֶּה Job. 28. v. 16. pro תְסֻלָּא *æſtimabitur.*

CONJUGATIO HIPHIL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[הִמְצִיא *invenire fecit.*] Sic: הִפְלִיא Pſal. 30. Heb. 31. v. 22. & ſine (י), quod etiam in verbis perfectis ſæpe deficit, הִפְלִא Iſai. 28. v. 29. *mirificavit.* Prima gutturali, (ִ) dilatatur in (ֱ), unde ה afficitur (ֶ), ut: הֶחֱטִיא 3. Reg. 14. v. 16. & cum apocopa τῦ א, הֶחֱטִי 4. Reg. 13. v. 6. *peccare fecit, ad peccandum induxit.* Ex forma quieſcentium Lámedh ה, וְהִפְלָה & *mirificavit*, Deut. 28. v. 59. Ex defectivis Pé נ & quieſcentibus Lámedh א, הִשִּׁיא *decepit.* Ex quieſcentibus Pé (י) & Lámedh א, הוֹצִיא *eduxit.*

III. perſona ſingularis feminina.

[הִמְצִיאָה *invenire fecit.*] Prima guttur. הֶחְבִּאַת Joſ. 6. v. 25. contracte pro הֶחְבִּיאָה, & cum duplici terminatione feminina, & hhiriq ſecundæ radicalis mutato in (ַ), accelerandæ & alleviandæ pronuntiationis gratia, ut interdum fieri diximus ſupra pag. 184.

coll. 1. 2. in bénoní plur. hiphil perfect. & pag. 286. col. 2. in tertia perſona plur. maſculina futuri ejuſdem conjugationis, תַּחֲבִאֵתָה Joſ. 6. v. 17. *abſcondit* fideliter, vel fideliſſime, hoc enim duplici ſigno feminino intenſionem ſignificari opinantur.

II. perſona ſingularis maſculina.

[הִמְצֵאתָ *invenire feciſti.*] Ex defectivis Pé נ & quieſc. Lám. א, הִשֵּׁאתָ *ſeduxiſti*, Jerem. 4. v. 10. Ex quieſc. Pé (י) & Lam. א, הוֹצֵאתָ *eduxiſti*, Deut. 9. v. 12. הוֹצֵאתָ *& profers*, Job. 15. v. 13. ubi exemplaria quædam mendoſe habent הוֹצֵאת in ſecunda perſona ſingulari feminina.

II. perſona ſingularis feminina.

[הִמְצֵאת *invenire feciſti.*] Ex quieſcent. Pé (י) & Lám. א, הוֹצֵאת *& profers*, Job. 15. v. 13. ubi alia exemplaria melius habent הוֹצֵאתָ in perſ. maſc. Vide præcedentem perſonam. Cum (ּ) ſub ת præter analogiam; neque enim præcedit aliud ſub א, הוֹצֵאתְ *& afferes*, 3. Reg. 17. v. 13.

I. perſona ſingularis communis.

[הִמְצֵאתִי *invenire feci.*] Ex forma quieſc. Lám. ה, הִמְצֵיתִי, unde cum affixo & hhiríq qatón in fine loco hhiríq gadhól, הִמְצִיתִךָ *invenire*, vel potius *invenire feci te*, 2. Reg. 3. v. 8. Ex quieſcentibus Pé (י) & Lámedh א, הוֹצֵאתִי *eduxi.*

III. perſona pluralis communis.

[הִמְצִיאוּ *invenire fecerunt.*] Ex forma quieſcentium Lámedh ה, הִשְׁנוּ *auxerunt.* Ex defectivis Pé נ & quieſcentibus Lám. א, הִשִּׂיאוּ *portare fecerunt.* Ex quieſcent. Pé (י) & Lámedh א, הוֹצִיאוּ *eduxerunt.*

II. perſona pluralis maſculina.

[הִמְצֵאתֶם *invenire feciſtis.*] Ex quieſc. Pé (י) & Lámedh א, הוֹצֵאתֶם *eduxiſtis.*

APPENDIX

ad Benoni.

[מַמְצִיא *invenire faciens*, maſc.] Sic: מַפְלִיא *mirificans*, &c. Ex forma quieſcentium Lámedh ה, מַקְנֶה Ezech. 8. v. 3. pro מַקְנִיא *ad zelotypiam provocans.* Ex forma quieſc. Pé (י) & Lám. א, מוֹצִיא, & ex terminatione (ּ), מוֹצִא Pſal. 134. Heb. 135. v. 7. *educens.* Aliud exemplum bénoní hujus in (ּ) deſinentis vide ſupra pag. 184. col. 1.

APPENDIX

ad Infinitivum.

[הַמְצִיא, vel הַמְצֵא *invenire facere.*] Sic: לְהַפְלִיא *ad mirificandum*, &c. Sublato א per apocopen, vel mutato in (י), הַחֲטִי pro הַחֲטִיא *peccare facere.* Servato א, לְהַחֲטִיא, & ל aſſumente motionem characteriſticæ excidentis, לַחֲטִיא *ad peccare faciendum.* Vide ſupra pag. 148. col. 2. Ex defectivis Pé נ & quieſc. Lam. א, הַשֵּׁא *decipiendo.* Ex quieſc. Pé (י) & Lám. א, הוֹצִיא *educere*, לְהוֹצִיא *ad educendum.*

APPENDIX

ad Imperativum.

[הַמְצִיא, vel הַמְצֵא *educ*, maſc.] Ex forma quieſc. Lám. ה, הַפְלֵה Pſal. 16. Heb. 17. v. 7. *mirifica.* Ex quieſc. Pé (י) & Lám. א, הוֹצֵא, הוֹצִיא, & ſine (י), הוֹצִא, cum ה parag. הוֹצִיאָה, & ex forma perfectorum הַיְצֵא, ut Maſſorethæ legendum monent Gen. 8. v. 17. *educ*, *profer*, &c. Et ſic in aliis Imperativi hujus perſonis.

Digitized by Google

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יַמְצִיא , vel יַמְצֵא *invenire faciet.*] Ex defectivis Pé נ & quieſcentibus Lámedh א, יַשִּׁיא *decipiet.* Ex quieſcentibus Pé (י) & Lámedh א, יוֹצִיא *educet*, הוֹצִיא *& eduxit.*

III. perſona ſingularis feminina.

[תַּמְצִיא , vel תַּמְצֵא *invenire faciet.*] Sic ex forma (-), תַּדְשֵׁא *germinet.* Ex quieſcentibus Pé (י) & Lámedh א, תּוֹצִיא *producat.*

I. perſona ſingularis communis.

[אַמְצִיא *invenire faciam.*] Sic abſque (י) in fine, וְאַחְבָּא contracte pro וְאַחְבִּיא *& abſcondi*, 3. Reg. 18. v. 13. Ex quieſcentibus Pé (י) & Lámedh א, אוֹצִיא, & cum ה paragogico, אוֹצִיאָה *educam.* Atque ita ſe habent reliquæ futuri hujus perſonæ.

CONJUGATIO HOPHAL.

IN his verbis conjugatio illa nihil diſcrepat ab hophál perfectorum, niſi quod perſonæ, quæ in verbis perfectis deſinunt in (-), in his terminentur in (.) ob א quieſcens. Pauca conjugationis hujus reperiuntur exempla. Si alia ſint ab iis, quæ ſubjiciuntur, illa ad eorum normam facile explicabuntur.

PRÆTERITUM.

[הֻמְצְאָה, & in pauſa הֻמְצָאָה *invenire*, vel *inveniri facta eſt.*] Ex quieſcentibus Pé (י) & Lám. א, & in pauſa, הוּצָאָה *educta eſt*, Ezech. 38. v. 8.

[הֻמְצְאוּ, & in pauſa הֻמְצָאוּ *invenire facti*, vel *factæ ſunt.*] Sic in pauſa, הֻחְבָּאוּ contracte pro הָחְבְּאוּ *abſconditi ſunt*, Iſai. 42. v. 22.

PAOUL.

[מֻמְצָאָה, vel מֻמְצֵאת *invenire*, vel *inveniri facta.*] Sic ex terminatione ה; & ex quieſcentibus Pé (י) & Lámedh א, מוּצֵאת, unde per craſin מוּצֵאת, & facta alia contractione, מוּצָאת *educta*, Gen. 38. v. 25.

[מֻמְצָאִים *invenire*, vel *inveniri facti.*] Ex quieſcentibus Pé (י) & Lámedh א, & cum ה articulo, הַמּוּצָאִים *educti*, Ezech. 14. v. 22. &c.

[מֻמְצָאוֹת *invenire*, vel *inveniri facta.*] Ex quieſcentibus Pé (י) & Lámedh א, מוּצָאוֹת Jerem. 38. v. 22. *educta* (erunt), *educentur.*

CONJUGATIO HITHPAEL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis feminina.

[הִתְמַצְאָה, & in pauſa ex forma (.), הִתְמַצָּאָה *invenit*, vel *inventa eſt.*] Forma compoſita ex hophál & hithpaël, excidente characteriſtica ת, quæ compenſatur per daghéſch in prima radicali, & in pauſa, quæ reduxit motionem primariæ vocis, nempe (.); illa enim conjugatio deſinit vel in (-) ut in perfectis, vel in (.), in quod mutatur (-) alterius formæ perfectorum ob א quieſcens, הֻטַּמָּאָה *polluta eſt*, Deut. 24. v. 4. הֻ eſt ex hophál cum (ֻ) loco (. hhatoúph), reliquum vero ex hithpaël. Si punctis mu-

tatis legatur הָטְמְאֵת hotmáa, vel הֻטְמְאֵת hutmáa, vox erit analoga in hophál.

II. perſona ſingularis maſculina.

[הִתְמַצֵּאתָ *inveniſti*, vel *inventus es.*] Ex forma quieſcentium Lámedh ה, הִתְנַבִּיתָ & *prophetabis*, 1. Reg. 10. v. 6.

I. perſona ſingularis communis.

[הִתְמַצֵּאתִי *inveni*, vel *inventus ſum.*] Excidente characteriſtica ת, eaque compenſata per daghéſch forte primæ radicali impreſſum, וְהִנַּבֵּאתִי Ezech. 37. v. 10. pro הִתְנַבֵּאתִי & *prophetavi.*

III. perſona pluralis communis.

[הִתְמַצְּאוּ *invenerunt*, vel *inventi*, aut *inventa ſunt.*] Abjecta characteriſtica ת, ut in perſona præcedenti, הִנַּבְּאוּ Jerem. 23. v. 13. pro הִתְנַבְּאוּ *prophetarunt.* Et ſic de reliquis perſonis.

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[הִתְמַצֵּא *invenire*, vel *inveniri.*] Ex forma quieſcentium Lámedh ה, מֵהִתְנַבּוֹת à *prophetando*, 1. Reg. 10. v. 13. quaſi à הִתְנַבָּה, quod forte erat olim etiam uſitatum.

APPENDIX

AD FUTURUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יִתְמַצֵּא, vel יִתְמַצָּא *inveniet*, aut *invenietur.*] Ex terminatione (-), & ſublata per ſyncopen characteriſtica ת, ut ſupra in præterito, מִנַּשֵּׂא 2. Paral. 32. v. 23. pro מִתְנַשֵּׂא & *extulit ſe*, & *elatus eſt.* Ex terminatione (·), יִתְנַשָּׂא *extollet ſe*, Num. 23. v. 24. Ex eadem forma, ſed cum ſyncopa ת, יִטַּמָּא *polluet ſe*, Levit. 21. v. 1.

III. perſona ſingularis feminina.

[תִּתְמַצֵּא, vel תִּתְמַצָּא *inveniet*, aut *invenietur.*] Ex terminatione (-), & cum ſyncopa literæ ת, וְתִנַּשֵּׂא Num. 24. v. 7. & *extollet ſe*, pro וְתִתְנַשֵּׂא.

II. perſona ſingularis maſculina.

[תִּתְמַצֵּא, vel תִּתְמַצָּא *invenies*, aut *invenieris.*] Sic ex forma, ſeu terminatione (·), תִּתְפַּלָּא *mirum te exhibebis*, Job. 10. v. 16.

III. perſona pluralis maſculina.

[יִתְמַצְּאוּ, & in pauſa ex forma (·), יִתְמַצָּאוּ *invenient*, vel *invenientur.*] Sic cum ן paragogico, & in pauſa ex forma (·) יִתְמַלָּאוּן *explent ſe*, Job. 16. v. 10. Sublata per ſyncopen litera ת characteriſtica, יִנַּשְּׂאוּ pro יִתְנַשְּׂאוּ *extollent ſe*, Dan. 11. v. 14. Sic יְדַכְּאוּ Job. 5. v. 4. & in pauſa, ut ſupra, יִדַּכָּאוּ ibid. cap. 34. v. 25. & *conterentur*; יִטַּמְּאוּ Ezech. 14. v. 10. &c. & in pauſa יִטַּמָּאוּ ibid. cap. 44. v. 25. &c. *polluentur.*

II. perſona pluralis maſculina.

[תִּתְמַצְּאוּ, & in pauſa ex forma (·), תִּתְמַצָּאוּ *invenietis*, vel *inveniemini.*] Abjecta characteriſtica ת, eaque per daghéſch in prima radicali compenſata, ut in perſonis præcedentibus, תִּטַּמְּאוּ Levit. 11. v. 43. &c. & in pauſa, תִּטַּמָּאוּ ibid. v. 24. &c. *polluemini*, *polluetis vos.*

Frequens eſt in hoc futuro ת alterius literæ characteriſticæ ſyncopa, cujus jam meminimus ſupra pag. 189. Verum ſi puncta vocalia leviter mutaveris, exempla ſuperius adducta ad futurum niphál, vel puál facili negotio revocabuntur. Sic v. g. ſi pro מִנַּשֵּׂא, legas מִנָּשֵׂא, erit futurum niphal; ſi pro יִטַּמָּא, punctaveris יְטֻמָּא, habebis futurum puál. Et ſic de aliis perſonis & exemplis.

§. V.

§. V.

De verbis quieſcentibus Lámedh ה.

VERBA, quæ tertiam radicalem habent ה, vocantur *quieſcentia Lámedh* ה, eo quod ה ſæpius in eis *quieſcat*, ſeu non proferatur, niſi notetur cum mappíq ſic: הּ; tunc enim legitur, ac verba, quæ ſic terminantur, perfecta ſunt, & more perfectorum flectuntur, ut: גָּבַהּ *extulit ſe*, נָגַהּ *ſplenduit*, תָּמַהּ *admiratus eſt*, &c. quæ conjugantur ut מָסַר. At cum mappíq ה illi non imprimitur, tunc quieſcit, proindeque verba illa imperfecta ſunt. Illorum autem ea eſt anomalia: Omnia præterita, primariam vocem quod attinet, deſinunt in (ָ).

Omnia participia & futura terminantur in (ֶ), præter paoúl qál, quod exit in וּי.

Omnes infinitivi, vel perfecti ſunt, vel deſinunt in וֹת.

Omnes denique imperativi terminantur in (ֵ). Vide paradigma.

In flexione autem, tertia radicalis ה vel *quieſcit*, vel *excidit*, vel *mutatur* in י, aut in ת.

Quieſcit in fine vocum omnium primariarum, ſeu perſonarum, quibus nullum accedit incrementum.

Excidit quoties adjungitur incrementum vocale. Excipitur tertia perſona ſingularis feminina præteritorum omnium, ubi mutatur in ת, ne duo ה concurrant, alterum radicale, ſervile alterum. Pereunte autem illo ה, perit & motio præcedens, ſeu quæ ſecundæ rad. ſubjicitur.

Mutatur in י mobile quidem in paoúl qál; alibi vero quieſcens vel in (ִ), vel in (ֵ), vel in (ֶ). Quieſcit in (ִ) in ſecundis & primis perſonis præteritorum qál ſemper, & piél ſæpius, ubi etiam non raro excidit, remanente ſolo puncto (ִ) ſub ſecunda radicali. Quieſcit in (ֵ) in iiſdem perſonis præteriti hophál ſemper. In his vero aliorum præteritorum perſonis quieſcit modo in (ֵ), modo in (ִ), ſæpius tamen in (ִ). Denique in perſonis imperativorum & futurorum deſinentibus in נָה, Iódh iſtud quieſcit in (ֶ), ſic: ינָה.

Ceterum verba illa ſæpe imitantur formam ac flexionem quieſcentium Lámedh א, de quibus in §. præced. Sæpe etiam tertiæ ſuæ radicalis apocopen patiuntur in imperativis & futuris, ut videre eſt in appendicibus, in quibus afferentur etiam exempla verborum illorum cum dupliciter imperfecta ſunt, puta defectiva Pé נ, & quieſcentia Lámedh ה; vel quieſcentia Pé י, aut א, & ſimul Lámedh ה. Simplicium Paradigma ſit גָּלָה *migravit*, *revelavit*, &c.

HITHPAEL.			HOPHAL.			HIPHIL.			PUAL.		
Perſonæ			Perſonæ			Perſonæ			Perſonæ		
Fem.	Com.	Maſc.	Fem.	Com.	Maſc.	Fem.	Com.	Maſc.	Fem.	Com.	Maſc.
התגלתה		התגלה	הגלתה		הגלה	הגלתה		הגלה	גלתה		גלה
התגלית		התגלית	הגלית		הגלית	הגלית		הגלית	גלית		גלית
	התגליתי			הגליתי			הגליתי			גליתי	
	התגלו			הגלו			הגלו			גלו	
התגליתן		התגליתם	הגליתן		הגליתם	הגליתן		הגליתם	גליתן		גליתם
	התגלינו			הגלינו			הגלינו			גלינו	
מתגלה		מתגלה		caret.		מגלה		מגלה	גלה		גלה
מתגלות		מתגלים				מגלות		מגלים	גלות		גלים
	caret.		מגלה		מגלה		caret.		מגלה		מגלה
			מגלות		מגלים				מגלות		מגלים
בהתגלות		התגלות			הגלה	בהגלות		הגלה			גלה
כהתגלות					הגלות	כהגלות		הגלות			גלות
להתגלות						להגלות					
מהתגלות						מהגלות					
התגלי		התגלה		caret.		הגלי		הגלה		caret.	
התגלינה		התגלו				הגלינה		הגלו			
תתגלה		יתגלה	תגלה		יגלה	תגלה		יגלה	תגלה		יגלה
תתגלי		תתגלה	תגלי		תגלה	תגלי		תגלה	תגלי		תגלה
	אתגלה			אגלה			אגלה			אגלה	
תתגלינה		יתגלו	תגלינה		יגלו	תגלינה		יגלו	תגלינה		יגלו
תתגלינה		תתגלו	תגלינה		תגלו	תגלינה		תגלו	תגלינה		תגלו
	נתגלה			נגלה			נגלה			נגלה	

PIEL. Perſonæ Fem.	Com.	Maſc.	NIPHAL. Perſonæ Fem.	Com.	Maſc.	QAL. Perſonæ Fem.	Com.	Maſc.			
גלתה		גלה	נגלתה		נגלה	גלתה		גלה *migravit.*	3.	Sing.	PRÆTERITA.
גלית		גלית	נגלית		נגלית	גלית		גלית	2.		
	גליתי			נגליתי			גליתי		1.		
	גלו			נגלו			גלו		3.	Plur.	
גליתן		גליתם	נגליתן		נגליתם	גליתן		גליתם	2.		
	גלינו			נגלינו			גלינו		1.		
מגלה		מגלה	נגלה		נגלה	גולה		גולה		Sing.	BENONI.
מגלות		מגלים	נגלות		נגלים	גולות		גולים		Plur.	
caret.			caret.			גלויה		גלוי		Sing.	PAOUL.
						גלויות		גלוים		Plur.	
בגלות		גלה	בהגלות		הגלה	בגלות		גלות			INFINITIVI ET GERUNDIA.
כגלות		גלה	כהגלות		הגלות	כגלות		גלות			
לגלות		גלות	להגלות			לגלות		גלות			
מגלות			מהגלות			מגלות					
גלי		גלה	הגלי		הגלה	גלי		גלה		Sing.	IMPERATIVI.
גלינה		גלו	הגלינה		הגלו	גלינה		גלו		Plur.	
תגלה		יגלה	תגלה		יגלה	תגלה		יגלה	3.	Sing.	FUTURA.
תגלי		תגלה	תגלי		תגלה	תגלי		תגלה	2.		
	אגלה			אגלה			אגלה		1.		
תגלינה		יגלו	תגלינה		יגלו	תגלינה		יגלו	3.	Plur.	
תגלינה		תגלו	תגלינה		תגלו	תגלינה		תגלו	2.		
	נגלה			נגלה			נגלה		1.		

CONJUGATIO QAL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[גָּלָה *migravit.*] Sic : גָּאָה *magnificatus eſt*, רָפָה, & ex quieſc. Pé (י) & Lam. ה, יָרָה *dejecit*, הָיָה *fuit*, חָיָה *vixit* ; duo enim illa verba ſunt tantummodo quieſc. Lám. ה, quamvis ſecunda eorum radicalis ſit (י). Vide ſupra pag. 248. col. 1. ה mutato in א, קָרָא, unde cum affixo, קְרָאַנִי *obvenit mihi*, Job. 4. v. 14. contracte pro קָרָא לִי, aut potius קָרָה לִי, vel retracto accentu ob concurſum, קָרָה לִי.

III. perſona ſingularis feminina.

[גָּלְתָה, & in pauſa גָּלָתָה *migravit.*] Sic extra pauſam, הָיְתָה *fuit*, וְחָיְתָה *& vivat*, כָּלְתָה *defecit*, רָאֲתָה *vidit*, &c. In pauſa, הָיָתָה *fuit*, יָאָתָה *decet*, מָרָתָה *rebellavit*, &c. Sublato per apocopen incremento feminino ה, & motione τῆ ה tranſeunte ſub ſecundam radicalem cujus abjicitur (ְ), וְעָשָׂת Lev. 25. v. 21. pro וְעָשְׂתָה *& faciet.* Sic : וְקָרָאת *& obveniet*, Deut. 31. v. 29. ubi א antiqua vocalis *a* redundat. Vel perſona illa formam imitatur quieſc. Lám. א, de qua ſupra pag. 270. Anomalum eſt וְחָיָה Exod. 1. v. 16. *& vivat*, quod nonnulli reducunt ad חָיֵי, unde חָיָה, & mutato (ֵ) cum daghéſch in (ָ) per legem æquivalentiæ, חָיָה ; ſicque differt à nomine חַיָּה *beſtia*, *fera*, &c. Aliis eſt ſyncopa pro חָיָתָה in pauſa. Si puncta ſic mutentur : חַיָּה, erit bénoní ſingulare femininum, de quo infra. Mutato ה in י ex facili permutatione literarum אָחֲיָה, חָסָיָה *confidit*, Pſal. 56. Heb. 57. v. 2. In hac porro mutatione ה in י, quæ infra ſæpe recurret, accentus vulgo occupat penultimam ; quare loco (ִ), cum ibi repetitur, ſubſcribitur, ut plurimum, (ָ).

II. perſona ſingularis maſculina.

[גָּלִיתָ, vel גָּלְתָ *migraſti.*] Sic : חָיִיתָ, & חָיְתָ *fuiſti*, וְחָיִיתָ *& vives*, נָחִיתָ *deduxiſti*, נָטִיתָ *extendiſti*, &c. Et expreſſo ה in fine, quod ibi latebat, בָּנִתָה *ædificaſti*, וְהָיִתָה *& eris*, וְחָיִתָה *& vives*, רָאִיתָה *vidiſti*, &c. ה iſto mutato in (י), aut (י) illo paragogicas adjecto, עָשִׂיתִי 2. Reg. 14. v. 21. *feciſti*, ut ibi legendum docent Maſſorethæ. At LXX. ἐποίησα, Vulg. *feci.* Paraph. Chald. Syrus, Arabs, & alii interpretantur etiam *feci* in prima perſona ; proindeque legebant עָשִׂיתִי. Analogum eſt גָּבַהְתְּ *extuliſti te*, venit enim à גָּבַהּ cum mappiq in ה, quod proinde ſonat. Vide ſupra pag. 281.

II. perſona ſingularis feminina.

[גָּלִית *migraſti.*] Sic : חָזִית *vidiſti*, חָלִית *ægrotaſti*, הָיִית *fuiſti*, &c. Cum ( ) ſub ה, quamvis non præcedat aliud ſub (י), עָשִׂית *feciſti*, quod ſic quater legitur ſecundum Maſſoram. Sic etiam וְהָיִית *& eris*, *& eſto*, 2. Reg. 14. v. 2. Et cum (י) hodie paragogico, ſed quo olim (ִ) iſtud exprimebatur, הָיִיתִי *fuiſti*, Ezech. 16. v. 31. עָשִׂיתִי *feciſti*, ibidem, & vv. 43. 47. 51. Vide etiam ſupra pag. 163. col. 1.

I. perſona ſingularis communis.

[גָּלִיתִי *migravi.*] Sic : הָיִיתִי *fui*, עָשִׂיתִי *feci*, בָּנִיתִי, & ſine (י) in medio, בָּנִתִי 3. Reg. 8. v. 44. & eodem deficiente in fine, בָּנִית ibid. v. 48. *ædificavi.* Tertia radicali ה mutata in א loco (י), quaſi ex forma quieſcentium Lámedh א, רָצָאתִי *volui*, *acceptos habui*, vel *habeo.* Eodem ה mutato in ו pro (י), שָׁלַוְתִּי, pro שָׁלִיתִי, *tranquillus fui*, quaſi à שָׁלָו in forma perfectorum.

III. perſona pluralis communis.

[גָּלוּ *migraverunt*, contracte pro גָּלְיוּ ; quare accentus eſt in ultima, quamvis non

Digitized by Google

præcedat (ִ).] Sic : הָיוּ *fuerunt* , חָיוּ *vixerunt* , &c. Cum א paragogico ex forma Arabica , de qua ſupra pag. 163. col. 1. אָבוּא *voluerunt* , Iſai. 28. v. 12. niſi ſit metatheſis pro אָבְאוּ ex forma quieſcentium Lámedh א. Mutata tertia radicali ה in (י) præcedente (ִ) etiam extra pauſam , & cum accentu in penultima , נָטָיוּ *declinaverunt* , חָסָיוּ *ſperaverunt*. Eodem ה mutato in ו , & cum punctorum vocalium craſi , נָאווּ Cant. 1. v. 10. pro נָאֲווּ ex forma perfectorum , *pulchræ ſunt* genæ , vel maxillæ tuæ. Alii referunt ad niphál verbi אָוָה , unde נַאֲווּ , & contracte נָאווּ. Ex forma quieſcentium Lámedh א , תָּלָאוּ , unde cum affixo , תְּלָאוּם *ſuſpenderunt eos* , 2. Reg. 21. v. 12. ubi ſic legendum docent Maſſorethæ. At ſi literarum habeatur ratio , erit תְּלוּם analogως , ut videbimus infra in verbis iſtis cum pronominibus affixis conjunctis. Ita ſi ſpectentur literæ in הָיְיָה Joſue 15. v. 4. erit הָיְיָה ; ſi vero puncta vocalia , הָיוּ , ut legunt Maſſorethæ. Vide eamdem anomaliam ſupra pagin. 163. coll. 1. 2. pag. 170. col. 2. pag. 180. col. 2. &c. Cum accentu in penultima ex forma quieſc. ע , חָזוּ *viderunt* , כָּלוּ *defecerunt* , תָּעוּ *erraverunt* , &c. Perfecta ſunt , גָּבְהוּ *extulerunt ſe* , תָּמָהוּ cum (ָ) loco (ְ) , & accentu in penultima ob pauſam , *admirati ſunt*. Vide ſupra pag. 281. Qaméts primæ rad. mutato in (ַ) ſequente daghéſch per legem æquivalentiæ , יַדּוּ Abd. v. 11. pro יָדוּ *projecerunt*. Alii referunt ad verbum inuſit. יָדַד , ut סַבּוּ.

II. perſona pluralis maſculina.

[גְּלִיתֶם *migraſtis*.] Sic : הֱיִיתֶם *fuiſtis* , וִהְיִיתֶם *& eritis* , וִחְיִיתֶם *& vivetis* , ſine dilatatione (ֱ) ſub ה , & ח , quod his duobus verbis accidit quoties litera aliqua ſervilis primæ eorum radicali præponitur. Interdum tamen litera illa ſervilis eodem modo punctatur , ac ſi ſchevá iſtud fuiſſet dilatatum. Vide imperativum.

II. perſona pluralis feminina.

[גְּלִיתֶן *migraſtis*.] Sic : עֲשִׂיתֶן *feciſtis* , Ezech. 33. v. 26. ubi eſt vel enallage perſonæ femininæ pro maſculina , vel error amanuenſium.

I. perſona pluralis communis.

[גָּלִינוּ *migravimus*.] Sic : הָיִינוּ *fuimus* , וְהָיִינוּ *& erimus*. Ex forma quieſc. Lám. א , & ſublata prorſus tertia radicali ה , אָתָנוּ *venimus*.

APPENDIX

AD BENONI.

Singulare maſculinum.

[גּוֹלֶה , vel גֹּלֶה *migrans*.] Sic : הֹוֶה (ab הָוָה) *exiſtens* , שֹׁוֶה *conducens* , עֹשֶׂה *faciens* , &c. ה mutato in א ex forma quieſc Lám. א , נֹשֶׂא *exigens* , *exactor*. Cum (ֵ) loco (ֶ) ex forma eorumdem verborum quieſcentium Lám. א ; vel potius quia participium iſtud naturam nominis induit , proindeque formam nominum conſtructorum imitatur , ut: בּוֹנֵה Pſal. 141. Heb. 142. v. 7. *ædificans* Jeruſalem , ſeu potius *ædificator*. Sic : עֹשֵׂה *faciens* , ſeu *factor* , רֹאֵה *videns* , ſeu *conſpector* , Pſal. 63. Heb. 64. v. 9. ubi eſt ſtatus conſtructus ob ב ſequens in בָּם *in eis*. Vide ſupra pag. 124. col. 1. קֹנֵה *poſſidens* , ſeu *poſſeſſor* ; & ſic ſemper in regimine , præterquam in Prov. 15. v. 32. ubi eſt cum (ֶ) , ſic : קוֹנֶה לֵּב *poſſidens cor* , cum accentu in penultima ob alium immediate ſequentem in לֵּב , cujus ל notatur cum dagh. forti ob vocem præcedentem deſinentem in הֶ ſine accentu in ultima. Vide ſupra pag. 29. col. 2. רֹעֵה *paſcens* , ſeu *paſtor* , חֹזֵה *videns* , ſeu *propheta* , רֹמֵה *jaculans* , ſeu *jaculator* , &c. Mutato ה in (י) ex quo factum eſt hhiríq gadhól , רֹעִי *paſcens* , *paſtor* , Iſai. 38. v. 12. Zach. 11. v. 17. Aliis pluralis eſt numerus cum apocopa τῦ ם , pro רֹעִים. Vide ſupra pag. 54. col. 2.

Singulare femininum.

[גּוֹלָה , vel גֹּלָה , contracte pro גּוֹלִיָּה *mi-*

grans.] Sic : הוֶה חוֶה *exiſtens* , עֹשֶׂה *faciens* , רֹעֶה רעה *paſcens* , &c. Mutato ה in (י) , & cum ( ) ſub ſecunda radicali , ut in forma perfecta , כְּעֹטְיָה Cant. 1. v. 7. *ſicut amicta* , Lxx. *ὡς περιβαλλομένη quaſi circumamicta* , ob luctum & triſtitiam ; Sym. *ῥεμβομένη errans* , *vaga.* Vulg. *vagari incipiam.* Cum hhiriq qatón ſub ſecunda radicali , loco hujuſcemodi ( ) , בֹּכִיָּה *flens* , צֹפִיָּה *ſpeculans* , פֹּרִיָּה *fructificans* , הֹמִיָּה *ſtrepera* , דּוֹמִיָּה , cum ו loco ו , *ſilens* , &c. ubi יוד (י) imprimitur dagheſch forte , quod venit ſemper poſt motiones parvas , quas non ſequitur immediate ( ) , vel accentus. Vide ſupra pag. 29. col. 2. Ceterum hhiriq iſtud natum eſt ex hhiriq , quod in hoc participio ſing. maſculino verborum perfectorum interdum conſpicitur. Vide ſupra pag. 164. col. 1. ה converſo in ת , פֹּרָת פרת Gen. 49. v. 22. pro פֹּרָה , ſecundum Qimhhium , *fructificans.*

Plurale maſculinum.

[גּוֹלִים , vel גֹּלִים , contracte pro גּוֹלִיִים *migrantes.*] Sic : עֹשִׂים *facientes* , &c. Ex forma quieſcentium Lám. א , quod tamen ibi otiatur , נֹשְׁאִים 2. Eſd. ſeu Nehem. 5. v. 7. *exigentes* , *exactores* ; pro נֹשִׁים , unde cum affixo מִנּוֹשַׁי *ex creditoribus meis* , Iſai. 50. v. 1.

Plurale femininum.

[גּוֹלוֹת , vel גֹּלוֹת , contracte pro גּוֹלִיוֹת *migrantes.*] Sic : הֹמוֹת *ſtreperæ* , שֹׁנוֹת *diverſæ* , &c. Mutato ה in (י) præcedente hhiriq qatón , ut ſupra in ſingulari feminino , אֹתִיּוֹת pro אֹתוֹת *ventura.*

APPENDIX

AD PAOUL.

Singulare maſculinum.

[גָּלוּי *revelatus.*] In hoc participio ה mutatur in (י) , ut diximus ſupra pag. 281. pro גָּלוּה . Sic : עָשׂוּי , & ſublato (י) per apocopen , הֶעָשׂוּ *factus* , Job. 41. v. 24. al. 25. quod aliis eſt præteritum. Cum eadem apocopa , וְצָפוּ & *exploratus* , ibidem. cap. 15. v. 22. pro וְצָפוּי , ut legendum docent Maſſorethæ.

Singulare femininum.

[גְּלוּיָה *revelata.*] Sic : עֲשׂוּיָה , & cum ( ) euphonico pro ו , עֲשֻׂיָה *facta.*

Plurale maſculinum.

[גְּלוּיִם *revelati.*] Sic : עֲשׂוּיִם cum unico (י) pro עֲשׂוּיִים *facti.* ה mutato in א loco (י) , ex forma quieſcent. Lám. א , תְּלוּאִים *ſuſpenſi* , Oſe. 11. v. 7. pro תְּלוּיִים , aut cum unico (י) , תְּלוּיִם , quod legitur Joſ. 10. v. 26. Sic : לִשְׁבוּיִם *captivis* , Iſai. 61. v. 1.

Plurale femininum.

[גְּלוּיוֹת *revelatæ.*] Cum ( ) euphonico loco ו , הָרְאֻיוֹת *viſæ* , *ſpectatæ* , Eſth. 2. v. 9. עֲשֻׂיוֹת *paratæ* , 1. Reg. 25. v. 18.

APPENDIX

AD INFINITIVUM.

[גְּלֹה *migrare.*] Sic : גָּאֹה *magnificando* , זָנֹה *ſcortando* , הָיֹה *eſſe* , *eſſendo* , חָיֹה *vivendo* , עָשֹׂה *facere* , *faciendo* , עָלֹה *aſcendendo* , שָׁתֹה *bibere* , &c. ה mutato in א , ex forma quieſcentium Lám. א , בָּצֹא *volando* , *avolando.* Eodem ה converſo in ו , aut penitus ſublato , ſi ו ſpectetur ut comes תּוֹ hhólem , בָּכוֹ *plorando* , גָּעוֹ *mugiendo* , הָיוֹ *eſſe* , *eſſendo* , חָיוֹ *vivendo* , חָתוֹ *auferre* , עָשׂוֹ *facere* , שָׁתוֹ *bibere* , &c. Et cum hhólem in penultima pro ( ) , הֹרוֹ וְהֹגוֹ *concipere & meditari.* Denique ה mutato in ת , רְאוֹת *videre* , שְׁתוֹת *bibere* , אָלוֹת *jurare* , &c.

[גַּלֵּה *migrare.*] Sic : קְנֵה *poſſidere* , עֲשֵׂה *facere* , רְאֵה *videre* , שְׁתֵה *bibere* , &c. Cum ( ) in fine ex forma Chaldaica , הֱיֵה *eſſe* , רְאֵה *videndo.* Sic in Daniele & Eſdra ſæpe occurrit לְהֱוֵה *eſſe* , ab הֲוָה , vel הֲוָא . Mu-

Digitized by Google

tato ה in א ex forma quieſc. Lám. א, יְרוֹא *jaculari*, unde cum ל præfixo, לִירוֹא *ad jaculandum*. Eodem ה converſivo in ו, & addito alio ה paragogico, לִרְאוֹתָה *ad videndum*. Verum eſt potius nomen verbale ejuſdem formæ ac illa, de quibus ſupra pag. 165. col. 2. in fine. Ad nominum etiam claſſem pertinet מֵחֲרוֹן Pſal. 84. Heb. 85. v. 4. in ſtatu conſtructo loco abſoluti, *à furore, ab æſtu*, quod nonnulli volunt eſſe infinitivum cum ן paragogico.

[גְּלוֹת, vel גְּלֹת *migrare.*] Sic: עֲשׂוֹת *facere*, חֲנוֹת, unde וּבַחֲנוֹת *& in caſtra metando*, בַּחֲרוֹת *in exardeſcendo*, לַעֲנוֹת *ad reſpondendum*, לַחְתּוֹת contracte pro לַחֲתוֹת *ad capiendum*, לִרְאוֹת *ad videndum*, לִירוֹת & ſine (י) לְרוֹת (à יָרָה) *ad jaculandum*, הֱיוֹת *eſſe*, חֲיוֹת *vivere*; & cum *bikhlám*, לִהְיוֹת *eſſe*, לִחְיוֹת *ad vivendum*; & ſic cum aliis particulis, quibus ad infinitivum iſtum accedentibus, (ֱ) non dilatatur ſub ה & ח, ut diximus ſupra pag. 285. col. 2.

APPENDIX

AD IMPERATIVUM.

II. perſona ſingularis maſculina.

[גְּלֵה *migra.*] Sic: בְּנֵה *ædifica*, עֲלֵה *aſcende*, עֲשֵׂה *fac*, הֱיֵה *eſto*, וֶהְיֵה *& eſto*, וֶחְיֵה *& vive*, ubi ו copulativum afficitur (ֶ), quaſi à וַהֲיֵה, וַחֲיֵה; unde (ֲ) reducto ad ſimplex (ְ), vel eo non dilatato, ut fit in his verbis cum litera aliqua ſervilis præponitur, ut diximus ſupra pag. 285. col. 2. ו ſuum retinet (ֶ). Mutato ה in א, הֱוֵא (ab הֱוֵה) *eſto*.

II. perſona ſingularis feminina.

[גְּלִי contracte pro גְּלַיִי *migra.*] Sic: שְׁחִי *incurva te*, וּרְאִי *& vide*, חֲבִי *latita*, עֲשִׂי *fac*, עֲלִי *aſcende*, הֱיִי *eſto*, חֲיִי *vive*, אֱלִי *plange*, *ulula*, &c.

II. perſona pluralis maſculina.

[גְּלוּ contracte pro גְּלָיוּ *migrate.*] Sic: פְּרוּ *fructificate*, וּרְבוּ *& multiplicamini*, סְפוּ *adjicite*, יְדוּ *jacite*, עֲלוּ *aſcendite*, וַעֲשׂוּ *& facite*, עֲנוּ *canite*, הֱיוּ *eſtote*, וִהְיוּ *& eſtote*, וִחְיוּ *& vivite*, ubi (ֱ) non dilatatur ob ſervilem præcedentem. Vide ſupra pag. 285. col. 2. Cum (ֵ) ſub prima radicali א loco (ֱ) pronuntiationis dilatandæ gratia, אֵפוּ *coquite*, Exod. 16. v. 23. Sic ה mutato in (י) præcedente (ֶ), ut ſupra in præterito, אֵתָיוּ Iſai. 21. vv. 12. 14. &c. & cum ה loco א, הֵתָיוּ Jerem. 12. v. 9. *venite.* Aliis Syriaſmus eſt, quo א afficitur (ֵ) loco (ְ) mobilis, quoties litera illa vel eſt character futuri, vel prima verborum radicalis. In eadem mutatione ה in (י) præcedente (ֶ), בְּעָיוּ *quærite*, Iſai. 21. v. 12.

II. perſona pluralis feminina.

[גְּלֶינָה *migrate.*] Sic: בְּכֶינָה *flete*, וּרְאֶינָה *& videte*, &c.

APPENDIX

AD FUTURUM.

FREQUENS eſt in hoc futuro apocopa, qua in perſonis incremento deſtitutis tollitur tertia radicalis ה, motio ſecundæ radicalis, quæ eſt (ֶ), tranſit ad primam, & literæ characteriſticæ afficiuntur vel (ִ) ut in forma integra, vel (ַ), ut: יֶרֶב pro יִרְבֶּה *augeſcet*, תֵּפֶן pro תִּפְנֶה *aſpicias*, &c.

Quando prima, vel ſecunda radicalis gutturalis eſt, pro (ִ) ſub prima radicali, reponitur (ַ), & literæ characteriſticæ afficiuntur

ſæpius (·), vel (-); rarius (-), ut : יִחַר pro יֶחֱרֶה, aut יֶחֱרֶה *iraſcetur*; יַעַל pro יַעֲלֶה *aſcendet*, תֵּתַע pro תִּתְעֶה *errabis*, &c.

Denique cum ſecunda radicalis eſt ex בְּגַד כְּפַת, aut ſaltem ex eodem organo, ſeu claſſe, (·) primæ radicalis ſæpius reſolvitur in duo (·), quorum prius ſubjicitur primæ radicali, poſterius vero ſecundæ, idque pronuntiationis accelerandæ gratia; & literæ characteriſticæ afficiuntur vel (·); vel (-), ut : וַיֵּשֶׁב pro וַיִּשְׁבֶּה *& captivum fecit*, וַיֵּרְדְּ pro וַיִּרְדֶּה *& dominabitur*, &c.

In hac autem apocopa, ſive prima radicalis afficiatur (·), ſive notetur cum (-) loco (·), ſive (·) reſolvatur in duo (·); accentus eſt in penultima, quam vulgo occupat in vocibus deſinentibus in (·), aut in (-) vicarium אֵת (·), cum litera ſonante in fine, ut videbimus infra lib. 3. in fuſiori de accentibus tractatu.

III. perſona ſingularis maſculina.

[יִגְלֶה יִגֶל *migrabit.*] Sic : יְהִי יִהְיֶה *erit*, יְחִי יִחְיֶה *vivet*, ſine dilatatione אֵת (:). Vide ſupra p. 285. Et cum apocopa hiſce duobus verbis peculiari, hoc eſt, ſublata tertia radicali ה cum (·) præcedente, & hhiriq characteriſticæ, ac (:) primæ radicalis invicem commutatis, יְהִי *erit*, יְחִי *vivet*, *vivat*, וִיהִי *& erit*, וִיחִי in pauſa וִיחִי *& vivet.* Cur extra pauſam ו afficiatur hhiriq loco (·), vide infra in Conjunctionibus. Cum ו converſivo, וַיְהִי, vel cum méthegh וַיְהִי *& fuit*, וַיְחִי, & in pauſa וַיֶּחִי *& vixit*, *& revixit.* Citra apocopen, ſed ה mutato in א, יִשְׂגֶּא *creſcet*, יִשְׁנֶא *mutabitur*, וַיַּחְלֶא *& ægrotavit*, &c. Et cum (·) loco (·), ex forma quieſcent. Lám. א, יִקְרָא *eveniet*, Dan. 10. v. 14. ubi tamen alia exemplaria habent יִקְרֶה.

Anomalum plane eſt יְהוּא *erit*, Eccle. 11. v. 3. pro יִהְיֶה, aut ex forma Chaldaica יֶהֱוֵא, ab הָוָה *fuit.*

Cum apocopa, יֶכֶל *conſumetur*, וַיִּבֶן *& ædificavit*, וַיִּבֶז *& ſprevit*, וַיִּמֶץ *& expreſſit*, וַיִּפֶן *& aſpexit*, וַיִּקֶן *& poſſedit*, וַיִּקֶשׁ *& durum fuit*, וַיִּרֶף *& deſtitit*, &c. Cum (-) ſub characteriſtica, יֵרֶא Exod. 5. v. 21. & cum accentu in ultima præter analogiam; א enim, proſodiam quod attinet, literæ ſonantis munere fungitur, יֵרֶא *videbit*, Gen. 41. v. 33. וַיֵּדֶא *& volavit*, &c. Cum metatheſi א & ה, & (-) in ultima loco (·) ex forma Chaldaïca, וַיֵּתֵא Deut. 33. v. 21. *& venit*, pro וַיֵּאת, & integro וַיֶּאֱתֶה. Aliis וַיֵּתֵא Chaldaïſmus eſt, quo prima radicalis א in futuro qal quieſcit (expreſſa vel latens) in (-); vide Gram. Chald. ſicque apocopa non eſt, ſed mutatio ה in א, & aphæreſis primæ rad. א. Cum (-) in fine loco (·), ob primam, vel ſecundam radicalem gutturalem, יִחַר *iraſcetur*, וַיִּחַר *& iratus eſt*, וַיִּמַח *& delevit*, Gen. 7. v. 23. ubi codices impreſſi habent daghéſch in מ quaſi ex niphal, licet in (-) deſinat loco (·); וַיִּחַן *& caſtra metatus eſt*, וַיִּשַׁע *& reſpexit*, &c. Et cum (-) ſub characteriſtica, וַיַּחַץ *& diviſit*, יַעַל *aſcendet*, יַחַד & in pauſa, יָחַד *acuet*, *acuetur*, וַיַּעַט *& operuit ſe*, וַיַּעַשׂ & in pauſa וַיָּעַשׂ *& fecit*, וַיַּחַל in eadem pauſa, & *ægrotavit*, וַיֵּאת unde ultimis duobus (-) contractis in unum ſub characteriſtica, וַיֵּאת *& venit*, Iſai. 41. v. 25. Seghól ultimæ reſolutio in duplex (·), וַיֵּשֶׁב *& captivum fecit*, וַיֵּפְתְּ *& ſeduxit ſe*, *& ſeductum eſt* (cor), &c. Et cum (-) furtivo ſub prima radicali gutturali, loco (·), יִחַד *lætabitur*, וַיִּחַד *& lætatus eſt.* Cum (-) ſub characteriſtica, וַיֵּבְךְּ *& flevit*, וַיֵּרְדְּ *& dominabitur*, וַיֵּשְׁתְּ *& bibit*, &c. Sic etiam יֵשְׁט *declinabit*, cum ט, quod eſt ejuſdem organi ac ת; in hac enim reſolutione (·) in duplex (·), neceſſe eſt ut ſecunda radicalis ſit ex *beghádh kephâth*, ut diximus.

diximus ſupra. Huc quoque referunt תֵּרֶא & *vidit*, quamvis ſecunda radicalis non ſit ex *beghádh kephâth*, nec ſubjiciatur (ּ) תּוֹל א. Verum brevius & commodius revocatur ad hiphil, cum apocopa tertiæ radicalis ac præcedentis (ֶ), pro תַּרְאֶה.

Ex defectivis Pé נ & quieſcentibus Lámedh ה, יִנְוֶה *habitabit*, Habac. 2. v. 5. ubi retinetur נ ut in forma perfecta. Eo abjecto, יַזֶּה *aſperget*. Sublato נ per aphæreſin, & ה per apocopen, יִז & *aſpergetur*, יִז, וַיִּז & *aſperſus eſt*, יֵט & *extendet*, וַיֵּט, & ſequente maqqáph, וַיֶּט־ & *extendit*, & *tetendit*; ubi prima radicalis excidens non compenſatur pro more per daghéſch ſecundæ impreſſum, quia ſecunda illa radicalis per apocopen tertiæ fit ultima dictionis litera, quæ daghéſch hujuſmodi non recipit, ut diximus ſupra pag. 195.

Ex quieſcentibus Pé (י) & Lámedh ה, תִּיף pro תִּיפֶה & *pulchra fuit*, (cedrus) Ezech. 31. v. 7. ubi ſecundum apocopæ hujus analogiam legendum eſſet vel תִּיף ut תִּבֶן; vel reſoluto (ֵ) in duplex ( ), תֵּיף ut תֵּשֵׁב, quemadmodum in libris quibuſdam correctis ſcriptum inveniſſe ſe teſtatur Qimhhi in *Michlól*, & in libro Radicum; & ut legunt filii *Aſcher*, i. Judæi occidentales: cum filii *Nephtali*, h. e. Judæi orientales legant תִּיף. Vide Inſtitut. Heb. Pagnini lib. 3. cap. 26. pag. 312. edit. Pariſ. 1549.

III. perſona ſingularis feminina.

[תִּגְלֶה *migrabit.*] Sic: תִּהְיֶה *erit*, וְתִחְיֶה & *fuit*, תִּחְיֶה *vivet*. Et cum apocopa, de qua in perſona præced. תְּהִי *erit*, תְּחִי *vivet*, וַתְּהִי & *erit*, וַתְּחִי & *vivet*, וַתֶּחִי, & in pauſa, וַתֶּהִי Thren. 3. v. 37. & *fuit*, וַתֶּחִי & *vixit*, & *revixit*. Cum (ֵ) loco (ֶ) in ultima, ex forma quieſcentium Lám. א, forte etiam ex mendo graphico, תִּכְלֵה *conſumetur*, 3. Reg. 17. v. 14. ה mutato in (י), & cum (ּ) loco (ִ) ſub ſecunda rad. וַתִּזְנִי Jerem. 3. v. 6. & *ſcortata eſt*, pro וַתִּזְנֶה, ut cenſet Qimhhi. Vel eſt enallage ſecundæ perſonæ ſing. femininæ pro tertia ſingulari feminina; quæ perſonarum enallage frequens eſt in Prophetis, ut videbimus in Syntaxi. Vide etiam mox. (ֶ) characteriſticæ, & (ֲ) primæ radicalis contractis in (ָ) ſub characteriſtica, תֶּאתֶה Mich. 4. v. 8. *veniet*, pro תֶּאֱתֶה, ut יֶאֱתֶה, quod legitur Job. 37. v. 22.

Cum apocopa, וַתִּבֶן & *ædificavit*, וַתִּזֶן & *ſcortata eſt*, ex quo nonnulli factum volunt ſuperius וַתִּזְנִי, adjecto (י) paragogico, & mutato (ֶ) in (ּ). Cum (ַ) ſub characteriſtica, וַתֵּלֶא & *ægre tulit*, וַתֵּרֶא & *vidit*, וַתֵּכֶל & *perfectum eſt*, וַתֵּרֶב & *major fuit*, &c. Cum (ַ) in fine pro (ֶ), וַתֵּתַע & *errabat*, וַתֵּכַה & *caligavit*, וַתֵּלַהּ & *furebat*, ubi תּוֹל ה imprimitur mappíq, quo ſonans fiat. Cum (ַ) ſub characteriſtica, & in fine, וַתַּעַד & *ornavit ſe*, וַתַּעַל & in pauſa וַתָּעַל & *aſcendit*, וַתַּהַר & *concepit*, וְתַחַז & *aſpiciat*, &c. Reſoluto (ֵ) in duplex (ֶ), וַתֵּבְךְּ & *flevit*, &c.

Ex defectivis Pé נ & quieſcent. Lám. ה cum apocopa, וַתֵּט & *declinavit*, &c. Vide ſupra tertiam perſonam ſingul. maſculinam.

Ex quieſcentibus Pé א & Lámedh ה ſine apocopa, תֹּאבֶה *voluerit*.

II. perſona ſingularis maſculina.

[תִּגְלֶה *migrabis.*] Sic: תִּהְיֶה *eris*, תִּחְיֶה *vives*. Cum (ִ) loco (ֶ), תִּהְיִה *eris*, Jerem. 17. v. 17. ubi tamen alia exemplaria habent (ֶ), תִּרְאֶה *videbis*, תַּעֲשֶׂה *facies*, quod ſic quater legitur ſecundum Maſſoram. Mutato ה in (י), punctis tranſpoſitis, & cum accentu in penultima ob pauſam, תֶּמְחִי Jerem. 18. v. 23. pro תִּמְחֶה *deleas*. Alii תֶּמְחִי deducunt ex futuro hiphil תַּמְחֶה, unde per apocopen, de qua ibi, תֶּמַח, & cum (י) paragogico præcedente (ּ), quare (ַ) mutatur in (ּ), תֶּמְחִי. Eamdem anomaliam videre eſt in תֶּשִׁי Deut. 32. v. 18. *oblitus es*, vel *oblivisceris*, à נָשָׁה, unde in futuro תִּשֶּׁה, & mutato ה in (י), ac punctis tranſpoſitis, תֶּשִׁי cum accentu in penultima ob pauſam, & ſine daghéſch in ש ad compenſandum נ radicale abjectum, quia daghéſch forte nonniſi raro & improprie venit poſt accentum tonicum. Alii fingunt verbum שָׁיָה formæ חָיָה, unde תֶּשִׁי in pauſa, ut ſupra וַתֶּחִי.

Ex defectivis Pé נ & quieſcentibus Lámedh ה , תֵּט *declinabis.* Vide tertiam perſonam ſingularem maſculinam.

Ex quieſcentibus Pé א & Lámedh ה , תֹּבֶה *acquieſcas* , Prov. 1. v. 10. ubi (ֶ) eſt in ultima loco (ֵ) , ut ſupra , & deficit prima radicalis , ut interdum fieri vidimus pagg. 229. 230. pro תֹּאבֶה , quod legitur Deut. 13. v. 9.

Cum apocopa tertiæ radicalis , תֵּפֶן *reſpicias* , תֵּתַע *erres* , תַּעַשׂ *facias* , וַתַּעַשׂ *& feciſti* , &c. Reſoluto (ֵ) ultimæ in duo (ְ) , תֵּשְׁתְּ *bibes.* Vide tertiam perſ. ſing. maſcul.

II. perſona ſingularis feminina.

[תִּגְלִי contracte pro תִּגְלְהִי *migrabis.*] Sic : תִּהְיִי *eris* , Oſe. 3. v. 3. & per apocopen , תְּהִי idem , וַתְּהִי *& fuiſti.* Sic etiam תִּחְיִי *vives.* Prima gutturali , וַתַּעְדִּי contracte pro וַתַּעְדִּי *& ornata es.* Cum ן paragogico , תַּעֲשִׂין *facies.* Ex quieſcent. Pé (י) & Lám. ה , וַתִּיפִי *& pulchra facta es* , Ezech. 16. v. 13. ubi prima radicalis (י) quieſcit in (ִ) ut fit interdum in futuro qál quieſcentium Pé (י). Vide ſupra pag. 231. &c

I. perſona ſingularis communis.

[אֶגְלֶה *migrabo.*] Sic : אֶהְיֶה *ero* , *ſum* , אֶחְיֶה *vivam* , אֶחֱזֶה *videbo* , &c. Per apocopen tertiæ radicalis cum motione præcedente (ֶ) , & punctis tranſpoſitis , ita tamen ut (ֶ) primæ radicalis mutetur in (ֵ) ſub characteriſtica , ubi mobile eſt , utpote initio dictionis , אֱהִי pro אֶהְיֶה *ero.* Sic cum ו converſivo , וָאֱהִי *& fui.* Cum (ֶ) in fine loco (ֶ) ex forma quieſcent. Lámedh א , וְאֶשְׁעָה Pſal. 118. Heb. 119. v. 117. *& reſpiciam* , *& delectabor.* Vide ſupra tertiam perſonam ſing. fem. Mutato ה in (י) præcedente (ֶ) , אֶהֱמָיָה *perſtrepam.* Sublata per apocopen tertia radicali ה , ut ſupra in tertia perſona ſingulari maſculina , וָאֵפֶן *& diverti* , אָחַז Job. 23. verſ. 9. *aſpiciam* , cum (ָ) ſub א loco (ַ) ob pauſam , וָאַעַשׂ *& feci.* Reſoluto (ֵ) in duo (ְ) , וָאֵשְׁתְּ *& bibi.* Ex defectivis Pé נ , & quieſcent. Lámedh ה , אֵטָה *inclinabo.*

III. perſona pluralis maſculina.

[יִגְלוּ , contracte pro יִגְלְהוּ *migrabunt.*] Sic : יִהְיוּ *erunt* , יִחְיוּ *vivent* , יִתְנוּ *mercede conducent* , &c. ה mutato in (י) præcedente (ָ) , & cum ן paragogico , יִבְכָּיוּן *flebunt* , יֶחֱזָיוּן *videbunt* , יֶחֱסָיוּן *confident* , וַאֲתָיוּן *& venerunt* , יִכְלָיוּן *conſumentur* , יִשְׁתָּיוּן *bibent* , &c Et abſque ן parag. יִשְׁלָיוּ *tranquilli erunt* ; in quibus exemplis (י) habet prævium (ָ) maxime ob pauſam ; at extra eam , uſurpatur etiam (ַ) loco (ָ) , maxime cum accedit ן iſtud paragogic. ut : יִרְבְּיוּן *multiplicabuntur* , יִרְוְיֻן *explebuntur* , *inebriabuntur* , cum (ֻ) euphonico pro ו. Prima gutturali , יֶחֱזוּ *videbunt* , יַעֲנוּכָה *reſpondebunt tibi* , Jerem. 7. v. 27. ubi exprimitur ה poſt affixum , pro יַעֲנוּךָ , quod inſuper contractum eſt pro יַעֲנוּ בָּךְ . Ex quieſc. Pé א & Lam. ה , וַיֹּאפוּ *& coxerunt.*

III. perſona pluralis feminina.

[תִּגְלֶינָה *migrabunt.*] Sic : תִּהְיֶינָה *erunt* , תִּחְיֶינָה *vivent* , תֶּחֱזֶינָה *videbunt* , &c. Sublato per apocopen ה incrementi , תִּהְיֶין *erunt* , וַתִּכְהֶין *& caligaverunt* , &c. Abjecto per ſyncopen (י) otioſo ante incrementum , וַתִּהְיֶנָה *& erunt* , וַתִּדְלֶנָה *& hauſerunt* , תַּעֲשֶׂנָה *facient* , &c. Mutato ה in א ex forma quieſcentium Lám. א , תִּקְרֶאנָה *evenient.* Cum daghéſch anomalo , vel potius mendoſo , in נ incrementi , תִּרְאֶינָּה *videbunt* , Mich. 7. v. 10. תַּעֲנֶינָּה *reſpondebunt* , Jud. 5. v. 29. ubi tamen codices nonnulli , etiam accuratiſſimi , habent תַּעֲנֶנָּה ſine (י) quieſcente , ad cujus excidium compenſandum daghéſch iſtud adhiberi potuit. Ex defectivis Pé נ & quieſc. Lám. ה , תִּצֶּינָה *vaſtabuntur.*

II. perſona pluralis maſculina.

[תִּגְלוּ , contracte pro תִּגְלְהוּ *migrabitis.*] Sic : תִּהְיוּ , & cum ן paragogico , תִּהְיוּן *eritis* , תִּחְיוּ & תִּחְיוּן *vivetis* , תַּעֲשׂוּן *facietis* , &c. Cum eodem ה parag. & mutato ה in (י) præcedente (ָ) , ut in tertia perſona plur. maſc. תִּבְעָיוּן *quæretis* , &c. Cum (ֻ) anomalo , aut potius mendoſo , ſub ה loco (ָ) ,

Digitized by Google

וַתַּעֲלוּ Ezech. 36. v. 3. pro וַתַּעֲלוּ & *aſcendiſtis.*

I. perſona pluralis communis.

[נִגְלֶה *migrabimus.*] Sic : נִהְיֶה *erimus*, נִחְיֶה *vivemus*, &c. Sublata per apocopen tertia rad. ה cum (‧) præcedente, & reliquis punctis tranſpoſitis, וַנִּהִי pro וַנִּהְיֶה & *fuimus.* Ex quieſc. Pé (י) & Lám. ה, נִירֶה *jaculabimur*, unde cum ו converſivo, & affixo ם cum prævio (‧) loco (-), וַנִּירָם pro וַנִּירֵם & *jaculati ſumus eos*, Num. 21. v. 30. ubi Lxx. καὶ τὸ σπέρμα αὐτῶν & *ſemen eorum*, pro וַנִּירָם legebant וְנִינָם à נִין *filius, poſteritas.* Vulg. *jugum ipſorum*, ex נִיר *novale, aratio, arvum aratum, jugum*, quod apud Varronem ſignificat terræ ſpatium, quod uno die arare poteſt jugum boum.

CONJUGATIO NIPHAL.

APPENDIX

AD PRÆTERITUM.

III. perſona ſingularis maſculina.

[נִגְלָה *revelatus eſt.*] Sic : נִהְיָה *factus eſt, fuit.* Schevá ſub prima radicali dilatato in (-:), quare נ afficitur (-), נַעֲשָׂה *factus*, vel *factum eſt*, נָאֲוָה *deſiderabilis*, vel *decora eſt* (ſanctitas). Ex defectivis Pé נ & quieſc. Lámedh ה, נִקָּה *innocentem aſſeruit ſe*, תִּכָּה & *percutiatur.*

III. perſona ſingularis feminina.

[נִגְלְתָה, in pauſa נִגְלָתָה *revelata eſt.*] Sic : נִהְיָתָה *facta eſt* (res), *factum eſt, confectus eſt* (ſomnus), Dan. 2. v. 1. Alii ibid. *periit.* Vulg. *fugit.* נֶעֶשְׂתָה Num. 15. v. 24. &c. *factum eſt*, ubi (‧) ſub prima radicali dilatatum eſt in (-:), unde נ afficitur (‧); & (-:) reducitur ad ſimplex (‧) ob (‧) ſequens. In pauſa, נִפְדָּתָה *redemta eſt*, נֶעֱשָׂתָה *facta eſt*, Dan. 11. v. 36. &c. Ex defect. Pé נ & quieſc. Lám. ה, וְנִקֵּתָה & *innocens erit.*

II. perſona ſingularis maſculina.

[נִגְלֵיתָ, vel נִגְלִיתָ *revelatus es.*] Sic cum (‧) ſub ſecunda radic. נִהְיֵיתָ *factus es.* Ex defect. Pé נ & quieſcent. Lám. ה, & cum hhiriq ſub ſecunda radicali, וְנִקִּיתָ & *inſons eris.*

II. perſona ſingularis feminina.

[נִגְלֵית, vel נִגְלִית *revelata es.*] Sic ex forma (‧) ſub ſecunda radicali, נִלְאֵית *laboraſti, defatigata es*, Iſai. 47. v. 13.

I. perſona ſingularis communis.

[נִגְלֵיתִי, vel נִגְלִיתִי *revelatus*, vel *revelata ſum.*] Sic : נִלְאֵיתִי *laboravi*, נַעֲוֵיתִי *incurvatus ſum*, נַעֲנֵיתִי *humiliatus ſum*, alii, *reſponſabo*, &c. ubi (‧) ſub prima rad. dilatatur in (-:), unde נ notatur cum (-).

III. perſona pluralis communis.

Adverbii interrogantis הֲ motio genuina eſt (ֲ), ut: הֲשֹׁמֵר *num cuſtos* fratris mei ſum? Gen. 4. v. 9. Ante (ְ) notatur cum (ַ), & literæ ſequenti modo imprimitur daghéſch forte, modo non imprimitur. Elias Levita vult daghéſch iſtud reponi in litera ſervili tantum, non vero in radicali: ſed incerta eſt hæc regula, ut ex ſubjectis exemplis patet. הַכְזוֹנָה *numquid ut ſcorto* abuti debuere ſorore noſtra? Gen. 34. v. 31. ſine daghéſch in כ licet ſervili; הַזְּבָחִים *numquid ſacrificia*.... obtuliſtis mihi in deſerto? Amos. 5. v. 25. ubi infigitur daghéſch in ז quamvis radicali. Sive autem imprimatur dagh. iſtud, ſive non imprimatur; nihilominus ſchevà iſtud mobile eſt: cum enim non imprimitur, id fit ſolius euphoniæ gratia, quâ à litera affecta (ְ) ſæpius exſulat, ut diximus ſupra pag. 29. col. 1. in fine. Eadem motione afficitur ante ſchevà compoſitum, ut: הַבְרָכָה *an benedictio*? Gen. 27. v. 38. הַיהוָה Jerem. 8. v. 19. hàadhonài *an Dominus*? Pro יְהוָה jehová legi אֲדֹנָי adhonài, vide infra in adverbio ſimilitudinis כְּ. הַצֳרִי *numquid reſina*, vel *opo-balſamum*? ibidem cap. 8. v. 22. ubi quædam exemplaria, etiam accuratiora, exhibent צ lene, ſeu ſine daghéſch. Item ante gutturales alia motione quam (ָ) affectas, ut: הַאֵינְךָ רֹאֶה *nonne vides*? Jerem. 7. v. 17. הַאִם *num* ad internecionem uſque cuncti delendi ſumus? ibidem cap. 17. v. 13. הַחִיִּיתֶם *num in vita conſervaſtis*? Num. 31. v. 15. הַעַיִט *numquid avis*? Jerem. 12. v. 9. At quando litera illa gutturalis notatur cum (ָ); tunc ה iſtud afficitur (ֶ) ad euphoniam ut ה articulus, vide ſup. pag. 69. col. 1. ſic: הֶאָנֹכִי *numquid ego*? Num. 11. v. 12. הֶהָיְתָה זֹּאת *num factum eſt iſtud*? Joel. 1. v. 2. &c. Triplex autem illa ה interrogantis motio occurrit in hoc verſiculo 18. al. 19. capitis 13. Numerorum: *Et explorabitis*..... *populum*, *qui habitat in eâ* (terra) הֶחָזָק הוּא הֲרָפֶה הַמְעַט הוּא אִם־רָב *utrum fortis ſit*, *an infirmus*? *utrum pauci ſint numero*, *an plures*?

Anomala, aut potius mendoſa ſunt, הַאַתֶּם Jud. 6. v. 31. pro הַאַתֶּם *an vos*? הַיִּיטַב Levit. 10. v. 19. pro הֲיִיטַב *numquid bonum videtur*, aut *videretur*? הַפִתִּיתָ *an decipies*? Prov. 24. v. 28. ubi ה iſtud ſequitur literam ſervilem præfixam, quod nunquam fieri ſcribit Elias Levita ſupra laudatus. Hinc LXX. μηδὲ πλατύνε *neque dilates*. Alius μὴ ἀπάτα *ne ſis decipiens*, *ne decipias*. Vulg. *nec lactes*, repetita negatione ex membro præcedente; qui omnes legebant הֲפִתִּיתָ in hiphil, à פָּתָה *dilatare*, *decipere*, &c. unde Græcum ἀπατάω. Vide ſupra pag. 195. coll. 1. 2. ubi vocis illius analyſis explicatur.

Adverbium ſimilitudinis כְּ *ſicut*, *quaſi*, &c. afficitur (ְ), ut: כְּשׁוֹשַׁנָּה *ſicut lilium*, Cant. 2. v. 2. Quando prima dictionis litera notatur cum (ְ), tunc (ְ) τῶ כ mutatur in (ִ), ut: כִּנְחָלִים *ſicut valles*, Num. 24. v. 6. Si prima illa litera affecta (ְ) ſit (י), ex ejus (ְ), & ex (ִ) τῶ כ, fit hhiriq gadhól ſub כ, ut: כִּימוֹת Pſal. 89. Heb. 90. v. 15. pro כִּיְמוֹת, *ſicut dies*. Id etiam interdum accidit cum (י) iſtud afficitur (ְ), tuncque

Digitized by Google

eſt contractio, ut: מֵיתְרוֹן Eccle. 2. v. 13. pro כְּיִתְרוֹן, *ſicut excellentia.*

Ante (-), כ iſtud notatur cum (-), ut: כַּאֲרָזִים *ſicut cedri*, Num. 24. v. 6. Sæpe fit contractio ex (-) כ & ex (-) ſubjecto א; vel, ſi malueris, (-) plane tollitur, ut: כַּאדֹנָיו Iſai. 24. v. 2. pro כַּאֲדֹנָיו *ſicut Dominus ejus.* Sic cum nomine יְהוָה, quod habet puncta אֲדֹנָי, כַּיהוָה Pſal. 112. Heb. 113. v. 5. *ſicut Dominus.*

Ante (-), כ afficitur (-), ut: כֶּאֱמֹר *cum diceretur*, Ezech. 36. v. 20. ubi ſic legebat *Pagninus*, cum in noſtris exemplaribus ſcriptum ſit בֶּאֱמֹר cum ב, non כ. Ex hoc (-) ſub א, & (-) ſub כ, fit etiam contractio in (-) ſub כ, ut: כֵּאלֹהִים Gen. 3. v. 5. pro כֶּאֱלֹהִים, *ſicut Deus.*

Ex eadem analogia, ante (-) כ notandum foret cum (- hhatoúph): verum uſus obtinuit ut afficeretur (-) magno, ſeu *a*, quia forte ſupponitur ה articulus excluſus, de quo mox, ut: כָּאֳנִיּוֹת káoniiióth, non kóoniiióth, *ſicut naves*, Prov. 31. v. 14.

Sæpe כ excludit ה articulum aſſumta ejus motione, quæcunque illa fuerit, ut: כַּשֶּׁמֶן Pſal. 132. Heb. 133. v. 2. pro כְּהַשֶּׁמֶן, *ſicut oleum*; כַּהוֹלֵךְ Iſai. 30. v. 29. pro כְּהַהוֹלֵךְ, *ſicut qui ambulat*; כַּעוֹפֶרֶת Exod. 15. v. 10. pro כְּהָעוֹפֶרֶת, *ſicut plumbum*; כַּקַּשׁ ibid. v. 7. pro כְּהַקַּשׁ, *ſicut ſtipulam*; כָּעָם Iſai. 24. v. 2. pro כְּהָעָם, *ſicut populus*; כָּאָבֶן Exod. 15. v. 16. pro כְּהָאָבֶן, *ſicut lapis*; כֶּעָרִים Jerem. 20. verſ. 16. pro כְּהֶעָרִים, *ſicut urbes*, &c. Varias illas ה articuli motiones vide ſupra pag. 69. coll. 1. 2.

Pro (-) ſub כ ſequente daghéſch ob ה articulum excluſum, reponitur interdum (-) per legem æquivalentiæ, ut: כָּזֹה Jud. 18. v. 3. pro כַּזֹּה; & in feminino genere, כָּזֹאת 4. Reg. 5. v. 8. pro כַּזֹּאת, *ſicut*, vel *ſecundum hoc.*

Particulæ expletivæ מִי, מוֹ, פִּי quandoque etiam cum hoc adverbio conjunguntur, ut: כְּמוֹ־אַרְבֶּה כְּדֵי־אַרְבֶּה *ſicut locuſta*, Jud. 6. v. 5. כְּמוֹ־אָבֶן *ſicut lapis*, Exod. 15. v. 5. כְּמוֹ־פֶתֶן *ſicut aſpis*, Pſal. 57. Heb. 58. v. 5. כְּפִי נִדְרוֹ *ſicut*, vel *ſecundum votum ſuum*, Num. 6. v. 21.

Accentus pauſantes parvas motiones in magnas commutant, ut: יַחַד in pauſa יָחַד Pſal. 2. v. 2. *ſimul, una, pariter.* Interdum etiam ab ultima aſcendunt ad penultimam, quam producunt, ut: עַתָּה in pauſa עָתָּה Gen. 32. v. 5. *nunc*, &c.

ARTICULUS II.

De Adverbiis cum affixis.

Quædam ex adverbiis in articulo præcedenti deſcriptis, ſuſcipiunt etiam affixa fere inſtar nominum; in eoque præſertim ab iis diſcrepant, quod cum affixis verbis etiam familiaribus interdum conjungantur. Eorum, quæ frequentius in Bibliis occurrunt, hîc paradigmata exhibere juvat.

AFFIXA			AFFIXA			AFFIXA		
Femin.	Commun.	Maſcul.	Femin.	Commun.	Maſcul.	Femin.	Commun.	Maſcul.
	אַי *ubi.*			אַיִן *non.*			הֵן *ecce.*	
אַיָּהּ		אַיּוֹ	אֵינֶנָּה		אֵינֶנּוּ	הִנָּהּ		הִנּוֹ, הִנֵּהוּ
אַיֵּךְ		אַיֶּכָּה	אֵינֵךְ		אֵינְךָ	הִנָּךְ		הִנְּךָ
	אַיִּי			אֵינֶנִּי			הִנְנִי	
אַיָּן		אַיָּם	אֵינָן		אֵינָם	הִנָּן		הִנָּם
אַיְּכֶן		אַיְּכֶם	אֵינְכֶן		אֵינְכֶם	הִנְּכֶן		הִנְּכֶם
	אַיֵּנוּ			אֵינֶנּוּ			הִנֶּנוּ	
Vide appendicem.			Vide appendicem.			Vide appendicem.		

AFFIXA

AFFIXA		
Femin.	Commun.	Maſcul.
	כְּמוֹ , כְּ *ſicut.*	
כָּמוֹהָ		כָּמוֹהוּ
כָּמוֹךְ		כָּמוֹךָ
	כָּמוֹנִי	
כְּמוֹהֶן		כְּמוֹהֶם
כְּמוֹכֶן		כְּמוֹכֶם
	כָּמוֹנוּ	

Vide appendicem.

AFFIXA		
Femin.	Commun.	Maſcul.
	עוֹד *adhuc.*	
עוֹדֶנָּה		עוֹדֶנּוּ
עוֹדָךְ		עוֹדְךָ
	עוֹדִי	
עוֹדָן		עוֹדָם
עוֹדְכֶן		עוֹדְכֶם
	עוֹדֶנּוּ	

Vide appendicem.

APPENDIX

De Adverbiorum cum pronominibus affixis compoſitorum anomaliis.

[אַיֶּכָּה *ubi tu ?*] ex radice inuſitata אַיֵּן, unde אֵי cum affixis, & extra ea, אַיֵּ ; & cum ה paragogico præcedente (-) anomalo loco (-), אַיֵּה cum daghéſch in tertia radicali ad ſecundam excidentem compenſandam.

Abjecto נ epenthetico, eoque compenſato per dagh. in affixo, poſt quod exprimitur ה, quod ibi latebat, אַיֶּכָּה Gen. 3. v. 9. pro אַיֶּנְכָה.

[אֵינֶנִּי *non ego.*] Prius נ afficitur (·) ſequente daghéſch in altero per legem æquivalentiæ, pro (-), ſic : אֵינֶנִּי. Atque ita in ſequentibus הִנְנִי, עוֹדֶנִּי, &c.

[אֵינֵמוֹ *non ipſi.*] Cum affixo poëtico, אֵינָם idem, Pſal. 58. Heb. 59. v. 14. & 72. Heb. 73. v. 8.

[הִנְּךָ *ecce tu*, maſc.] Expreſſo ה quod in fine latebat הִנְּכָה 4. Reg. 7. v. 2. Cum daghéſch in affixo ad compenſandum נ epentheticum abjectum, הִנֶּךָ pro הִנְנְךָ, Pſal. 138. Heb. 139. v. 8.

[הִנָּךְ *ecce tu*, fem.] cum (·) loco (-) ſub נ, ut ſupra pag. 80. in ſchemate pronominum cum obliquis eorum caſibus, & pag. 337. in verbis cum affixis.

[הִנֶּנִּי *ecce ego.*] Cum (·) ſequente daghéſch per legem æquivalentiæ, pro (-), הִנְנִי Gen. 22. v. 7. Vide ſupra אֵינֶנִּי. Cum (·) ſub priori נ loco ejuſdem (-), & ſine dagh. in eo, accelerandæ pronuntiationis gratia, הִנְנִי, 1. Sam. 12. v. 3.

[הִנֶּנּוּ *ecce nos.*] Suppoſito (·) ſequente daghéſch ſub priori נ, loco (-) ; הִנֶּנּוּ Gen. 50. v. 18. Et cum (·) ibidem, eadem de cauſa, qua in perſona ſingulari, cum eo ſolo diſcrimine, quod נוּ נ affecto (·) modo imprimitur dagh. modo non imprimitur, הִנְנוּ Joſ. 9. v. 25. 2. Reg. 5. v. 1. quibus in locis נ habet daghéſch ſecundum Maſſoram, quamvis in noſtris exemplaribus, etiam accuratiſſimis, נ iſtud ſit lene, ſeu daghéſch hujuſmodi deſtituatur, ſic : הִנְנוּ, ut Jerem. 3. v. 22. &c.

Porro licet הֵן, quocum pronomina illa conjunguntur, ut vox primitiva, ſeu radicalis ſpectetur à Lexicographis, nihilominus tamen deducenda eſt ex verbo inuſitato הָנַן, ob daghéſch, quod accedentibus affixis נוּ נ infigitur.

[כָּמוֹהוּ, aut כְּמוֹהוּ, *ſicut ille.*] Adverbium כ cum affixis ſumit vulgo particulam expletivam מוֹ, de qua ſupra pag. 376. col. 2. ac retinet ( ) cum affixis regiminis tantum ; cum aliis vero afficitur (-) ob accentum tonicum in ſyllaba ſequente poſitum. Pro כְּמוֹכֶם, כְּמוֹכֶן, כְּמוֹהֶם, כְּמוֹהֶן, dicitur etiam כָּהֶם, כָּהֶן, (& cum ה paragogico, כָּהֵנָּה), כָּכֶם, כָּכֶן, cum (-) loco (·) ſub כ ob accentûs viciniam.

[עוֹדְךָ *adhuc tu.*] 3. Reg. 1. v. 14. cum (-) loco (-), ut ſupra in הִנְּךָ.

[עוֹדִי *adhuc ego.*] Cum affixo נִי præce-

dente (ֵ), ac ſequente daghéſch in affixo, pro (ֶ), per legem æquivalentiæ, ut ſupra עוֹדֶנִּי חַי, חִנְּנִי & אִיגַּנִי *adhuc me vivente*, 1. Reg. 20. v. 14.

[עוֹדֵנוּ *adhuc nos.*] Cum (ו) nota pluralis numeri, aut potius antiqua vocali *e*, quæ nunc exprimitur per (ֵ) ſub ד; poſito (ֻ) euphonico pro ו; & uſurpato ה pro ו, ex facili permutatione literarum אחוי, עוֹדֵינָה, Thren. 4. v. 17.

CAPUT XII.

De Præpoſitione.

Præpositio vox eſt, qua verbo adjungitur nomen, quod locum, tempus, aut cauſam ſignificat ſive *poſitive*, ſive *privative*. Cauſam ſignificant *ob*, & *propter*: privationem indicant *præter* & *ſine*. Ceteræ præpoſitiones aut locum, aut tempus, aut utrumque ſignificant. Dicuntur autem *præpoſitiones*, quod dictionibus, quas regunt, vulgo *præponantur*.

Hebræorum præpoſitiones dividuntur in conjunctas, ſeu *inſeparabiles*; & disjunctas, ſeu *ſeparabiles*. Præpoſitiones conjunctæ unicam dictionem efficiunt cum ea, cui præponuntur; disjunctæ vero vocem ſeparatam ac diſtinctam conſtituunt, niſi cum affixis componantur.

Præpoſitiones conjunctæ quatuor ſunt, nempe בְּ *in*, כְּ *ſecundum*, לְ *ad*, מ pro מִן, *à*, *ab*, *de*, *ex*, &c. quibus interdum in fine adduntur particulæ expletivæ דֵי, מוֹ, פֵי; nempe דֵי adjicitur præpoſitionibus בְּ, כְּ, & מִ; מוֹ aſſumunt בְּ, כְּ, & לְ; פֵי denique conjunctum reperitur cum בְּ & לְ. Vide exempla infra pag. 380. coll. 1. 2. Illæ autem particulæ expletivæ nihil prorſus addunt præpoſitionum illarum ſignificationi: ſed ſolius euphoniæ & ornatus gratia ad eas accedunt.

Præpoſitiones disjunctæ, ſeu ſeparabiles, variæ ſunt, ac varia ſignificant: ex iis enim, una cum inſeparabilibus, ſive conjunctis, aliæ terminum, vel locum motus, aut quietis denotant: aliæ cauſam ejuſdem motus, vel quietis ſignificant. Quædam loci ſunt ſimul & temporis. Quædam comitatum exprimunt. Quædam denique privationem cauſæ adjuvantis indicant. Quæ omnia ex duobus ſequentibus articulis patebunt, in quorum primo de præpoſitionibus tum conjunctis, tum disjunctis, abſolutis, h. e. cum pronominibus affixis non copulatis, agemus. In altero autem eaſdem præpoſitiones cum affixis compoſitas expendemus.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De Præpoſitionibus abſolutis.

I.

Præpositiones terminum, vel locum motus, aut quietis notantes.

- אֶל / אֵלָיו } *ad, ſecus, juxta, erga.*
- אֵצֶל *apud, juxta, penes, prope.*
- אַחַר / אַחֲרֵי } *poſt.*
- בְּ *in, propter.*
- בֵּין *inter.*
- הָלְאָה *ultra.*
- חוּץ *extra.*
- כְּ *ſecundum, juxta.*
- לְ *ad.*
- לִפְנֵי *ante, coram, præ.*
- מִ / מִן / מִנִּי / מִנֵּי } *à, ab, abs, de, è, ex, præ,* & interdum *propter.*
- מוּל / מִמּוּל / נֹכַח / לְנֹכַח / נֶגֶד } *contra, è regione, ex adverſo, coram, ante.*
- סָבִיב *circum, circa.*
- עֵבֶר *cis, trans.*
- אֶל־עֵבֶר *contra.*
- מֵעֵבֶר *trans.*
- עַל־עֵבֶר *è regione.*
- עַד *uſque.*
- עֲדֵי *uſque ad.*
- עַל / עָלָיו } *ſuper.*
- עֻמַּת / לְעֻמַּת / מִלְּעֻמַּת } *è regione, ex adverſo.*
- תַּחַת *ſub.*

II.

Præpositiones cauſam motus, vel quietis ſignificantes.

- בִּגְלַל & בִּגְלַל / בַּעֲבוּר / לְמַעַן / מִפְּנֵי / עַל } *propter.*
- בְּעַד / חֵלֶף / תַּחַת } *pro.*

III.

Præpositiones locum ſimul & tempus denotantes.

- אַחַר *poſt.*
- בֵּין *inter.*
- בְּ *in.*
- כְּ *ſecundum, juxta.*
- לְ *ad.*
- מִן & מִ, *à, ab,* &c.
- לִפְנֵי *ante.*

IV.

Præpositiones comitatum exprimentes.

- אֵת / עִם / עִמָּד } *cum.*

V.

Præpositiones privationem cauſæ adjuvantis denotantes.

- בְּלֹא / בְּלִי / מִבְּלִי / בִּלְתִּי / בִּלְעֲדֵי / מִבַּלְעֲדֵי / לְבַד / מִלְּבַד / זוּלַת } *præter, ſine.*

APPENDIX

De Præpoſitionum quarumdam natura & motionibus.

Præpositiones quædam in hoc articulo deſcriptæ, nomina ſunt ſubſtantiva quibuſcum ſubintelligitur præpoſitio, ut ſupra in adverbiis, quæque etiam interdum exprimitur, ut: לִפְנֵי *coram*, à פָּנִים in ſtatu conſtructo, & præpoſito לְ. Sic: בִּגְלַל, in regimine בִּגְלַל, *propter*, עֻמַּת, pro לְעֻמַּת, quod ſæpius reperitur, *contra, ex adverſo, è regione*, &c.

Præpoſitio inſeparabilis בְּ eamdem motionum viciſſitudinem experitur, atque adverbium כְּ, quod vide ſupra pag. 375. col. 2. hoc eſt, (ְ) motione nativa afficitur, ut: בְּרֵאשִׁית *in principio*, Gen. 1. v. 1. &c. Sequente altero (ְ), בּ notatur cum (ִ), ut: בִּמְצוֹלֹת *in profunda*, vel *in profundum*, Exod. 15. v. 5. Si prima dictionis litera, cui (ְ) iſtud ſupponitur, ſit (י), בּ afficitur

hhiriq gadhól, ut: בִּיהוּדָה *in Juda*, 2. Paral. 30. v. 12. בִּירוּשָׁלִַם *in Jeruſalem*, ibid. v. 1. ubi ל notatur cum (ִ) pro (ְ) ob pauſam. Quod etiam per contractionem accidit in בִּיקְּרוֹתֶיךָ *inter pretioſas tuas*, Pſal. 44. Heb. 45. v. 10. quamvis hhiriq, non (ִ), ſupponatur יוֹד (י). Præterea daghéſch anomalum, aut potius mendoſum, imprimitur יוֹד ק. Vide ſupra pag. 29. col. 2. Ante (ֲ), ב habet (ַ), ut: בַּעֲצַת *in conſilio*, Pſal. 1. v. 1. Contracto (ֲ), quod ſupponitur אָלֶף א, & (ֶ) דָּגֵשׁ ב, in (ַ) ſub eodem ב, בַּאדֹנָי *in Domino*, Pſal. 72. Heb. 73. v. 28. Sic: בַּיהוָה idem, Deut. 4. v. 4. Ante (ֱ), ב movetur per (ֶ), ut: בֶּאֱמוּנָה *in veritate*, Oſe. 2. v. 20. (ֱ) ſub א, & (ְ) ſub ב contractis in (ֵ) ſub eodem ב, בֵּאלֹהִים *in Deo*, Pſal. 55. Heb. 56. v. 12. At ante (ֳ), ב notatur cum (ָ) magno, non cum (ֳ hhatoúph), ut: בָּחֳרִי־אַף *in ira furoris*, Iſai. 7. v. 4. בָּעֳנִי *in afflictione*, 1. Reg. 1. v. 11.

Excluſo ה articulo, בַּיָּם pro בְּהַיָּם, *in mari*, Exod. 15. v. 1. בַּכֹּחַ pro בְּהַכֹּחַ *in virtute*, ibid. v. 6. בַּקֹּדֶשׁ pro בְּהַקֹּדֶשׁ, *in ſanctitate*, ibid. v. 11. בָּאֵלִים pro בְּהָאֵלִים, *in Diis*, Pſal. 85. Heb. 86. v. 8. בֶּהָרִים pro בְּהֶהָרִים, *in montibus*, Exod. 32. v. 12. &c. Cum (ַ) ſub ב loco (ְ) & daghéſch, per legem æquivalentiæ ob ה excluſum, vel ob viciniam accentus, בָּזֶה pro בַּזֶּה, *in hoc* ſcilicet loco, Num. 22. v. 19.

Cum particulis expletivis דֵּי & מוֹ; בְּדֵי־אֵשׁ *ad ignem*, Jerem. 51. v. 58. בְּמוֹ־אֹפֶל *in caligine*, Pſal. 10. Heb. 11. v. 2.

Præpoſitionem inſeparabilem כ cum variis ſuis motionibus & particulis expletivis, vide ſupra pag. 376. col. 2. in appendice ad articulum I. adverbiorum.

Præpoſitionem לְ itidem inſeparabilem, vide ſupra pag. 70. ubi vice articuli fungitur. Hic tantum obſervare juvat ante voces penacutas ל iſtud affici modo (ָ), modo (ַ). Cum accentu tamen miniſtro ſæpius notatur cum (ָ); cum regio autem ſæpius movetur per (ַ), ut: לָנֶפֶשׁ *in animam*, Gen. 2. v. 7. לָנֶצַח *in ſeculum*, Iſai. 34. v. 10. לָנֶצַח idem, Prov. 21. v. 28. לָנֶצַח idem, Pſal. 9. v. 19. לָבֶטַח *confidenter*, Pſal. 4. v. 9. לָמָיִם *ad aquas*, Gen. 1. v. 6. לָשֹׂבַע *ad ſaturitatem*, Levit. 26. v. 5. לָטֹרַח *in defatigationem*, Iſai. 1. v. 14. לָמַס *in tributum*, Thren. 1. v. 1. &c.

Cum particulis expletivis פִּי & מוֹ; לְמוֹ־פִי *ad os meum*, Job. 40. v. 3. לְפִי רֹב *ſecundum multiplicari*, Lev. 25. v. 16.

Denique præpoſitionem מ cum ſua originatione & variis ſuis motionibus, vide ſupra pagg. 70. 71. Hic addere ſufficiat particulam expletivam דֵּי, quam interdum recipit, ut: מִדֵּי שָׁנָה *de anno*, 1. Reg. 7. v. 16.

Præpoſitionum autem cum conjunctarum, tum disjunctarum rectionem quod attinet; aliæ regunt accuſativum, aliæ ablativum, aliæ denique utrumque hunc caſum, ratione ſenſus, & præpoſitionis Latinæ, quæ ipſis reſpondet. Sæpe etiam cum aliis præpoſitionibus, & adverbiis conjunguntur. Sed de his in Syntaxi.

ARTICULUS II.

De Præpoſitionum tum conjunctarum, tum disjunctarum, cum pronominibus affixis compoſitione.

OMNES ferme præpoſitiones cum affixis junguntur, & eamdem fere ac nomina punctorum mutationem ſuſtinent; neque etiam affixa verborum propria reſpuunt. Novem ex eis in forma nominum maſc. plur. affixa ſuſcipiunt, nempe: אֱלֵי *ad*, עֲדֵי *uſque*, עֲלֵי *ſuper*, לִפְנֵי *coram*, בִּלְעֲדֵי *præter*, אַחֲרֵי *poſt*, תַּחְתֵּי *ſub*, בֵּינֵי & in fem. בֵּינוֹת *inter*, סְבִיבֵי & in fem. סְבִיבוֹת *circa*. Quibus adjungi poteſt בִּגְלַל *propter*, cum affixo ךָ.

Digitized by Google

Ut autem Præpoſitionum tum conjunctarum, tum disjunctarum cum affixis analogia melius cognoſcatur, integra quarumdam paradigmata hîc ſubjiciemus.

AFFIXA			AFFIXA			AFFIXA		
Femin.	Commun.	Maſcul.	Femin.	Commun.	Maſcul.	Femin.	Commun.	Maſcul.
	בְּ *in.*			בְּעַד *pro.*			נֶגֶד *coram.*	
בָּהּ		בּוֹ	בַּעֲדָהּ		בַּעֲדוֹ	נֶגְדָּהּ		נֶגְדּוֹ
בָּךְ		בְּךָ	בַּעֲדֵךְ		בַּעַדְךָ	נֶגְדֵּךְ		נֶגְדְּךָ
	בִּי			בַּעֲדִי			נֶגְדִּי	
בָּן		בָּם	בַּעֲדָן		בַּעֲדָם	נֶגְדָּן		נֶגְדָּם
בָּכֶן		בָּכֶם	בַּעַדְכֶן		בַּעַדְכֶם	נֶגְדְּכֶן		נֶגְדְּכֶם
	בָּנוּ			בַּעֲדֵנוּ			נֶגְדֵּנוּ	
Vide appendicem.								
	אַחֲרֵי , אַחַר *poſt.*			בֵּין *inter.*			סְבִיבֵי , סָבִיב *circum.*	
אַחֲרֶיהָ		אַחֲרָיו	בֵּינָהּ		בֵּינוֹ	סְבִיבֶיהָ		סְבִיבָיו
אַחֲרַיִךְ		אַחֲרֶיךָ	בֵּינֵךְ		בֵּינְךָ	סְבִיבַיִךְ		סְבִיבֶיךָ
	אַחֲרַי			בֵּינִי			סְבִיבַי	
אַחֲרֵיהֶן		אַחֲרֵיהֶם	בֵּינֵיהֶן		בֵּינֵיהֶם	סְבִיבֵיהֶן		סְבִיבֵיהֶם
אַחֲרֵיכֶן		אַחֲרֵיכֶם	בֵּינֵיכֶן		בֵּינֵיכֶם	סְבִיבֵיכֶן		סְבִיבֵיכֶם
	אַחֲרֵינוּ			בֵּינֵינוּ			סְבִיבֵינוּ	
			Vide appendicem.			Et in forma feminina		
	אֱלֵי , אֶל *ad.*			לִפְנֵי *ante.*			סְבִיבוֹת	
אֵלֶיהָ		אֵלָיו	לְפָנֶיהָ		לְפָנָיו	סְבִיבוֹתֶיהָ		סְבִיבוֹתָיו
אֵלַיִךְ		אֵלֶיךָ	לְפָנַיִךְ		לְפָנֶיךָ	סְבִיבוֹתַיִךְ		סְבִיבוֹתֶיךָ
	אֵלַי			לְפָנַי			סְבִיבוֹתַי	
אֲלֵיהֶן		אֲלֵיהֶם	לִפְנֵיהֶן		לִפְנֵיהֶם	סְבִיבוֹתֵיהֶן		סְבִיבוֹתֵיהֶם
אֲלֵיכֶן		אֲלֵיכֶם	לִפְנֵיכֶן		לִפְנֵיכֶם	סְבִיבוֹתֵיכֶן		סְבִיבוֹתֵיכֶם
	אֵלֵינוּ			לְפָנֵינוּ			סְבִיבוֹתֵינוּ	
Vide appendicem.						Vide appendicem.		
	אֶת *cum.*			לְמַעַן *propter.*			עֲדֵי , עַד *ad.*	
אִתָּהּ		אִתּוֹ	לְמַעֲנָהּ		לְמַעֲנוֹ	עָדֶיהָ		עָדָיו
אִתָּךְ		אִתְּךָ	לְמַעֲנֵךְ		לְמַעַנְךָ	עָדַיִךְ		עָדֶיךָ
	אִתִּי			לְמַעֲנִי			עָדַי	
אִתָּן		אִתָּם	לְמַעֲנָן		לְמַעֲנָם	עֲדֵיהֶן		עֲדֵיהֶם
אִתְּכֶן		אִתְּכֶם	לְמַעַנְכֶן		לְמַעַנְכֶם	עֲדֵיכֶן		עֲדֵיכֶם
	אִתָּנוּ			לְמַעֲנֵנוּ			עָדֵינוּ	
Vide appendicem.						Vide appendicem.		

AFFIXA			AFFIXA			AFFIXA		
Femin.	Commun.	Maſcul.	Femin.	Commun.	Maſcul.	Femin.	Commun.	Maſcul.
עַל־ , עֲלֵי *ſuper.*			עִם *cum.*			תַּחַת , תַּחְתֵּי *ſub.*		
עָלֶיהָ		עָלָיו	עִמָּהּ		עִמּוֹ	תַּחְתֶּיהָ		תַּחְתָּיו
עָלַיִךְ		עָלֶיךָ	עִמָּךְ		עִמְּךָ	תַּחְתַּיִךְ		תַּחְתֶּיךָ
	עָלַי			עִמִּי			תַּחְתַּי	
עֲלֵיהֶן		עֲלֵיהֶם	עִמָּן		עִמָּם	תַּחְתֵּיהֶן		תַּחְתֵּיהֶם
עֲלֵיכֶן		עֲלֵיכֶם	עִמָּכֶן		עִמָּכֶם	תַּחְתֵּיכֶן		תַּחְתֵּיכֶם
	עָלֵינוּ			עִמָּנוּ			תַּחְתֵּינוּ	
Vide appendicem.			Vide appendicem.			Vide appendicem.		

HÆc paradigmata integra ſufficiant. Quæ ſequuntur præpoſitiones, illæ cum ſolis affixis in Scriptura uſitatis conjunguntur.

אֵצֶל *apud ;* אֶצְלוֹ *apud eum ,* אֶצְלָהּ *apud eam ,* אֶצְלִי *apud me ,* אֶצְלָם *apud eos.*

בִּגְלַל , & in regimine בִּגְלַל ; בִּגְלָלֵךְ in forma nominum plural. *propter te ,* maſcul. בִּגְלָלֵךְ *propter te ,* fem. בִּגְלַלְכֶם *propter vos.*

בַּעֲבוּר *propter ;* בַּעֲבוּרוֹ *propter eum ,* בַּעֲבוּרָהּ *propter eam ,* בַּעֲבוּרֶךָ *propter te ,* maſc. בַּעֲבוּרֵךְ *propter te ,* fem. בַּעֲבוּרָם *propter eos ,* בַּעֲבוּרֵנוּ *propter nos.*

בִּלְתִּי *præter ;* בִּלְתְּךָ in pauſa בִּלְתֶּךָ *præter te ,* בִּלְתִּי *præter me.*

בִּלְעֲדֵי *præter ;* בִּלְעָדַי in pauſa *præter me.*

זוּלַת *præter ;* זוּלָתָהּ *præter eam ,* זוּלָתְךָ *præter te ,* זוּלָתִי *præter me.*

נֹכַח *coram ;* נִכְחוֹ ex forma נֶכַח *coram eo.*

לְעֻמַּת & in regimine לְעֻמַּת *è regione ;* לְעֻמָּתוֹ *è regione ejus ,* לְעֻמָּתָם *è regione eorum.*

עִמָּד *cum ;* עִמָּדִי *mecum.*

מוּל *è regione ;* מִמֻּלִי *è regione mei ,* cum מ alia præpoſitione , & (ֻ) euphonico pro ו.

APPENDIX

De Præpoſitionum cum pronominibus affixis conjunctarum anomaliis.

In præpoſitionibus , ut in nominibus & verbis , accentus pauſantes interdum aſcendunt ab ultima ad penultimam ; & in utravis ſyllaba reperiantur , mutant parvas motiones in magnas , puta (ַ) ultimæ & penultimæ in (ָ) , & (ְ) ante affixum ךָ in (ֶ). Affixa verbis familiaria hic pariter habent locum , ut jam diximus ſupra pag. 380. Cum ex his præpoſitionibus plurimæ componantur ex nominibus , ſervant cum affixis eamdem fere punctorum mutationem , quam ipſa nomina. Denique ante affixa ךָ & נוּ non raro invenitur (ֶ) pro (ְ).

[בְּ *in.*] Præpoſitio illa eodem modo ſumit affixa , ac לְ , quod vide ſupra pag. 80. h. e. cum affixis conſonis & ךָ , afficitur (ְ). Excipitur tantum ךְ quocum notatur cum (ָ) ad euphoniam ob (ְ) ſequens , ut : בָּךְ *in te.* Præterea cum hoc affixo in pauſa puncta trajiciuntur , ſic : בָּךְ idem , ſoloque ſenſu diſtinguitur à בָּךְ femin. Pro בָּם & בָּן , invenitur etiam בָּהֶם , בָּהֵן , & cum (ֵ) anomalo , vel potius mendoſo , בָּהֵן Gen. 30. v. 26. *in* , vel *pro eis.*

[אֶל־ , & ſequente maqqáph אֶל־ *ad.*] Forma (ֶ) reperitur etiam ſine maqqáph , Ezech. 6. v. 13. Retinetur (ֶ) cum affixis abſolutis ; cum affixis vero regiminis mutatur in (ֱ) , quaſi ab אֱלֵה , formæ רְעֵה. Sumuntur autem affixa in forma nominum pluralium , ut diximus ſupra. Pro אֲלֵיהֶם *ad eos* , legitur אֵלֵימוֹ Pſal. 2. v. 5. cum affixo poëtico.

[אֵת , אֶת *cum.*] Venit ab inuſitato אִתַּת ; quare cum affixis (ֵ) mutatur in (ִ) ſe-

quente daghéſch, ut in nominibus ejuſdem formæ. Vide ſupra pag. 94. col. 1. Vel (-) ſic mutatur per legem æquivalentiæ. Pro אִתָּךְ *tecum*, fem. invenitur tantum אִתָּךְ cum (·) ſub ת, ut particulæ illi accidit quando eſt accuſativi nota in obliquis pronominum caſibus. Vide ſupra pag. 80. Quatenus præpoſitio, formam articuli interdum imitatur, h. e. א movetur per hhólem, ut: אֹתוֹ *cum eo*, אוֹתְךָ *tecum*, maſcul. אוֹתָךְ *tecum*, femin. מֵאוֹתִי *à mecum*; h. e. *mecum*, אוֹתָם *cum eis.* Denique in forma communi pro אִתָּנוּ *nobiſcum*, legitur אִתָּנוּ cum (·) ſub ת loco (-), ut fit in obliquis pronominum caſibus. Vide paginam ultimo loco laudatam.

[בֵּין *inter.*] Illa præpoſitio ſumit etiam interdum affixa ſingularia more nominum pluralium maſculinorum, ut: בֵּינֶיךָ *inter te.* Cum affixis vero pluralibus, eorumdem nominum pluralium formam induit, vide paradigma. Cum affixo tamen primæ perſonæ pluralis invenitur etiam in forma ſingulari, vel deficit (י) nota pluralis numeri in בֵּינֵנוּ *inter nos*, Joſ. 22. v. 25. Aſſumta nominum femininorum pluralium forma, בֵּינוֹתָם *inter eos*, בֵּינוֹתֵינוּ *inter nos.*

[מִ cum affixis, vide pag. 80.]

[סָבִיב *circum.*] Pro סְבִיבוֹתֵיהֶם legitur quoque סְבִיבֹתָם 4. Reg. 17. v. 15. *circa eos*, vel potius *in circuitibus eorum*; nam vox illa, ſive in maſculino, ſive in feminino genere, purum videtur eſſe nomen, ante quod ſubintelligitur ב, aut quævis alia præpoſitio.

[עַד *ad.*] In hac præpoſitione cum affixis tum abſolutis, tum conſtructis, (-) mutatur in (·); aut potius affixa junguntur cum עַד præpoſitione deducta ex עָדָה. At ſine iis, עַד & in plur. conſtructo עֲדֵי, venit à עָדָה, unde עַד formæ יַד; & in regimine ſingul. aut in forma regiminis, עַד; in regim. plur. עֲדֵי; ut enim præpoſitiones cum affixis eodem fere modo puncta mutant ac nomina cum iiſdem affixis conjuncta: ſic cum illæ regunt nomina, formam nominum regentium, ſeu in regimine poſitorum imitantur.

[עַל *ſuper.*] Cum affixis abſolutis (-) mutatur in (·); cum affixis autem regiminis, convertitur in (-), quaſi ab עַל formæ יַד. Vide quæ in ſuperiori præpoſitione diximus. Pro עָלֶיךָ *ſuper te*, in pauſa (-) mutatur in (·), ſic: מֵעָלָיִךְ *à ſuper te*, *à te*, Jerem. 11. v. 15. & cum affixo Chaldaïco & poëtico, עָלָיְכִי *tibi*, Pſal. 115. Heb. 116. v. 17. Vide ſupra pag. 127. col. 2. Cum affixo ſimpliciter poëtico, עָלֵימוֹ *ſuper eos*, Pſal. 5. v. 12.

[עִם *cum.*] Venit à radice עָמַם, ut oſtendit daghéſch חָזָק ם impreſſum quando adjunguntur affixa. Cum (·) loco (-) ante affixum fem. ךְ, עִמָּךְ *tecum*, Zach. 14. v. 5. Aliis eſt apoſtrophe ad Deum, ſicque punctatio eſt analoga in pauſa, in qua (:) quod præit huic affixo maſc. & (·) ipſiuſmet affixi trajiciuntur, ut cum hoc affixo particulis aut præpoſitionibus adjecto non infrequenter accidit. Vide Exod. 19. v. 24. cap. 22. v. 25. &c. Cum eodem (·) pro (:) ante affixum כֶם; pro (-) ante affixum נוּ; עִמָּכֶם *vobiſcum*, Gen. 42. v. 38. עִמָּנוּ *nobiſcum*, ibid. cap. 24. v. 25. &c. Vide ſupra אִתָּנוּ in אֵת.

[תַּחַת *ſub*, *pro.*] Illa præpoſitio affixa vulgo recipit in forma nominum pluralium maſculinorum. Interdum tamen formam ſingularem retinet, ut: תַּחְתֶּנָּה *pro ea*, Gen. 2. v. 21. תַּחְתֵּנִי *ſub me*, 2. Reg. 22. v. 37.

CAPUT XIII.

De Conjunctione.

CONJUNCTIO vox eſt, quæ ſententiam ſententiæ conjungit. Sententia autem ſententiæ conjungitur, *vel* per copulam *ET*, &c. *vel* per disjunctionem *AUT*, &c. (conjunctiones enim disjunctivæ,

etſi rem disjungant, verba tamen ac ſententias conjungunt), *vel* per diſcretionem *SED*, &c. *vel* per conditionem *SI*, &c. *vel* per cauſæ redditionem *QUIA*, *ENIM*, &c. *vel* denique per conſequutionem *ITAQUE*, *IGITUR*, &c.

Ex conjunctionibus itaque aliæ ſunt *copulativa*; aliæ *disjunctiva*; aliæ *diſcretiva*, ſeu *adverſativa*; aliæ *conditionales*; aliæ *cauſativa*; aliæ denique *concluſiva*.

I.

CONJUNCTIONES copulativæ.

וְ *&*. Vide append.

אַף } *etiam*,
גַּם } *quoque*.

II.

CONJUNCTIONES disjunctivæ, quibus partes ita ſegregantur, ac ſi una tantum vera eſſe poſſit.

אוֹ *aut*, *vel*, *ſive*.
לֹא־כֵן *non ſic*, *ſecus*.

III.

CONJUNCTIONES conditionales, quibus pars orationis conſequens ex antecedentis conditione connectitur.

אִם *ſi*, *ſin*, *ſiquidem*, *ſi quando*, *cum*, *quandoquidem*.
כִּי אִם *quod ſi*.
אִם לֹא *ſi non*, *ni*, *niſi*.
לוּ } *ſi*.
אִלּוּ }
לוּלֵא *niſi*.

IV.

CONJUNCTIONES adverſativæ, quibus partes ratione tantum ſegregantur.

אַךְ *verum*, *veruntamen*.
אֲבָל *at*, *aſt*, *ſed*, *verum*, *veruntamen*.
גַּם כִּי *etiamſi*.
כִּי אִם *ſed*.
וְלֻלֵא } *etſi*.
וְלוּ }
אוּלָם *veruntamen*.
כִּי *quamvis*, *ſed*.

V.

CONJUNCTIONES cauſales, quibus antecedentis rei cauſa redditur.

כִּי *quia*, *quod*, *quoniam*, *nam*, *enim*, *etenim*.
שֶׁ, אֲשֶׁר *quod*, *quia*, *cum*.
יַעַן *quia*, *eo quod*, *quandoquidem*.
יַעַן אֲשֶׁר } *eo quòd*, *propterea*
יַעַן כִּי } *quod*.
עֵקֶב } *quia*, *eo quod*.
עֵקֶב אֲשֶׁר }
בַּעֲבוּר } *ut*, *propterea ut*.
לְמַעַן }
לְבִלְתִּי *ut non*.

VI.

CONJUNCTIONES concluſivæ, quibus ex antecedente conſequens certa ratione concluditur.

לָכֵן } *quare*, *quamobrem*,
עַל־כֵּן } *quapropter*, *quocirca*, *ergo*, *ideo*, *itaque*, *igitur*, *idcirco*.

APPENDIX

De variis τῶ ו *motionibus.*

MOTIO genuina conjunctionis hujus eſt (ְ), ut: אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ *cœlum & terram*, &c. Sæpe tamen ו iſtud conjunctivum aliis etiam afficitur motionibus; & quidem

I°. Notatur cum (ַ) ante (ֲ), ut: וַעֲבָדִים *& ſervi*, &c. Cum (ֱ) reperitur ſub א, ex eo & (ַ) ſub ו fit ſæpius contractio; vel, ſi malueris, tollitur (ֱ), & remanet ſolum (ֵ) ſub ו, ut: וֵאדֹנָי pro וַאֲדֹנָי, *& Dominus*, &c. Rariſſime ſub alia litera gutturali iſtud (ֲ) reducitur ad ſimplex (ְ), ut: וַעְצֹר Job. 4. v. 2. pro וַעֲצֹר, *& prohibere*, *prohibere enim*. Idem ו habet (ַ) ante futura, quæ in præterita convertit, ac inſuper literæ ſequenti daghéſch forte imprimit, ut: וַיִּקֹּד *& inclinavit*, &c. Cum litera illa ſequens daghéſch eſt recipiendi incapax, pro (ַ) ſubjicitur (ָ) τῷ ו, ut: וָאֶבְנֶה *& ædificavi*, &c. De hac converſione futuri in præteritum, & præteriti in futurum, fuſius in Syntaxi.

II°. Afficitur

II°. Afficitur (ָ) ante (ֳ), ut: וֶאֱמֶת & veritas, &c. Interdum (ֱ) mutatur, aut reducitur ad ſimplex (ְ), remanente (ָ) ſub ו cum accentu méthegh, ut: וִהְיֵה & eſto, וִחְיוּ & vivito, &c. Sæpe etiam (ֱ) ſub א, & (ָ) ſub ו contrahuntur in (ֵ) ſub ו, ut: וֵאלֹהִים, pro וֶאֱלֹהִים, & Deus, &c. Analogia etiam poſtulat ut ante (ֳ), ו afficiatur (ָ hhatoúph); verum obtinuit uſus ut ibi per (ָ) magnum moveretur, ut: וָאֳנִי váoní non vóoní, & navis, וָחֳלִי váhholi non vóhholi, & infirmitas, &c.

III°. Ante ב, מ, פ, & alias literas (ְ) affectas, ו fit ſchouréq, ut: וּמִבְחָר & in conſt. וּמִבְחַר & electio, וּבְרֹב & in multitudine, וּמֹשֶׁה & Moſes, וּפֶרֶץ & Phares, וּשְׁמֵי הַשָּׁמַיִם & cæli cælorum, &c.

Excipiuntur literæ ה & ח verborum הָיָה fuit, & חָיָה vixit, ante quas cum ſchevá notatas, ו afficitur hhiriq qatón, ſecundum regulas de concurſu ſcheva vitando ſupra pag. 35. coll. 1. 2. traditas, ut: וִהְיִיתֶם & eritis, וִחְיִיתֶם & vivetis, וִהְיוּ & eſtote, וִחְיוּ & vivite.

IV°. Ante voces ab (י) cum ſchevá notato incipientes; ex illo ſchevá & altero ſub ו, fit hhiriq gadhól, ut: וִיהוּדָה pro וְיְהוּדָה, aut וִיהוּדָה, & Juda. Sic: וִידַעְתֶּם & ſcietis, וִיהִי & erit, וִילָדֶיהָ & pueri ejus, וִירֵשׁוּהָ & poſſidebunt eam, וִירַשְׁנוּהָ & poſſidebimus eam. Huc referunt quidam וִילְלַת & ejulatus, Jerem. 25. v. 36. quamvis (י) afficiatur hhiriq parvo, ſed eſt contractio pro וִיְלְלַת. Vide ſimilia exempla ſupra pag. 376. col. 1. in כ, & infra cap. XVII. in Syriaſm. num. III.

V°. Denique ו habet (ָ) etiam ante ב, מ, & פ, 1°. cum duo nomina conjungit, quorum poſterius monoſyllabum eſt, aut diſyllabum penacutum, ut: כְּסִיל וָבַעַר ſtultus & brutus, אֵימָתָה וָפַחַד terror & tremor, לְעֹלָם וָעֶד in ſeculum & in perpetuum, &c. Excipe זְנוּת וְיַיִן Oſe. 4. v. 11. ſcortatio & vinum. Si ו plura quam duo nomina copulet, quandoque inter duo tantum poſteriora afficitur (ָ), ut: שׁוֹר וְכֶבֶשׂ וָעֵז bovis & agni & capræ, Levit. 7. v. 23. Interdum etiam inter primum & ſecundum nomen habet quoque (ָ), ut: פַּחַד וָפַחַת וָפָח terror, & fovea, & laqueus, Jerem. 48. v. 43. 2°. ante voces monoſyllabas, aut penacutas accentu regio notatas, à quavis litera incipiant, ut: וָמֵת & mortuus, cum accentu Sillouq. וָקָם & ſurgit, אַתָּה וָהֵם tu & illi, וָלֹא & non, וָיָמָּה & verſus mare, ſeu Occidentem, &c. Quandoque etiam eadem motione afficitur cum accentus eſt miniſter, ut: וָחָי, וָחַי & vivet, Ezech. 20. vv. 11. 13. 21. וָדוּשׁ & tritura, Mich. 4. v. 13. &c.

CAPUT XIV.

De Interjectione.

INTERJECTIO vox eſt affectum mentis ſignificans, ac citra verbi opem ſententiam complens, ut: הוֹי לָךְ va tibi. Dicitur interjectio, quia ſæpe interjicitur, ſeu interſeritur orationi; non ſemper, quia ab ea quoque ſermonem recte auſpicamur. Ex interjectionibus autem aliæ ſunt

Blandientis, ut: בִּי, אָנָּא, נָא, לוּ, quæſo, obſecro, amabo.

Comminantis, ut: אוֹי, הוֹי, אִי, va.

Dolentis, ut: { אוֹי, חוֹי, אוֹיָה, ô, hei, heu, eheu.
אָח, הָהּ, אֲהָהּ, ahah, ah. }

Ejulantis, ut : אַלְלַי, *hei*, *va.*

Exclamantis, ut : הוֹי *ô*, & ה articulus.

Faſtidientis & abominantis, ut : חָלִילָה *abſit.*

Gaudentis ſimul & inſultantis, ut : הֶאָח הֶאָח *euge*, *euge*, *ha*, *ha*, *he.*

Hortantis, ut : הָבָה *eia*, *age.* הָבוּ *agite.*

Vocantis, ut : הוֹי *heus* ; & interdum ה artic.

Optantis, ut : { לוּ, לוּא, אַחֲלַי, אַחֲלֵי, *utinam*, *ô utinam!*
{ אָמֵן *Amen.*

CAPUT XV.

De Nominum Hebræorum forma & origine.

Omnes fere radices in lingua ſancta *verba* ſunt ex quibus nomina, ceu rivuli è fonte, originem ducunt ſuam. Ex tribus autem conjugationibus activis, nempe *Qâl*, *Piël*, & *Hiphîl*, nomina derivantur; rarius ex aliis. Verba tam perfecta quam imperfecta producunt, ex ſe nomina, eaque vel nuda ac ſimplicia, vel compoſita. Nomina ſimplicia ſunt, quæ puris radicalibus conſtant; compoſita vero, quæ præter radicales, adſciſcunt unam aut plures ex illis ſex literis הֶאֱמַנְתִּי hécmánti *credidi* ; quare vocantur nomina *Heemantica.* א & מ ſæpe adhibentur ab initio, מ raro in fine, א nunquam. Vice verſa ה, & נ raro præponuntur, ſæpius autem ad finem adjunguntur. ת & י utrobique comparent; ſed (י) initium nominum propriorum ſæpius, & finem gentilitiorum, profeſſionum, & numeralium occupat. His ſex literis adjungitur etiam ל, quod nominibus quibuſdam præponitur. Vide infra nomina ex verbis defectivis ע derivata.

Hujuſmodi nominum originationis cognitio non parum confert. 1°. Ad inveſtigandam cujuſlibet nominis radicem, verba enim & nomina ſeſe mutuo reſpiciunt, ut partus matrem. 2°. Ad melius cognoſcendum nominis ſignificatum, quod plerumque in nomine ſe habet, ut in verbo ſecundum diſtinctas ſuas conjugationes. 3°. Ad facilius intelligendam rationem mutationis nominis ſecundum diverſas ſuæ mutationis cauſas; ut ſunt declinatio in pluralem & dualem numerum, motio è maſculino in femininum genus, ſtructura ſive ſyntaxis cum altero ſubſtantivo, conjunctio cum pronomine affixo, &c.

In hoc capite deſcribemus 1°. Nomina, quæ ex verbis perfectis & imperfectis, ſed tres literas ſuas radicales ſervantibus, derivantur. 2°. Quæ ex imperfectis. In utraque autem verborum ſpecie oculis ſubjicientur 1°. Nomina ſimplicia, 2°. Heemantica, ſecundum ordinem conjugationum ex quibus deducuntur.

ARTICULUS I.

Nomina ex verbis perfectis & imperfectis, ſed perfectorum normam ſequentibus, derivata.

§. I.

Nomina ex QAL *deducta.*

I.

NOMINA ſimplicia.

Formæ 1 { אָבָק *pulvis*, בָּשָׂר *caro*, גָּמָל *camelus*, דָּבָר *verbum*, &c.

2 { אָבֵל *lugens*, זָקֵן *ſenex*, חָצֵר *atrium*, יָבֵשׁ *aridum*, &c.

3 { אָבִיר *robuſtus*, בָּצִיר *vindemia*, גָּדִישׁ *tumulus*, קָצִיר *meſſis*, &c.

4 { אָרוֹן *arca*, גָּדוֹל *magnus*, יָתוֹם *pupillus*, כָּבוֹד *gloria*, &c.

5 { חָרוּל *urtica*, עָצוּם *fortis*, קָלוּט *contractum*, &c.

6 { אָוֶן *iniquitas*, עָוֶל *perverſitas*, &c. Huc referunt שָׁוְא *vanitas*, pro שָׁוֶא, quod potius ad quieſcentia tertia א pertinet.

7 { אֵילָם *veſtibulum*, הֵיכָל *palatium*, חֵמָר *bitumen*, לֵבָב *cor*, &c.

8 הֵילֵל *lucifer*, תֵּבֵל *orbis*, &c.

9 { אֵזוֹב *hyſſopus*, אֵזוֹר *cingulum*, אֵפוֹד *Ephod*, עֵרוֹם & עֵירוֹם *nudus*, quod alii ad piël referunt. Vide illic.

10 { אֵבוּס *præſepe*, אֵטוּן *funis*, אֵמוּן *fides*, אֵסוּר *vinculum*, &c.

11 { אֵבֶר *membrum*, גֵּזֶל *rapina*, סֵפֶר *liber*, &c. Reſoluto (‥) in dupl. (·), נֵרְדְּ *nardus*. Huc pertinent quæ pro (‥) habent (-) ob ultim. gutturalem ſonantem, ut: יֵשַׁע *ſalus*, נֵצַח *æternitas*, &c.

Formæ 12 { קִיטוֹר *fumus*, צִינוֹק *nervus*, &c.

13 { אוֹצָר *theſaurus*, גּוֹרָל *ſors*, חוֹתָם *ſigillum*, כּוֹכָב *ſtella*, &c.

14 { אוֹיֵב *inimicus*, אוֹרֵב *inſidiator*, חוֹבֵל *nauta*, יוֹנֵק *lactens*, &c.

15 אוֹכִיל *cibus*, אוֹפִיר *Ophir*, &c.

16 { אֹפֶל *tenebræ*, גֹּדֶל *magnitudo*, קֹדֶשׁ *ſanctitas*, &c. Et quæ pro (‥) habent (-) ob ſecundam radicalem gutturalem, פֹּעַל *opus*, תֹּאַר *forma*, &c. Reſoluto (‥) in duplex (·), קֹשְׁטְ pro קֹשֶׁט *veritas*.

17 { אוּלָם *porticus*, יוּקָשׁ *auceps*, עוּגָב *organum*, &c. Huc pertinent סוּגַר *clauſtrum*, cum (-) pro (‥). גּוּמָּץ *foſſa*, cum dagh. euphon. in מ, סֻלָּם *ſcala*, אֻמָּן *artifex*, ut quædam exemplaria habent Cant. 7. v. 2. cum (ֻ) & (ׇ hhatoúph) ſequente daghéſch per legem æquivalentiæ, pro (וּ).

18 { אֶרֶץ *terra*, בֶּטֶן *venter*, גֶּפֶן *vinea*, דֶּלֶת *oſtium*, מֶלֶךְ *rex*, &c. Et cum (-) pro ultimo (‥) ob tertiam radicalem ח aut ע, בֶּטַח *confidentia*, זֶרַע *ſemen*, &c. Item cum duplici (-) pro duplici (‥) propter ſecundam radicalem ח aut ע, בַּעַל *Dominus*, כַּחַשׁ *macies*, &c.

Digitized by Google

Formæ.

19 { זמן *tempus*, כתב *ſcriptura*, קרב *prælium*, &c. Et cum (ֱ) ſub gutturali pro (ְ), איל *robur*, אסר *vinculum.*

20 { באר *puteus*, זאב *lupus*, כאב *dolor*, פאר *decus*, &c.

21 { גביר *herus*, דביר *adytum*, כפיר *leo juvenis*, &c. Et cum ( ) dilatato pro ſimplici ſub gutturali, אויל *ſtultus*, חסין *fortis*, עויל *iniquus*, &c.

22 { גבה *altitudo*, גדול *magnitudo*, תהום *abyſſus*, &c. Et cum (ְ) dilatato ſub gutturali, אגוז *nux*, חמור *aſinus*, &c.

23 { גבול *terminus*, זבול *habitaculum*, &c. Et cum (ְ) dilatato, אישון *nigredo.*

24 { גבר *vir*, דבש *mel*, &c. Cum (ְ) dilatato, אנם *flagrum*, הדס *myrtus*, חשש *quiſquiliæ*, חתת *conſternatio.*

25 שכם *humerus.*

II.

Aucta, ſive Heemantica ab initio cum א.

1 { אצבע *digitus*, אשכר *munus*, אשפר *fruſtum*, &c. Et cum (ֶ) pro (ְ) quæ commutatio frequens eſt, אכזב *fallax*, אכזר *crudelis*, אשמן *pinguedo*, &c. quæ alii referunt ad hiphil. Vide pag. 392. col. 1.

2 { אגרוף *pugnus*, אזרוע *brachium*, אפרוח *pullus avium*, אשכול *botrus*, אתמול & אתמול *heſternus.*

Cum י initio.

1 { יצהר *oleum*, &c. Et cum nominibus propriis ſæpiſſime, יצחק *Iſaac*, &c.

2 { ילקוט *pera*, ינשוף *noctua*, &c. quæ ſecundum alios pertinent ad hiphil.

3 יעקוב *Jacob.*
4 יוסף *Joſeph.*
5 יונתן *Jonathan.*
} nomina propria.

Formæ.

Cum נ initio.

1 נפתול *lucta.*
2 נמרוד *Nimrod.*
3 נפתוח *Nephtoahh.*
4 נפתלי *Naphtali.*
5 נמואל *Nemouel.*
} nomina propria.

Cum ת initio.

1 { תדהר *tæda* Inchoata à תְּ, vide in piël, à תַּ in hiphil.

III.

Heemantica, ſive aucta à fine cum ה.

1 { אורוה, vel cum (ֻ) euphoniæ cauſa, ארורה *ſtabulum*, *præſepe*, ab ארוה mutato ה in ו.

2 { סוחרה *parma*, תועבה *abominatio*, &c. Et cum (ְ) pro (ֶ), בוגדה *perfidia*, סוללה *agger.*

3 { אברה *mucro*, אמרה *ſermo*, כבשה *agna*, &c. Cum (ִ) pro hhiriq, אמצה *robur*, כבשה *agna*, נערה *puella*, שלמה & שמלה *veſtis*, &c. Cum (ֵ) pro eodem hhiriq, אברה *membrum*, חלקה *pars*, שאלה *petitio*, &c.

4 { חכמה hhochmá *ſapientia*, חרבה *vaſtatio*, &c. Et cum (ָ) pro (ְ hhatouph), טמאה *pollutio*, חפשה *libertas*, חמצה *fermentatio.*

5 { לבנה *populus*, (arbor), אשה pro אששה *ignitum*, צחה pro צחחה *aridum.* Et cum (ֻ), ſecundum Qimhhi, pro hhiriq, עלפה *laſſum.*

6 { ברכה *benedictio*, גערה *increpatio*, צדקה *juſtitia*, &c. Et cum (ֲ) pro (ְ) ſub gutturali, חרבה *vaſtitas*, &c. Cum (ֲ) ſub eadem gutturali, עגלה *plauſtrum*, &c.

7 { בהמה *beſtia*, ברכה *piſcina*, &c. Et dilatato (ְ) per (ֲ) ſub gutturali, אבדה *perditio*, חשכה *tenebræ*, &c.

Formæ.

8 אֲכִילָה *cibus*, נְגִינָה *cantio*, עֲרִיסָה *maſſa*, cum (ֲ) pro (ְ) ob gutturalem. Et mutato hhiriq magno in hhiriq qatón & dagheſch per legem æquivalentiæ, כְּלִמָּה *ignominia*, שְׁמִטָּה *intermiſſio*, &c.

9 בְּשׂוֹרָה *nuntium*. Cum (ֲ) pro (ְ) ob gutturalem, אֲגוֹרָה *nummus*, חֲגוֹרָה *cingulum*, עֲבוֹדָה *ſervitus*.

10 יְשׁוּעָה *ſalus*, מְלוּכָה *regnum*, שְׁמוּעָה *auditio*, &c. Cum (ֲ) pro (ְ) ob gutturalem, חֲלוּשָׁה *debilitas*, &c. Et ו mutato in (ֻ) cum dagh. per legem æquivalentiæ, אֲלֻמָּה *manipulus*, חֲתֻנָּה *deſponſatio*, עֲבֻדָּה *famulitium*, &c.

Cum ם in fine.

1 פְּדוּיִם *redemtio*, שִׁלְשׁוֹם *nudiustertius*, פִּתְאֹם *repente*.

2 סָלְעָם ſolàm *bombyx*, אָמְנָם omnám *vere*. Et cum hhiriq pro (ָ hhatoúph), חִנָּם *gratis*, pro חָנְנָם ab חָנַן.

Cum ן in fine.

1 כִּבְשָׁן *fornax*, מִגְדָּן *pretioſus fructus*, בִּיתָן contracte pro בִּיתְנָן *palatium*. Cum (ֲ) pro (ְ), אֲבְדָן, vel ſine dagh. אֲבְדָן *perditio*, אַלְמָן *viduus*, רַעֲנָן *viridis*.

2 יִתְרוֹן *emolumentum*, זִכָּרוֹן *memoria*, צִקְלוֹן *gluma*, רִאשׁוֹן contracte pro רִאשְׁנוֹן, aut potius רִאשׁוֹן *primus*. Cum (ֲ) pro hhiriq, אַחֲרוֹן *poſtremus*, פַּעֲמוֹן *tintinnabulum*. Et cum (ֶ) pro eodem hhiriq, חֶסְרוֹן *defectus*, חֶשְׁבּוֹן *ſupputatio*.

3 קָרְבָּן, & cum (ֻ) pro (ָ hhatoúph), קֻרְבָּן *oblatio*, שֻׁלְחָן *menſa*.

4 לְבָנוֹן *Libanus*, פְּרָזוֹן *pagus*, רְעָבוֹן *fames*.

5 יְשִׁימוֹן *ſolitudo*, שְׁפִיפוֹן *ceraſtes*, &c. Cum (ֲ) ſub guttur. אֲמִינוֹן & cum (ַ) ſub א, אַמְנוֹן *Amnon*.

Formæ.

Cum ת in fine.

1 חֲבֶרֶת *junctura*, חוֹתֶמֶת *ſigillum*, יוֹתֶרֶת *reticulum hepatis*, &c. Et cum duplici (ַ) pro duplici (ֶ) ob tertiam radicalem gutturalem, תּוֹלַעַת *vermis*, &c.

2 שְׁחֵלֶת *onyx*, תְּכֵלֶת *hyacinthus*. Cum (ֲ) ob gutturalem, חֲמֵשֶׁת *quinque*.

3 כְּתֹבֶת *ſcriptura*, יְבֹשֶׁת *exſiccatio*, קְטֹרֶת *ſuffitus*, &c.

4 גְּבֶרֶת *hera*, דְּבֵלֶת *maſſa ficuum*, בְּהֵמָה *beſtia*, &c. Cum (ֲ) ſub gutturali, עֲטֶרֶת *corona*, עֲקָרָה *ſterilis*, עֲצֶרֶת *cohibitio*, עֲשֶׂרֶת *decuria*, &c.

5 סִכְלוּת *ſtultitia*, רִפְאוּת *ſanatio*, שִׁפְלוּת *humilitas*, עִקְּשׁוּת *perverſitas*, cum dagheſch euphonico præter regulas. Alii referunt ad piél. Vide pag. 391. col. 2.

6 גַּבְהוּת *elatio*, יַלְדוּת *juventa*, מַלְכוּת *regnum*, &c. אַשְׁפּוֹת cum ו pro ו, *ſtercus*.

7 כְּבֵדוּת *gravitas*, אֱיָלוּת *fortitudo*, cum (ֱ) pro (ְ) ob gutturalem א.

8 יְדִידוּת *dilectio*, כְּסִילוּת *ſtultitia*, כְּרִיתוּת *exciſio*, &c. Et cum (ֲ) pro (ְ) ob gutturalem, חֲרִיבוּת *deſtructio*, עֲלִיצוּת *exſultatio*.

9 גָּפְרִית gophríth *ſulphur*, תָּכְנִית tochníth *menſura*.

10 אַחֲרִית *poſtremum*, תַּחְתִּית ſine dilatatione pro תַּחְתִּית *infimum*.

11 שְׁאֵרִית *reliquiæ*, רֵאשִׁית per contractionem, pro רֵאשִׁית *principium*. Mutato (ַ) in hhiriq qatón & dagheſch per legem æquivalentiæ, חֲמִשִּׁית *quinta*, ubi inſuper eſt (ֲ) pro (ְ) ob gutturalem.

12 מָחֳרָת *craſtinum*, cui ſimile non eſt, quod formam ejus attinet.

Formæ. Cum י in fine.

1 מְרִירִי *amarus*, פְּנִימִי *interior*, עֲרִירִי *ſolitarius*, cum (-) pro (ִ) ob gutturalem; שְׁלִישִׁי *tertius*, רְבִיעִי *quartus*, &c.

2 תַּחְתִּי *inferior*, נַהֲרַי Nahharæus, cum (-) ſub ר pro hhiriq.

Formæ. 3 חָדְשִׁי hhodhſchí *novus*, חָפְשִׁי hhophſchí *liber*, נָכְרִי nochrí *alienus*.

4 מִצְרִי *Ægyptius*, עִבְרִי *Hebræus*, & ſic multis Gentilitiis ſervit (י) cum diverſis punctis antecedentibus, ut: יִשְׂרְאֵלִי *Iſraelita*, אֲדוֹמִי *Edomæus*, מוֹאָבִי *Moabita*, &c.

§. II.

Nomina ex PIEL *deducta.*

I.

NOMINA ſimplicia.

Nomina cum ſimplicia, tum compoſita, quæ ex *Piél* deducuntur, habent daghéſch forte in ſecunda radicali, inſtar conjugationis ex qua derivantur. Si ſecunda illa radicalis daghéſch recipere nequeat, per motionem magnam loco parvæ ſub litera præcedenti compenſatur ejus excidium. Interdum tamen ejicitur iſtud daghéſch ſine ulla compenſatione.

Formæ. 1 גַּנָּב *fur*, דַּיָּן *judex*, דַּכָּא *attritus*, חַטָּא *peccator*, מַלָּח *nauta*, צַוָּאר *collum*, &c. Dagh. ejecto & compenſato, חָרָשׁ pro חַרָּשׁ *artifex*, פֶּחָם *carbo*, כַּחָשׁ *mendax*, פֶּחָה *dux*, פֶּחָם *pruna*, פֶּחָר *figulus*, cum (ֶ) pro (ַ) ſub prima radicali, ob ſecundam radicalem ח alio (ָ) affectam. Vide pag. 62. §. 7. col. 1. in fine.

2 מַקֵּל *baculus*, חִלֵּק *lævitas*, שַׁבֵּחַ *laudans*. Ejecto daghéſch, eoque compenſato, מָאֵן *renuens*, שָׁרֵת *miniſterium*. Dagh. ejecto nec compenſato, מַהֵר *feſtinans*, רַחֵם *miſericordia*.

3 אַבִּיר *robuſtus*, אַדִּיר *vehemens*, צַדִּיק *juſtus*, שַׁלִּיט *dominator*, &c. Daghéſch compenſato, חָרִישׁ *aratio*, סָרִיס *eunuchus*, פָּרִיץ *latro*, &c.

4 אַלּוֹן *quercus*, כַּמּוֹן *cyminum*, רַתּוֹק *catena*, &c.

Formæ. 5 אַלּוּף *dux*, חַלּוּק *Lævis*, טַבּוּר *umbilicus*, &c. Compenſato daghéſch, חָרוּץ *ſedulus*. Sine compenſatione, בַּחוּן *ſpecula*, בַּחוּר *juvenis*, רַחוּם *miſericors*.

6 שַׁדַּי *omnipotens*, פַּנַּג *Pannágh*, אַכַּד *Akkádh*, &c. quæ ſunt nomina propria locorum. Compenſato daghéſch פָּרָשׁ *eques*, פָּרַס *Perſa*. Eodem non compenſato, אַחַר *poſt*.

7 אִכָּר *agricola*, אִסָּר *obligatio*, כִּכָּר *maſſa*.

8 אִטֵּר *occluſus*, אִלֵּם *mutus*, דִּבֵּר *ſermo*, &c. (-) ultimæ mutato in (ִ), חִתִּית *conſternatio*. Compenſato dagh. חֵרֵשׁ *ſurdus*, מֵאֵן *renuens*.

9 גִּבּוֹר *potens*, יִסּוֹר *eruditio*, צִפּוֹר *avis*, &c. Compenſato daghéſch, עֵרוֹם *nudus*, quod etiam referri poteſt ad qal. Vide ibi, pag. 387. col. 1.

10 בִּכּוּר *primitivus fructus*, גִּדּוּף *convitium*, חִבּוּק *amplexus*, &c. Compenſato daghéſch, יֵרוּק *ſativum*. Sine compenſatione, נִחוּם *conſolatio*, בִּעוּת *terror*, נִאוּף *adulteratio*.

11 סִבֹּל *onus*, סִבֹּךְ *perplexitas*, unde מִסֻּבְּכוֹ Jerem. 4. v. 7. *de perplexitate, de cubili ſuo*, cum (ֻ) ſub ב loco (ֹ), ſic: מִסֻּבְּכוֹ. Vide ſimile exemplum ſupra pag. 97. col. 1. in סִבֹּל.

Formæ.

II.

NOMINA Heemantica, ſive aucta cum ת initio.

1 תאשור תְּאַשּׁוּר *buxus*, תִּבְלוּל *ſuffuſio.*

Cum ה in fine.

1 בקרה בַּקָּרָה *inquiſitio*, בַּקָּשָׁה *petitio*, יַבָּשָׁה *arida*, &c. Compenſato daghéſch, פְּרָשָׁה *expoſitio*, נְאָצָה *contumelia*, חָרָבָה *ſiccum*, &c. Et cum (ָ) pro priori (ַ) ob gutturalem ſequentem cum (ְ) notatam, בֶּהָלָה *perturbatio*, בהרה בַּהֶרֶת *papula*, לֶהָבָה *flamma*, &c.

2 בכורה בִּכּוּרָה *præcox fructus*, בִּטּוּחָה *ſecuritas*, רַתּוּקָה *catena*, &c.

3 בכורה בִּכּוּרָה *primus fructus*, גִּדּוּפָה *contumelia*, מִלּוּאָה *plenitudo.*

Cum ת in fine.

1 אדרת אַדֶּרֶת *magnificentia*, דַּלֶּקֶת *ardens febris*, יַבֶּשֶׁת *arida terra*, &c. Et cum (ֶ ֶ) pro (ֵ ֵ) ob tertiam radic. gutturalem, גבחת גַּבַּחַת *recalvatio*, קָרַחַת *calvitium*, cum (ָ) ſub ק ob daghéſch ejectum. Eodem excidente ſine compenſatione, בהרת בַּהֶרֶת *papula*, גַּחֶלֶת *pruna*, לֶהָבֶת *flamma.*

2 אגרת אִגֶּרֶת *epiſtola*, אִוֶּלֶת *ſtultitia*, כִּנֶּרֶת *cithara*, עִוֶּרֶת *cæcitas.*

3 בצורת בַּצֹּרֶת *ſiccitas*, כַּפֹּרֶת *propitiatorium*, פָּרֹכֶת *velum*, cum (ָ) ſub פ ad compenſandum daghéſch ejectum.

4 בקרת בִּקֹּרֶת *flagellatio*, שִׁבֹּלֶת *ſpica.*

5 כתנת כֻּתֹּנֶת *tunica.*

6 כסמת כֻּסֶּמֶת *ſpelta*, קַבַּעַת *fax*, cum duplici (ַ) ob ultimam radicalem ע.

7 צפיחית צַפִּיחִית *laganum*, *placenta.*

8 עקשות עִקְּשׁוּת *perverſitas.* Alii formam illam referunt ad qál. Vide ſupra pag. 389. col. 2.

9 חלמות חַלָּמוּת *vitellus.*

Cum ן in fine.

1 בצרון בִּצָּרוֹן *munitio*, זִכָּרוֹן *memoria*, עִוָּרוֹן *cæcitas*, קִנָּמוֹן *cinnamomum*, &c. Compenſato daghéſch, דֵּרָאוֹן *contemtus*, הֵרָיוֹן *conceptus*, ab הרה הָרָה cujus ultimum ה mutatur in (י); יֵרָקוֹן *rubigo.* Cum (ַ) pro hhiriq, אַיָּלוֹן *Aiialon* nomen proprium urbis, צַוָּארוֹן *collulum*, שַׁבָּתוֹן *ſabbathum.*

2 גבתון גִּבְּתוֹן *Gibbethon*, nomen urbis, קִלְּשׁוֹן *tridens*, קִמְּשׁוֹן *urtica.*

Cum מ ab initio, & ת in fine.

1 מבשלות מְבַשְּׁלוֹת *culina*, מְזַמֶּרֶת *pſalterium*, מְקַטֶּרֶת *altare ſuffimenti*, מְרַאֲשׁוֹת ſine daghéſch ejecti compenſatione, *cervical*; quæ ſunt ex forma participii *Piél*, quod interdum etiam in maſculino genere naturam nominis induit, ut: מְתָעָב *abominabilis*, cum (ָ) ad compenſandum dagh. ejectum, מְמֻלָּא *plenus*, מְקֻדָּשׁ *ſanctuarium*, &c.

§. III.

Nomina ex HIPHIL & HOPHAL *deducta.*

Omnia nomina, quæ ex hiphil derivantur, heemantica ſunt, habentque initio literam ה, ſed rariſſime, aut potius ſemel in verbis perfectis in voce השמעות הַשְׁמָעוּת *auditio.* At in verbis imperfectis & apud Rabbinos, frequentius. Pro iſto ה in vocibus Biblicis interdum ponitur א affectum (ַ); מ cum (ַ), vel (ִ), vel (ְ): ת cum (ַ), aut (ְ): (י) denique cum (ְ). Sunt tamen, qui מְ, מַ, תְּ, imo & יְ referant ad qál. Poſtponuntur autem א & ת, ut in præcedentibus conjugationibus.

Formæ.

Cum א ab initio.

1 אַכְזָב *fallax*, אַכְזָר *crudelis*, אַשְׁמָן *pinguedo*, &c. quæ formæ ab aliis referuntur ad qal. Vide ſupra pag. 388. col. 1.

Cum א ab initio, & ה in fine.

1 אַזְכָּרָה *monimentum*, אֶצְעָדָה *armilla*.

2 אַשְׁמוּרָה *cuſtodia*.

Cum א ab initio, & ת in fine.

1 אַכְזְרִיּוּת *crudelitas*.

2 אַשְׁמֹרֶת *cuſtodia*, *vigilia*.

Cum מ ab initio.

1 מַכְבִּיר *multus*, *multitudo*, מַשְׁחִית *corruptio*, מַשְׂכִּיל *doctrinale*, מַשְׁכִּים *matutinus*, &c.

2 מַחְצָר *exciſio*, מַמְזֵר *ſpurius*, מַפְתֵּחַ *clavis*, מְרַזֵּחַ *curator funebris*, &c.

3 מַטְמוֹן *theſaurus*, מַכְאוֹב *dolor*, מַרְגּוֹעַ *requies*, מַשְׁקוֹף *ſuperliminare*.

4 מִכְלוֹל *perfectio*, מַנְעוּל *ſera*, מַסְלוּל *agger*, מַעֲרוֹם *nudatio*, &c.

5 מַחְמָד *deſiderium*, מַחְמָל *indulgentia*, מַחְשָׁךְ *obſcuratio*, &c.

6 מַחְבֶּרֶת *ſcutella*.

7 מִבְחָר *electum*, מִבְטָח *ſpes*, מִשְׁפָּט *judicium*, &c.

8 מִזְבֵּחַ *altare*, מִסְכֵּן *pauper*, &c.

9 מִבְחוֹר *electus*, מִגְדּוֹל *turris*, מִזְמוֹר *pſalmus*, מִכְלוֹל *perfectio*, מִשְׁקוֹל *pondus*, &c.

10 מִכְמָן *theſaurus*, מִשְׂגָּב *arx edita*, מִשְׁמָן *pinguedo*, מִשְׁעָן *ſcipio*, &c. Et interdum מִזְרָק *pelvis*, מִרְמָס *conculcatio*, מִשְׁפָּט *judicium*.

11 מְשֻׁזָּר moſchzár *contortum*, מָשְׁחָת moſchhháth *corruptum*, quæ deducta videntur ex hophál.

Cum מ ab initio, & ה in fine.

1 מַמְלָכָה *regnum*, מְרַאֲשָׁה *cervical*, מַחֲשָׁבָה *cogitatio*, &c. Huc etiam pertinet מְלָאכָה *opus*, pro מַלְאָכָה, ut probat plurale conſtructum מַלְאֲכוֹת.

2 מֶלְתָּחָה *veſtiarium*, מֶרְכָּבָה *currus*, מֶמְשָׁלָה *dominium*.

3 מִלְחָמָה *bellum*, מִשְׁפָּחָה *familia*.

4 מַדְמֵנָה *ſterquilinium*, מַכְשֵׁלָה *ruina*, מַשְׁעֵנָה *ſcipio*, מַחֲרֵשָׁה *rutrum*, &c.

5 מַהֲתַלָּה *ludificatio*, מַעֲדַנָּה *oblectatio*.

Cum מ initio, & ת in fine.

1 מַלְכֹּדֶת *decipula*, מַשְׂכֹּרֶת *merces*, מַחֲגֹרֶת *cinctura*, &c.

2 מִכְמֹרֶת *rete jaculum*, מִשְׁקֹלֶת *pondus*, &c.

3 מַלְכוּת *regnum*, מִסְכֵּנוּת *paupertas*.

4 מַחְבֶּרֶת *junctura*, מַחְמֶצֶת *fermentatum*, מַחֲשֶׁבֶת *cogitatio*, &c.

5 מִגְעֶרֶת *increpatio*, מִכְמֶרֶת *rete jaculum*, מִשְׁקֶלֶת *pondus*, &c. Et cum duplici (-) pro duplici (·) ob tertiam radicalem gutturalem ח, aut ע, מִרְקַחַת *unguentum*, מִשְׁלַחַת *miſſio*, &c. Huc etiam pertinent nomina formæ מִפְלָה, מִלְחָמָה & מֶמְשָׁלָה in regimine, & cum affixis conjuncta, ſic: מַמְלֶכֶת, מֶמְשֶׁלֶת, & מִלְחֶמֶת.

Cum ת initio.

Futura, תִּהְיֵה *ſis*, Jerem. 17. v. 17. Vide pag. 289. col. 2. תִּרְאֵה *videbis*, Dan. 1. v. 13. Vide ibid. תַּעֲשֵׂה *facies*, Gen. 26. v. 29. Vide ibidem. וַנַּעֲשֵׂה *& fecimus*, Joſ. 9. v. 24. תְּגַלֵּה *reteges*, Levit. 18. v. 7. & ſæpius alibi. Vide pag. 296. col. 2. Pro ה in fine, ſæpius eſt א, ut: תֹּבֵא *acquieſcas*, Prov. 1. v. 10. ubi inſuper deficit prima rad. א, pro תֹּאבֵא, & analogos, ex forma quieſc. Pé א & Lám. ה, תֹּאבֶה. Vide pag. 290. col. 1. Sic: וַיֵּתֵא *& veniat*, Deut. 33. v. 21. Vide ſupra num. XIII. Hactenus de Chaldaiſmis, quorum nonnulli Syris etiam communes ſunt, ut interdum monuimus. Nec mirum: cum lingua Syriaca nova Chaldaicæ, aut potius Jeroſolymitanæ, ſit dialectus. Judæi enim Babylone reverſi, ex lingua Chaldaica, qua in captivitate utebantur, & ex Hebraica novam linguam compoſuerunt, quæ in Novo Teſtamento Hebraica etiam appellatur, & ex qua nata eſt Syriaca nova; antiqua enim erat plane eadem ac Chaldaica, quæ etiam Syriaca vocabatur à Syria, vel Aſſyria, ubi erat vernacula.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De Syriaſmis & anti-Syriaſmis.

I.

QUANDO in verbis litera א character eſt futuri, vel prima rad. ea loco (ְ) mobilis, afficitur (ַ), ut: וְאֵסָעֲרֵם Zach. 7. v. 14. pro וַאֲסַעֲרֵם in futuro piël, *& procellabo, & diſturbabo eos.* Aliis eſt futurum niphâl. Vide ſupra pag. 366. col. 1. initio; אֵפוּ Exod. 16. v. 23. pro אֱפוּ *coquite*, אֵתָיוּ Iſai. 21. vv. 12. 14. &c. & mutato א in ה, הֵתָיוּ Jerem. 12. v. 9. *venite*, pro אֱתָיוּ & הֱתָיוּ. Vide pag. 287. col. 2. in medio.

II.

EADEM litera א nunquam patitur (ְ) ante ſe, ſed literæ præcedenti dat motionem ſuam, in qua quieſcit, aut plane etiam occultatur, ſeu excidit, ut: חַטָּאת *peccatum*, Gen. 4. v. 7. pro חַטָּאת. Aliis eſt punctorum contractio, qua etiam exempla ſequentia explicant. Vide pag. 88. col. 1. & pag. 397. col. 1. in nominibus verbalibus. Sic in plurali conſt. & cum affixis, חַטְּאת, & cum ו otioſo, חַטְּאוֹת Nehem. ſeu 2. Eſd. 1. v. 16. pro חַטְּאת, aut חַטְּאוֹת *peccata*. Vide ſupra paginam primo loco laudatam. מְלָאכָה *opus*, (unde cum affixis מְלַאכְתּוֹ *opus ſuum*, Gen. 2. v. 2. quaſi ex מַלְאֲכַת), pro מַלְאָכָה, hinc in plurali conſt. & cum affixis, מַלְאֲכוֹת *opera*. לָרֻאוּבֵנִי pro לָרְאוּבֵנִי *Rubenitis*, Deut. 3. v. 12. מָאתַיִם pro מָאתַיִם *ducenti*, Gen. 11. v. 23. חֹטִאים pro חֹטְאִים *peccantes*, 1. Reg. 14. v. 33. נֹשִׁאים Nehem. ſeu 2. Eſd. 5. v. 7. & ſine א נֹשִׁים vv. 10. 11. pro נֹשְׁאִים *exigentes*, קֹרִאים pro קֹרְאִים *invocantes*, Pſal. 98. Heb. 99. v. 6. Aliis participia illa imitantur formam quieſc. Lâm. ה. Vide pag. 271. col. 2. initio. וְנִרְפְּאוּ pro וְנִרְפְּאוּ *& ſanabuntur*, Ezech. 47. v. 8. quod alii explicant per formam quieſc. Lâm. ה. Vide pag. 274. col. 2. initio. בּוֹדָאם pro בּוֹרְאָם *fingens ea*, Nehem. ſeu 2. Eſd. 6. v. 8. Vide pag. 348. col. 2. in medio. כַּאבִּיר pro כְּאַבִּיר *ut potens*, Iſai. 10. v. 13. ubi tamen Maſſorethæ legendum docent כַּבִּיר; וְאַעְשִׁר pro וַאֲעָשֵׁר Zach. 11. v. 5. *& ditabor*, vel *& ditatus ſum.* Vide pag. 286. col. 1. in fine, & col. 2. initio. מַלְּפֵנוּ pro מְאַלְּפֵנוּ, vide pag. 176. col. 1. *docens nos*, Job. 35. v. 11. ubi plane occultatur, ſeu excidit א, ut & in ſequentibus exemplis. וְאַבֶּדְךָ pro וָאֲאַבֶּדְךָ *& perdidi*, vel *& perdam te*, Ezech. 28. v. 16. Vide pag. 178. col. 1. in fine, & col. 2. initio; שֵׁלָתֵךְ pro שְׁאֵלָתֵךְ *petitio tua*, 1. Reg. 1. v. 17. בְּחֵמָה cum (ֵ) ſub ח loco (ֶ), ad abſolvendam ſyllabam, de qua mutatione in artic. ſeq. pro בְּחֶמְאָה *in cremore lactis*, Job. 29. v. 6. שֵׁרִית pro שְׁאֵרִית *reſiduum*, 1. Paral. 12. v. 38. לְחַטָּת pro לְחַטָּאת *in hoſtiam pro peccato*, Num. 15. v. 24. וַתַּזְרֵנִי ſine daghêſch in ז ob (ְ) ſuppoſitum, pro וַתְּאַזְּרֵנִי *& accinxiſti me*, 2. Reg. 22. v. 40. Vide pagg. 178. col. 1. 365. col. 1. וְנָשׂוּ pro וְנָשְׂאוּ *& ferent*, Ezech. 39. v. 26. Vide pag. 270. col. 2. in medio, ubi refertur ad formam quieſcent. Lâm. ה; וּמַדִּיבֹת pro וּמְדִיבֹת Levit. 26. v. 16. *& cruciantes.* Vide pag. 184. col. 2. ubi vox illa ad verbum inuſitatum דוב melius refertur. לַהְשׁוֹת *ad perdendum*, 4. Reg. 19. v. 25. ubi inſuper eſt punctorum metatheſis pro לְהַשְׁאוֹת, quod legitur Iſai. 37. v. 26. Vide pag. 301. col. 2. initio.

E contrario vocalis, in qua א debuiſſet quieſcere, nonnunquam ipſi א tribuitur, & litera præcedens afficitur (ְ) ante quod, ſi aliud præceſſerit, prius illud convertitur in (ִ) ob concurſum. תְּאֵהֲבוּ *diligetis*, Prov. 1. v. 22. pro תֶּאֱהָבוּ, ex num. XIII. articuli præced. Vide pag. 169. ubi vox illa explicatur per futurum piël; קְרֶאןָ *vocate*, Exod. v. 20. ubi tollitur ה cum (ֶ) præcedente, pro קְרֶאנָה. Vide pag. 272. col. 1. צְאֶינָה *exite*, Cant. 3. v. 11. cum (ֶ) antiqua vocali *e*, quam exprimit hodie (ֵ) ſub א, pro צֶאנָה, & ſi exprimeretur prima radicalis, quæ in hoc imperativo deficit, ut diximus pag. 231.

Digitized by Google

יְצָאנָה. Vide pag. 272. col. 2. ubi (י) iſtud utpote ſupervacaneum in hac voce neglectum eſt. תְּאָכְלֵהוּ teochléhou *conſumet eum*, Job. 20. v. 26. ubi hhólem in quo א deberet quieſcere, mutatur in (ֳ hhatoúph) euphonicum, pro תֹּאכְלֵהוּ. Vide pag. 364. col. 1.

Huc pertinent שְׂאֵת *ferre*, Deut. 1. v. 9. Vide pag. 271. col. 2. כְּמֹצְאֵת *ſicut inveniens*, Cant. 8. v. 10. Vide ibidem, col. 1. נֹשְׂאֵרת *ferens, obtinens*, 3. Reg. 10. v. 22. Vide ibidem. Quæ voces deducuntur ex שְׂארת, נשאת, כמוצארת; quæ & ipſæ contractæ ſunt pro שֵׂאת, כמוצֵאת, נשֵׂאת. Vide paginam ſupra laudatam.

III.

IODH initiale affectum hhiriq qatón, illud rejicit in locum ejus (ִ) ſub litera ſervili præcedente; quod ab aliis per contractionem explicatur, ut: בִּיקְּרוֹתֶיךָ *inter pretioſas tuas*, Pſal. 44. Heb. 45. v. 10. ubi daghéſch anomalum loco ק imprimitur, pro בִּיקָרוֹתֶיךָ, ut habent codices quidam. Vide pag. 29. col. 2. כִּיתְרוֹן *ſicut excellentia*, Eccle. 2. v. 13. pro כְּיִתְרוֹן. Vide pag. 376. col. 1. initio; וִילְלַת *& ejulatus*, Jerem. 25. v. 36. pro וִילְלַת. Vide pag. 385. col. 2. יִחֵלוּ, ut legit Athias, Job. 29. v. 21. *& ſpem faciunt*, alii *& exſpectarunt*, pro יְיַחֵלוּ ut vocem illam exhibent exemplaria etiam accuratiſſima, & ut illam deſcripſimus pag. 175. col. 2.

Ad hunc Syriaſmum revocari etiam poſſunt futura piël & hithpaël, in quibus (י) prima litera radicalis, rejecta ſua vocali ad characteriſticam cum (ִ) notatam, excidit in his vocibus: וַיְחֶל Gen. 8. v. 10. pro וַיְיַחֵל *& exſpectavit*. Vide pag. 178. col. 1. initio, וַיַּגֶה Thren. 3. v. 33. *& moleſtia affecit*, pro וַיְיַגֶּה. Vide pag. 296. col. 1. וַיַּבְּשֵׁהוּ Nah. 1. v. 4. *& areſecit illud*, pro וַיְיַבְּשֵׁהוּ. Vide pag. 178. col. 1. initio, & pag. 161. col. 2. in fine. וַיַּשְּׁרֵם 2. Paral. 32. v. 30. *& recta duxit eos*, pro וַיְיַשְּׁרֵם, ut indicat (י) radicale relictum. Vide pag. 178. col. 1. initio. יַדּוּ Joel 3. v. 3. pro יְיַדּוּ *projicient*, וַיַּדּוּ Thren. 3. v. 53. *& projecerunt*, pro וַיְיַדּוּ. Vide pag. 297. col. 2. וַתֵּתַצַּב Exod. 2. v. 4. *& ſtiterat ſe*, pro וַתִּתְיַצֵּב, unde ſecundum hunc Syriaſmum, וַתִּתַצֵּב, & cum (ַ) pro (ִ) ſub priori ת ad complendam ſyllabam, וַתַּתַצֵּב. Vide pag. 193. col. 1. ubi anomalia illa aliter, & forte melius, explicatur.

Huic Syriaſmo contrarium eſt, cum vocalis in qua (י) debuiſſet quieſcere, ipſimet (י) ſubjicitur, & ſervili præcedenti (ִ) tribuitur. יִידָע cum (ָ) loco (ַ) ob pauſam, *cognoſcet*, Pſal. 137. Heb. 138. v. 6. pro יֵדַע. Vide pag. 235. col. 1. in fine. יְיֵטִיב Job. 24. v. 21. *benefaciet*, pro יֵיטִיב. Vide pag. 240. col. 1. in medio. יְיֵלִיל Iſai. 15. vv. 2. 3. &c. *ejulabit*, pro יֵילִיל. Vide ibid. אֲיֵלִיל Jerem. 48. v. 31. *ejulabo*, pro אֵילִיל. Vide ibidem, col. 2. in fine.

IV.

NOMINA pluralia maſculina constructa apud Syros deſinunt in ַי, quam formam imitantur hæc Hebraïca: גּוֹבַי & in pauſa גּוֹבָי *locuſtæ*, Nah. 3. v. 17. וְשָׂרַי *& principes*, Jud. 5. v. 15. חוֹרַי & in pauſa חוֹרָי *foramina, alba opera, ſubtilia*, Iſai. 19. v. 9. חַלּוֹנַי & in pauſa חַלּוֹנָי *feneſtræ*, Jerem. 22. v. 14. Vide alia exempla pag. 54. col. 2. ubi extra pauſam exhibentur. Sic particulæ אֱזַי pro אֱזַי *tunc*, Pſal. 123. Heb. 124. v. 3. &c. אַחֲלַי pro אַחֲלַי *utinam*, Pſal. 118. Heb. 119. v. 5. אַחֲרַי pro אַחֲרַי *poſt*, Prov. 28. v. 23. בִּלְעֲדַי pro בִּלְעֲדֵי *præter*, Gen. 14. v. 24.

Nomina pluralia feminina, quæ in ſingulari numero deſinunt in וּת, cum affixis ſumunt וֹת. Sic: עֵדְוֹתָיו pro עֵדוֹתָיו *teſtimonia ejus*, 4. Reg. 17. v. 15. עֵדְוֹתֶיךָ pro עֵדוֹתֶיךָ *teſtimonia tua*, Pſal. 118. Heb. 119. v. 14. ab עֵדוּת, cujus ו in his pluralibus mobile eſt, ſeu conſonat; & retinetur (ְ) ad ſecundam radicalem excidentem compenſandam.

V.

IN verbis defectivis ע, ſeu quorum ſecunda radicalis tertiæ ſimilis eſt, Syri alterutram mutant in א. Alii nova fingunt themata. בָּזְאוּ *diripuerunt*, Iſai. 28. v. 2. pro בָּזְזוּ, à בָּזַז, melius à בָּזָא. Vide pag. 216. col. 2. וַיִּמָּאֵס *& liquefactus eſt*, Job. 7. v. 5. pro וַיִּמָּסֵס ex forma perfecta, vel וַיִּמַּס & in pau-

Digitized by Google

ſa יִמְּסוּ, ex forma imperfecta, à מָסַס, vel potius à מָאַס. Vide pag. 221. col. 1. יִמָּאֲסוּ *liqueſcent*, Pſal. 57. Heb. 58. v. 8. pro יִמָּסוּ, ab eodem verbo. Vide pag. 222. col. 1. שֹׁאסַיִךְ *diripientes te*, Jerem. 30. v. 16. cum א otioſo, pro שֹׁאסַיִךְ, quod & ipſum eſt loco שֹׁסַיִךְ à שָׁסַס, aut potius שָׁאַס. Alii referunt ad שָׁסָה, voluntque א eſſe epentheticum. Vel potius א iſtud ibi eſt vocalis *o*, quam olim etiam exprimebat, ut monuimus pag. 16. col. 2. in fine, utque exemplis non paucis liquet. Inſtar omnium ſit נְכֹאת *aroma*, Gen. 37. v. 25. unde ſine א & cum affixis, נְכֹתֹה cum ה pro ו, *aroma ejus*, 4. Reg. 20. v. 13.

Sic in nominibus, צֶאֱלִים Job. 40. vv. 21. 22. pro צְלָלִים, aut צְלָלִים, *umbroſa*, *umbroſæ arbores*, à צָלַל.

Huc etiam refert Doctiſſ. *Altingus*, יָאהִיל *ſplendebit*, Job. 25. v. 5. pro יְהָלִיל, ab הָלַל, mutato priori ל in א, quod deinde primæ radicali præponitur. Vide pag. 225. col. 1. in fine, ubi vox illa commodius explicatur.

VI.

Secunda radicalis א primæ interdum apud Syros præponitur. אֱדוֹשׁ *triturando*, Iſai. 28. v. 28. pro דָּאוֹשׁ à verbo inuſitato דָּאַשׁ. Vide pag. 250. col. 2. ubi vox illa pluribus modis explicatur. וְלַאֲדִיב *& ad cruciandum*, 1. Reg. 2. v. 33. loco וְלַדְאִיב à quo excluditur ה charact. pro וּלְהַדְאִיב, à דָּאַב. Vide pag. 185. col. 2.

E contrario prima radicalis poſtpoſita eſt ſecundæ in נוֹאֲלוּ *ſtulte egerunt*, Iſai. 19. v. 13. וְנוֹאָלוּ in pauſa, *& ſtulte egerunt*, Jerem. 50. v. 36. נוֹאַלְנוּ *ſtulte egimus*, Num. 12. v. 11. ab inuſitato אָוַל in niphàl. Verum hæ voces pertinent ad יָאַל quod in hac conjugatione, ſecundum doctiſſimum Buxtorfium, alioſque melioris notæ grammaticos, *ſtulteſcere*, *ſtulte agere* ſignificat.

Denique ſecunda radicalis tertiæ poſtponitur in לְצֹנַאֲכֶם, pro לְצֹאנְכֶם *gregibus veſtris*, Num. 32. v. 24. niſi ſit mendum graphicum.

VII.

Interdum apud Syros affixa junguntur futuris pluralibus deſinentibus in וּן, ſervato ן paragogico, & cum accentu in penultima; quod alii per נ epentheticum explicant. יַעַבְרֻנְהוּ cum (ֻ) pro וּ, *tranſibunt eum*, Jerem. 5. v. 22. Vide pag. 368. col. 2. in fine. יִלְכְּדֻנוֹ cum (ֻ) itidem pro וּ, *capient eum*, Prov. 5. v. 22. Vide ibid. יִקְרָאֻנְנִי cum eodem (ֻ) loco וּ, *invocabunt me*, Prov. 1. v. 28. Vide pag. 370. col. 1. יִמְצָאוּנְהָ *invenient eam*, Jerem. 2. v. 24. Vide ibidem. יְשַׁבְּחוּנְךָ *laudabunt te*, maſc. Pſal. 62. Heb. 63. v. 4. Vide pag. 369. col. 1. יְשָׁרְתוּנֶךְ cum (ֶ) in fine loco (ַ) ob accentum in penultima collocatum, *miniſtrabunt tibi*, fem. Iſai. 60. vv. 7. 10. Vide ibid. יְשַׁחֲרֻנְנִי cum (ֻ) pro וּ, *mane quærent me*, Prov. 1. v. 28. תְּדַכְּאוּנַנִי cum (ַ) ſub priori נ loco (ְ), *contereretis me*, Job. 19. v. 2. Vide pag. 371. col. 2.

Hæc de Chaldaïſmis & Syriaſmis, quorum ope anomaliæ quædam commode explicari poſſunt, quamvis alii aliter eas exponant, ut in locis citatis videre eſt. Varios autem voces hujuſmodi anomalas explicandi modos propoſuimus, ut, qui ſibi magis arriſerit, eum ſequatur Linguæ Sanctæ ſtudioſus.

ARTICULUS III.

De mutationis punctorum fundamentis.

Fundamenta, quibus innititur punctorum mutatio, ad quatuor capita revocari poſſunt, I. Syllabæ complementum. II. Dagheſch ejecti, & literæ quieſcentis, interdum etiam excidentis com-

penſationem. III. Accentus tonici, præſertimque pauſantis rationem. IV. Euphoniam, qua etiam literæ quædam in alias convertuntur & interdum trajiciuntur.

§. I.

De Syllabæ complemento.

SYLLABA duplicis eſt generis, ſimplex & compoſita. Simplex ea eſt, quæ conſtat litera & motione magna; vide pag. 35. col. 1. in fine. Compoſita dicitur, quæ ex duabus literis & parva motione coaleſcit; vide pag. 36. col. 2. in fine. Prima ex his ſyllabis dicitur longa, quia duobus conſtat modis, ſeu menſuris: altera vero appellatur brevis, quia unicum habet modum, ſive menſuram. Cum igitur ſyllaba nec ſimplex eſt nec compoſita: complemento indiget. Hinc poſt parvam motionem, quæ non eſt poſita loco magnæ, ſequitur ſemper *vel* daghéſch forte, quod cum geminet literam cui imprimitur, efficit ut prior è geminatis legatur vi parvæ motionis præcedentis; vide pag. 37. col. 1. initio. *Vel* (ְ) mutum, quod literam, quam afficit, annectit ſyllabæ præcedenti; vide ibid. *Vel* denique accentus tonicus, aut ſaltem euphonicus, qui ſyllabam, in qua eſt parva motio, ſuſtinet & quaſi producit; vide ibidem. Cum itaque ex analogia locus non eſt huicce daghéſch, vel (ְ), vel accentui: parva motio mutatur in magnam, vel in (ְ), ut ſyllaba compleatur, ſic: מֶלֶךְ *rex*, plur. מְלָכִים *reges*, non מֶלֶכִים, aut מַלְכִים. Eodem modo mutantur (ֶ) & (ְ) vicaria תַּח (ַ), ut: שַׁעַר *porta*, plur. שְׁעָרִים *portæ*; אֲרִי *leo*, plur. אֲרָיִים *leones*, &c. ubi (ַ) cum ſuis vicariis mutatur in (ָ), non in (ֵ), quia in mutatione vocalium longarum in breves, & viciſſim brevium in longas, non ſemper attenditur ſonus & oppoſitio: ſed ſæpius alia obtinet ratio. Cum enim vocales breves univerſæ natura ſua ſint mutabiles, longarum vero tres tantum, ſcilicet (ָ), (ֵ), & (וֹ); breves quædam non propriam, ſed cum aliis oppoſitam habent longam. Opponuntur igitur (ַ), (ָ), interdum (ַ), & rarius (ִ). Sibi invicem reſpondent (ֶ), (ֵ), & nonnunquam (ַ). Denique (וֹ), (ֳ hhatoſiph), & (ֻ) ſeſe reſpiciunt. Interdum etiam pro (וֹ) adhibetur (וּ), & viciſſim.

Eadem ſyllabæ complendæ ratione motiones parvæ characteriſticarum futuri qal, præteriti & bénoni niphal, & integrarum conjugationum hiphil & hophál verborum defectivorum & quieſcentium ע, mutantur in longas, ut: יָסֹב *circumdabit*, pro יִסְבֹּב; & abjecta ſecunda radicali, cujus ſola motio retinetur, quæ proinde (ְ) תַּח ס expellit, יִסֹב, & mutato (ִ) תַּח (י) in (ָ) ad complendam ſyllabam יָסֹב. Idem faciendum in aliis temporibus & conjugationibus mox recenſitis; utque analogia illa melius pateat, vide verborum illorum paradigmata perfecta & imperfecta, ſupra pagg. 213. 245.

In verbis quieſc. Pé (י), eadem characteriſticæ, eadem ob rationem, pro parvis motionibus afficiuntur magnis in iiſdem temporibus & conjugationibus, in quibus, excepto futuro qal, (י) mutatur in ו ex facili permutatione literarum אחוי, quod ו quieſcit in vocali ſibi oportuna, nempe hhólem in præterito & bénoni niphál, & in tota conjugatione hiphil; in ו vero in tota conjugatione hophál, ut: הוּשַׁב *habitatus eſt*, pro הֻיְשַׁב, &c.

At cum daghéſch locum habet, illud ad complendam ſyllabam adhibetur, ut: הֲדַס *myrtus*, plur. הֲדַסִּים *myrti*, אַרְאֵל *legatus*, alii, *fortis*, *fortiſſimus*, cum affix. אַרְאֶלָּם *legatus eorum*, כַּרְמֶל *arvum*, כַּרְמִלָּם *arvum eorum*, mutato (ֶ) in (ִ) ob euphoniam, de qua infra §. IV.

Interdum etiam parva motio plane abjicitur, ac in ejus locum ſuccedit (ְ), ut: גַּרְגַּר *granum*, plur. גַּרְגְּרִים *grana*, אֲפֻדָּה *auguſtale*, cum affixis אֲפֻדָּתוֹ *auguſtale ejus*, ejecto daghéſch ex ד ob (ְ) ſuppoſitum.

§. II.

De daghéſch ejecti, & literæ quieſcentis, aut etiam excidentis, compenſatione.

Daghesch forte ex gutturalibus & ר ejectum compenſari vulgo motione magna loco parvæ ſub litera præcedenti, diximus ſupra pag. 28. col. 2. in fine, & pag. 29. col. 1. ubi etiam compenſationis hujus leges explicantur. Iſta autem compenſatio fit ob ſyllabæ complementum, de quo in §. præced. Sæpe tamen cum ex literis gutturalibus & ר, tum ex aliis (ׄ) affectis, daghéſch iſtud excidit ſine compenſatione, tuncque *implicitum* vocatur, ut, cum imprimitur, dicitur *explicitum.*

Poſt vocales longas, utpote quæ cum ſua ſola conſonante initio & in medio dictionis ſyllabam conſtituant, rariſſime & impropriè daghéſch ſequi diximus pag. 29. col. 2. Cum itaque venit daghéſch hujuſmodi poſt vocales longas, illæ ut breves, & unius tantum moræ ſpectantur, ut: לָמָּה pro לָמָה *quare*, הֵנָּה pro הֵנָה *huc*, שֹׁמּוּ pro שֹׁמּוּ cum (· bhatouph) *deſolate*, וַהֲמִתִּיו pro וַהֲמִתִּיו *& interfeci eum*; unde cum affixo feminino וַהֲמִתִּיהָ *& interfeci eam*, Oſe. 2. v. 3. al. 5. הוּלֵּד pro הוּלֵד *naſci*, &c. Hinc in verbis defectivis ע motio magna, quæ accentu tonico ob flexionem, aut affixum, deſtituitur, mutatur in parvam ſibi reſpondentem.

Litera quieſcens, & interdum etiam excidens, vulgo quoque compenſatur, ſed motione magna loco parvæ ſub litera præcedenti. Vide verba quieſcentia. Quod ſi interdum videatur quieſcere, aut excidere ſine compenſatione, quia parva motio præcedens mutata non fuit in magnam: parva illa motio vel ibi vices gerit magnæ, quare fulcitur ut plurimum accentu euphonico, & (ׄ) ſequens mobile eſt, ut: יִרְשׁוּ pro יִֽרְשׁוּ, aut יִרְשׁוּ *poſſidebunt*, &c. Vel accentu tonico quaſi producitur, ut: קַמְתָּ *ſurrexiſti*, &c. Vel denique ſpecialis aliqua ratio occurrit, quæ in cauſa eſt cur vocalis illa brevis non mutetur in longam, puta ſchevá ſequens, quod ibi ex analogia debet quieſcere, ut in קַמְתֶּם *ſurrexiſtis*, &c.

Magna autem motio, quæ ad daghéſch ejectum, vel literam quieſcentem, aut excidentem compenſandam adhibetur, vix eſt mutationi obnoxia, ut paſſim in hoc libro primo videre eſt; quare accentu euphonico ſolet inſigniri, cum vel ſequitur ( ), vel plus una ſyllaba diſtat à tonico, ut: בֵּרְכוּ pro בֵּרְכוּ *benedixerunt*, הֵרוֹנֵךְ pro הֵרוֹנֵךְ *& conceptus tuus*, הֵיכָלוֹ *templum ejus*, תֵּבַת conſt. pro תֵּיבַת *arca*, &c.

§. III.

De mutatione punctorum ob accentum tonicum cum communem, tum pauſantem.

Ea eſt Hebræorum pronuntiandi ratio, quemadmodum diximus ſupra pag. 56. num. III. ut ad ſyllabæ tonum, ſeu elationem, quam citiſſime fieri poteſt, perveniant. Quare ſi in flexione, cum affixo, &c. vox è diſſyllaba fiat triſſyllaba, & accentus tonicus ultimam occupet, magna motio, quæ eſt in antepenultima poſt flexionem, &c. vel in penultima ante flexionem, &c. mutatur in (ׄ), aut in parvam ſibi reſpondentem; modo tamen magna illa motio ſit natura ſua mutabilis, neque daghéſch ejectum, aut literam quieſcentem compenſet; quod ſemper eſt obſervandum.

Eamdem ob cauſam parvæ motiones interdum quoque mutantur, ut: בֶּגֶד *veſtis*, בְּגָדִים *veſtes*, ubi (ֶ) penultimæ mutatur in (ׄ), tum pronuntiationis accelerandæ gratia, tum quia ſi remaneret, ſyllaba non eſſet completa. Sic cum affixis, בִּגְדוֹ *veſtis ejus*, &c. ubi duplex (ֶ) mutatur in duplex (ׄ), quorum prius ob concurſum tranſit in (ׄ). Eadem celeritatis ratione in pluralibus maſculinis, & in dualibus cum maſculinis tum

femininis, in regimine & cum affixis, ultima litera ם abjicitur.

Non ſolum autem ad vocis tonum, verum etiam ad ſententiæ diſtinctionem, ſeu pauſam, properant Hebræi. Quare dictiones per maqqáph interdum conjungunt, quo vinculo (id enim ſignificat maqqáph) colligatæ quaſi unicam efficiunt. Hinc accentu tonico carent præter ultimam cujus tono innituntur. Sæpius etiam in his vocibus ſic unitis, motiones magnæ (ָ) & (וֹ) mutantur in parvas. Vide infra lib. III. cap. I. Eadem de cauſa in nominibus conſtructis vocales longæ, quoad poſſunt, mutantur in breves, & litera ה in ſingularibus femininis convertitur in ת, ut (ָ) præcedens, quod literæ hujus quietem compenſat, corripiatur in (ַ).

Denique ante tonum & pauſam, vocales longæ, quantum per earum naturam & officium licet, corripiuntur. Quare literæ characteriſticæ & epentheticæ afficiuntur (ְ) vocali omnium breviſſima; hhiriq gadhól, quod natura ſua immutabile eſt, in hiphíl interdum corripitur in (ִ), aut potius abjicitur, & in ejus locum ſubſtituitur (ְ), daghéſch ſæpius ejicitur ex literis cum (ְ) notatis, &c.

Quamvis ſyllabæ tonus ab ejus quantitate ſit diverſus; vix tamen fieri poteſt ut attollatur ſyllaba, quin ſimul & producatur. Quare accentus pauſantes mutant vulgo (ַ) penultimæ & ultimæ ſyllabæ in (ָ). In eamdem motionem convertunt etiam (ָ), aut (ַ) poſitum pro (ָ), in penultima nominum in duplex (ֶ), aut in duplex (ַ), & literam ſonantem deſinentium. Præterea cum (ְ) ſive ſimplex, ſive compoſitum, ob nimiam ſuam in prolatione celeritatem, accentus illos ferre non poſſit: quando ab ultima ad penultimam aſcendunt, ii in nominibus formæ פְּרִי mutant (ְ) in (ָ), (in quam etiam motionem illud convertunt ante affixum ךָ); (ֲ) in (ָ), & (ֳ) in (וֹ) vulgo deficiens. In verborum perſonis deſinentibus in תְּ, יְ, וּ, præcedente (ְ), illud ejiciunt, inque locum ejus revocant motionem primariæ vocis, h. e. perſonæ ſingularis, quæ flexioni dat exordium; eamque, ſi brevis ſit, mutant in longam ſibi oppoſitam; puta (ַ) in (ָ). Quorum omnium exempla vide ſupra pag. 160. & in verborum cum perfectorum, tum imperfectorum appendicibus, &c. præſertimque in lib. III. cap. I. art. I. §. II.

§. IV.

De punctorum & literarum quarumdam mutatione & metatheſi ob euphoniam.

PUNCTA mutantur ob euphoniam

I. Cum motiones magnæ in parvas ſibi oppoſitas convertuntur; aut potius cum motiones magnæ parvarum figuram aſſumunt, ſervata ſua quantitate. Sic hhiriq gadhól mutatur in hhiriq qatón, vel potius (י), quod eſt nota hhiriq gadhól, excidit; tuncque appellari poteſt hhiriq gadhól deficiens, ut hhólem, cujus ו abjicitur, dicitur hhólem deficiens.

Iſtud autem (י) τῦ hhiriq ſæpe deficit 1°. In nominibus pluralibus maſculinis, quorum ſingularia deſinunt in literam ſonantem, ſeu mobilem, præcedente hhiriq; tumque alterutrum promiſcue excidit, hoc eſt, vel (י) nominis, vel (י) terminationis, ut: שָׂרִיג pro שָׂרִיג *palmes*, plur. שָׂרִגִים excidente (י) nominis, & שָׂרִיגִם abjecto (י) terminationis, *palmites*, &c. Ita antecedente ו, נְתֻנִם *dati*. 2°. In ſecundis perſonis ſingularibus femininis verborum, quibus accedit affixum, ut: מְשִׁיתִהוּ *extraxiſti eum*, Exod. 2. v. 10. ubi LXX. *αὐτὸν ἀνειλόμην*, Vulg. *tuli eum*, in prima perſona. Vide etiam ſupra pag. 345. col. 1. יְלִדְתִּנִי *peperiſti me*, Jerem. 15. v. 10. וְהֵינִקִהוּ *& lacta eum*, Exod. 2. v. 9. הַשְׁמִיעִנִי *audire me fac*, Cant. 2. v. 14. 3°. In conjugatione hiphil, maxime cum præcedit litera quieſcens (י), ut: וָאַבְדִּל *& ſeparavi*, Levit. 20. v. 16. אֵימְנָה *ad dexteram ibo*, Gen. 13. v. 9. תֵּיטִבִי *bonam facies*, Jerem. 2. v. 33. 4°. In futuro qál verborum quieſcentium Pé (י),

(ִ), quando characteriſtica ibidem afficitur hhiriq, ut: יִבָשׁ *areſcet*, Iſai. 19. v. 7. וְיִעֲפוּ *& fatigabuntur*, ibid. cap. 40. v. 30. וְיִגָעוּ cum (ִ) loco (ָ) ob pauſam, *& laſſabuntur*, ibid. 5°. In verbis quieſcentibus Lám. ה, ubi ה iſtud mutatum fuit in (ִ), ut: וְהָיִיתָ *& eris*, 2. Reg. 15. v. 33. בָּנִתִי *ædificavi*, 3. Reg. 8. v. 44. 6°. Denique in nonnullis dictionibus ſingularibus uſu obſervandis, ut: דָּוִד *David*, &c.

Schouréq mutatur in (ֻ), vel potius motionis hujus formam ſæpe induit 1°. In ſingularibus femininis conſtructis, aut cum affixo compoſitis, ut: קְבֻרַת רָחֵל *ſepulchrum Rachelis*, Gen. 35. v. 20. גְּבֻלוֹ *terminus ejus*, Iſai. 28. v. 25. &c. 2°. In pluralibus maſculinis, cum (ִ) terminationis exprimitur, ut: נְתֻנִים *dati*, Num. 8. v. 16. הַכִּפֻּרִים *expiationes*, Levit. 23. v. 27. &c. Sic cum affixo ו, עַמֻּדָיו *columnæ ejus*, Exod. 35. v. 11. 3°. In plur. femininis cum hhólem terminationis plenum eſt, ut: חֲעֻרְכוֹת *diſpoſitæ*, Joſ. 2. v. 6. &c. 4°. In perſonis deſinentibus in ו & in נָה futurorum verborum quieſc. ע, ut: יָקֻמוּ *conſiſtent*, Pſal. 1. v. 5. תְּמֻתוּן *moriemini*, Gen. 3. vv. 3. 4. תְּשֻׁבֶינָה *revertemini*, Ezech. 16. v. 55. Sic in aliorum verborum perſonis deſinentibus in ו, quibus adjunguntur affixa conſona, ſeu ſyllabica, ut: תְּלֻהוּ *ſuſpendite eum*, Eſth. 7. v. 9. קְרָאֻנִי *evenerunt mihi*, Jerem. 13. v. 22. יַעַבְרֻנְהוּ *tranſgrediuntur illud*, ibid. 5. v. 22. In his autem exemplis ו mutatur in (ֻ) maxime ob ſequens ו, aut (ִ) quieſcens. 5°. Denique in fine quorumdam nominum & participiorum, ut: יְהוֹשֻׁעַ *Joſue*, לָבֻשׁ *indutus*, &c.

II. Motiones mutantur ad euphoniam, cum per æquivalentiæ legem magnæ mutantur in parvas ſequente daghéſch forti: & vice verſa parvæ, quas ſequitur daghéſch hujuſmodi, convertuntur in magnas.

Magnæ motiones mutantur in parvas ſibi reſpondentes ſequente daghéſch forti, in גְּמַלִּים Gen. 24. v. 10. pro גְּמָלִים *cameli*, לְשַׁדִּי Pſal. 31. Heb. 32. v. 4. pro לְשָׁדִי *præſtans humor meus*, &c. Vide ſupra pag. 59. col. 1. וַיִּקַּץ 3. Reg. 3. v. 15. pro וַיִּיקַץ *& expergefactus eſt*. Vide pag. 235. col. 1. עֵירֻמִּים Gen. 3. v. 7. pro עֵירֻמִים *nudi*, קָטָנִּי, pro קְטַנִּי *minimus meus*, 3. Reg. 12. v. 10. ubi rudiorum gratia ט afficitur (ָ) pro (ְ hhatoúph). Alia exempla vide pag. 61. col. 1. in fine. וְהֻמְּכוּ Job. 24. v. 24. pro וְהוּמְכוּ (à מוּךְ), *& humiliabuntur.* Alii referunt ad מָכַךְ. Vide ſupra pag. 226. col. 1. in medio. יֻכַּתּוּ Jerem. 46. v. 5. pro יוּכַתּוּ *contererentur*, &c.

Parvæ motiones, quas ſequitur daghéſch forte, convertuntur in magnas ſibi oppoſitas, in הֵתֶל בִּי Gen. 31. v. 7. *illuſit mihi*, pro הֵתֵל, aut accentu retracto ad penultimam ob concurſum, eaque de cauſa correpto (ֵ) in (ֶ), הֵתֶל. Vide pag. 174. col. 1. יְחִיתַן Habac. 2. v. 17. pro יְחִתַּן *terrebit eas.* Vide pag. 361. col. 1. וַיָּזֶד Gen. 25. v. 29. pro וַיָּזַד *& coxit.* Vide pag. 205. col. 1. וַנָּבֶל Iſai. 64. v. 5. pro וַנִּבֹּל *& defluximus.* Vide pag. 206. col. 2. initio.

III. Eadem euphoniæ lege, (ַ), poſt quod ſequitur daghéſch, mutatur in (ָ) loco (ַ) ante literas ה, ח, ע, & interdum א, affectas (ָ); item ante ח notatum cum (ֳ), ut: הֶאָנֹכִי pro הַאָנֹכִי *an ego?* Num. 11. v. 12. נֶאָצוֹת pro נְאָצוֹת *irritationes*, Nehem. ſeu 2. Eſd. 9. v. 18. הֶהָרִים pro הַהָרִים *montes*, Ezech. 18. v. 6. לֶהָבוֹת pro לַהָבוֹת *flammæ*, Pſal. 104. Heb. 105. v. 22. אֶחָד pro אַחָד *unus*, Gen. 2. v. 24. אֶחָת in pauſa, pro אַחַת *una*, Gen. 11. v. 1. גֶּחָלִים pro גַּחָלִים *carbones*, Pſal. 17. Heb. 18. v. 19. הֶפֶּחָה pro הַפֶּחָה *dux*, Neh. ſeu 2. Eſd. 5. v. 14. יִתְנֶחָם cum (ֶ) ob pauſam, pro יִתְנַחָם *pœnitebit eum*, Deut. 32. v. 25. תִּתְנֶחָלוּ cum (ֶ) loco (ַ) ob pauſam, pro תִּתְנַחֲלוּ *poſſeſſionem adibitis*, Num. 33. v. 54. Et cum ח afficitur (ֳ), חֳרָבוֹת pro חֳרָבוֹת *vaſtitates*, Ezech. 36. v. 33. עָרִים pro הֶעָרִים *urbes*, הֶעָרֵל pro הַעָרֵל *præputiatus*, Levit. 26. v. 41. Id etiam accidit ante ר cum (ָ) notatum in הָרָה *montem verſus*, Gen. 14. v. 10. pro הַרָה, aut הָרָה.

IV. Denique euphoniæ gratia, non ſolum tres parvæ motiones (ֶ), (ַ), (ִ) invicem permutantur, ut ſuperiorum capitum ſexcentis in locis vidimus; verum etiam puncta rapta, quæ ex duabus prioribus &

Digitized by Google

(·) componuntur. Unde pro (ֿ) ſæpe uſurpatur (ֶ), & vice verſa ; & pro utroque interdum etiam adhibetur (ֱ). Viciſſitudinis hujus exempla hùc congerere inutile videtur.

Eamdem ob cauſam, ex gutturalibus & ר, necnon ex aliis literis ſchevâ affectis, ſæpiſſime excidit daghéſch ſine compenſatione. Ex his quidem, ob nimiam תנ״ע (·) in ejus prolatione celeritatem, quæ cum literæ geminatione non videtur ſat commode cohærere : ex illis vero, propter moram duplicem motionis magnæ, qua daghéſch iſtud excidens compenſandum eſt, & ſequentis gutturalis, aut ר, aſperitatem, quæ, ſi ſæpius recurrerent, aures poſſent offendere.

V. Ad euphoniam quoque pertinet 1°. Mutua literarum אהוי permutatio, ſic :

א pro ה, הָאמוֹן pro הֶהָמוֹן *multitudo*, Jerem. 52. v. 15.

ה pro א, הֵתָיוּ pro אֵתָיוּ *venite*, Iſai. 21. v. 14.

ה pro ו, עִירֹה pro עִירוֹ *pullum ſuum*, Gen. 49. v. 11.

ו pro ה, וְהִשְׁתַּחֲוָה pro וְהִשְׁתַּחֲוָה *& incurvaverit ſe*, Ezech. 46. v. 2.

ו pro י, בהתודע pro בהתידע *in notum faciendo ſe*, Gen. 45. v. 1.

י pro ו, הַיְשַׁר pro הושר, aut הַיְשַׁר *dirige*, Pſal. 5. v. 9.

י pro א, רֵים pro רְאֵם *monoceros*, Job. 39. v. 9.


י pro ה, בָּנוּי pro בְּנוּיָה *ædificatus*, Cant. 4. v. 4.

2°. Literæ ת metatheſis in ſeptima conjugatione verborum à ז, ס, צ, ש, vel שׂ, incipientium, ubi interdum etiam abjicitur, ut : תִּשּׁוֹמֵם Eccle. 7. v. 16. *exitium accerſes tibi*, pro תִּשְׁתּוֹמֵם, & ſine trajectione תִּתְשׁוֹמֵם. Exempla hujus metatheſeos vide pag. 189. &c. Eadem euphoniæ cauſa, idem ת non ſolum trajicitur, verum etiam mutatur in ד in verbis à ז inchoatis, & in ט in iis, quæ à צ incipiunt. Vide ibidem.

3°. Mutatio ה in ת in tertia perſona ſingulari feminina præteritorum verborum quieſcentium Lám. ה, ut ה duplicis vitetur concurſus, ſic : וְזָנְתָה Gen. 38. v. 24. pro וְזָנְהָה *ſcortata eſt*, &c. In eamdem literam mutatur in fine nominum ſingularium femininorum conſtructorum & cum affixis compoſitorum, mollioris celerioriſque pronuntiationis gratia, ut : צִדְקַת יְהוָה *juſtitia Domini*, צִדְקָתוֹ *juſtitia ejus*, &c. pro צְדָקָה, צִדְקָהוֹ. Eodem modo mutatur in infinitivo verborum quieſc. Lám. ה, maxime cum affixis, & in forma regiminis ; ſæpe enim modus ille naturam nominis induit. Vide exempla in hoc infinitivo cum affixis pag. 355. coll. 1. 2.

HÆc pro mutationis punctorum, & literarum quarumdam metatheſeos fundamentis ſufficiant. Qui hæc adprime noverit, is ad ea facile revocabit alias mutationes, quas inducit euphonia, vel ſyllabæ complementum, puta ex duplici ( ) mobili prioris in (·), vel (·), vel (·) converſionem, & alia id genus plurima, quæ longius eſſet perſequi.

Libri primi, qui eſt de etymologia, ſeu analogia, finis.



GRAMMATICA HEBRAICA.

LIBER SECUNDUS.

De Syntaxi.

SYNTAXIS eſt apta vocum in oratione conjunctio. Dividitur in *ſimplicem* & *figuratam*. Simplex ea eſt, quæ ordinem à natura inſtitutum ſequitur, & ad loquendi rationem in linguis vulgaribus receptam, propius accedit. Figurata dicitur, quæ ab hoc uſu communi recedit, ut peculiares ſtructuræ rationes, & quoſdam loquendi modos, aut breviores, aut elegantiores conſectetur.

Vocum conjunctio fit vel *convenientia*, vel *rectione*.

Convenientia, quando partes orationis in aliqua re inter ſe conveniunt, eſtque quadruplicis generis. 1°. Subſtantivi cum ſubſtantivo, ut: *puella virgo*. 2°. Subſtantivi cum adjectivo, ut: *Deus ſanctus*. 3°. Relativi cum antecedente, ut: *Deus qui eſt*. 4°. Nominativi cum verbo, ut: *ego amo*.

Rectione, cum vox vocem regit natura ſua, aut vi alicujus præpoſitionis expreſſæ, vel ſubintellectæ.

Digitized by Google

In prima hujus libri parte ſyntaxim, ſive conſtructionem ſimplicem: in altera vero figuratam, expendemus. In priori autem tradenda, doctiſſimum *Glaſſium* ſequuti, ſingulis orationis partibus excuſſis, quidquid in earum qualibet Linguæ Sanctæ proprium eſt, diſtinctis Canonibus, ſive Regulis, annotabimus.

PARS PRIMA.

De Syntaxi ſimplici.

CAPUT I.

De Articulo.

ARTICULUS pars eſt orationis, quæ nominibus præfixa, eorum ſignificationem ſpeciali quadam ratione ſæpe determinat. Nulla eſt fere lingua, quæ ſuos non habeat articulos. Hos agnoſcit Hebraica ה, ל, את, מ, quamvis alium etiam uſum obtineant, ut diximus ſupra pag. 69. Græca ὁ, ἡ, τό. Gallica *le*, *la*, &c. Caret Latina. In hoc capite agemus 1°. De Hebræorum, 2°. De Græcorum articulis ratione Novi Teſtamenti, cujus phraſis plerumque Hebraïca eſt, quamvis Græca ſint vocabula. Quare in hac Syntaxi plurima ex eo exempla in canonum Hebraïcorum confirmationem afferemus.

ARTICULUS I.

De Hebræorum articulis, ac præſertim ה.

PRÆCIPUUS Hebræorum articulus eſt ה, cujus ſyntaxis exponenda eſt antequam proprietates ejus expendantur. ה itaque jungitur

1°. Nominibus ſubſtantivis, הַמַּיִם *aqua.*

2°. Adjectivis, הַיְקָרִים *pretioſi.* Cum ſubſtantivum & adjectivum conjunguntur, nunc alterutri, nunc utrique præponitur, הַנַּעַר הַלָּז *puer iſte.*

3°. Propriis locorum & fluviorum, Jud. 8. v. 10. *Zebee autem & Salmana* erant בַּקַּרְקֹר, per contractionem, pro בְּהַקַּרְקֹר *in* urbe *Qarqor.* Lxx. ἐν Καρκὰρ *in Karkar.* Vulg. *requieſcebant*, h. e. erant in quiete, ſeu refrigerio: ex nomine proprio fecit appellativum; rad. enim קְרַר Chaldæis & Rabbinis *refrigeſcere* ſignificat. Mich. 6. v. 5. מִן־הַשִּׁטִּים עַד־הַגִּלְגָּל *à Sittim Gilgalem uſque.* Joſ. 13. v. 25. עָרֵי הַגִּלְעָד *urbes Galaad.* Jerem. 40. v. 1. מִן־הָרָמָה *de Rama.* Sic: הַיַּרְדֵּן *Jordanis fluvius*, &c.

4°. Nominibus Gentilitiis, ut: הָעִבְרִי *Hebræus*, הָאֱמֹרִי *Emoræus*, &c. Quod ſi no-

men Gentilitium ex duabus vocibus componatur, quandoque divellitur, & ה ſecundæ voci præfigitur, אֲבִי הָעֶזְרִי *Avieſrites*, ex אֲבִי & עֶזְרִי. Sic: בֵּית הָאֱלִי *Bethelites*, ex בֵּית & אֵלִי. Vide 1. Reg. 6. v. 14. c. 16. v. 1. &c.

5°. Pronominibus tertiæ perſonæ, quæ tunc adjective ſumuntur, יוֹם הַהוּא *die eo ipſo*. בָּעֵת הַהִיא *in tempore eo ipſo*; ut apud Latinos: *ipſe ille animus*, &c. Quandoque etiam pronomina illa adjective ſumuntur, quamvis ה iſtud non præponatur, ut: בַּלַּיְלָה הוּא *nocte ipſa*, Gen. 30. v. 16. 1. Reg. 19. v. 10. pro הַהוּא. כָּל־הָאָרֶץ הִיא *univerſam terram iſtam*, Jerem. 45. v. 4. pro הַהִיא. Idem articulus jungitur etiam cum pronominibus demonſtrativis. Jerem. 26. v. 6. אֶת־הַבַּיִת הַזֶּה וְאֶת־הָעִיר הַזֹּאתָה *domum hanc*, & *urbem hanc*. Vide Gen. 24. v. 65. c. 44. v. 6. Zach. 2. v. 4. &c.

At ה iſtud non jungitur

1°. Nomini proprio hominis, *quia illud, tamquam individui nomen, ſui notitiam per ſe ſuo nomine exhibet, neque alio ſigno opus habet*, ait Qimhhi in Michlól fol. 54. Anomala itaque ſunt, לְהַקּוֹץ *Qotſo*, 1. Paral. 24. v. 10. & לְהַפִּצֵּץ *Piſeſtſo*, v. 15. Alia exempla, quæ proferuntur, ut: הַמְנַשֶּׁה *Manaſſe*, Joſ. 1. v. 12. הַיְמִינִי *Jemini*, 2. Reg. 16. v. 11. הַגָּד *Gad*, 2. Reg. 24. v. 5. הַמָּגוֹג *Magog*, Ezech. 28. v. 2. קִרְיַת הָאַרְבַּע *Cariatharbe*, Nehem. ſeu 2. Eſd. 11. v. 25. הָאֲרַוְנָה *Arauna*, 2. Reg. 24. v. 16. &c. ſunt potius nomina Gentilia, quam virorum propria, ſic: *Araunæus*, *Manaſſiticus*, &c. Neque etiam anomala eſt vox הַקֹּהֶלֶת Eccle. 12. v. 8. nomen enim proprium Salomonis non eſt, ſed ejus cognomentum ratione officii; unde à Græcis redditur ἐκκλησιαστὴς *Eccleſiaſtes*, i. qui ſermonem habet ad populum in Eccleſia collectum. Sic: הָאָדָם Gen. 1. v. 27. &c. nomen eſt appellativum *homo*; quare Lxx. Aq. Sym. Theod. vertunt τὸν ἄνθρωπον. Aq. præmittit σὺν, hoc modo: σὺν τὸν ἄνθρωπον, quia dictio אֶת־ non ſolum eſt articulus accuſativi, ſed etiam præpoſitio *cum*, quam ſignificationem utpote primariam attendit Aquila literæ nimium ſerviens. Præpoſteræ hujus diligentiæ exempla plurima ſuppeditat liber Eccleſiaſtes. Vide cap. 7. v. 30. cap. 8. vv. 15. 17. &c. Quibus ex locis patet ſaltem in hoc libro Lxx. verſionem eſſe interpolatam. Vide etiam cap. 7. v. 22. al. 23. ubi vocum illarum כִּי גַּם־פְּעָמִים רַבּוֹת יָדַע לִבֶּךָ, duplex interpretatio legitur, prior Lxx. poſterior Aquilæ, qui pro יָדַע legebant יָרֵעַ.

2°. Nomini conſtructo, *quia alterum ſubſtantivum prioris declaratio, & quaſi notificatio eſt; unde altero ſigno, nempe ה notificativo, opus non habet*, ut docet idem Qimhhi. Sunt tamen quædam Scripturæ Sacræ loca, in quibus ה iſtud nomini conſtructo præpoſitum eſt, ut: Gen. 31. v. 13. *Ego ſum* הָאֵל בֵּית־אֵל *Deus Bethél*. Sic c. 2. v. 9. הַדַּעַת *ſcientiæ* boni & mali. Jerem. 25. v. 26. הַמַּמְלְכוֹת *regna* terræ. Jud. 16. v. 14. הַיְתַד *paxillus* texturæ. 3. Reg. 14. v. 24. הַתּוֹעֲבֹת *abominationes* gentium. Zach. 4. v. 10. הָאֶבֶן *lapis* ſtanni. Jerem. 32. v. 12. הַסֵּפֶר *liber* emtionis. 2. Paral. 15. v. 8. וְהַנְּבוּאָה *& prophetia* Oded. Ezech. 45. v. 16. הָעָם *populus* terræ. Jud. 8. v. 11. הַשְּׁכוּנֵי *habitantes* in tabernaculis. Jerem. 25. v. 15. הַיַּיִן *vinum* furoris. 4. Reg. 16. v. 17. הַבָּקָר *bos* æris. Joſ. 3. v. 14. הָאָרוֹן *arca* fœderis. In his & ſimilibus exemplis, ſubintelligitur idem nomen ſubſtantivum, ſed in forma conſtructa & ſine ה repetitum, v. g. *ego ſum* הָאֵל אֵל בֵּית־אֵל *Deus*, *Deus inquam*, *Bethél*. Et ſic de ceteris. Quare ex his nominibus quædam habent formam abſolutam pro conſtructa, ut: הָאָרוֹן pro הָאֲרוֹן. In his vero, quæ in forma conſtructa ſunt, ut: הַמַּמְלְכוֹת, enallage eſt ſtatus conſtructi pro abſoluto, quod non raro fieri vidimus ſupra pagg. 122. 123. 124.

3°. Nomini cum affixis conjuncto, *ipſum enim affixum nominis notitiam indicat, unde redundabit ה notificativum*, ut ſcribit idem Qimhhi. Interdum tamen ad majorem notitiam & emphaſim, ה articulus hiſce nominibus præfigitur, ut: Joſ. 7. v. 21. הָאָהֳלִי *tabernaculi mei*. Ibid. c. 8. v. 33. וְהֶחֶצְיוֹ *& dimidium ejus*. Levit. 27. v. 23. הָעֶרְכְּךָ *æſtimationem tuam*. 4. Reg. 15. v. 16. הֶהָרוֹתֶיהָ *prægnantes ejus*. Eſd. 10. v. 14. בֶּעָרֵינוּ *in civitatibus noſtris*, contracte pro בְּהֶעָרֵינוּ. Sic Iſai.

24. v. 2. כַּגְּבִרְתָּהּ, quod pariter per contractionem eſt pro כְּהַגְּבִרְתָּהּ *ſicut domina ejus.*

Ea eſt ה articuli Syntaxis. Ceteros quod attinet, nempe ל, את, מ, ii à nullis nominibus, neque ab ulla eorum forma, excluduntur; ubique enim conveniunt.

CANON I.

Articulus ה apud Hebræos quandoque emphaſim importat, unde vocatur הַיְדִיעָה ה *Hé notificationis*, quod nominis ſignificatum notius reddat, & quaſi oſtendat. Dicitur etiam ה demonſtrativum, & ſuperlativum gradum nonnumquam exprimit. Sæpe etiam caret emphaſi.

Deut. 3. v. 25. *Tranſibo igitur & videbo* אֶת־הָאָרֶץ הַטּוֹבָה Vulg. *terram hanc optimam*, ... הָהָר הַטּוֹב הַזֶּה *montem iſtum egregium*, ſeu *optimum.*

Eſth. 7. v. 4. *nunc autem* הַצָּר *hoſtis ille*, nempe *Aman.*

Iſai. 7. v. 14. *Ecce* הָעַלְמָה Lxx. ἡ παρθένος *Virgo illa concipiet*, &c.

Sæpe etiam ה iſtud emphaſim non habet, ſed ad ſolum orationis ornamentũ adhibetur.

Deut. 8. v. 3. ..... *ut oſtenderet tibi, quod non* עַל־הַלֶּחֶם לְבַדּוֹ *in ſolo pane vivat homo.* Lxx. & Matth. 4. v. 4. ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ, ſine articulo.

Lev. 18. v. 5. *cuſtodite leges meas atque judicia, quæ faciens* הָאָדָם, Rom. 10. v. 5. ἄνθρωπος *homo, vivet in eis.* Docti igitur & intelligentis interpretis eſt expendere quandonam ה iſtud cum emphaſi accipiendum ſit, necne.

CANON II.

Præter expoſitam in canone præcedenti τοῦ ה articuli poteſtatem, ſignificat etiam *qui, quæ, quod, ô! an? num? numquid?* &c.

I. *Qui, quæ, quod*, ſi addatur præterito, aut participio.

Præterito. Eſd. 8. v. 25. *Appendique eis argentum & aurum & vaſa* ..... הֵהֵרִימוּ *quæ obtulerunt Rex & conſiliarii ejus.*

Cap. 10. v. 17. *Et conſummati ſunt omnes viri* הֹהֹשִׁיבוּ *qui duxerant uxores alienigenas.*

2. Paral. 1. v. 4. *Arcam autem Dei adduxerat David de Cariathiarim*, בַּהֵכִין לוֹ *in locum, quem præparaverat ei.* Sic Vulg. interpres, qui recte ſupplevit vocem *locum*; elliptica enim eſt oratio, pro: בַּמָּקוֹם הֵהֵכִין לוֹ. Præterea contractio eſt in בַּהֵכִין pro בְּהַהֵכִין. Vide Joſ. 10. v. 24. Job. 34. v. 31. Ruth. 2. v. 6. 1. Paral. 29. v. 17. &c.

Participio. Lev. 17. v. 10. *obfirmabo faciem meam contra animam illam*, הָאֹכֶלֶת *quæ comederit ſanguinem.*

Pſal. 145. Heb. 146. v. 6. הַשֹּׁמֵר *qui cuſtodit veritatem in ſæculum.*

Rarius ה illud præpoſitioni præfixum, relativum exprimit. 1. Reg. 9. v. 24. *Levavit autem cocus armum*, הֶעָלֶיהָ Lxx. edit. Ald. Complut. & mſ. Alex. καὶ τὸ ἐπ' αὐτῆς, *& quod ſuper ipſum erat*, ſeu *quod adhærebat illi.*

II. Particulam vocandi ô! diciturque ab Heb. הַקְּרִיאָה ה *Hé exclamationis.*

Num. 15. v. 15. הַקָּהָל *ô congregatio! ſtatutum unum erit tam vobis quam advenæ peregrinanti*, &c. Lxx. vocem הַקָּהָל ad verſum præcedentem ſine exclamatione in fine adjungunt. Vulg. totum hoc comma omiſit, quia idem eſt, ſenſum quod attinet, ac v. 16.

Deut. 32. v. 1. *Audite* הַשָּׁמַיִם *ô cœli! quæ loquor: & audi* (Vulg. *audiat*) הָאָרֶץ *ô terra! verba oris mei.*

Pſal. 113. Heb. 114. v. 4. הַיָּם *ô mare!*

Joel. 1. v. 2. הַזְּקֵנִים *ô ſenes!* &c.

III. Adverbium interrogandi *num? an?* &c. vocaturque הַשְּׁאֵלָה ה *Hé interrogationis.* Vide exempla pag. 385. col. 1. 2.

In interrogationibus affirmativis, ה iſtud negat; in negativis, affirmat.

In affirmativis. 2. Reg. 7. v. 5. הַאַתָּה *numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* cujus loco 1. Paral. 17. v. 4. habetur: לֹא אַתָּה *non tu ædificabis*, &c. Vide Ezech. 18. v. 23. Zach. 1. v. 5. &c. Aliquando tamen affirmat, ſed tunc eſt pro הֲלֹא *annon? nonne?* Vide infra in Syntaxi figurata tract. III. de figuris ſententiæ c. II. art. I. num. VI.

In negativis. 1. Paral. 21. v. 17. הֲלֹא *nonne ego ſum qui juſſi ut numeraretur populus? ego qui peccavi*, &c. h. e. revera is ego ſum, &c. Vide Abd. v. 5.

Nonnumquam deeſt interrogandi particula ה. Gen. 27. v. 24. אַתָּה *tu es filius meus Eſau?* ſupple הַאַתָּה *num tu*, &c.

1. Reg. 11. v. 12. *Saül regnabit ſuper nos?* ſupple *num Saül*, &c.

Job. 2. v. 10. *ſi bona ſuſcepimus de manu Dei, mala* לֹא נְקַבֵּל *non ſuſcipiamus?* ſupple הֲלֹא *annon.* Vulg. *quare non.*

Ibid. c. 13. v. 15. *Etiamſi occiderit me* (Dominus) לֹא אֲיַחֵל *non ſperabo?* pro הֲלֹא *nonne.* Vulg. *in ipſo ſperabo.* pro לֹא legebat לוֹ, ſicuti legendum docent Maſſorethæ. Ita etiam legit Chald.

Ibid. c. 40. v. 20. al. 24. תִּמְשֹׁךְ *extrahes Leviathan hamo?* pro הֲתִמְשֹׁךְ *an extrahere poteris*, &c. Sic Vulg.

Pſal. 104. Heb. 105. v. 28. *Miſit* (Dominus) *tenebras & obſcuravit*, וְלֹא מָרוּ *& non rebellarunt* (Ægyptii contra) *ſermones ejus?* id eſt, הֲלֹא *nonne rebellarunt?* Lxx. & VI. Editio ad hunc ſenſum propius acceſſerunt: καὶ παρεπίκραναν, *& exacerbaverunt.* Aq. καὶ οὐ προσήρισαν, *& non exacerbaverunt.* Sym. καὶ οὐκ ἠπείθησαν, S. Hieron. *& non fuerunt increduli.* Theod. V. edit. καὶ οὐ παρεπίκραναν *& non exacerbaverunt*; quæ omnes verſiones cum interrogatione exponi poſſunt, ſi negationem οὐ vel οὐκ interpreteris *nonne*, ut mox videbimus. Alia exempla vide Exod. 8. v. 26. cap. 19. v. 23. 2. Reg. 13. v. 26. 4. Reg. 5. v. 26. Job. 3. v. 26. Ezech. 17. v. 9. confer v. 15. Jon. 4. v. ult. Malach. 2. v. 15. &c.

In novo Teſtamento: οὐ, vel οὐκ, vel μὴ, *non*, pro interrogativo *nonne* ſæpius uſurpatur. Matth. 6. v. 26...... οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν; *nonne vos magis pluris eſtis illis?* Vide c. 17. v. 24. al. 23. Marc. 6. v. 3. c. 11. v. 17. c. 12. v. 24. 1. Cor. 6. vv. 2. 3. 9. 15. 16. c. 9. vv. 8. 9. c. 10. v. 21. &c.

ARTICULUS II.

De Græcorum Articulo.

Græcorum articuli ὁ, ἡ, τὸ, tam varius eſt uſus, ut certis præceptis vix poſſit comprehendi. Aliquando enim emphaticus eſt, aliquando caret emphaſi. Modo redundat, modo deficit. Unde Julio Scaligero, teſte Friſchlino in Synt. Græc. Lat. dicitur *loquaciſſimæ gentis flabellum.* Ea eſt præcipua ejus in N. T. poteſtas.

CANON I.

Articulus ὁ, ἡ, τὸ, ſæpe emphaſim importat, ac demonſtrativi, vel relativi pronominis vim obtinet. Quod ei accidit

I. Cum præponitur nomini caſu convenienti, h. e. quando in eodem caſu eſt ac nomen ſeq. Matth. 1. v. 17. πᾶσαι αἱ γενεαὶ, *Omnes iſtæ generationes*, &c. ut habet Syrus; iſtæ vide-

licet, quæ hic numerantur, quamvis reipſa plures fuerint.

Ibid. v. 23. Ecce *ἡ παρθένος virgo illa concipiet*, &c. Sic Iſai. 7. v. 14. ubi voci הָעַלְמָה additur ה art. cui reſpondet ἡ, ut ſignificetur virgo quædam inſignis ab æterno ſelecta, quæ Meſſiam humani generis redemtorem erat paritura.

Ibidem v. 25...... *donec peperit τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον filium illum ſuum primogenitum*, cujus ante ab Angelo facta eſt mentio; vis enim articuli hoc in loco relativa eſt, non diſtinctiva; quaſi SS. Virgo alios filios poſt Chriſtum Jeſum pepererit.

Ibidem cap. 2. v. 2. *ubi eſt ὁ τεχθεὶς ille qui natus eſt*, &c.

Ibidem v. 11. *Et intrantes εἰς τὴν οἰκίαν in domum illam, invenerunt τὸ παιδίον puerulum illum*, &c. quibus articulis certa domus, & puellulus certus indicantur.

Ibidem cap. 16. v. 16. Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ζῶντος, *Tu es ille Chriſtus filius ille Dei vivi*, à prophetis verus Meſſias prænuntiatus.

Luc. 2. v. 26. *niſi prius videret τὸν Χριστὸν κυρίου Chriſtum illum Domini.*

Joan. 1. v. 21. ὁ προφήτης εἶ σύ; *Propheta ille tu es?* ſcilicet à Deo, Deut. 18. v. 15. &c. promiſſus. Quare Divus Joannes negat ſe eſſe prophetam illum, de quo loquebantur Sacerdotes illi & Levitæ.

Cap. 6. v. 32. *Non Moiſes dedit vobis τὸν ἄρτον panem illum de cælo*, id eſt, panem illum cœleſtem, quem ego dabo vobis. Confer ſeqq.

Act. 3. v. 14. *Vos autem τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον ſanctum illum & juſtum negaſtis*, verum Meſſiam, & mundi Salvatorem. Vide etiam v. 15.

Cap. 9. v. 2. *Ut ſi quos inveniſſet τῆς ὁδοῦ hujus viæ viros*, i. ſectæ. דֶּרֶךְ enim *via* omne vitæ genus denotat.

Ibid. v. 17. *Et introivit* (Ananias) *εἰς τὴν οἰκίαν in domum illam*, quæ v. 11. ipſi deſignata erat.

1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere παρὰ τὸν κείμενον, præter id, quod poſitum eſt, Jeſum Chriſtum.* Alia exempla vide Joan. 10. v. 11. 1. Cor. 3. v. 13. c. 5. v. 9. 1. Joan. 5. v. 9. &c.

II. Cum præponitur nomini caſu ei non convenienti, i. cum nomen ſequens eſt in alio caſu.

Apoc. 1. v. 4. *Gratia vobis & pax ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Hac periphraſi exprimit S. Joannes proprium Dei nomen יהוה, quod cum ſit indeclinabile, voces Græcas etiam indeclinabiles reliquit, pro ἀπὸ τοῦ ὄντος, &c. Vel articulus τοῦ ponitur eo loci pro τούτου hoc modo; ἀπὸ τούτου ὁ ὢν ἐστι, *ab eo, qui eſt exiſtens, qui erat*, καὶ ὁ ἐρχόμενός ἐστιν, *& qui venturus eſt.*

In hac loquutione non raro ſubintelligendum eſt participium ὢν, ὄντος. Matth. 16. v. 23. *non ſapis τὰ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων* ſupp. ὄντα, *ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Vide Matth. 22. v. 21. Luc. 2. v. 49. 1. Cor. 15. v. 5. &c.

Sic cum Articulus præpoſitioni, aut adverbio additur.

Præpoſitioni. Matth. 6. v. 9. *Pater noſter ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*, ſupp. ὢν, *qui es in cælis.* Vide Rom. 16. v. 5. Philipp. 4. v. 22.

Adverbio. Coloſſ. 3. v. 2. τὰ ἄνω φρονεῖτε ſupp. ὄντα, *quæ ſurſum ſunt ſapite.*

Huc pertinet 1°. Cum Articulus τὸ vim habet demonſtrativi, poniturque pro τοῦτο.

Marc. 9. v. 23. al. 22. τὸ εἰ δύνασαι πιστεῦσαι, *hoc ſi potes credere.* Vulg. *ſi potes credere.* Legebat ſine τὸ, quod etiam in mſ. Cantab. deſideratur. Vim eamdem obtinet articulus, cum ipſi adjungitur particula δὲ. Matth. 2. v. 5. οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ, *at illi dixerunt ei.* Vide cap. 4. v. 20. Luc. 6. v. 8. &c. Sic paſſim ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, *ille autem reſpondens dixit*, &c.

2°. Quando articulus indefinite pro *quidam* accipitur. Matth. 13. v. 2. εἰς τὸ πλοῖον, pro πλοῖόν τι, *in navem quamdam.* Luc. 8. v. 5. ὁ σπείρων *ſator quidam.* Vulg. *qui ſeminat.*

3°. Quando articulus τὸ præponitur vocibus & ſententiis, quæ *materialiter* accipiuntur. Luc. 22. v. 24. *Facta eſt autem φιλονεικία contentio inter eos, τὸ, τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι μείζων, nimirum hæc, quis eorum videretur eſſe major.*

Rom.

Digitized by Google

Rom. 13. v. 9. τὸ γὰρ οὐ μοιχεύσεις, *nam hoc, non adulterabis*, &c. *in hoc verbo inſtauratur*, h. e. ſummatim comprehenditur, ἐν τῷ, ἀγαπήσεις *nempe in eo: diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

4°. Cum articulus pluralis cum præpoſitione & nomine proprio conjunctus, idem eſt, quod ipſum nomen proptium. Joan. 11. v. 19. *Multi autem ex Judæis venerant* πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν, Vulg. optime *ad Martham & Mariam.* Sic Ariſtot. 2. Metaph. 4. οἱ περὶ Ἡσίοδον, pro Ἡσίοδος *Heſiodus.* Interdum tamen iſta loquutio comitatum ſignificat. Act. 13. v. 13. οἱ περὶ τὸν Παῦλον, Vulg. *Paulus & qui cum eo erant.* Sic c. 21. v. 8. in Græco, quæ tamen verba deſunt in mſſ. Alex. Cantab. & quibuſdam aliis; quæque etiam deſiderabantur in eo, quo uſus eſt Vulg. interpres Latinus, qui illa non reddidit.

CANON II.

In quibuſdam Scripturæ locis deficit articulus nēceſſario complendus.

Matth. cap. 5. v. 20. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra* πλεῖον τῶν γραμματέων, &c. *pluſquam Scribarum*, &c. ſupp. τῆς τῶν γραμματέων ſcilicet οὔσης, *ea quæ, Scribarum eſt.*

Cap. 27. v. 9..... *quem appretiaverunt* ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ *à filiis Iſrael*, ſupp. οἱ ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ, *ii, qui ſunt ex filiis Iſrael*, h. e. Iſraelitæ, nimirum ſummi Sacerdotes, &c.

Joan. 5. v. 36. *Ego autem teſtimonium habeo majus Joanne*, ſupp. τῆς τοῦ Ἰωάννου μαρτυρίας *majus Joannis teſtimonio.*

Act. 7. v. 14. *Mittens autem Joſeph accerſivit Jacob patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam*, ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε *in animabus ſeptuaginta quinque.* ſupp. τὴν ἐν ψυχαῖς .... συνισταμένην, *quæ conſtabat ex animabus ſeptuaginta quinque.* Hic locus pugnare videtur cum Gen. 46. v. 27. ubi ſecundum Hebræum, & Vulg. Lat. ſeptuaginta tantum animæ in Ægyptum ingreſſæ memorantur. Verum Moyſes eos duntaxat recenſet, qui ex Jacobo, vel immediate, vel mediate per filios ejus nati erant, excluditque quatuor uxores Jacobi, & duos Judæ filios *Her* & *Onan*, qui in terra Chanaan mortui erant. His excluſis, & Jacobo ipſo comprehenſo, 70. numerus comprobatur. Sanctus autem Stephanus Jacobum excludit, ſed quatuor ejus uxores, & duos Judæ filios *Her* & *Onan* in hoc numero complectitur, proindeque 75. animas enumerat. Neque refert numerum proficiſcentium, uti Gen. 46. v. 27. ſed ſummam eorum, quos dicto loco nominatim Moyſes enumeravit. Sunt qui exiſtiment Lxx. verſionem Gen. 46. v. 27. ad Lucæ contextum reformatam, quapropter τῷ Manaſſe tribuitur filius nomine *Machir*, qui & ipſe genuit *Galaad.* Ephraimo autem aſſignantur *Suthalaam & Thaam; filii vero*, (i. filius) *Suthalaam, Edem:* qui deſumti ſunt partim ex Num. c. 26. & 1. Paral. c. 7. quique additi τοῖς 70. numerum 75. conficiunt. Ipſi tamen Lxx. Deut. 10. v. 22. ἑβδομήκοντα *ſeptuaginta* tranſtulerunt, ubi mſ. Alex. habet ἑβδομήκοντα πέντε, *ſeptuaginta quinque.* & Ald. ἑβδομήκοντα καὶ πέντε, *ſeptuaginta & quinque*, quæ caſtigario facta eſt ex Gen. c. 46. v. 27. Alii putant S. Lucam ſcripſiſſe ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πάντες ſupp. ἦσαν, *in animabus* 70. *omnes erant*, pro ἑβδομήκοντα πέντε *ſeptuaginta quinque*, ac librariorum incuria vocem πάντες mutatam fuiſſe in πέντε. S. Hieron. quæſt. in Gen. col. 543. tom. 2. nov. edit. ſcribit S. Lucam, abſque alia diſquiſitione Lxx. ſequutum fuiſſe. *Non enim debuit S. Lucas*, inquit, *qui ipſius hiſtoriæ ſcriptor eſt, in gentes Actuum Apoſtolorum volumen emittens, contrarium aliquid ſcribere adverſus eam Scripturam, quæ jam fuerat gentibus divulgata. Et utique majoris opinionis illo duntaxat tempore ſeptuaginta interpretum habebatur authoritas, quam Lucæ, qui ignotus & vilis, & non magnæ fidei in nationibus ducebatur..... licet plerique tradant Lucam*

Evangeliſtam, ut proſelytum, Hebræas literas ignoraſſe.

Eadem ellipſi quidam verſum 16. ejuſdem ſeptimi Actorum capitis explicant. *Et tranſlati ſunt* (Patriarchæ) *in Sichem, & poſiti ſunt* (Jacob) *in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti*, παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ, *à filiis Hemor filii* (melius patris) *Sichem*, pro παρὰ τὸ, τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ, q. d. præter illud monumentum, quod emerat Jacob à filiis Hemor patris Sichem, & in quo poſitus eſt Joſeph, & forte fratres ejus; S. enim Hieronymus in epitaphio Paulæ, tom. 4. n. ed. col. 677. narrat ſepulchra duodecim Patriarcharum ab ea prope Sichem conſpecta fuiſſe. *Atque inde* (Sichimis) *divertens* (S. Paula) *vidit duodecim Patriarcharum ſepulchra.* Patriarchæ igitur Jacob & filii ejus, tranſlati ſunt ex Ægypto in Sichem ubi conditi ſunt Joſephus & fratres ejus, ſecundum Hieronymum; Jacob vero Hebrone ſepultus eſt.

Alii quædam ſubintelligendo conciſum iſtud comma ſic exponunt: *Et tranſlati ſunt* (Jacob in Hebron, Gen. 50. v. 13. confer c. 23. v. 19. & Joſephus in Sichem, Joſ. 24. v. 32.) *& poſiti ſunt* (Jacob) *in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti* ab Ephron filio Seor, Gen. c. 23. vv. 9. 17. Joſephus vero, forte & fratres ejus, in ſepulchro, quod emerat Jacob *à filiis Hemor patris Sichem*, Gen. 33. v. 19. Joſ. 24. v. 32. Loco *Patris*, interp. Lat. habet *filii*, quamvis Hemor fuerit *pater* Sichem, ut liquet ex locis Gen. & Joſ. mox laudatis. Græca S. Stephani *patris* etiam ſenſum exhibent, Articulus enim τοῦ ellipſim quoque dictionis *patris* importat, ut Herodot. in Clio, pag. 7. edit. Henr. Steph. Ἄδρηστος ὁ Γορδίεω τοῦ Μίδεω, *Adraſtus* nepos *Gordii* patris *Midæ.* Et in Thalia, Κῦρος ὁ Καμβύσεω, *Cyrus Cambiſæ* pater. Quod ſpectat ad ellipſin, quam in hoc verſu complevimus, non ſolum in SS. Scripturis frequentiſſima eſt, verum etiam imprimis eo loci convenit; S. enim Stephanus conciſe loquitur, & paucis multa conglomerat, utpote qui hiſtoriam contribulibus ſuis notiſſimam referat, quam proinde fuſius explicare neceſſe non erat.

Alii denique hunc verſum ſic explicant: *Et tranſlati ſunt in Sichem* Joſephus, & forte fratres ejus, pars maxima pro toto, Jacobus enim in Hebron tranſlatus eſt; *& poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham, pretio argenti à filiis Hemor patris Sichem.* Abraham, h. e. Abrahamides, ſeu Jacob Abrahami nepos. Majores enim ac parentes pro nepotibus & filiis ſæpe accipiuntur, ut Amos 7. v. 9. *Et demolientur excelſa* יִשְׂחָק *Iſaac*, i. Iſraelis. Sic Æneas vocatur *Dardanus*, pro *Dardanides*, Æn. l. IV. 662. Vide Syntaxim figuratam in Meton. cauſæ pro effectu.

At Gen. 33 v. 19. Jacobus dicitur emiſſe agrum illum *centum agnis.* Verum agni illi, ſive ut aliis placet, agnæ, nummi erant, quibus impreſſa erat figura *agni*, ſive *ovis.* Sic βοῦς nummus *bovis* imagine ſignatus; unde proverbium, *bos in lingua*, quod ſilentium data pecunia imperatum ſignificat. Sic Corinthiorum πῶλοι *pulli*, Peloponnenſium χελῶναι *teſtudines*, &c. Solemne enim erat nummos à figura, quam repræſentabant, cognominare. Sic apud nos *Louis d'or* appellantur nummi, qui figuram Ludovici Regis ſignatam exhibent.

CANON III.

Ex curioſa & minus neceſſaria articuli conſideratione, falſæ hypotheſes & errores facile oriuntur.

DIDYMUS Alexandrinus hanc olim de Spiritu Sancto regulam tradidiſſe legitur: *Apoſtoli, quando intelligi volunt perſonam Spiritus Sancti, addunt articulum τὸ πνεῦμα, ſine quo Spiritus Sancti dona ſignificantur.* Incerta eſt hæc regula, quia τὸ πνεῦμα cum articulo, quandoque Spiritus S. dona ſignificat. 1. Theſſ. 5. v. 19. τὸ πνεῦμα *Spiritum nolite extinguere*, h. e. Spiritus S. dona. Vide Eph. 4. v. 23. 1. Joan. 4. v. 2. &c. Et viciſſim

Digitized by Google

πνεῦμα ſine articulo, Spiritus S. perſonam ſignificat. 1. Cor. 12. v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem πνεῦμα Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Vide Joan. 3. v. 5. Jud. v. 19. &c.

Origenes explicans v. 21. cap. 3. Epiſt. ad Rom. *Nunc autem χωρὶς νόμου ſine Lege juſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata ὑπὸ τοῦ νόμου à Lege & Prophetis*, ait vocem νόμου priori loco poſitam notare *Legem naturæ*, quia articulus ei non præponitur: poſteriori vero, *Legem Moſis*, eo quod ipſi addatur articulus. Verum dictio νόμος ſine articulo Legem Moſis interdum etiam denotat, ut v. 20. *Quia ex operibus νόμου Legis* (Moſaïcæ ſcilicet) *non juſtificabitur omnis caro coram illo; διὰ γὰρ νόμου per Legem enim* (Moſaïcam) *cognitio peccati.* Vide v. 31. c. 7. v. 7. &c. E contrario νόμος cum articulo Legem naturæ innuit. Rom. 2. v. 14. *Cum enim Gentes, quæ Legem* (Moſaïcam) *non habent, naturaliter ea, quæ τοῦ νόμου legis ſunt* (naturalis) *faciunt, ejuſmodi Legem* (Moſaïcam) *non habentes, ipſi ſibi ſunt Lex.*

Aſterius, Arii ſocius, apud S. Athanaſium orat. 2. contra Arianos, tom. 1. part. 1. nov. edit. pag. 505. B. Chriſti divinitatem evertere conatur ex 1. Cor. cap. 1. v. 24. ubi Chriſtus dicitur θεοῦ δύναμις, καὶ θεοῦ σοφία *Dei virtus, & Dei ſapientia*, ſine articulo ἡ. Οὐκ εἶπεν ὁ μακάριος Παῦλος Χριστὸν κηρύσσειν τὴν τοῦ θεοῦ δύναμιν, ἢ τὴν τοῦ θεοῦ σοφίαν· ἀλλὰ δίχα τοῦ ἄρθρου προσθήκης, δύναμιν θεοῦ, καὶ θεοῦ σοφίαν. *Non dixit beatus Paulus ſe Chriſtum ipſam Dei virtutem, vel ipſam Dei ſapientiam prædicare: ſed ſine articuli adjectione, virtutem Dei, & Dei ſapientiam.* At Chriſtus, qui eo loci dicitur θεοῦ σοφία *Dei ſapientia*, Luc. 11. v. 49. vocatur ἡ σοφία τοῦ θεοῦ cum articulo, & Matth. 11. v. 19. ἡ σοφία. Par ratio appellationis δυνάμεως θεοῦ. In his enim loquendi formulis modo adhibentur, modo omittuntur articuli.

Photiniani & Sociniani hanc tradunt regulam: *nomen θεὸς cum articulo, verum Deum notat, ſine articulo vero, minime.* Falſa eſt hæc regula, nam ὁ θεὸς, cum articulo, interdum idolis tribuitur. Act. 7. v. 43. *Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſidus τοῦ θεοῦ ὑμῶν Dei veſtri Rempham*, &c. Vide cap. 14. v. 11. 2. Cor. 4. v. 4. Gal. 4. v. 8. Philip. 3. v. 19. Viciſſim θεὸς ſine articulo verum Deum deſignat. Matth. 4. v. 4. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit διὰ στόματος θεοῦ de ore Dei.* Vide c. 5. v. 9. c. 6. v. 24. c. 12. v. 28 Joan. 1. vv. 6. 12. 13. 18. 1. Theſſ. 1. v. 9. &c. Imo hæc regula Photinianos ipſos & eorum aſſeclas confodit; Chriſtus enim Joan. 20. v. 28. à S. Thoma dicitur ὁ θεός μου *Deus meus.* Neque pronomen μου vim articuli infringit, ut effutit Socinus, cum è contrario veram Chriſti divinitatem adſtruat. Frivolum itaque eſt diſcrimen illud, quod ſtatuunt Sociniani inter ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων *Rex Regum*, 1. Tim. 6. v. 15. & βασιλεὺς βασιλευόντων, ſine articulo, Apoc. 17. v. 14. c. 19. v. 16. quorum illud Deo Patri, hoc vero Chriſto tribui aiunt, & exinde inferunt Chriſtum non eſſe verum & unicum illum Deum, qui eſt *Rex Regum.* Ejuſdem roboris eſt argumentum, quod deducunt ex Joan. c. 1. v. 1. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος *& Deus erat verbum*; quaſi articulum ὁ ante vocem θεὸς omiſerit Evangeliſta, ne eodem ſenſu, quo præcedens ὁ θεὸς, acciperetur. Quinetiam Socinus ipſe ad regulam quandam articulum Græcum ſpectantem reſpondens fatetur *regulam iſtam in Græca lingua non eſſe perpetuam, atque ubi ea ceſſet, ex loci circumſtantiis optime dijudicari.* Quod de ipſius etiam obſervatiunculis circa articulum valere debet.

Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice c. 2. col. 705. edit. Pariſ. 1608. ex articulo voci ἄνθρωπος 2. Theſſ. c. 2. v. 3. præpoſito, colligit etiam Antichriſtum fore certum quemdam hominem & ſingularem perſonam: *Apoſtolus enim*, inquit, *loquitur de certa quadam perſona, ut patet ex articulis Græcis, καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.* v. 8. καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, *& tunc revelabitur ille iniquus.* Mox ex S. Epiphanio addit: *Articuli Græci contrahunt ſignificationem ad unam certam rem, ita ut ἄνθρωπος ſignificet hominem in communi, ut ὁ ἄνθρωπος hominem ſingularem.*

Iſthæc quoque Bellarmini regula ruinoſo nititur fundamento; vox enim ὁ ἄνθρωπος cum articulo, hominem ſingularem & individuum non ſemper denotat, ut patet Marc. 2. v. 27. *Sabbathum* διὰ τὸν ἄνθρωπον *propter hominem factum eſt, & non* ὁ ἄνθρωπος *homo propter Sabbathum.* Luc. 4. v. 4. *Non in ſolo pane vivit* ὁ ἄνθρωπος *homo.* Confer Matth. 4. v. 4. ubi in eadem ſententia ἄνθρωπος ſine articulo ponitur. Vide etiam 2. Tim. 3. v. 17. Sic & aliis vocibus articulus additus ſingularem perſonam minime notat, ut ὁ δίκαιος *juſtus*, Rom. 1. v. 17. ὁ πονηρὸς *malus*, Eph. 6. v. 16. ὁ ἐπίσκοπος *Epiſcopus*, Tit. 1. v. 7. . . . . *qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt* ὁ πλάνος καὶ ὁ ἀντίχριστος, *ſeductor & antichriſtus*, 2. Joan. v. 7. ubi præcedit: ὅτι πολλοὶ πλάνοι εἰσῆλθον εἰς τὸν κόσμον, *quoniam multi ſeductores ingreſſi ſunt in mundum*, Vulg. *exierunt*, legebat ἐξῆλθον, ut habent mſſ. aliquot codices. Alia exempla vide 1. Petr. 4. v. 18. 1. Joan. 2. v. 18. Apoc. 22. v. 11. &c.

Joſephus Scaliger (ſi tamen illius ſint notæ Novo Teſtamento adjunctæ) explicans locum illum 1. Cor. 15. v. 29. *Quid facient, qui baptizantur* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν *pro mortuis?* urget articulum, contenditque hic omnes mortuos non ſignificari, ſed quoſdam tantum; eique articulo vim ὁριστικὴν *definitivam* affingit. At in toto hoc capite, in quo de reſurrectione mortuorum diſputat Paulus, indiſcriminatim duo illa νεκροὶ & οἱ νεκροὶ ſine articulo, & cum articulo uſurpantur. Sine articulo, vv. 12. 13. 15. 20. 21. 29. 32. cum articulo, vv. 29. 35. 42. 52. Hujus autem verſiculi, qui interpretibus cruces figit, is videtur eſſe ſenſus: ſi mortui non reſurgunt, ut quid baptizantur nonnulli pro mortuis? i. propter, vel occaſione mortuorum, ne & ipſi morte præoccupati, & ſine baptiſmo morientes, æternis deputentur ſuppliciis. Vero enim ſimile eſt eo tempore, quo D. Paulus hanc epiſtolam ſcribebat, morbum aliquem peſtiferum graſſari, quo plurimi è medio tollerentur, &c. Alias verſiculi hujus expoſitiones vide apud interpretes.

Caſaubonus in notis ad Matth. c. 10. v. 17. ſuper illud, προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, *cavete autem ab hominibus*, contrariam Scaligerianæ de articulo obſervationem habet; contendit enim vi articuli *omnes homines* ſignificari. *Nam* οἱ ἄνθρωποι, inquit, *valet omnes homines:* ἄνθρωποι *autem cum dicitur, quoſdam homines intelligimus.* Recte autem ſubjungit: *ſed hæc minutiora ſunt & ſubtiliora. Itaque ratio articuli hic* (adde & in pluribus aliis locis) *non eſt habenda.*

CANON IV.

ARTICULUS non ſolum ſubjecto propoſitionis, ſed & prædicato additur.

CERTA itaque non eſt ac generalis, quam nonnulli tradunt regulam hoc modo: » Cum dubium eſt an aliquod nomen vim » habeat ſubjecti, an prædicati; id facile » apud Græcos cognoſci poteſt. Nam illud » nomen, cui articulus præponitur, ſub» jectum eſt. Valet quidem hæc regula in ſequentibus, quia textûs ſeries oſtendit ea pro ſubjectis eſſe habenda, quibus articuli adduntur, etiamſi fiat terminorum inverſio.

Matth. 21. v. 9. εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος, *benedictus qui venit in nomine Domini*, &c. h. e. ὁ ἐρχόμενος εὐλογημένος, *qui venit . . . . ſit benedictus.*

Joan. 1. v. 1. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, *& Deus erat verbum illud*, de quo ſupra; pro καὶ ὁ λόγος ἦν θεὸς, *& verbum illud erat Deus.*

Ibid. cap. 4. v. 24. πνεῦμα ὁ θεὸς, *Spiritus eſt Deus*, i. ὁ θεὸς πνεῦμα, *Deus eſt Spiritus.* Vide Joan. 20. v. 29. Rom. 3. v. 13. cap. 11. v. 29. 1. Cor. 11. v. 3.

Fallit autem hæc regula

I. In illis propoſitionibus, in quibus ſubjecti locum obtinent *pronomina primitiva*, aut *demonſtrativa*; in his enim prædicato

additur articulus. Matth. 5. v. 13. *Vos eſtis* τὸ ἅλας τῆς γῆς *ſal terræ.* v. 14. *vos eſtis* τὸ φῶς τοῦ κόσμου *lux mundi.*

Ibid. cap. 21. v. 38. οὗτός ἐστιν ὁ κληρονόμος *hic eſt hæres.*

Ibid. cap. 26. v. 26. τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, *hoc eſt corpus meum.* Perperam itaque *Langus* Calviniſta terminos in hac propoſitione invertit, ſic: τὸ σῶμά μου τοῦτό ἐστιν, *corpus meum eſt hoc*; in his enim & ſimilibus propoſitionibus mutatio terminorum locum non habet. Vide Bellarminum de Sacra Euchariſt. l. 1. c. 8. & alia exempla Joan. 10. vv. 7. 9. 11. 14. c. 6. v. 50. c. 15. vv. 1. 5. Act. 9. v. 22. Philip. 3. v. 3. 1. Joan. 5. v. 20. &c.

II. In aliis propoſitionibus, in quibus *vel* uterque terminorum articulum præpoſitum habet, ut 2. Cor. 3. v. 17. ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν, *Dominus autem ſpiritus eſt.* Vide cap. 4. v. 6. Matth. 13. vv. 37. 38. 39. *Vel* articulus ſoli prædicato additur, Heb. 13. v. 8. *Jeſus Chriſtus* (eſt) ὁ αὐτὸς *idem heri, hodie & in ſæcula*, h. e. immutabilis.

III. In propoſitionibus, in quibus *ſubjecti & prædicati* fit tranſpoſitio, & primæ voci articulus additur, quæ tamen *prædicatum* in propoſitione eſt. Act. 18. v. 28. *oſtendens* (Apollo) *per Scripturas* εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν *eſſe Chriſtum Jeſum*, h. e. Ἰησοῦν εἶναι τὸν Χριστόν, *Jeſum eſſe Chriſtum illum.*

2. Cor. 1. v. 21. ὁ βεβαιῶν ἡμᾶς ..... θεός, *qui confirmat nos..... Deus*, pro θεὸς ὁ βεβαιῶν ἡμᾶς, *Deus, qui confirmat nos.*

Ibid. 5. v. 5. ὁ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο, θεός, *qui effecit nos in hoc ipſum, Deus.* i. θεὸς ὁ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο, *Deus, qui effecit nos in hoc ipſum.* Terminos in his exemplis tranſponi, nemo eſt, qui non videat. Vide etiam Rom. 6. v. 23.

CAPUT II.

De Nomine.

Nomen, quod Hebræis dicitur שֵׁם, dividitur in *Proprium* & in *Appellativum.* Vide ſupra pag. 49. ubi affertur utriuſque definitio. In hoc capite agemus 1°. de nomine proprio, 2°. de appellativo.

ARTICULUS I.

De Nomine proprio.

Quæ de Nomine proprio dicturi ſumus, ad tria capita revocantur. I. Ejus formationem. II. Impoſitionem. III. Peculiarem uſurpationem. Formationem quod attinet, nomen proprium conſideratur vel *abſolute*, reſpectu linguæ originalis; vel *comparate*, reſpectu aliarum linguarum. De abſoluta conſideratione, in Canonibus I. II. III. IV. De comparata, ſeu relativa, in V. & VI. De ejus circumloquutione in VII. Quod ſpectat impoſitionem, ea vel primaria eſt, vel iterata. De utraque in §. ſecundo Canonibus. Denique de peculiari nominis proprii uſurpatione in §. tertio diſſeremus.

Hhh iij

§. I.

De Nominis proprii formatione.

CANON I.

NOMINA quædam propria licet ſignificatione ſingularia, formam tamen pluralem, aut dualem obtinent.

Pluralem formam habent hæc nomina propria.

Gen. 25. v. 3. *Filii Dedan fuerunt* אַשּׁוּרִם וּלְטוּשִׁים וּלְאֻמִּים, Vulg. *Aſſurim, & Latuſim, & Leummim*, quæ ſingulorum hominum, non populorum, ut volunt quidam interpretes, nomina fuiſſe conſtat cum ex ipſo textu, tum ex v. 6. ubi eos, vivo adhuc Abrahamo, donis inſtructos fuiſſe narratur; quod in populos cadere non poteſt.

Ibid. c. 46. v. 1. *Inter filios Benjamin recenſetur* מֻפִּים וְחֻפִּים *Muppim & Hhuppim.* Vulg. *Mophim & Ophim.* Qui חֻפִּים hîc dicitur, Num. 26. v. 39. vocatur חוּפָם in ſing. num.

Ibid. v. 23. *Filii Dan* חֻשִׁים Vulg. *Huſim*, qui Num. 26. v. 24. dicitur שׁוּחָם *Suham* tranſpoſitis literis, & terminatione plurali in ſingularem mutata. Hic etiam Synecdoche eſt *filii*, pro *filius*. Vide infra in Syntaxi figurata.

Hæc autem nominum propriorum forma plane inſolens videri non debet, quandoquidem nomina ſunt appellativa, quæ in ſingulari numero, terminatione plurali gaudent, ut: תָּמִים *perfectus*, מְרִים *exaltans*, &c.

In nominibus propriis locorum occurrunt etiam exempla.

2. Reg. 17. v. 18.... *ingreſſi ſunt in domum cujuſdam viri* בְּבַחוּרִים *in Bahurim.*

Ibid. c. 19. v. 31. רֹגְלִים *Rogelim.*

Num. 25. v. 1. c. 33. v. 49. שִׁטִּים, Vulg. *Settim.* Alia exempla tam maſculinæ quam femininæ terminationis vide Num. c. 33. vv. 5. 7. 9. 15. 17. 25. 30. &c.

His exemplis accenſet etiam Glaſſius iſtud 1. Reg. c. 15. v. 4. *Præcepitque Saul populo, & recenſuit eos* בַּטְּלָאִים *in Telaim.* Sed variant interpretes. Lxx. ἐν Γαλγάλοις· *in Galgalis.* Vel quia locus iſte duplici nomine donabatur, & minus notum cum notiore permutarunt; vel quia loca illa vicina erant, & unus ex alterius celebritate manifeſtior reddebatur. Vulg. *quaſi agnos.* Legiſſe videtur כַּטְּלָאִים cum כ pro ב, à ſing. טָלֶה, & mutato ה in א, טְלָאִים pro טְלִים; ut à ſingul. נָכֶה *percuſſus*, fit plur. נְכָאִים *percuſſi.* R. Salomon cum aliis Hebræorum doctoribus, *agnos* etiam interpretatur. *Dixit*, inquit, *Rex ſingulis militibus, ut agnum accipiant ſinguli de grege Regis, & poſtea numeravit agnos, propterea quod prohibitus fuit numerare populum*, &c. Cauſam addit R. Levi, *ne plaga obveniret ipſis, ſicut contigit poſtea Davidi.* Vetus Interpres ἐν ἅρμασι *in curribus*, mendum graphicum, pro ἀρνάσι *agnis.*

Huc pertinet nomen Dei אֱלֹהִים *Elohim*, quod plurale eſt, quamvis unius Dei veri nomen. Hac numeri enallage SS. Trinitatem ſignificari vult Glaſſius cum aliis quibuſdam grammaticis. At nomen iſtud, uti & alia, quæ dominium & excellentiam ſignificant, in plurali loco ſingularis, ex uſu Linguæ Sanctæ poni videbimus in articulo ſeq. §. VII. Can. II.

Dualem formam habent nomina ſequentia.

Gen. 10. v. 6. *Filii autem Cham* ..... מִצְרַיִם *Miſraïim*, Vulg. *Meſraim.*

Ibid. cap. 41. v. 52. אֶפְרַיִם, unde in pauſa אֶפְרָיִם *Ephraïim* filius Joſephi.

Jud. 3. v. 8. כּוּשַׁן רִשְׁעָתַיִם *Cuſan Riſchathaïim*, Vulg. *Chuſan Raſathaim.*

1. Reg. 1. v. 1. רָמָתַיִם Vulg. *Ramathaim*, urbs in Tribu Ephraim.

Oſe. 1. v. 3. דִּבְלָיִם *Divlaïim*, Vulg. *Debelaim*, &c.

CANON II.

MULTA nomina propria ex vocibus ſimplicibus, intercedente lineola *Maqqáph*, vel ſine ea, componuntur.

Cum Maqqáph nomina ſeqq. componuntur. 1. Reg. 9. v. 1. בִּן־יָמִין *Benjamin*, ex בֵּן *filius*, & יָמִין *dextera.* Quam tamen vocem monent Maſſorethæ conjunctim legendam בִּנְיָמִין, ſicuti legitur Gen. 35. v. 18. 3. Reg. 4. v. 18. &c. Cum maqqáph etiam patronymicum eſt Pſal. 7. v. 1. בֶּן־יְמִינִי *Benjaminita.* Et interpoſito ה, 3. Reg. 2. v. 8. בֶּן־הַיְמִינִי. Vide ſupra pag. 421. Sic: מַלְכִּי־צֶדֶק *Melchiſedech Rex juſtitiæ*, ex מֶלֶךְ *Rex*, cum (י) paragogico מַלְכִּי, & צֶדֶק *juſtitia.*

Sine maqqáph. Gen. 17. v. 5. אַבְרָם *Abram*, ex אָב *pater*, & רָם *excelſus.* אַבְרָהָם *Abrahám* vero componitur ex אָב *pater*, רָם *excelſus*, & הָמוֹן *multitudo*, ſublata terminatione וֹן euphoniæ gratia.

Nomen Dei יָהּ abbreviatum ex יְהוָֹה, ejuſmodi nominum compoſitioni ſæpius inſervit, tuncque excidit mappiq ex litera ה, ut: עֹבַדְיָה *Abdias*, qui interpretatur *ſervus Domini*, ex עֹבֵד *ſerviens*, ſive *ſervus*, & יָהּ *Dominus.* Sic: עֻזִּיָּה *Oſias*, i. *fortitudo Domini*, ex עֹז *fortitudo*, & יָהּ *Dominus*, &c. Non ſolum ex nomine tetragrammato יְהוָֹה deſumuntur duæ priores literæ, (י) & ה verum etiam tertia quoque ו accipitur, ut: חִזְקִיָּהוּ *Ezechias*, i. *fortitudo Domini*, ex חֹזֶק *fortitudo*, & יְהוָֹה *Dominus.* Sic: יְשַׁעְיָהוּ *Iſaias*, i. *ſalus Domini*, à יֵשַׁע *ſalus*, & יְהוָֹה *Dominus.* יִרְמְיָהוּ *Jeremias*, i. *celſitudo Domini*, componitur ex (י), quod nominibus propriis ſæpiſſime præponitur, vide pag. 386. & 388. col. 1. רָם *excelſus fuit*, & יְהוָֹה *Dominus.*

In nominibus propriis locorum frequens eſt hæc compoſitio, ut Gen. 28. v. 19. בֵּית־אֵל cum maqqáph, & ſine eo בֵּית אֵל *Bethél*, i. *domus Dei*, ex בַּיִת *domus*, & אֵל *Deus.* 1. Reg. 13. v. 18. בֵּית חֹרוֹן *Beth hhorón domus æſtus*, ſive *iræ*, ex בַּיִת *domus*, & חָרָה *exarſit ira*, unde nomen ſubſt. חָרוֹן *ira.* Mich. 5. v. 1. בֵּית־לֶחֶם *Beth-léhem*, *domus panis*, ex בַּיִת *domus*, & לֶחֶם *panis.* Jerem. 48. v. 23. בֵּית מְעוֹן *Beth-meón*, Vulg. *Beth maon*, i. *domus habitaculi*, ex בַּיִת *domus*, & מָעוֹן conſt. מְעוֹן *habitaculum.*

Glaſſius profert etiam in exemplum Lev. 16. v. 8. *Mittenſque* (Aaron) *ſuper utrumque* (hircum) *fortem*, *unam Domino*, *& alteram* לַעֲזָאזֵל *Azazeli*, loco ſic dicto in quem hircus peccatis populi onuſtus emittebatur. At nomen iſtud ut appellativum habent Lxx. qui interpretantur τῷ ἀποπομπαίῳ *emiſſario*, vel *malorum depulſori*, quod peccata, malorum omnium cauſam, auferret. Sic Deos, qui mala avertebant, ἀποπομπαίους, vel ἀποτροπαίους, aut etiam ἀλεξικάκους Græci vocabant. Aq. εἰς τράγον ἀπολελυμένον εἰς τὴν ἔρημον, *in caprum abſolutum in deſertum.* Sym. εἰς τράγον ἀπερχόμενον, *in caprum diſcedentem.* Vulg. *capro emiſſario*; ab עֵז *capra*, ſive *caper*, animalium enim nomina vulgo epicœna ſunt, & אָזַל *abiit.* Inter tot regionis deſcriptores, nullus meminit montis, vel loci *Azazel* dicti.

Item Ezech. 3. v. 15. *Et veni ad tranſmigrationem* תֵּל אָבִיב, quæ verba diverſimode ab interpretibus exponuntur. Lxx. μετέωρος, καὶ περιῆλθον, *ſublimis*, *& circuivi.* Deducebant תֵּל à תָּלָה *ſuſpendit*, & pro אָבִיב videntur legiſſe אָסֹב *circuibo*, & accepto futuro pro præterito, *circuivi*, à סָבַב in fut. hiphil, ex forma quieſc. ע. Chald. & Vulg. *ad acervum novarum frugum.* Aq. Sym. Theod. voces Hebraicas Θελ ἀβιβ retinuerunt, teſte Hieronymo comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 715. *Pro eo quod*, inquit, *nos vertimus*, acervus novarum frugum, *Aquila*, *Symmachus*, *& Theodotio ipſa verba poſuere Hebraica* ..... *nos autem ab Hebræis didicimus* Thel abib *ſignificare quando nova frumenta*, *vel hordea congregantur.* Ex eo tamen conjici poteſt תֵּל אָבִיב nomen eſſe proprium loci ab ubertate frugum ſic dicti, quod prima vox תֵּל aliis Chaldæorum locorum nominibus præponatur, ut Eſd. 2. v. 59. *Thelmala*, *Thelharſa.*

CANON III.

IN hac nominis proprii compoſitione, brevitatis ergo, quandoque prior, quandoque poſterior pars, omiſſa altera, exprimitur.

Prior pars, omiſſa poſteriori, exprimitur.

Num. 13. v. 26. Deut. 1. v. 46. locus, qui dicitur קָדֵשׁ *Cades*, is Num. 32. v. 8. Deut. 1. v. 19. vocatur קָדֵשׁ בַּרְנֵעַ *Cadesbarne.*

1. Paral. 20. v. 5. יָעִיר *Iair*, trajectis literis pro יַעְרֵי, eſt loco יַעְרֵי אֹרְגִים, quod nomen legitur 2. Reg. 21. v. 19.

Oſe. 10. v. 14. שַׁלְמַן *Salman*, videtur idem eſſe atque שַׁלְמַנְאֶסֶר *Salmaneſer*, Vulg. *Salmanaſar*, 4. Reg. 17. v. 3.

Habac. 3. v. 7. כּוּשָׁן & in pauſa כּוּשָׁן *Cuſan*, vocatur כּוּשַׁן רִשְׁעָתַיִם *Cuſan Riſchathaiim*, Vulg. *Cuſan Raſathaim.*

Poſterior pars, omiſſa priori, exprimitur.

Gen. 19. v. 38. *Minor quoque* (Loti filia) *peperit filium & vocavit nomen ejus* בֶּן־עַמִּי *Ben-ammí*, i. *filius populi mei*, &c. qui vulgo, omiſſa priori voce בֶּן, & addita terminatione וֹן, vocatur עַמּוֹן *Ammon*, ſicuti Vulg. eo loci interpretatur; unde בְּנֵי עַמּוֹן, *filii Ammon*, i. populus Ammoniticus, ſeu Ammonitæ, Num. 21. v. 24. c. 22. v. 5. Deut. c. 2. vv. 19. 37. & ſic ſæpiſſime in libris Joſue, Jud. Reg. Paral. &c. Et עַמּוֹנִי Deut. 23. v. 4. *Ammonita.*

Huc pertinet יְמִינִי *Jemini*, quod ex voce בִּנְיָמִין deciſum, eum notat, qui de tribu Benjamin ortus eſt, ſeu Benjaminitam. Vide 1. Reg. 9. v. 1. ubi *Aphiahh* dicitur *filius viri Jemini*, h. e. Benjaminitæ.

Jud. 19. v. 16. *homines autem regionis illius erant filii Jemini*, i. de tribu Benjamin.

Eſth. 2. v. 5. . . . . *filii Cis*, אִישׁ יְמִינִי *viri Jemini*, i. דְּמִן שִׁבְטָא בִנְיָמִין *de tribu Benjamin*, ut interpretatur Chald. Vulg. *de ſtirpe Jemini.* Cap. 11. v. 2. ubi eadem ſententia repetitur, Lxx. vertunt ἐκ φυλῆς Βενιαμὶν, Vulg. *de tribu Benjamin.* Hæc in Hebræo non habentur.

2. Reg. 21. v. 19. *Elhhanah*, Vulg. etymologia expreſſa, *Adeodatus*, dicitur בֵּית־לַחְמִי *Bethlehemites*; qui 1. Paral. c. 20. v. 5. vocatur ſimpliciter אֶת־לַחְמִי *Lehemites.* Vulg. utrobique *Bethlehemites*; quia forte in hoc ultimo loco legebat בֵּית־ pro אֶת־, quæ particula quandoque etiam cum nominativo conſtruitur. Lxx. legebant ut habet textus Heb. hod. ſcribunt enim 2. Reg. c. 21. v. 19. Βαιθλεεμίτης, vel ut mſ. Alex. Βηθλεεμίτης, aut Compl. Βηθλεεμί. At vero 1. Paral. c. 20. v. 5. τὸν Λαχμὶ ἀδελφὸν Γολιὰθ, percuſſit *Lachmi fratrem Goliath*: ubi לַחְמִי non retulerunt ad Elhhanan, ſed pro nomine proprio fratris Goliath acceperunt. Verum alia eſt difficultas; nam 2. Reg. c. 21. v. 19. Elhhanan occidiſſe dicitur אֶת־גָּלְיָת *Goliathum*; at 1. Paral. c. 20. v. 5. idem Elhhanan occidit אֲחִי גָּלְיָת *fratrem Goliathi.* Recte, nam Goliathus à Davide occiſus eſt. Quare locus 2. Reg. ſic vertendus eſt: *percuſſit Elhhanan* . . . *Bethlehemites Goliathi*, ſupp. אֲחִי *fratrem*, quæ vox ſupplenda eſt inter אֶת־ & גָּלְיָת, ſic, *percuſſit Elhhanan* . . . . . *Bethlehemites* אֶת־אֲחִי גָּלְיָת *fratrem Goliathi.* Hujuſmodi ellipſeos exempla frequentia ſunt in Scripturis. Luc. 6. v. 16. . . . . *Et Judam Jacobi*, ſuppl. *fratrem.* Vide Jud. v. 1.

In nominibus propriis locorum, Jud. 15. v. 17. *Ramathlechi*, (i. projectio, ſeu ut Vulg. elevatio maxillæ) Samſoni dicitur locus, qui v. 9. appellatur *Lechi.*

1. Reg. 7. v. 1. קִרְיַת יְעָרִים Vulg. *Cariathiarim*, dicitur יַעַר, ſeu in pauſa יָעַר, Pſal. 131. Heb. 132. v. 6. . . . . *invenimus eam* (arcam) *in campis* יַעַר *Jaar*; Lxx. Aq. Sym. δρυμῷ S. Hieron. *ſylva.* Vocem יַעַר ut nomen appellativum ſpectarunt. Urbs autem *Cariathiaim*, juxta quam Philiſthiim arcam Domini reduxerant 1. Reg. c. 6. v. 21. ſic dicta eſt à locis *nemoroſis*, in quibus ſita erat.

Pſal. 75. Heb. 76. v. 3. *Jeruſalem* appellatur *Salem*: וַיְהִי בְשָׁלֵם סֻכּוֹ Aq. cum ceteris interpretibus.

Digitized by Google

pretibus Græcis præter Lxx. *καὶ ἐγένετο ἐν Σαλὴμ ὁ σκηνὴ αὐτοῦ*, *& factum eſt in Salem tabernaculum ejus.* S. Hieron. *Et erit in Salem tabernaculum ejus.* Lxx. *καὶ ἐγένετο ἐν εἰρήνῃ ὁ τόπος αὐτοῦ*, Vulg. Lat. *& factus eſt in pace locus ejus.* Pro שָׁלֵם legerunt שָׁלוֹם; vel etymologiam expreſſerunt.

1. Paral. c. 4. v. 22. *Bethlehem* vocatur *Lahem.* Et *Bethaven* Oſe. 10. v. 5. dicitur *Aven* v. 8.

CANON IV.

UNUM idemque nomen proprium variationi & mutationi in literis, vel ſyllabis, quandoque eſt obnoxium. Quod fit

I. In additione & omiſſione literarum, quæ locum habet *partim* initio, *partim* in medio, *partim* in fine dictionis.

INITIO. Qui 1. Paral. 2. v. 9. רָם *Ram* dicitur, is Matth. 1. v. 3. *Ἀράμ Aram* nominatur. Prius Hebræorum eſt, poſterius Syrorum.

Ibidem v. 13. יִשַׁי Vulg. *Iſai*, pater Davidis, vocatur אִישַׁי, præpoſito א.

2. Paral. 22. v. 5. אֲרָם *Aram* Syria, Job. 32. v. 2. רָם *Ram* appellatur per aphæreſin, ſecundum melioris notæ interpretes.

1. Reg. 17. v. 1. locus אֶפֶס דַּמִּים *Ephes Dammim*, Vulg. *fines Dommim*, 1. Paral. 11. v. 13. dicitur פַּס דַּמִּים *Pas Dammim*, Vulg. *Phesdomim*; quod argumento eſt vocem אֶפֶס non eſſe nomen appellativum, ſed proprii nominis partem.

Iſai. 21. v. 11. דּוּמָה *Douma* appellatur regio, quæ alibi dicitur אֱדוֹם.

IN MEDIO. 2. Reg. 17. v. 25. quæ אֲבִיגַל *Abigal* vocatur, ea 1. Paral. 2. v. 16. אֲבִיגַיִל *Abigail* appellatur. Vulg. utrobique *Abigail*, quia utrobique eodem modo legebat.

2. Reg. 24. v. 24. qui אֲרַוְנָה *Aravna*, Vulg. *Areuna*; is 1. Paral. 21. v. 25. אָרְנָן *ornan* dicitur.

Quæ civitas vulgo דַּמֶּשֶׂק *Damaſcus* appellatur; ea דַּרְמֶשֶׂק dicitur 2. Paral. 28. v. 5.

Qui 2. Reg. 13. v. 1. אַמְנוֹן *Amnon* dicitur; is v. 20. inſerto (י) appellatur אֲמִינוֹן *Aminon.*

Eadem ratione יוֹב *Job* filius Iſſachar, Gen. 46. v. 13. dicitur יָשׁוּב 1. Paral. 7. v. 1.

Sic filius Iſai modo שַׁמָּה *Samma* 1. Reg. 17. v. 13. modo שִׁמְעָא *Sima* 1. Paral. 2. v. 14.

Idem nomen שִׁמְעָא tribuitur etiam Davidis filio, 1. Paral. 3. v. 5. qui vocatur quoque שַׁמּוּעַ *Sammua* 2. Reg. 5. v. 14.

Civitas *Beon* Num. 32. v. 3. eadem eſt ac *Baal-mehon*, v. 38. *Beth-mehon*, Jerem. 48. v. 23. & *Beth-baal-mehon*, Joſ. 13. v. 17.

IN FINE. Urbs אָדָם *Adam*, Vulg. *Adom*, Joſ. 3. v. 16. dicitur אֲדָמָה *Adama*, Vulg. *Edema*, c. 19. v. 36.

Iſai. 16. v. 7. קִיר־חֲרֶשֶׂת *Qir-bharéſeth* urbs quædam nominatur, quæ verſ. 11. dicitur קִיר חֶרֶשׂ *Qir bhárés.* Lxx. v. 7. pro חֲרֶשֶׂת habent Δεσεθ; ibi enim pro ר legerunt ד, & literam ח omiſerunt, quod interdum ſolent facere. Aq. & Sym. voces קִיר־חֲרֶשֶׂת ut appellativas acceperunt, eas enim interpretantur, ille quidem: *τοίχῳ ὀστρακίνῳ*, *muro teſtaceo*; hic vero: *ἐν τῷ τείχει τῷ ὀστρακίνῳ*, *in muro teſtaceo.* Hos ſequitur Vulg..... *muros coctis lateris.* V. 11. Lxx. *ὡς τεῖχος (ὃ) ἐνεκαίνισας*, *ad murum*, (quem) *renovaſti*; legebant חֲדָשָׁה cum ד pro ר ut v. 7. Mſ. Alex. *ὡς τεῖχος (ὃ) ἐνεκένωσας ad murum*, (quem) *diſſipaſti*, vel librariorum error eſt, pro *ἐνεκαίνισας*; vel author ejus legebat חֲרַסְתָּ mutato ח in ח, & שׂ in ס; vel חֲרַשְׁתָּ ab חָרַשׁ, cui affingebat ſenſum *diſſipandi*, à quo non multum recedit etiam in vulgatis lexicis. Ceterum ut in v. 7. ſic in v. 11. voces illas ſine apocope legebant. Theod. Sym. & Vulg. eas cum apocope legere potuerunt; Theodotio enim teſte Hieron. comm. in h. l. interpretatur *murum diſſipatum*, legebat חֶרֶשׂ, vel חֶרֶס. Vide ſupra. Sym. *τῷ τείχει τῷ ὀστρακίνῳ muro teſtaceo.* Vulg. *ad murum coctis lateris.*

II. In permutatione literarum. 4. Reg. 20. v. 12. בְּרֹאדַךְ *Berodach* cum א epenthetico, ut volunt, ſed potius antiqua vocali *o*, nomen eſt Regis Babylonis, qui Iſai. 39. v. 1.

dicitur מְרֹאדַךְ, & extrito א utpote inutili poſt adſcripta puncta, מְרֹדַךְ 4. Reg. 25. v. 27. Jerem. 50. v. 2. &c.

Joſ. 7. v. 1. עָכָן *Achan* dicitur עָכָר *Achar* 1. Paral. 2. v. 7. mutato ן in ר, ob alluſionem, quæ fit ad verbum ſequens עָכַר *turbavit.*

2. Reg. 11. v. 3. בַּת־שֶׁבַע *Bathſcheva*, Vulg. *Bethſabee* uxor Uriæ poſtea Davidis, בַּת־שׁוּעַ *Bathſchoüa* dicitur 1. Paral. 3. v. 6. mutato ב in ו.

Dan. 1. v. 1. נְבוּכַדְנֶאצַּר, & omiſſo א antiqua vocali *e*, c. 2. v. 1. c. 3. v. 1. נְבוּכַדְנֶצַּר *Nevoucadnetſtſar*, Vulg. *Nabuchodonoſor*, Jerem. 21. v. 2. appellatur נְבוּכַדְרֶאצַּר *Nevouchadretſtſar*, mutato נ in ר. Sic in nomine רְחוּם *Rehum* Eſd. 2. v. 2. quod idem eſt ac נְחוּם *Nehum*, Vulg. *Nahum*, Nehem. ſive 2. Eſd. c. 7. v. 7.

Literarum ד & ר frequens eſt commutatio.

Gen. 10. v. 3. רִיפַת *Riphath* appellatur דִיפַת *Diphath* 1. Paral. 1. v. 6. Lxx. ubique Ῥιφὰθ, Vulg. *Riphath.* Quædam etiam exemplaria Hebraica 1. Paral. 1. v. 6. habent רִיפַת cum ר pro ד, quæ ultima litera amanuenſium procul dubio error eſt.

Gen. 10. v. 4. qui דֹּדָנִים *Dodanim* dicitur, is 1. Paral. 1. v. 7. רוֹדָנִים *Rodanim* appellatur. Lxx. utrobique Ῥόδιοι *Rhodii.* Ald. 1. Paral. Δωδανὶν, Compl. Δωδανεὶμ, legebant cum ד ut Gen. 10. v. 4.

Gen. 36. v. 26. *Hhamdam* dicitur, qui 1. Paral. 1. v. 41. *Hhamram* appellatur.

Num. 1. v. 14. דְּעוּאֵל *Deouel* appellatur רְעוּאֵל *Reouel* cap. 2. v. 14. Lxx. utrobique Ῥαγουὴλ *Rhagouel*, Vulg. *Duel.*

2. Reg. 8. v. 3. הֲדַדְעֶזֶר *Hadadezer* dicitur, qui 1. Paral. 18. v. 5. הֲדַרְעֶזֶר *Hadarezer* appellatur. Lxx. utrobique Ἀδρααζὰρ, vel Ἀδραζὰρ, vel Ἀδραεζὰρ, vel Ἀδραεζέρ. Attamen 1. Paral. 18. v. 5. Compl. habet Ἀδαδεζέρ, vel Ἀδαρεζέρ. Vulg. ubique *Adarezer.* Mendum graphicum videtur alterum ד 2. Reg. 8. v. 3. In nominibus appellativis hæc mutatio frequentiſſima eſt, ex eaque profluxit maxima interpretationum varietas, cujus exempla vide in Crit. Cappelli pagg. 250. & ſeqq.

Act. 1. v. 23. Βαρσαβᾶς idem videtur quibuſdam interpretibus ac Βαρνάβας cap. 4. v. 36. mutato σ in ν.

Ibid. cap. 15. v. 14. Συμεὼν dicitur, qui alibi Σίμων appellatur. Interp. Latinus habet *Simon*, quia in ſuo exemplari legebat Σίμων, non Συμεών; quæ ſcripturæ diverſitas quibuſdam veteribus anſam præbuit exiſtimandi non *Petrum* hîc intelligi, ſed *Symeonem*, cujus Canticum exſtat Luc. 2. v. 29.

4. Reg. 1. v. 2. בַּעַל זְבוּב *Baal zevoubb*, Vulg. *Beelzebub*, i. *muſcæ*, ſeu *muſcarum Dominus* (forſan ſic dictus, quod muſcas abigere crederetur) in N. T. Matth. 12. v. 24. Luc. 11. v. 15. dicitur Βεελζεβοὺλ *Beelzebul*, i. *Dominus ſtercoris*, זְבוּל enim Chald. & Syris *ſtercus* ſignificat. Quod nomen illi Deo Accaronitarum ignominiæ cauſa inditum eſt. Vide ſimilia exempla apud Seldenum de Dis Syris, Syntag. 2. pag. 211. &c.

2. Pet. 2. v. 15. Apoſtolus mutavit ע in σ, *ſequuti viam Balaam τοῦ Βοσὸρ Boſor*, ſupple *filii*, ut liquet Num. 22. v. 5. ubi legitur בֶּן־בְּעֹור *filius Beor*; & mutato ע in σ, ſeu *ſ*, prolatoque ſchevâ initiali ſecundum ſonum vocalis ſequentis, ut antiquitus ſonabat, vide pag. 37. nata eſt vox Βοσὸρ *Boſor.*

In nominibus locorum. נֹף Iſai. 19. v. 13. & מֹף Oſe. 9. v. 6. urbs eſt in Ægypto verſus Æthiopiam ad Nilum ſita. Chald. reddit מַפִּים, quod cum *Memphis* τῶν Lxx. & Vulg. convenit.

III. In metatheſi literarum. 2. Reg. 11. v. 3. pater Bethſabee dicitur אֱלִיעָם *Eliam*, qui 1. Paral. 3. v. 5. vocatur עַמִּיאֵל *Ammiel*, ubi integræ tranſponuntur ſyllabæ, nomine & ſignificatione manente eadem; utraque enim vox *populum Dei* ſignificat.

4. Reg. 24. vv. 6. 8. יְהוֹיָכִין *Jehoiachin*, Vulg. *Joachin*, יְכָנְיָה *Iechonia*, Vulg. *Jechonias*, 1. Paral. 3. v. 16. & כָּנְיָהוּ *Coniahou*, Vulg. *Jechonias*, Jerem. 22. v. 24. idem nomen eſt, ſed literis tranſpoſitis.

Ibidem c. 15. v. 29. Idem nomen regis Aſſyriorum תִּגְלַת־פִּלְאֶסֶר *Tiglath-pileſer*, Vulg. *Theglathphalaſar*, & 1. Paral. 5. v. 6. תִּלְגַּת־פִּלְנְאֶסֶר *Tilgath-pilneſer*, Vulg. *Thelgath phalnaſar*, inſerto præterea נ in poſteriori nomine.

Digitized by Google

Joſ. 24. v. 30. urbs eadem dicitur תִּמְנַת־סֶרַח *Timnath-ſerahh*, Lxx. Θαμνασαραχ, melius, ſi literarum concurſus pateretur, Θαμναθσαραχ, Vulg. *Thamnathſare*; & Jud. c. 2. v. 9. תִּמְנַת־חֶרֶס *Timnath-hheres*. Lxx. Θαμναθαρὴς, Vulg. ut Joſ. 24. v. 30. *Thamnathſare*, quia utroque in loco eodem modo legebat.

Ceterum ex hoc interprete Latino, necnon ex verſionibus Græcis conjicere licet literarum hujuſmodi adjectarum, detractarum, mutatarumque tantum in antiquis exemplaribus Hebraïcis numerum non fuiſſe, quantum exhibent hodierna, in quæ procul dubio anomaliæ illæ irrepſerunt, vel ex librariorum incuria, vel ex dialectorum varietate, vel denique ex diverſitate codicum, ex quibus ii, quos præ manibus habemus, exſcripti ſunt. Imo nec inter ipſos etiam plane convenit, ut in nomine חֵיפָה obſervavimus.

CANON V.

HEBRÆORUM nominum propriorum origo in Hebræa; Græcorum in Græca; Latinorum in Latina lingua quærenda eſt, neque ex aliena lingua deducenda.

Perperam itaque in magno etymologico Græco, nomen *CEDAR* exponitur *τὸ σκοτεινὸν, παρὰ τὸ κήδω, τὸ κοιμῶμαι; tenebroſum à κήδω, i. morior*; vox enim Græca non eſt, ſed Hebræa: notatque Arabiæ regionem ſic dictam à *Cedar* uno ex filiis Iſmael, à quo *Cedareni* dicti ſunt, quos poſterior ætas *Saracenos* appellavit.

PASCHA non venit à *πάσχω patior*, ut veteres quidam exiſtimarunt, ſed à פֶּסַח *tranſitus*, Chald. פִּסְחָא *Piſhha*, unde *Paſcha*; Græci enim interpretes ח per χ vulgo exprimunt.

JESUS Hebraïcam originem habet, non Græcam ab *ἰάω ſano*, fut. *ἰάσω*, mutato α in η, *ἰήσω*, unde *ἰησοῦς*, ut Baſilio Magno (teſte Glaſſio) aliiſque nonnullis videtur. Vox iſta derivatur à יָשַׁע *ſalvavit*, quia *ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Matth. 1. v. 21.

SABÆORUM nomen male Servius deducit à *σέβεσθαι colere, quia thure, quod apud eos naſcitur, Deos placamus.* Sic dicti ſunt à שְׁבָא *Schebha*, ſeu *Saba* (prolato (·) ſecundum ſonum ſequentis vocalis) Arabiæ felicis regione, in qua thus naſcitur, juxta illud Virgilii Georg. 1. v. 57.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

PHILIPPI nomen Græcum eſt à *φίλος amicus*, & *ἵππος equus*, i. qui equis delectatur, & conſequenter bellicoſus: non Hebraïcum, ut nonnullis placet, qui illud derivant ex פֶּה *os, oris* & לַפִּיד *lampas*; quaſi eſſet *os lampadis.* Conſtat ex Machabæorum libris Judæos, poſt commercia cum exteris gentibus inita, externa etiam nomina adſciviſſe, qualia ſunt: *Jaſon, Lyſimachus, Doſitheus, Soſipater, Ariſtobulus, Alexander, Andreas, Philippus, Nicolaus, Nicodemus, Timotheus*, &c. quæ omnia Græca ſunt.

Quædam etiam Syro-Græca reperire eſt; ut *Bartimæus*, Marc. 10. v. 46. ex בַּר *filius*, & *τιμαῖος timæus.*

Ἰοῦστος *Juſtus*, Act. 1. v. 23. Latinum eſt, non Hebræum, ut vult auctor Gloſſæ ord. plurimi enim Hebræi præter nomen Gentile, ſub Græcis, Græco; ſub Romanis, Romano nomine donabantur. Ex eadem Lingua Latina originem ducit nomen *PAULUS*, quod Apoſtolum ſumſiſſe poſt *Sergii Pauli* converſionem ſcribit S. Hieron. comm. in epiſt. ad Philem. tom. 4. nov. edit. col. 444. ubi inſuper ait S. Doctor *PAULUM mirabilem* ſonare in Lingua Heb. attendebat nempe ad פָּלָא *mirabilis fuit.* Mitto ridiculam originationem, qua nonnulli volunt *Paulum* formari ex פֶּה *os, oris*, & *αὐλὸς tibia*, quaſi *os tibiæ.*

Quamvis autem nominis proprii etymon in peregrina lingua quærendum non ſit, ſunt tamen nonnulla in inferioribus linguis, quæ ex ſuprema, & omnium matre He-

bræa, commoda ratione deducuntur, ut: *Saturnus* à סָתַר *latuit*, à quo verbo Latino dictum eſt *Latium*, in quo Saturnus latuit. *Mercurius* mercatorum Deus, à מָכַר *vendidit. Cadmus* à קֶדֶם *oriens*, quod ex orientali plaga veniens, Græcis literas tradiderit. *Bacchus*, à בָּכָה *flevit*, *ejulavit*; unde Virgilius Æneid. 7. v. 395. de Bacchabus ſic cecinit:

Aſt aliæ tremulis ululatibus æthera complent.

Pytho ſerpens à פֶּתֶן *aſpis*, *baſiliſcus*, *draco*. Nomina appellativa quod attinet, innumera ex Lingua Heb. deducuntur, ut *Camelus* à גָּמָל mutato ג in *c*, quæ mutatio in omnibus Linguis frequentiſſima eſt. *Taurus* à שׁוֹר, *Saccus* à שַׂק, quæ vox *ſola è Babylonica ſtrage ad omnes linguas ſalva evaſit*, ut loquitur Schikardus. Vide Becmmanum de orig. Linguæ Lat. Thomaſſ. in Lexico, &c. Unde ſcribit Forſterus in præfat. ſui Lexici: *ingentem eſſe gloriam & felicitatem hujus Linguæ præ ceteris, quod ab aliis Linguis nihil mendicet, aut mutuetur: aliæ vero ab hac multas voces mutuentur.* Videndum tamen eſt in hac nominum originatione, ne idem accidat, quod *Balbo* cuidam, quem irridet Cicero lib. 3. de nat. Deor. n. vulgari 62. Gruteriano 24. quod *Neptunum* deduceret à *nando*, unica ſervata litera. Hanc etymologiam ſalſe ridet Tullius, aitque perſonam Cottæ ſuſtinens: *in quo quidem magis tu mihi natare viſus es, quam ipſe Neptunus.*

CANON VI.

NOMINA propria in Verſionibus retinenda ſunt, neque ut appellativa interpretanda.

Ab hac regula ſæpe diſcedunt Lxx. cum aliis Græcis interpretibus, & Vulg.

Gen. 14. v. 5. *Quartodecimo anno venit Chodorlahomor & reges, qui erant cum eo, percuſſeruntque Raphaim in Aſtarothcarnaim,* וְאֶת־הַזּוּזִים בְּהָם *& Zuſim in Ham.* Lxx. ἔθνη ἰσχυρὰ ἅμα αὐτοῖς, *gentes fortes cum ipſis.* Chald. quoque vocem הַזּוּזִים ut appellativam accepit, reddiditque תַּקִּיפַיָּא *robuſtos.* Vulg. *& Zuſim cum eis.* Ipſe & Lxx. pro בְּהָם legebant בָּהֶם *cum eis.* S. Hieron. quæſt. Heb. in Gen. col. 519. tom. 2. nov. edit. dicit vocem hanc ſcriptam eſſe cum ה loco ח, ſic: בהם. At vel revera in ſuis codicibus ſic exarata erat; vel eos, cum hæc ſcriberet, non inſpexit; ipſe enim tranſtulit *cum ipſis.*

Cap. 31. v. 13. *Ego ſum Deus Bethel.* Lxx. ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ Θεοῦ, *Ego ſum Deus, qui apparui tibi in loco Dei*, quia בֵּית־אֵל componitur ex בַּיִת conſt. בֵּית *domus*, *locus*, & אֵל *Deus.*

Deut. 1. v. 1. *Hæc ſunt verba, quæ loquutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael .... inter Pharan & Thophel, & Laban,* חֲצֵרֹת וְדִי־זָהָב *& Hhatſeroth, & Di-zahav.* Lxx. καὶ αὐλὼν καὶ καταχρύσεα, *& tibiam & auream*, Pro חֲצֵרֹת legebant חֲצֹצְרוֹת *tubas* forte etiam *tibias*, & דַּי, quod *ſufficientiam* notat, pro דִּי; unde verterunt καταχρύσεα, ſpectato זָהָב eo loci ut nomine appellativo, quod alias *aurum* ſignificat. Vulg. retinuit חֲצֵרֹת *Haſeroth*, ſed דִּי־זָהָב appellative accepit, *ubi auri eſt plurimum.* Legebat pariter דַּי pro דִּי.

1. Reg. 25. v. 3.... *erat autem* (Nabal) כָּלִבִּי *Calebita.* Chald. מִדְּבֵית כָּלֵב, Vulg. *de genere Caleb.* Lxx. ἄνθρωπος κυνικός, *homo caninus*, à כֶּלֶב *canis.*

2. Paral. 3. v. 17. *Ipſas quoque columnas poſuit* (Salomon) *in veſtibulo templi .... eam, quæ à dextris erat, vocavit* יָכִין, Lxx. κατόρθωσις, *directio*, Vulg. *Iachin; & quæ ad Lævam* בֹּעַז, Lxx. ἰσχύς, *fortitudo*, Vulg. *Booz.* Attamen 3. Reg. 7. v. 21. nomina Hebræa retinentur apud Lxx. Ἰαχούμ, mſ. Alex. Ἰαχεὶν, legebant יָכוּן; & Βολὸζ, quod mendum eſt pro Βοὸς, ut legit mſ. Alex. vel Βόαζ, ut habet Complut.

Amos 7. v. 9. *& demolientur excelſa* יִשְׂחָק *Iſaac*, Lxx. γέλωτος, *riſus*; nomen enim *Iſaaci* hîc à שָׂחַק *ridere* deducitur. Vulg. *Idoli*, ſenſum non verbum reddidit.

Malach. 1. v. 1. nomen מַלְאָכִי *Malachiæ*,

Lxx. interpretantur ἀγγέλου αὐτοῦ, *angeli ſui*, pro מַלְאָכִי legebant מַלְאָכוֹ. Hæc, ut videtur, Lxx. interpretatio occaſionem dedit Origeni exiſtimandi *Malachiam* fuiſſe angelum. Vide S. Hieron. præfat. in hunc proph. tom. 3. nov. edit. col. 1807.

Vulgatus interpres Latinus ſequentia nomina appellative accepit. Gen. 2. v. 8. *Plantavit autem Dominus Deus paradiſum* בְּעֵדֶן *voluptatis*, pro *in Eden*, ut tranſtulerunt Lxx. Aq. & Syrus. Appellative etiam Sym. interpretatur παράδεισον ἀνθηρὸν, *paradiſum florentem*. Ipſe tamen Vulg. Gen. 4. v. 16. vocem Hebraïcam עֵדֶן retinuit.

Ibid. cap. 10. v. 11. *Et ædificavit* (Aſſur) *Niniven*, וְאֶת־רְחֹבֹת עִיר *& plateas civitatis*, Lxx. καὶ τὴν Ῥοωβὼθ πόλιν, *& Rhooboth civitatem.* Ipſa eſt Ptolemæo *Oroba* ad Tigrim ſita. Vulg. vocem Hebraïcam retinuit Gen. 36. v. 37. & 1. Paral. 1. v. 48.

Ibid. cap. 14. v. 3. *Omnes hi convenerunt in vallem* הַשִּׂדִּים *ſylveſtrem.* Aq. πεδινῶν *campeſtrium*, à שָׂדֶה *ager.* Theod. ἀλσῶν *amœnitatum.* Lxx. ἁλυκὴν *ſalſam*, quod ex ſequenti membro deſumtum eſt: αὕτη ἡ θάλασσα τῶν ἁλῶν, Vulg. *quæ nunc eſt mare ſalis.* Alii *Siddim.*

Ibid. c. 22. v. 2..... *& vade in terram* הַמֹּרִיָּה, Sym. ὀπτασίας, Vulg. *viſionis.* Aq. καταφανῆ *conſpicuam*, à רָאָה *vidit.* Alii *Moria.*

Exod. 17. v. 7. *Et vocavit* Moyſes *nomen loci illius* מַסָּה וּמְרִיבָה, Vulg. unica voce *Tentatio.* Lxx. πειρασμὸς καὶ λοιδόρησις, *tentatio & jurgium.* Alii *Maſſa & Meriba.*

Alia exempla vide 2. Reg. 2. v. 29. in voce מַחֲנָיִם. C. 21. v. 19. in יַעְרֵי אֹרְגִים. 1. Paral. 4. v. 22. in יוֹקִים, כֹּזֵבָא, וְיוֹאָשׁ, & שָׂרָף, quæ ſunt nomina propria in Lxx. quæque Vulg. ut appellativa tranſtulit. C. 7. v. 18. in אִישְׁהוֹד. 2. Eſd. 9. v. 7. in voce אוּר, quam Vulg. eo loci interpretatur *ignem*, quam tamen alibi, ſcilicet Gen. 11. v. 31. &c. optime reddidit *Ur.* Job. 42. v. 14. in יְמִימָה & קֶרֶן הַפּוּךְ, quas voces Lxx. etiam appellative acceperunt. Prov. 30. v. 1. דִּבְרֵי אָגוּר בִּן־יָקֶה הַמַּשָּׂא נְאֻם הַגֶּבֶר לְאִיתִיאֵל לְאִיתִיאֵל וְאֻכָל *Verba Agour filii Iake, prophetia: dictum viri ad Ithiel, ad Ithiel*, inquam, *& Uccal.* Vulg. *Verba congregantis filii vomentis. Viſio, quam loquutus eſt vir cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus ait:* אָגוּר ab אָגַר *congregare* deduxit, יָקֶה à קוֹא *vomere*, אִיתִיאֵל ab אֵת *cum* & אֵל *Deus*, & pro אִיתִיאֵל legebat אִיתוֹאֵל, vel אִתּוֹאֵל *cum eo Deus.* Denique אֻכָל derivabat à יָכֹל *potuit*, *prævaluit.* Aq. לְאִיתִיאֵל וְאֻכָל interpretatur τῷ Ἐθιὴλ, καὶ τέλεσον, *Ethieli, & perfice*, ſeu *conſume*, legebat וְאַכֵּל. Theod. τῷ Ἐθιὴλ, καὶ δυνήσομαι, *Ethieli, & potero*, legebat וְאוּכַל pro וְאֻכָל. Vide inſuper Cant. 8. v. 11. in שְׁלֹמֹה. Mich. 1. v. 14. in אַכְזִיב, &c.

E contrario nomina quædam appellativa ut propria accipiuntur.

Gen. 22. v. 13. *Levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum ſuum arietem* נֶאֱחַז בַּסְּבַךְ *detentum in perplexitate* (veprium) *cornibus ſuis.* Vulg. *inter vepres hærentem cornibus.* Lxx. & Theod. ἐν φυτῷ Σαβὲκ, *in planta Sabek.*

Ibid. c. 28. v. 19. *Appellavitque* (Jacob) *nomen urbis Bethel*, וְאוּלָם לוּז שֵׁם־הָעִיר, Aquila (καὶ) πρότερον Λοὺζ ὄνομα τῆς πόλεως, (Et) *prius Luz nomen urbi erat.* Theodori nota in quibuſdam mſſ. ea eſt: ἰστέον ὅτι οὐλὰμ πρότερον εἶπον οἱ περὶ Ἀκύλαν, καὶ οὐχ ὡς μέρος τοῦ ὀνόματος, *ſciendum OUALAM ab Aquila PRIUS redditum fuiſſe, & non ut partem nominis.* Vulg. *quæ prius Luza vocabatur.* Lxx. voces Hebræas retinuerunt Οὐλαμλοὺζ conjunctim. S. Hieron. quæſt. Heb. in Gen. col. 532. tom. 2. nov. edit. hæc ſcribit: *Ridicule quidam verbum Hebraïcum ULAM nomen eſſe urbis putant, cum ULAM interpretetur PRIUS*, &c. Poſſet tamen eo loci אוּלָם transferri *ſed*, *autem*, ob ſequens לָרִאשֹׁנָה *prius.*

Ibid. c. 41. vv. 2. & 18. בָּאָחוּ Aq. & Sym. ut videtur D. Bern. de *Montfaucon*, ἐν τῷ ἕλει *in palude.* Alius ἐν τῇ ὄχθῃ *in ripa.* Vulg. *in locis paluſtribus.* Lxx. ἐν Ἄχει. Mſ. Oxon. & Compl. edit. ἐν τῷ Ἄχι in *Achi*, legebant אָחִי pro אָחוּ cum (י) loco ו. Jam monuimus Lxx. ח exprimere per χ. Attamen Auctor Eccleſiaſtici c. 40. v. 16. utitur voce Ἄχει pro *palude.* Et vetus ſcholion: Ἄχει δὲ τὸ λεπτὸν καὶ βοτανῶδες φυτόν ἐστιν, *Achos eſt tenuis herbaceuſque frutex.* Unde Ἄχει poteſt

eſſe nomen appellativum Gen. 41. vv. 2. 18.

Num. 21. v. 1. *Quum audiiſſet Chananæus rex Arad .... veniſſe Iſrael per viam* הָאֲתָרִים, Aq. Sym. κατασκόπων, Vulg. *exploratorum*, i. qua exploratores venerant. Lxx. Ἀθαρεὶμ *Atharim*, retenta voce Hebraïca.

Deut. 3. v. 10. *Omnes civitates* מִישׁוֹר, Vulg. *quæ ſitæ ſunt in planicie.* Lxx Μισὼρ *Miſor.*

1. Reg. 14. v. 11. *Apparuit igitur uterque* (Jonathas & armiger ejus) אֶל־מַצַּב *ſtationi Philiſtinorum.* Vetus interp. εἰς τὸ πλῆθος *multitudini.* Lxx. εἰς Μεσσάβ.

Alia exempla vide ibid. c. 20. v. 20. in לְמַטָּרָה, Aq. εἰς τὸ σκοπὸν, *ad ſcopum.* Aq. Theod. εἰς τὴν φυλακὴν, *ad cuſtodiam.* Sym. εἰς τὸ συντεταγμένον, *ad condictum*, Vulg. *ad ſignum.* Lxx. Ἀματταρεί. Complut. Ἀματταρεί.

4. Reg. 16. v. 18. in מוּסַךְ *tegmen*, *operimentum Sabbathi*, in quo Rex ſolebat ſtare, vel ſedere Sabbathis & aliis diebus feſtis, ut ſacrificiis intereſſet, & legem audiret. Alii aliter explicant. Lxx. θεμέλιον *fundamentum*, legebant מוּסַד pro מוּסַךְ, quam vocem Vulgatus retinuit *Muſach.*

2. Paral. 1. v. 13. לַבָּמָה *ab excelſo.* Lxx. ἐκ Βαμὰ *ex Bama*, quamvis v. 3. eamdem vocem appellative acceperint, εἰς ὑψηλὴν, *in excelſum.*

2. Eſd. 3. v. 6. Et portam יְשָׁנָה *veterem.* Lxx. Ἰασανά. Mſ. Alex. Αἰσανά.

Prov. 26. v. 8. *Sicut qui mittit lapidem* בְּמַרְגֵּמָה, Vulg. *in acervum Mercurii: ita qui tribuit inſipienti honorem.* Lat. interpres *Mercurium* deduxiſſe videtur ab Heb. מַרְגֵּמָה ob quamdam literarum ſimilitudinem; facta inſuper alluſione ad acervos lapidum Mercuriales, quos viatores crebro lapidum jactu in honorem Mercurii viarum præſidis augebant. Iſti lapidum acervi ἑρμαῖοι λόφοι *lapidum acervi Mercuriales* veteribus dicebantur. Senſus itaque eſt: ſicuti mittere lapidem in acervum Mercurii, illique Deo cultum exhibere, impium, abſurdum, ac vanum eſt: ita ſtulto honorem deferre. Alii, *ſicut qui mittit lapidem* pretioſum (אֶבֶן enim id interdum ſignificat, vide Exod. c. 39. v. 10. 1. Paral. 29. v. 8. &c.) *in acervum lapidum* vulgarium, ubi nec conſpicitur, & conculcatur: *ſic qui tribuit inſipienti honorem*, officia ſua peſſime collocat.

Iſai. 22. v. 24. אַגָּנוֹת *phialæ*, *crateres*, Theod. Ἀγανώθ.

Jerem. 51. v. 27. טִפְסָר *imperatorem*, Lxx. βασιλεῖς *reges*, Vulg. *Taphſar.*

Cap. 52. v. 15. אָמוֹן Vulg. *multitudo*, Lxx. Ἀμμών.

Amos 3. v. 12. דְּמֶשֶׁק *latus*, *angulus*, Lxx. Δαμασκὸς, Vulg. *Damaſcus*, legebant דַּמֶּשֶׂק, ut c. 1. v. 3.

Oſe. 6. v. 9. שְׁכֶמָה *humerus*, ut Soph. 3. v. 9. Lxx. Σίκιμα, Vulg. *Sichem.*

Ibid. c. 13. v. 7. אָשׁוּר *obſervabo*, Lxx. Ἀσσυρίων, Vulg. *Aſſyriorum*, legebant אַשּׁוּר.

Act. 27. v. 13. ἆσσον *propius*, Vulg. *Aſſon*, quæ quidem urbs eſt in Creta inſula, cujus meminere Plinius & Stephanus, unde Jupiter *Aſius.* At urbs illa erat mediterranea, teſte Plinio 4. 12. Syrus & Arabs in Polyglott. Lond. *Aſſon*, ut nomen loci non agnoſcunt. Verſio Æthiopica Latinum interp. ſequitur.

CANON VII.

NOMINIS proprii quandoque periphraſis eſt, ſive circumloquutio.

Nominis proprii perſonæ. 1. Paral. 17. v. 13. *& miſericordiam meam non auferam ab eo* (Salomone), *ſicut abſtuli ab eo, qui ante te fuit*, h. e. à Saüle, uti exponitur 2. Reg. c. 7. v. 15.

Iſai. 7. v. 6. Quidam ex primoribus Syrorum, mentione patris ſui facta, circumſcribitur.... *ponamus regem in medio ejus filium Tabeel.* Vide ſimilem periphraſin 1. Sam. 22. vv. 9. 12. Pſal. 7. v. 1. quo in ultimo loco Saül dicitur *Chus*, ſive *Æthiops*, & filius Jemini, i. viri Benjaminitæ.

Joan. 13. v. 23. Joannes ita ſe ipſe indigitat: *erat ergo recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus.* Sic c. 19. v. 26. c. 21. vv. 7. 20. 24.

Nominis proprii loci. Jud. 5. v. 21. Torrens Ciſon vocatur torrens קְדוּמִים *antiquitatum.* Vulg. *Cadumim*, ut nomen proprium accepit.

Iſai. 18. v. 1. Æthiopia, ſeu Ægyptus, circumſcribitur *terra umbroſa alis*, &c.

Cap. 21. v. 1. Babylon dicitur *deſertum maris*. Ezech. 17. v. 4. *terra negotiatorum.*

Cap. 22. vv. 1. 5. Jeruſalem appellatur *vallis viſionis*. Jerem. 21. v. 13. eadem dicitur *habitatrix vallis ſolidæ atque campeſtris.*

Luc. 1. v. 39. *Exurgens Maria in diebus illis abiit in montana* (Judææ) *cum feſtinatione in civitatem Judæ*, nempe Hebronem, quæ erat civitas Sacerdotalis, & inter novem urbes in tribu Judæ & Simeon filiis Aaronis, Joſ. 21. vv. 9. 11. aſſignatas, primaria. Ita cenſent melioris notæ interpretes.

§. II.

De Nominis proprii impoſitione.

Hebræi veteres nominum liberis imponendorum certas cauſas habuere, quæ aliquando exprimuntur in Scripturis, ſæpe etiam omittuntur; & in omiſſis non eſt quod nos immodice torqueamus, aut certe aliquid pronuntiemus temere: cum multis conjecturis locus eſt, ut ſcribit Mercerus in Gen. p. 106.

Impoſitio autem Nominis proprii vel *prima* eſt, vel *iterata*. Prima dicitur, cum perſonis, vel locis, ſua primum imponuntur nomina: iterata vero, quando iiſdem præter ea, quæ jam indita fuerant, adduntur & alia. Prima nominis impoſitio ſpectari poteſt 1°. Ratione Etymi & ſignificationis, ejuſque fundamenti. 2°. Ratione extenſionis ad alia & communionis.

CANON I.

Plurima nomina propria perſonarum à Deo & Hebræis impoſita ſunt ab eventu.

Eventus triplicis eſt generis, præteritus, præſens, & futurus, ſive optatus.

I. Ab eventu, ſeu re geſta præterita impoſita ſunt nomina

Isaaci יִצְחָק à *riſu* non Saræ matris, ut volunt quidam interpretes, ſed patris Abrahami; *poſtquam enim ad riſum Abrahæ vocatus filius ejus Iſaac*, Gen. 17. v. 19. *tum legimus riſiſſe Saram.* Sic Hieron. quæſt. in Gen. tom. 2. nov. edit. col. 522. צָחַק autem *ridere* ſignificat. Porro iſte riſus Abrahæ exſultatio eſt gratulantis, non irriſio diffidentis.

Mosis מֹשֶׁה, Exod. 2. v. 10. *Vocavitque* (filia Pharaonis) *nomen ejus Moyſes, dicens: quia de aqua tuli eum*; à מָשָׁה *extraxit.* Aben-Eſra in h. l. *forſitan didicit filia Pharaonis linguam noſtram, aut quæſivit de illa.*

Ichabod אִי כָבוֹד, 1. Reg. 4. v. 21. *Et vocavit* (Heli nurus, uxor Phinees) *puerum Ichabod, dicens: translata eſt gloria de Iſrael, quia capta eſt Arca Dei.* Etymon אִי *ubi?* vel, ut quibuſdam placet, אִי *non* eſt, & כָבוֹד *gloria.*

II. A præſenti rerum ſtatu deducta ſunt & indita nomina

Abelis הֶבֶל, Gen. 4. v. 2. *Rurſumque peperit* (Heva) *fratrem ejus* (Caini) *Abel*, qui ſic appellatus eſt à rerum mundanarum

vanitate & miſeria, in quam poſt lapſum primi parentes devenerant; הֶבֶל enim *vanitatem* ſignificat.

SETHI שֵׁת, à שׁוּת *ponere*, dixit enim mater ejus Heva: *poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain*, Gen. 4. v. 25.

ESAU עֵשָׂו, à עָשָׂה *fecit*, *perfecit*, &c. quia perfectior, quam pueri ſolent, *totus in morem pellis hiſpidus* naſcebatur, Gen. 25. v. 25.

JACOBI יַעֲקֹב, Gen. 25. v. 26. ab עָקֵב *calcaneus*, quia naſcendo calcaneum fratris ſui Eſaii tenebat.

GAD גָּד, Gen. 30. v. 11. à בְּגָד *venit fortuna*; hanc enim vocem diviſim legendam בָּא גָד obſervant Maſſorethæ. Jovis autem ſtella, quam aſtrologi feliciſſimam credebant, Arabibus גַּד appellatur. Unde Lxx. ἐν τύχῃ, *in fortuna*, ſeu *feliciter*, legebant בְּגָד cum præpoſitione ב. Mſ. Oxon. & Compl. ἀντύχηκα *felix ſum*. Vulg. ut Lxx. *feliciter*. Aq. ἦλθεν ὁ ζῶνος, *venit accinctio*, forte reſpexit ad Joſ. 1. v. 14. & c. 4. v. 12. ubi Gaditæ, Rubenitæ, & dimidia tribus Manaſſe εὔζωνοι *bene cincti*, i. *armati* dicuntur. Alii בָּגָד interpretantur *venit turma* filiorum ſcilicet, à בָּא venit, & גְּדוּד *turma*.

III. Ab eventu futuro ſperato deſumta ſunt nomina

HEVÆ חַוָּה, à verbo חָיָה *vixit*, mutato (י) in ו. Gen. 3. v. 20. *Et vocavit Adam nomen uxoris ſuæ, Heva: eo quod mater* (futura) *eſſet cunctorum viventium*, nempe hominum.

NOE נֹחַ, *à conſolando*, Gen. 5. v. 29. *Vocavitque* (Lamech) *nomen ejus, Noe, dicens: iſte יְנַחֲמֵנוּ conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum*, &c. à נִחַם *conſolatus eſt*, reſecta ultima litera radicali. Lxx. διαναπαύσει *requieſcere faciet*; legiſſe videntur יְנִיחֵנוּ, à נוּחַ *quievit*: quamvis quietem præſtare, & conſolari, idem fere ſint.

SALOMONIS שְׁלֹמֹה, à שָׁלַם *pace frui*. Quod nomen iſti filio ſuo impoſuit David, quod eum pacificum fore exoptaret, & auguraretur ejus imperium. Salomon enim typus futurus erat Chriſti *principis pacis*, Iſai. 9. v. 6.

CANON II.

NOMINA propria locorum quorumdam itidem ab eventu & re geſta impoſita leguntur.

Gen. 4. v. 16. *Egreſſuſque Cain à facie Domini, habitavit in terra* נוֹד *Nod, ad orientalem plagam Eden*. Quod nomen iſti terræ inditum eſt à Caini ſtatu, qui vagus & profugus fuit; נוּד enim *vagari* ſignificat. Lxx. Ναΐδ; vel legebant נִיד; vel Ναΐδ error eſt amanuenſium pro Νὼδ. Vulg. appellative accepit, interpretaturque, *profugus*. Sed deſcriptio ſitus in textu addita, oſtendit certam terræ partem denotari.

Ibid. c. 11. v. 9. *Babel* civitas ſic dicta eſt à *confuſione* linguarum. Rad. בָּלַל *confudit*; & geminata prima radicali, extruſoque altero ל, factum eſt nomen בָּבֶל.

Ibid. cap. 28. vv. 17. 19. בֵּית־אֵל locus ita nuncupatur à viſione divina Jacobo ibi facta. Alia exempla vide Gen. 31. vv. 47. 48. in *Galaad*. c. 32. v. 2. in *Mahanaim*, &c.

Interdum per anticipationem locis imponuntur nomina, quæ nonniſi poſtea conſequuta ſunt.

Gen. 14. v. 7. *& percuſſerunt omnem regionem Amalecitarum*, &c. h. e. incolas regionis illius, quam poſtea occupaverunt Amalecitæ. Amalec enim, unde Amalecitæ nuncupati ſunt; & regio illa denominata, longo poſt tempore natus eſt, ut Gen. 36. v. 12. memoratur. Alia hujus prolepſeos in nominibus propriis locorum exempla vide infra in Synt. fig. tract. 1. de fig. Gram. c. 1. de Synchyſi, §. 4. memb. 1.

Per eamdem anticipationem S. Hieron. urbem נֹא No *Alexandriam* interpretatur. *Faciamque*, inquit comm. in cap. 30. Ezech. v. 14. &c. *judicia in Alexandria, quæ hodie ſic vocatur. Ceterum priſtinum nomen habet NO, quod Aq. Sym. Theod. ſicut in Hebræo poſitum eſt, tranſtulerunt. Pro quo neſcio quid*

volentes

volentes Lxx. dixere Dioſpolim, quæ Ægypti parva civitas eſt. Nos autem pro NO Alexandriam poſuimus per anticipationem, quæ Græce ϖρόληψις appellatur, juxta illud Virgilianum: Lavinaque venit litora: *Non quod eo tempore, quando venit Æneas in Latium, Lavinia dicerentur; ſed quæ poſtea Lavinia nuncupata ſunt, ut manifeſtior locus fieret lectoris intelligentiæ.* Chald. etiam *No* interpretatur *Alexandriam*, Jerem. 46. v. 25. Nah. 3. v. 8.

E contrario, locus interdum appellatur eo nomine, cujus fundamentum & ratio non amplius exſtat, ut: 3. Reg. 4. v. 19. terræ *Sehon* regis Amorrhæorum, & *Og* regis Baſan fit mentio, cum tamen jamdiu illorum regum eſſe deſierit. Alia denominationis hujus exempla vide in articulo ſequenti.

CANON III.

DISTINCTÆ perſonæ & loci ſæpe in Scripturis eodem inſigniuntur nomine.

I. Perſonæ diſtinctæ ſunt uninomines.

Abia eſt nomen 1°. filii Jeroboam Regis Iſrael, 3. Reg. 14. v. 1. 2°. filii Roboam regis Juda, 2. Paral. 11. v. 20. 3°. filii Samuelis prophetæ, 1. Reg. 8. v. 2. 4°. ſacerdotis octavæ ſortis, 1. Paral. 24. v. 10. 5°. alterius ſacerdotis de genere Eleazaris, qui reverſus eſt ex captivitate Babylonica cum Zorobabele & aliis quamplurimis, 2. Eſd. 10. v. 8. c. 12. v. 4. 6°. viri alterius ex tribu Benjamin, 1. Paral. 7. v. 8. 7°. uxoris Eſron, 1. Paral. 2. v. 23. 8°. matris Ezechiæ regis, 2. Paral. 29. v. 1. ubi obſervandum eadem nomina quandoque viris, quandoque mulieribus imponi. Alia exempla ſunt

Miphiboſeth, 2. Reg. 4. v. 4. Alter c. 21. v. 8.

Abigail, 1. Paral. 2. vv. 16. 17. Altera, 1. Reg. 25. v. 3.

Nathan, 2. Reg. 5. v. 14. Alter c. 7. v. 2. c. 12. v. 1. &c.

Hiram, ſeu *Huram*, 2. Paral. 2. v. 2. Alter v. 12. לְחוּרָם אָבִי, *qui fuit Hiram patris mei*, i. cujus opera pater meus Hiram vel Huram utebatur. Alter cap. 4. v. 11. filius alterius Hiram, de quo v. 16. Quatuor itaque numerantur nomine *Hiram*, primus Rex Tyri; ſecundus pater ejus; tertius artifex, qui *fecit lebetes*, &c. quartus pater hujus artificis.

Duo homines *Eſdræ* nomine reperiuntur, alter Levitici ordinis, qui una cum Joſue & Zorobabele Hieroſolymam ex captivitate aſcendit, 2. Eſd. 12. v. 1. Alter, qui anno ſeptimo Artaxerxis Memnonis Perſide Hieroſolymam cum multis aliis Judæis profectus eſt, Eſd. 7. vv. 1. 3. nominaturque *Sacerdos & Legis peritus*, Nehem. 12. vv. 26. 36.

Nehemiæ nomen tribuitur tum præfecto cuidam inter Judæos reduces, Nehem. 3. v. 16. tum celebratiſſimo illi duci populi Judæorum, cujus hiſtoria & res geſtæ ab ipſo conſcriptæ fuerunt.

Quatuor *Zachariæ* nomine appellantur, tres in V. T. & unus in novo. Primus inter templum & altare juſſu regis Joas occiſus eſt, 2. Paral. 24. v. 20. Secundus ab Iſaia in teſtem cum Uria ſacerdote adſcitus, Iſai. 8. v. 2. Tertius, qui ſub Dario prophetavit, & inter minores prophetas penultimum obtinet locum. Quartus in N. Teſt. pater Joannis Baptiſtæ, Luc. 1. v. 5.

Herodes in N. Teſt. tres numerantur. Primus Herodes Magnus rex Judææ à Senatu Rom. electus annis circiter 35. ante Chriſtum natum, ex Uſſer. Secundus *Herodes* Antipas, Magni illius filius, Tetrarcha Galilææ, qui etiam rex dicitur Marc. 6. v. 14. ex vulgi & aulicorum adulatione. Is eſt, qui Joannem Baptiſtam decollavit, & Chriſtum à Pilato ad ſe miſſum contumelioſe dimiſit, Luc. 23. Tertius *Herodes* Agrippa, qui Jacobum Apoſtolum capite truncavit, Act. 12. Hujus Herodis Agrippæ filius, *Agrippas* ille eſt, cujus mentio fit, Act. 25. v. 13.

Judæ nomen tam in Veteri quam in N. Teſt. pluribus etiam tribuitur. In novo

Digitized by Google

reperire eſt *Judam* cognominatum à Syris *Thaddæum*, Matth. 10. v. 3. Marc. 3. v. 18. Thaddæus autem idem eſt Syris ac Judas, utriuſque enim nominis rad. eſt יָדָה in Hiph. *confeſſus eſt*. Adde quod omnes fere linguæ nomina extera, quæ ſibi peregrina ſunt, corrumpere ſoleant. Præterea hic Apoſtolus in Græco vocatur etiam Λεββαῖος à לֵב *cor*, q. d. *cordatus*, *prudens*, &c. Quidam eum ſic dictum volunt ab oppido Galilææ maritimo *Lebba* nuncupato, de quo Plinius 5. 19. Alter Judas ad prioris diſtinctionem, dicitur *Iſcariotes*, ab oppido קְרִיּוֹת Vulg. *Carioth*, de quo Joſ. 15. v. 25.

Duo itidem *Jacobi* (præter Patriarcham Gen. 25. &c. & illum, cujus meminit Matth. 1. vv. 15. 16.) in collegio Apoſtolico recenſentur. Unus Zebedæi filius, frater Joannis; alter *minor* dictus, Marc. 15. v. 40. Alphæi filius, Judæ frater, Matth. 10. vv. 2. 3. Ob ſtaturam parvam, vel ætatem *minor* dicitur, ut quibuſdam placet. Alii, ut diſtingueretur ab altero Jacobo fratre Joannis, eum ſic cognominatum volunt.

Mariæ nomen pluribus feminis in N. T. tribuitur. Ac 1°. quidem *Mariæ* Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti matri. 2°. *Mariæ Magdalenæ*, Matth. 28. v. 1. Marc. 16. v. 9. Luc. 8. v. 2. &c. quæ nomen traxiſſe videtur ex patrio vico Μαγδαλὰ *Magdala*, Matth. 15. v. 39. ut habet textus Græcus. Vulg. *Magedan*, legebat Μαγεδὰν, ut ferunt mſſ. quidam codd. S. Hieron. Epiſt. ad *Principiam*, Magdalenæ nomen deducit ex מִגְדָּל *turris*. In etymologiis quiſque in ſuo ſenſu abundat. 3°. *Mariæ* ſorori Lazari & Marthæ, Luc. 10. vv. 38. 39. Joan. 11. v. 12. Has duas Marias Baronius & alii quidam pro una eademque habent, confunduntque cum his aliam mulierem peccatricem, à qua Chriſtus unctus eſt in domo Phariſæi, Luc. 7. v. 37. ſed diſtinctas has tres fuiſſe demonſtrarunt viri cum apud catholicos, tum apud heterodoxos eruditiſſimi. 4°. *Mariæ* Cleophæ, ſcilicet uxori, Joan. 19. v. 25. quæ & *Maria Jacobi* (minoris) vocatur Marc. 16. v. 1. Luc. 24. v. 10. & *Maria Joſeph*, Marc. 15. v. 47. Maria illa ſoror erat SS. Virginis Mariæ, Joan. 19. v. 25. uxor Cleophæ, ſeu Alphæi; idem enim videtur eſſe Lighfooto, 1°. quia Maria uxor Cleophæ Joan. 19. v. 25. dicitur mater Jacobi (minoris) Marc. 16. v. 1. Luc. 24. v. 10. qui Jacobus minor appellatur filius Alphæi, Matth. 10. v. 3. niſi forte duobus viris ſucceſſive nupſerit Maria, qua de re ſilent Evangeliſtæ. 2°. quia nomen Syrum חלפי indiſcriminatim inflecti poteſt in *Hhalphi*, ſeu *Alphæus*, & *Cleophi*, ſive *Cleophas*; ח enim, utpote litera Græcis barbara, initio dictionis reſecari potuit, unde *Alphæus*. Quia vero ab iiſdem Græcis exprimitur ſæpe per χ, inde natum eſt nomen *Chleophas*; & mutata aſpirata in tenuem, *Cleophas*. Hic ille Alphæus, qui ab Alphæo S. Matthæi patre, Marc. 2. v. 14. diſtinguendus eſt, pater fuit trium Apoſtolorum; Maria enim ejus uxor, mater fuit *Jacobi* minoris, & Joſeph, Marc. 15. v. 40. necnon Judæ & Simonis, Marc. 6. v. 3. qui omnes Apoſtoli fuere, excepto uno Joſepho.

Gaius nomen eſt 1°. cujuſdam S. Pauli diſcipuli, patria Derbæi, Act. 20. v. 4. 2°. alterius ejuſdem Pauli diſcipuli Macedonis, c. 19. v. 29. 3°. Corinthii cujuſdam, quem Paulus baptizavit, 1. Cor. 1. v. 4. & cujus mentionem fieri Rom. 16. v. 23. volunt interpretes nonnulli. Alia exempla brevitatis ergo miſſa facio.

Notandum eſt nomina quædam propria in verſionibus eadem videri, *quæ tamen apud Hebræos elementorum diverſitate, & ſuis proprietatibus diſtinguuntur*, ut ſcribit S. Hieron. præf. in *Amos*, quo nomine in Latino vocatur & pater Iſaiæ c. 1. v. 1. & Propheta inter minores tertius. Sed in Hebræo diſcrimen eſt evidens: Ille enim אָמוֹץ dicitur; hic vero עָמוֹס, quæ duo nomina in ſola litera media conveniunt.

II. Loca quædam diverſa eodem pariter vocantur nomine, ut: *Socoth*, qui locus eſt in Ægypto, Exod. 12. v. 37. & in terræ Sanctæ parte illa, quæ tribui Gad aſſignata eſt, Joſ. 13. v. 27. Jud. 8. v. 5. 3. Reg. 7. v. 46.

Berſabee nomen eſt loci, ſeu regionis, Gen. 21. v. 31. & urbis, Gen. 26. v. 33. Sita erat in tribu Simeonis, ſed quia tribus illa Judææ olim permixta fuit, Joſ. 19. vv. 1. 2. appellatur *Berſabee Juda*, 3. Reg. 19. v. 3.

Maſpha quadruplex invenitur. Prima in ingreſſu Libani ſuper Jordanem, Joſ. 11. v. 3. Secunda in tribu Juda, Joſ. 15. v. 38. Tertia in tribu Benjamin, Joſ. 18. v. 26. Quarta Moabitarum, 1. Reg. 22. v. 3.

Carmel mons duplex eſt, alter in tribu Juda, in quo habitavit Nabal, 1. Reg. 25. v. 2. alter Tyrum verſus, mari Galilææ imminens, ubi habitavit Elias, 3. Reg. 18. v. 42.

Bethlehem una fuit in tribu Zabulon, Joſ. 19. v. 15. altera in Juda, Mich. 5. v. 1. Matth. 2. v. 6.

Cana duplex itidem recenſetur, altera in tribu Aſer, Joſ. 19. v. 28. altera in Galilæa, Joan. 2. v. 1. &c.

Cæſarea duplicis in N. T. fit mentio. Alterius *Philippi*, Matth. 16. v. 13. quia condita erat à Philippo Herodis Magni filio, in honorem Cæſaris Tiberii, ad radices Libani, quæ mutato nomine *Paneas* deinde appellata eſt. Alterius, quam Herodes ipſe Magnus inſtauravit in honorem Auguſti Cæſaris, quæque ſita eſt prope Joppen ad mare mediterraneum, ac memoratur Act. 8. v. 40. c. 9. v. 30. c. 10. v. 1.

Laodiceam triplicem agnoſcunt Strabo & Plinius. Prima eſt Metropolis Phrygiæ Pacatianæ, cujus fit mentio Coloſſ. c. 2. v. 1. c. 4. v. 15. Apoc. 3. v. 14. Altera Medorum, à Macedoniis, ſive Græcis condita; unde à Strabone l. 11. civitas Græciæ dicitur. Tertia Syriæ urbs, quam Seleucus Nicanor condidit, & à matre Leodice, *Leodiceam* nuncupari voluit. Strab. l. 16.

Quidam duas urbes nomine *Salem* inſignitas ponunt. Alteram quæ poſtea *Jeruſalem* dicta eſt; alteram vero civitatem Sichimorum, ex Gen. 33. v. 18. *Tranſivitque Jacob* שָׁלֵם עִיר שְׁכֶם, Lxx. εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων, mſ. Alex. Σικίμων, Vulg. *in Salem urbem Sichimorum.* Alii שָׁלֵם appellative accipiunt, *incolumis*, *ſalvus*, &c. Ita omnes fere Hebræi, Onkelos, Jonathan, & interpp. recentiores non pauci.

CANON IV.

UNI eidemque perſonæ duo, vel plura quandoque impoſita leguntur nomina propria.

Gen. 26. v. 34. uxor Eſau vocatur *Baſemath*, quæ c. 36. v. 2. *Ada* appellatur. Utrobique enim parens *Elon* Hethæus memoratur.

1. Reg. 21. v. 1. אֲחִימֶלֶךְ, Compl. Ἀχιμέλεχ, Vulg. *Achimelech*, Lxx. Vatic. Ἀβιμέλεχ, legebant אֲבִימֶלֶךְ cum ב pro ח, vel error eſt amanuenſium; is inquam, Achimelech dicitur *Abiathar*, Marc. 2. v. 26. Imo ſi quis conferat 1. Paral. 24. v. 3. & 2. Reg. 8. v. 17. cum 2. Reg. 15. vv. 29. 35. & 3. Reg. 2. v. 26. deprehendet & patrem & filium binomines fuiſſe, & utrumque modo Achimelech, modo Abiathar nominari.

2. Reg. 3. v. 3. *Cheleab* filius Davidis, vocatur etiam *Daniel*, 1. Paral. 3. v. 1.

4. Reg. 8. v. ult. *Ochoſias* filius Joram, rex Juda, vocatur *Azarias*, 2. Paral. c. 22. v. 6. In hoc tamen ultimo loco Lxx. interpretantur Ὀχοζίας, & Vulg. *Ochoſias*. Quod argumento eſt eos utrobique in ſuis exemplaribus legiſſe *Ochoſias.* Idem 2. Paral. 21. v. 17. vocatur *Joachas*, quod eſt prius nomen inverſum.

1. Paral. 9. v. 39. *Ner* avus Saülis, vocatur *Abiel*, 1. Reg. 9. v. 1.

1. Paral. 10. v. 2. *Abinadab* Saülis filius, dicitur etiam *Jeſſui*, 1. Reg. 14. v. 49.

2. Paral. 11. v. 20. *Maacha filia Abſalom* alius ab Abſalomo Davidis filio, appellatur *Michaia filia Uriel de Gabaa*, cap. 13. v. 2. Pater igitur & filia binonimes fuerunt.

2. Paral. 15. v. 1. *Azarias filius Oded*, in Heb. v. 8. dicitur ſimpliciter *Oded* patris ſui nomine. Sic Lxx. Vatic. qui transferunt *Adad*. At mſ. Alex. Cantab. & Ald. edit. habent Ἀζαρίαν τοῦ Ἀδάδ, Vulg. *Azariæ filii Oded*. Vel quia ſic habebant codices Heb. quibus utebantur; vel illud ex ſuo ſuppleverunt.

2. Paral. 24. v. 20. *Joiada* ſacerdos voca-

tur *Barachias*, Matth. 25. v. 35. & *Johanan* 1. Paral. 6. v. 9.

2. Paral. 26. v. 1. *Ozias* rex Juda, vocatur *Azarias*, 4. Reg. 15. vv. 1. 2.

Eſd. 7. v. 1. *Eſdras* Legis peritus appellatur *Joſedec*, 1. Paral. 6. v. 15. al. 5. vv. 41. 42. uti genealogia utrobique poſita oſtendit.

Nomina quædam propria cum בַּעַל compoſita, componuntur etiam cum voce בֹּשֶׁת *pudor*, *pudendum idolum*; idque fortaſſe in *Baalis* ignominiam. Sic Jud. 6. v. 32. Gedeon vocatur יְרֻבַּעַל *Jerubbaal*, Vulg. *Jerobaal*, i. *ulifcatur ſe Baal.* Idem Gedeon vocatur יְרֻבֶּשֶׁת, 2. Reg. 11. v. 21. q. d. *ulifcatur ſe pudendum idolum.*

2. Reg. 2. v. 8. filius Saülis vocatur אִישׁ בֹּשֶׁת *Iſboſeth*, & 1. Paral. 8. v. 33. c. 9. v. 39. אֶשְׁבַּעַל *Eſbaal.*

In Novo Teſtam. *Judas* appellatur quoque *Thaddæus*, & Matth. 10. v. 3. in græco *Lebbæus.* Vide ſupra pag. 442. col. 1.

Matthæus vocatur etiam *Levi*, Marc. 2. v. 14. Luc. 5. v. 27.

Saulus dicitur *Paulus*, Act. 13. v. 9. & poſtea ubique. Vide ſupra pag. 435. col. 2.

Act. 13. v. 6. Magus Cyprius nomine *Bar-Jeſu*, appellatur *Elymas*, v. 8. quaſi עֲלִימָא *occultus*, h. e. rerum occultarum ſtudioſus, ut interpretantur quidam eruditi. In Arabica Pentateuchi interpretatione R. Saadiæ, pro חַרְטֹם, quod Chaldaïce *magnum* ſignificat, legitur עֲלִמָא.

Huc referunt quidam, quod *Thomas* Apoſtolus dicitur *Didymus*, Joan. 20. v. 24. ſed Hebrææ vocis interpretatio eſt, non diverſum nomen; תְּאוֹם enim & contracte תְּאֹם, unde *Thomas*, *gemellum* ſignificat, ſicuti & Græca vox *δίδυμος*.

CANON V.

Uni eidemque loco duo, vel plura interdum impoſita leguntur nomina propria.

Gen. 14. v. 7. Fons *Miſphat* vocatur etiam *Cades*, ut ibidem dicitur.

Cap. 31. v. 47. Locus, in quo Jacob & Laban fœdus inierunt, vocatur à Labane Syro יְגַר שָׂהֲדוּתָא *Jeghar Sahadhoutha*, à Jacobo Hebræo גַּלְעֵד *Galedh*; utrumque autem *acervum teſtimonii* ſignificat, illud Syra, hoc Hebræa dialecto. Idem locus v. 49. dicitur etiam מִצְפָּה *Miſpa*, i. *ſpecula*; ſequitur ratio: *intueatur & judicet Dominus*, &c.

Deut. 3. v. 9. Mons *Hermon*, qui à Sidoniis *Sarion*, ab Amorrhæis *Sanir* appellatur, is c. 4. v. 48. dicitur etiam שִׂיאֹן *Sion*, eſtque alius à צִיּוֹן *Sion* monte Sancto. Quidam interpretes exiſtimant vocem minus uſitatam שִׂיאֹן mutatam fuiſſe in communem צִיּוֹן, Pſal. 132. Heb. 133. v. 3. *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion*, h. e. ſicut ros Hermon, qui deſcendit, inquam, in montem Hermon, ita ut bis idem repetatur; Hermon enim & Sion Jeroſolymorum longiſſime à ſe invicem diſtant. Alii commode per ellipſin conjunctionis ו illud ſic explicant: *Sicut ros Hermon, & qui deſcendit in montem Sion*; idem enim ros, ſpecie non numero, cadit ſuper montes Hermon & Sion, eodem tempore, eadem copia, & eadem qualitate fœcundante, &c. Vide infra in conjunctione ו.

Pſal. 77. Heb. 78. v. 51. & Pſal. 104. Heb. 105. vv. 23. 27. Ægyptus vocatur *Cham*, à Chamo Noe filio, cui Africa, cujus veluti frons eſt Ægyptus, habitanda obtigit. Unde peritiſſimis Ægyptiorum Sacerdotibus, teſte Plutarcho, antiquitus Χημία vocabatur. Et Hieron. trad. in Gen. *Ægyptus uſque hodie Ægyptiorum lingua HAM dicitur.* Præcipuum ejus flumen *Nilus* eſt, qui ſic dicitur κατ' ἐξοχὴν à נַחַל *flumen*, & eliſo ח factum eſt Phœnicum & Ægyptiorum *Neel*, unde Græcorum Νεῖλος *Nilus*. Vocatur etiam שִׁיחוֹר Joſ. 13. v. 3. Iſai. 23. v. 3. Jerem. 2. v. 18. à שָׁחַר *nigrum* eſſe, quod aquæ ejus turbidæ ſint & ſubnigræ, quare, teſte Euſtathio, *μέλας* Græcis primo dictus eſt. Æthiopibus autem *Siris* (à שִׁיחוֹר, eliſa gutturali

ה) nuncupatus eſt, ſecundum Dionyſium.

Huc pertinet plurium nominum impoſitio, quæ ex Chaldaicis paraphraſibus colligitur, ut Gen. 8. v. 4. *Ararat*, Vulg. *Armenia*, Onkelos קַרְדוּ *qardou*, pro קַרְדוּתַ per eliſionem in Aramæa lingua frequentiſſimam, præſertimque literarum ע & ח, ut: בַּל pro בַּעַל *Baal*, נַשׁ pro נַחַשׁ *ſerpens*, יוֹנָן pro יוֹחָנָן *Joannes*; unde Matth. 16. v. 17. *Bar-jona*, ſublato etiam ultimo ן, pro *Bar-johhanan*, filius Joannis. יֵשׁוּ pro יֵשׁוּעַ *Jeſus*, &c. Ex קַרְדוּתַ fluxit nomen proprium *Carduci*, Epiph. l. 1. contra hæres. & *Carduchi*, ſeu *Cordueni*, aut *Gordiæi*, Plin. lib. 6. hiſt. nat. c. 15.

Gen. c. 10. v. 10. *Sennaar*, Targ. Jeroſoly. *Babel*.

Ibid. *Arach* ab eodem vocatur חֲרָס, quæ eſt *Edeſſa* ad Euphratem ſita. Et *Achad*, eidem Paraphraſtæ dicitur נְצִיבִין, quia reſpexit ad *Niſibin* Meſopotamiæ urbem.

Deut. 1. vv. 2. 44. cap. 2. v. 8. *Seir*, h. e. Idumæa ab eodem interp. Jeroſolymitano vocatur גַּבְלָא, Hieron. *Gebalena*, ab Heb. גבל *terminus*, quod ſit terræ Sanctæ limes ad Auſtrum. Erat altera *Gabla* ſive *Gebalena* ad Septentrionem Judææ, in extremo Phœniciæ limite poſita, unde *Gibli*, 3. Reg. 5. v. 18. in omni artificio Architectonico & fabrili peritiſſimi. Sic locum Hebræis dictum *Baſan*, Chaldæi Paraphraſtæ vocant ſemper *Mathnan*.

In Novo Teſtam. Matth. 15. v. 39. Μαγδαλὰ vocatur Δαλμανουθὰ Marc. 8. v. 10. Vel igitur locus ille erat binominis; vel *Dalmanoutha* eſt regionis nomen, & Magdala civitatis; vel duo illa loca erant vicina. Lightfoot. præmiſſ. ad Marc. c. 5. arbitratur *Dalmanoutha* locum fuiſſe prope mare Tiberiadis intra fines Magdalenſes ſitum. Deducit à צַלְמוֹן, de quo in Thalmudicis mentio fit, & mutato צ in ד, quod Arabibus & Syris inſolens non eſt, factum eſt nomen דַּלְמוֹן, ſive דַּלְמְנוּתָא. Quod libri quidam Marc. 8. v. 10. habuerint Μαγεδὰν, ſive Μαγδὰν, aut Μαγδαλὰ, vel Μαδηγαδὰ, interpretamentum videtur ex Matthæo deſumtum.

Matth. 8. v. 28. mentio fit regionis Γεργεσηνῶν *Gergeſenorum*, qui Marc. 5. v. 1. Luc. 8. v. 26. vocantur Γαδαρηνοὶ *Gadareni*. Interp. Lat. vertit ubique *Geraſenorum*, quia legebat Γερασηνῶν, ut habent quidam codd. mſſ. Marc. 5. v. 1. & Luc. 8. v. 26. *Gergeſſa* autem & *Gadara* quibuſdam interpretibus duo erant oppida diverſa, ſed vicina, & ad lacum Genezareth ſita, quorum fines erant commixti, ut cum in horum regionem Chriſtus veniſſe dicitur, in illorum quoque regionem veniſſe intelligendus ſit. Ceterum *Gadara*, teſte Joſepho l. 17. c. 13. erat Græcanici inſtituti, ac proinde mirum non eſt illic fuiſſe greges porcorum, quorum carnes Judæis erant prohibitæ.

Act. 21. v. 7. *Ptolemais* Syro interpreti dicitur עַכּוֹ, quæ nonnullis videtur eſſe civitas *Accho*, de qua Jud. 1. v. 31. quæque poſtea vocata eſt *Ptolemais*.

Locis quibuſdam nomina emphatica & prophetica tribuuntur.

Iſai. 29. v. 1. Jeruſalem dicitur *Ariel*, quia replenda erat ſanguine interfectorum, ſicut altare holocauſtorum, quod etiam *Ariel* vocatur Ezech. 43. vv. 15. 16. & ad quod reſpicit propheta, ſanguine victimarum ſpargebatur. Quidam exiſtimant Jeruſalem ita vocari, quod futura eſſet quaſi *leo Dei*, ſive *leo potens*, adverſus Chaldæos, qui eam obſeſſuri erant.

Iſai. 51. v. 9. Ægyptus vocatur רָהַב *Rahab* propter ſummam ejus ſuperbiam, רָהַב enim appellative id ſignificat; quare Vulg. interpretatur *ſuperbum*. Vetus interp. Græcus ἀλαζονείαν *ſuperbiam* tranſtulit. Vide Pſal. 86. Heb. 87. v. 4. Pſal. 88. Heb. 89. v. 11. ubi Ægyptus vocatur pariter רָהַב.

Jerem. 25. v. 26. c. 51. v. 4. *Babylon* vocatur שֵׁשַׁךְ *ſcheſchach*, Vulg. *Seſac*, i. Babylonica dialecto *feſtum agens*, qua denominatione innuitur tempus & modus, quo urbs illa à Cyro expugnanda erat. Vide infra in Synt. fig. tract. 11. c. 9. de Ænigmate.

Ezech. 23. v. 4. *Jeruſalem* vocatur à Deo אָהֳלִיבָה Oholiba, i. *tabernaculum meum in ea*, ut oſtendat Judæos Templum Dei, Sacerdotium, & regnum, atque adeo ipſam Majeſtatem Dei apud ſe præſentem habuiſſe. Vide 2. Paral. 13. v. 5. ſeqq. *Samaria* autem

& regnum Iſraelis dicitur אָהֳלָה Ohola, i. *tabernaculum ejus*, quo innuitur Iſraelitas inde à tempore diſceſſionis non amplius adhæſiſſe templo Dei, & domui Davidis; ſed tentorium ſuum habuiſſe ſeorſim. Vide 3. Reg. 12. v. 16.

Oſe. 4. v. 15. c. 10. v. 5. *Beth-aven*, i. *domus vanitatis*, ſive *idoli*, à propheta vocatur, quæ alias *Bethel* eſt, h. e. *domus Dei*; quod in hoc oppido idololatrjam inſtituerat *Jeroboam*. Vide 3. Reg. 12. v. 29. Eſt & alia *Bethaven* à *Bethele* diſtincta, Joſ. 7. v. 2. cap. 18. v. 12. 1. Reg. 13. v. 5. Oſe. 5. v. 8.

CANON VI.

PERSONIS jam ante nomina ſua habentibus, alia quandoque leguntur ſuperimpoſita, ob certam rationem in SS. Scripturis ut plurimum expoſitam.

In hac nova nominum impoſitione, *vel* prius nomen tollitur, & aliud ſubſtituitur; *vel* priori novum cognomen ſuperadditur; idque vel à Deo ipſo, vel à Prophetis & piis hominibus, vel demum à regibus infidelibus.

I. A Deo, Gen. 17. v. 5. *Abrahami* nomen mutatur in *Abraham*, cujus etymologiam vide ſupra pag. 430. col. 2.

Ibid. v. 15. *Sarai* שָׂרַי uxoris Abrahæ nomen mutatum fuit in *Sara* שָׂרָה. S. Hieron. quæſt. in Gen. tom. 2. nov. edit. col. 522. *cauſſa autem ita nominis immutati hæc eſt, quod antea dicebatur princeps mea, unius tantum domus materfamilias. Poſtea vero dicitur abſolute PRINCEPS, id eſt,* ἄρχουσα; *ſequitur enim:* dabo tibi ex ea filium, & benedicam ei, & erit in gentes, & reges populorum erunt ex eo..... *in Hebræo habetur:* non vocabis nomen ejus SARAI, *id eſt non dices ei PRINCEPS MEA* es, *omnium quippe gentium futura jam princeps eſt.* Ita S. Hieron. cui vox שַׂר, aut שַׂר communis erat generis. שָׂרַי autem, ſecundum S. hujus Doctoris interpretationem, in plurali eſt, & cum affixo plurali, quo in numero ſæpius ponuntur nomina dominii & excellentiæ licet ſenſu ſingularia, ut infra videbimus.

Gen. 32. v. 28. Jacobo ſuperadditur *Iſraelis* nomen, quod compoſitum eſt ex (י) nominum propriorum fere formativo, שָׂרָה *principem ſe geſſit*, & אֵל *Deus*; ſequitur enim in Heb. *quia* שָׂרִיתָ *principem te geſſiſti cum Deo, & cum hominibus, & prævaluiſti.* Vulg. paululum παραφράζει hoc modo: *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis?* Aq. ὅτι ἦρξας μετὰ θεοῦ, *quia princeps fuiſti cum Deo.* Sym. ὅτι ἦρξω ἰσχύϊ πρὸς θεὸν, *quia princeps fuiſti fortitudine contra Deum.* Lxx. & Theod. ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ θεοῦ, *quia invaluiſti cum Deo.*

2. Reg. 12. v. 25. A Deo *Salomoni* ſuperadditur nomen יְדִידְיָה *Iedhidheia. Miſitque* (Dominus) *in manu Nathan propheta, & vocavit nomen ejus* (Salomonis) יְדִידְיָה בַּעֲבוּר יְהוָה *IEDHIDHEIA propter Dominum*, nempe Chriſtum Salvatorem, qui ex eo naſciturus erat, & cujus typus erat Salomon. Lxx. καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰεδδεδὶ ἕνεκεν κυρίου, *& vocavit nomen ejus IEDDEDI propter Dominum.* Pro Ἰεδδεδὶ, mſ. Alex. habet Εἰεδιδιὰ, al. Ἰεδιδιά. Aq. καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰεδιδία ἕνεκεν κυρίου, *& vocavit nomen ejus IEDIDIA propter Dominum.* Sic Theod. niſi quod pro ἕνεκεν κυρίου, tranſtulerit ἐν λόγῳ κυρίου *in verbo Domini*; reſpexit enim ad imperium Domini. Sym. καὶ ἐκάλεσεν τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἀγαπητὸν κυρίου, ἕνεκεν κυρίου, *& vocavit nomen ejus amabilem Domini, propter Dominum.* Vulg. *Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus*, ſic παραφράζει, & nomen proprium appellative cum Sym. accepit. Etym. יָדִיד *dilectus*, & יָהּ *Dominus.*

Joan. 1. vv. 42. 43. *Simoni* ſuperindicitur à Chriſto nomen *Cephas*, i. petra, ſeu *petrus*, quia ſuper eum, tanquam ſupra firmam pe-

Digitized by Google

ttam ædificaturus erat Eccleſiam ſuam, Matth. 16. v. 18.

Marc. 3. v. 17. *Jacobus* & *Joannes* filii Zebedæi, à Chriſto cognominantur Βοανεργὲς, i. *filii tonitrui*, quia futuri erant eximii verbi Evangelici præcones. Et ipſe Joannes initio Evangelii ſui ceteris Evangeliſtis altius Verbi Divinitatem intonat. Βοανεργὲς autem componitur ex בְּנֵי *filii*, & רֶעֶם *tonitru*. In prima voce בְּנֵי, ſchevá olim legebatur modo per *o*, modo per *a*; & utraque lectione ſervata, facta eſt vox Βοαν: in poſteriori vero רֶעֶם, litera ע expreſſa per γ, ut ſæpe fit apud Lxx. & ם mutato in ς, quia in lingua Græca voces non deſinunt in μ, natum eſt vocabulum ργὲς, & ex utraque dictione Βοανεργὲς. Quidam pro רֶעֶם ſubſtituunt רֶגֶשׁ *ſtrepitus*, forte etiam olim & *tonitru*. At vocum peregrinarum etymologiam accuratius inveſtigare operæ pretium non eſt, cum ſæpius ab amanuenſibus, quibus ignotæ ſunt, corrumpantur. Unde S. Hieron. comm. in cap. 1. Dan. tom. 3. nov. edit. col. 1076. *In Evangelio quoque..... filii Zebedæi appellati ſunt* filii tonitrui: *quod non ut plerique putant BOANERGES; ſed emendatius legitur BENEREEM.*

II. A Prophetis aliiſque piis hominibus mutantur nomina; idque fit vel in bonum, vel in malum.

In bonum. Gen. 35. v. 18. Jacobi filius, quem mater moriens vocaverat *Benoni*, i. *filius doloris mei*, quia in partu ejus ad mortem uſque laborarat: is à patre, mutato nomine, appellatus eſt *Benjamin*, i. *filius dexteræ*, quia ipſi erat chariſſimus, dextera enim honoratior ac charior eſt ſiniſtra. Ideo autem filii ſui nomen immutaſſe videtur Jacob, ut videlicet occaſionem ſibi ipſe præcideret de triſti dilectæ Rachelis ſuæ morte cogitandi.

Num. 13. v. 16. *Oſee* filii *Nun* nomen à Moyſe mutatum eſt in יְהוֹשֻׁעַ *Joſue*, id eſt, *ſervabit*, quaſi certiſſimam Dei per Joſue ſalvationem populi, & introductionem in terram Chanaan voluiſſet Moyſes hac mutatione ſignificare. Etquidem pro (ֻ) deberet eſſe (ֵ), ſic: יְהוֹשִׁיעַ;, aut ſine (ִ), יְהוֹשֻׁעַ; at nominum etymologia accuratis Grammatices regulis nequaquam aſtringitur.

Jud. 6. v. 32. *Gedeon* cognominatus eſt (à piis ſcilicet) *Jerobaal*, *eo quod dixiſſet Joas* pater Gedeonis: *ulciſcatur ſe de eo Baal.* Jerobaal enim componitur ex יָרִיב *contendat*, *ulciſcatur ſe*, & בַּעַל *Baal.*

Prov. 31. v. 1. *Salomoni* à matre blandiente & erudiente additum eſt nomen לְמוּאֵל *Lemouel*, h. e. *cujus Deus eſt*; vel *qui ſtat à Deo*; vel *quem Deus fovet*; ex לְמוֹ & אֵל, nam v. 4. legitur in melioris notæ codicibus לְמוֹאֵל. Particula מוֹ hic expletiva eſt; quare לְמוּאֵל eſt pro לְאֵל. Aq. λαμμοῦν *Lammoun*, Sym. Ἰαμουὴλ *Iamouel.* Theod. Ῥεβουὴλ *Rebouel*, quæ ſunt menda amanuenſium. Lxx. ὑπὸ Θεοῦ, *à Deo*, appellative tranſtulerunt.

In malum. Jerem. 20. v. 3. פַּשְׁחוּר Vulg. *Phaſſur*, i. *diſpergens pallorem*, ſeu efficiens violentia ut palleſcant homines & metuant; ex פּוּשׁ *diſpergere*, *diffundere*, & חָוַר *albeſcere*; cognominatur à Jeremia מָגוֹר מִסָּבִיב *Maghor miſſaviv*, i. *pavor undique* imminebit tibi. q. d. qui alios terrebas, terrore & ipſe concutieris undique. מָגוֹר Lxx. & Theod. interpretantur μέτοικον *migrantem.* Aq. in 2. edit. ξένον *peregrinum.* Verbum גּוּר, unde מָגוֹר, & *peregrinari*, & *metuere* ſignificat. S. Hieron. in h. l. *Juxta ſuperiorem interpretationem, qua PHASCHOR nomen fuerat immutatum ut appellaretur MAGOR, omnes ſimiliter tranſtulerunt, ut ſignificarent vel PAVOREM, vel PEREGRINATIONEM, vel SUBLATIONEM, & TRANSLATIONEM, & CONGREGATIONEM.* Quod ſpectat ad מִסָּבִיב, Aq. Sym. Theod. illud interpretantur κύκλοθεν, Vulg. *undique.*

III. A regibus infidelibus mutata ſunt nomina eorum, quos peculiari ratione ſuo addixere vel obſequio, vel ſervitio, quod non ſine omine & certa ratione factum.

Gen. 41. v. 45. *Joſephus* cognominatur à Pharaone lingua Ægyptiaca צָפְנַת פַּעְנֵחַ *Tſaphenath paneahh.* Aq. Σαμφανή, Symm. Σαφαθφανή, Lxx. Ψονθομφανήχ, de hac voce mox. Alius, ᾧ ἀπεκαλύφθη τὸ μέλλον, *cui revelatum eſt futurum.* Alius, ᾧ κεκρυμμένα ἐκάλυψεν, *cui occulta revelavit* (Deus.) Chald.

vir, cui ſecreta revelantur. Philo κρυπτῶν εὑρετὴς, ἢ ὀνειροκρίτης, *occultorum inventor, vel ſomniorum interpres.* Syrus ὁ εἰδὼς τὰ κρυπτὰ, *occultorum gnarus.* Quæ omnes interpretationes ex Hebræo proficiſcuntur. Melius Hieron. in quæſt. Heb. tom. 2. nov. edit. col. 542. *Licet Hebraïce hoc nomen abſconditorum repertorem ſonet, tamen quia ab Ægyptio ponitur, ipſius linguæ debet habere rationem Interpretatur ergo ſermone Ægyptio* SAPHANETH PHANEE; *ſive, ut Lxx. tranſferre voluerunt*, Pſomthom-phanech, *ſalvator mundi, ex eo quod orbem terræ ab imminente famis excidio liberavit.*

Dan. 1. v. 7. *Aſphenez* præpoſitus eunuchorum nomina hebraïca *Danielis*, *Ananiæ*, *Miſaelis*, & *Azariæ* mutavit, ipſiſque Chaldaïca impoſuit: *Danieli* quidem, בֵּלְטְשַׁאצַּר *Belteſchatſiſar*, Vulg. *Baltaſſar*, i. *Beli recondens theſauros*, ſeu *Sacerdos myſteriorum Dei*; ex בֵּל *Belus*, טְשָׁא *recondidit*, & אֲצַר *theſaurus.* Danielem autem ab idolo *Bel* ſic vocatum fuiſſe patet cap. 4. v. 5. *Ananias* vero שַׁדְרַךְ *Schadrach*, Vulg. *Sidrach* appellatus eſt, h. e. *commotio*, ſeu *afflatus regis*, nimirum *ſolis*, qui Deus & Rex apud Chaldæos habebatur; confer 4. Reg. 23. v. 11. ex שְׁרָא *commovere*, & רַךְ *Rex. Miſaëli* inditum eſt nomen מֵישַׁךְ *Meſchach*, Vulg. *Miſach*, h. e *à feſto Sacha*, quod in honorem Deæ *Sachæ* celebrabant Babylonii, quo nomine terram colebant; ex מ *à*, vel *ab*, & שַׁךְ *Sacha.* Denique Azariæ nomen commutatum eſt cum עֲבֵד נְגוֹ *Abhed nego*, Vulg. *Abdenago*, h. e. *ſervus ignis*, qui à Babyloniis ſic vocabatur à נְגַהּ *ſplendere*, *lucere.* Alii alias horumce nominum etymologias afferunt ex Hebræo plerumque petitas: ſed perperam, cum ex Chaldaïca ſint origine. S. Hieron. comm. in c. 1. Dan. col. 1076. tom. 3. nov. edit. hanc mutationis nominum cauſam affert, quod nollent Babylonii *eos* (Danielem, &c.) *in terra captivitatis vocabula habere Judæorum.*

Eſth. c. 2. v. 7. *Eſther* alio nomine vocabatur הֲדַסָּה *Hadaſſa*, i. *myrtina*, ab הֲדַס *myrtus.* Vulg. *Ediſſa*: quam denominationem ab Aſſuero accepiſſe Eſtherem auguratur Druſius. Alia exempla vide 4. Reg. 23. v. 34. c. 24. v. 17. &c.

Locorum quorumdam nomina quoque mutata, ac nova ſuperinducta eſſe leguntur.

Gen. 19. v. 23. vocatur *Segor*, quæ civitas prius *Bala* dicebatur, conf. c. 14. v. 2.

Ibid. cap. 28. v. 19. *Luza* à Jacobo *Bethel* cognominata eſt.

Jud. 18. v. 29. urbs *Lais* poſtmodum appellata eſt *Dan.*

3. Reg. 9. v. 13. Pars Galilææ, in qua erant 20. civitates, quas Salomon regi Hiramo dedit, pars, inquam, illa ab Hiramo vocata eſt terra *Chabul*; Joſepho Antiq. l. 8. c. 2. *Chabulon*, i. diſplicentia, quod ipſi diſpliceret. Qua de cauſa? hariolantur interpretes.

Jeruſalem primum vocata eſt *Salem*, Gen. 14. v. 18. Epiſt. ad Heb. 7. v. 1. Deinde *Jebus*, Jud. 19. v. 10. 1. Paral. 11. vv. 4. 5. Tandem *Jeruſalem* dicta eſt, quod nomen vulgo in SS. Scripturis retinuit; raro enim priſtino nomine vocatur *Salem*, ut Pſal. 75. Heb. 76. v. 3. De hujus nominis etymologia non convenit inter interpretes. Alii Jeroſolymam ſic dictam volunt à Jebuſæis ipſis, quaſi יִרְאוּ־שָׁלֵם *timebunt* (hoſtes) *Salem*, à יָרֵא *timuit.* Confer 2. Reg. 5. v. 6. Alii contendunt urbem hanc à Davide expugnatam, ita ab eo appellatam fuiſſe, quod ſibi pacem polliceretur; id enim nominis componunt ex יִרְאוּ *videbunt*, i. videbitur, à verbo רָאָה *vidit*, & שָׁלֵם olim *pax*; unde vulgo interpretatur *viſio pacis.* Quod ſi ante Davidem hujus nominis fit mentio, ut Jud. 1. v. 8. id per prolepſin explicandum eſt. Alii alias originationes afferunt. Forma hujus nominis dualis eſt יְרוּשָׁלַיִם, quia duplex erat civitas, ſeu duas in partes dividebatur, quarum altera in tribu Judæ, altera cum arce in tribu Benjamini exſtructa erat. Cabbaliſtæ ad duplicem Jeruſalem, cœleſtem & terrenam reſpici volunt, atque terrenæ deletionem per literam (י) excidentem ſignificari conjectant; nomen enim iſtud, quinque locis exceptis, ſemper defective ſcribitur hoc modo: יְרוּשָׁלַם. Alias nominum propriorum locorum mutationes vide Num. 32. vv. 37. 38. &c.

CANON

CANON VII.

PLURES unius regni, vel provinciæ reges, ſive principes, ſibi invicem ſuccedentes, ſæpe uno eodemque vocantur nomine.

PHARAO commune regum Ægyptiorum nomen fuit. *Pharaonis* alicujus mentio fit tempore Abrahami, Gen. 12. v. 15. Alterius tempore Joſephi, Gen. 41. v. 1. Alius tempore ſervitutis Ægyptiacæ, Exod. 1. vv. 8. 21. &c. *Pharao Nechao* memoratur 4. Reg. 23. v. 29. Jerem. 46. v. 2. *Pharao* חָפְרַע *Hophra*, Vulg. *Ephree*, Jerem. 44. v. 30. quem Herodotus lib. 2. Ἀπρίην *Haprien* vocat.

Poſt Alexandri Magni tempora, Reges Ægypti vocati ſunt PTOLEMÆI, à voce Græca πόλεμος, & inſerto τ, πτόλεμος, *bellum*, q. d. bellatores. *Ptolemæus Evergetes* memoratur in præfat. Eccli. *Ptolemæus Philometor*, in 1. Macc. 1. v. 18. *Ptolemæus Philadelphus*, apud Joſeph. antiq. l. 12. c. 2. Philonem lib. 2. de vita Moſis, Epiphan. lib. de pond. & menſ. Zonat. tom. 1. Aug. lib. 18. de civ. Dei, cap. 42. Ptolemæi hujus ætate verſionem Græcam, quæ LXX. nomine circumfertur, ſaltem ex parte ferunt adornatam. Reperitur etiam *Ptolemæus Lagus*, *Ptolemæus Philopator*, &c.

ABIMELECH Philiſtinorum Regum in Scripturis nomen eſt, Gen. 20. v. 2. c. 26. v. 1. Pſal. 33. Heb. 34. v. 1. qui poſtremus locus ex hac obſervatione facile conciliari poteſt cum 1. Reg. c. 21. vv. 12. 13. ubi pro *Abimelech* legimus *Achis*, quod eſt nomen proprium regis hujus in Geth tunc temporis imperantis, *Abimelech* vero nomen ipſi cum aliis regibus commune.

ARTAXERXES Reges Perſarum vulgo vocatos fuiſſe probant eruditi non pauci ex Eſd. 4. v. 7. c. 7. v. 1. Nehem. 13. v. 6. Rabb. Salomone & Aben-Eſra in cap. 6. Eſd. v. 14. Seder olam c. 30. ubi dicitur: *omne regnum vocatur* אַרְתַּחְשַׁשְׁתְּא *Artahhſchaſcht*, ſic enim Chaldæi exprimunt nomen, quod à Græcis *Artaxerxes* profertur. Item ex Megaſthene Perſa apud quem legitur *Artaxerxes Aſſuerus*, *Artaxerxes Ochus*, *Artaxerxes Darius*, &c. Artaxerxes autem interpretatur Græce μέγας ἄρειος *magnus Martius*. Alii eruditi negant nomen iſtud regibus Perſarum fuiſſe commune, ex eo quod Herodotus, Thucydides, Xenophon, Diodorus, Plutarchus, aliique ſcriptores Græci, reges Perſidis proprio nomine diſtinguant, vocitantes eos *Cyrum*, *Cambyſem*, *Darium*, *Xerxem*, *Artaxerxem*, &c. Verum hiſtorici Græci iſtos Perſarum reges nomine proprio, omiſſo communi, ſicuti mox in *Achis* vidimus, appellare potuerunt.

BENADAD commune eſſe regum Syriæ nomen ſcribit S. Hieron. comm. in Amos cap. 1. col. 1374. tom. 3. nov. edit. *Ei* (Azaëli) *in regnum ſucceſſerat filius ſuus Benadad, à quo omnes poſtea reges Aram, id eſt, Syriæ & Damaſci, Benadad vocabulum poſſederunt.* Et ſane tres Syriæ reges *Benadad* dicti memorantur 3. Reg. 15. v. 18. 4. Reg. 8. v. 7. c. 13. v. 3. Druſius obſerv. lib. 11. cap. 24. negat omnes reges Syriæ poſt *Benadad* eo nomine fuiſſe inſignitos; quandoquidem *Raſin* cujus mentio fit 4. Reg. 15. v. 37. fuit rex Syriæ, neque tamen *Benadad* appellatur. Verum is nomine proprio, non communi, ſicut antea de *Achis* obſervatum eſt, potuit appellari.

CANDACES nomen, quod occurrit Act. 8. v. 27. commune reginarum Æthiopiæ Africanæ nomen fuiſſe tradit Plinius lib. 6. c. 29. circa finem. *Regnare* (inquit) *feminam Candacem, quod nomen multis jam annis ad reginas tranſiit.* Vide Strabon. l. 17. Geograph.

Huc referunt, quod Parthi ſuos reges appellarint *Arſaces*, Juſtin. lib. 41. Scythæ ſuos *Scolotos*, Herod. lib. 4. Albani ſuos *Sylvios*, Romani ſuos *Cæſares*, vel *Auguſtos*. Sic hodie Turcarum imperatores vocantur *Ottomanni* ab Ottomanno primo, ſicut & *Sultani*, à dominio, vel poteſtate; שָׁלַט enim *imperare* ſignificat, unde Chald. שׁוּלְטָן ſcholtán, Arab. סֻלְטָאן ſultán, *Dominus*, *Princeps*, *Imperator*.

CANON VIII.

QUÆDAM nomina dubiæ ſunt ſignificationis, propriane ſint; an appellativa.

Gen. 26. v. 26. אֲחֻזַּת Lxx. ut nomen proprium accipiunt, interpretanturque Ὀχοζάθ, Vulg. *Ochozath.* Chaldæus autem hanc vocem ut nomen appellativum tranſtulit סִיעַת *cœtum.*

Num. 24. v. 17. *Orietur ſtella ex Jacob .... vaſtabitque omnes filios* שֵׁת, Lxx. Σήθ, Vulg. *Seth.* Et ſic plerique interpretes. Chald. *dominabitur in omnes filios hominum*; à Setho enim omnes propagati ſumus, cum in diluvio Caini proles extincta fuerit, & Noe, à quo genus humanum reparatum eſt, à Seth originem traxerit ſuam. Junius interpretatur *filios ſedis*, ſeu poſticæ partis, vel qui retro ſunt; quibus Ammonitas, Madianitas, & ceteros Orientales ad Euphratem uſque pertingentes intelligit Balaamus, qui hoc oraculum edidit in Moabitide, ad Iſraëlem converſus: proindeque dicti populi pone ipſum erant, quos Judæi poſtea ſubegerunt.

Deut. 3. v. 17. אַשְׁדֹּת הַפִּסְגָּה Lxx. Ἀσηδὼθ τ̃ Φασγὰ, quæ eſt urbs Joſ. 13. v. 20. Vulg. *montis Phaſga.* Pagninus *effuſiones* (aquarum) *collis* tranſtulit.

Jud. 10. v. 1. *Thola filius Phua*, בֶּן־דּוֹדוֹ *filius Dodo*, ut quidam Hebræi, qui nomen eſſe proprium exiſtimant. Melius Lxx. Θωλὰ ὑὸς Φουὰ, ὑὸς πατραδέλφου αὐτοῦ, *Thola filius Phua, filius patrui ejus*, nempe Abimelechi, cujus præcedit mentio; unde Vulg. *Thola filius Phua patrui Abimelech.*

1. Reg. 20. v. 19. ..... *juxta lapidem* הָאָזֶל, Chald. אָתָא *ſigni*, id eſt, qui index eſt itineris. Alii *aditionis*, eo quod ad eum lapidem aditurus erat Jonathas Davidem, ut ei negotium indicaret. Vulg. ut nomen proprium accepit, *juxta lapidem, cui nomen eſt Ezel,* Lxx. παρὰ τὸ ἐργὰβ ἐκεῖνο, *juxta illud Ergab*, quod mendum graphicum videtur, quandoquidem mſ. Alex. habet ἔργον. Noſter D. Bern. *de Montfaucon* putat ἐργὰβ huc tranſlatum ex v. 41. ubi Lxx. הַנֶּגֶב exprimunt per ἐργὰβ, quia legebant הרגב, cum ר pro נ, & ה pro vocali *e* habebant, quam olim litera illa ſæpe exprimebat. Vide pag. 16. col. 2. in fine. Aquila ad hunc etiam v. 41. reſpexiſſe videtur, cum, teſte vereri ſcholiaſta & Theodoreto, interpretatus ſit ἐχόμενα τοῦ νότου, *juxta auſtralem plagam.* Is tamen ſecundum Euſebium & S. Hieronymum loca Hebraica Euſebii interpretantem, tranſtulit λίθον *lapidem.* Sic etiam vertêre ceteri interpretes Græci, teſte Procopio. Aut potius הָאֶבֶן λίθον *lapidem* interpretati ſunt, & הָאֲזֶל ἐκεῖνον *illum* tranſtulerunt, quia legerunt הַלָּז, trajectis ז & ל, & ſpectato א ut antiqua vocali *a.*

2. Reg. c. 8. v. 1. *Factum eſt autem poſt hæc, percuſſit David Philiſthiim .... & tulit David* אֶת־מֶתֶג הָאַמָּה, quas voces ut nomen proprium urbis, aut loci, accipiunt nonnulli, vertuntque *Methegh haamma.* Ita R. Levi Ben-Gerſon, Qimhhi, Ariaſmontanus, &c. Aq. τ̃ χαλινὸν τ̃ ὑδραγωγίου, *frænum aquæductus*; Rabbinis enim אַמָּה & אַמְתָא eſt *rivus aquæ, aquæ-ductus.* Idem interp. in alia verſione, τ̃ χαλινὸν τ̃ πήχεως *frænum cubiti*, quæ eſt genuina ſignificatio vocum Hebraïcarum, ſaltem in hodiernis Lexicis. Symm. τ̃ ἐξουσίαν τ̃ φόρου, *poteſtatem tributi*, Vulg. *frænum tributi.* Lxx. τ̃ ἀφωρισμένην, *ſegregatam*, ſupp. πόλιν, *civitatem*, quæ eſt *Geth* cum viculis ſuis, legitur enim in loco parallelo 1. Paral. 18. v. 1. *Factum eſt autem poſt hæc, ut percuteret David Philiſthiim, ... & tolleret Geth & filias ejus de manu Philiſthiim.* Hujus itaque urbis expugnatio, & tributum impoſitum, fuit veluti frænum, quo Philiſthæos coercuit David.

4. Reg. 18. v. 34. ..... *ubi eſt Deus Sepharvaim*, הֵנַע וְעִוָּה, Lxx. Ἀνὲ καὶ Ἀβὰ, Compl. Ἀυὰ. Aq. Ἀνὲ καὶ Ταυὰ, Vulg. *Ana & Ava.* Has voces appellative accepit Chald. *nonne tulit eos & migrare fecit eos*, à נוּעַ *motus fuit*,

in hiphil *movit*, *agitavit*, & à עָוָה *perverſe egit*, in piël *pervertit*. Symm. ἀνεστάτωσεν ϗ ἐταπείνωσεν, *ſubvertit & humiliavit*.

Alia exempla vide 1. Paral. 26. v. 18. in voce פַּרְבָּר. Eſd. 4. v. 17. in וּכְעֶת. Iſai. 6. v. ult. in שַׁלֶּכֶת. cap. 22. v. 6. in קִיר. Jerem. 50. v. 21. in מְרָתַיִם & פְּקוֹד. Ezech. 25. v. 9. in מֵהֶעָרִים. c. 38. v. 2. in גּוֹג. c. 39. v. 16. in הֲמוֹנָה. Oſe. 5. v. 13. in יָרֵב. Amos 5. v. 6. & Act. 7. v. 43. quæ duo loca ſi conferantur & interpretum ſententiæ expendantur, aliquot voces utrobique occurrent, de quibus utrum propriæ ſint, an appellativæ, dubium eſt. Nah. 2. v. 7. in וְהֻצַּב. Soph. 1. v. 11. in הַמַּכְתֵּשׁ. Zach. 9. v. 1. in חַדְרָךְ. Ezech. 27. v. 11. in גַּמָּדִים, quam vocem quidam ut nomen proprium accipiunt, *Gammadai*, ſeu incolæ *Gammades*, quæ Plinio lib. 2. c. 91. urbs erat Phœniciæ, quam *Gammalen*, pro *Gammadem* vitioſe appellat. Symm. ἀλλὰ ϗ Μῆδοι, *ſed & Medi*; diviſim legebat גַּם מָדִים. Theod. Γαμμαδεὶμ *Gammadim*; ex S. Hieronymo autem *Gomadim*. Aq. in prima edit. πυγμαῖοι, Vulg. *Pigmæi*, non fabulares illi homines, qui cubitali menſura finguntur à Poëtis & Rabbinis: ſed *bellatores*, *& ad bella promptiſſimi*, ἀπὸ τῆς πυγμῆς, *quæ Græco ſermone in certamen vertitur*, ut ſcribit S. Hieron. comm. in h. l. col. 883. tom. 3. nov. edit. Lxx. appellative etiam accipiunt, φύλακες *cuſtodes*. Alia exempla, quæ hic brevitatis cauſa miſſa facio, lector diligens & curioſus obſervabit; eaque vel proprie, vel appellative, pro ſua eruditione interpretabitur.

§. III.

De peculiari proprii nominis uſurpatione.

Peculiaris proprii nominis uſurpatio triplici ratione contingit. I. Cum nomen pro re ipſa ponitur, quod referri poteſt ad Metonymiam, qua adjunctum pro ſubjecto adhibetur. II. Cum nomen unius ob ſimilitudinem alteri tribuitur, quod ad Metaphoram ſpectat. III. Cum nomen civitatis pro agro circumjacente accipitur, quod itidem Metonymicum eſt, cum civitas ut ſubjectum pro adjuncto ipſi agro ſumatur.

CANON I.

Quandoque rei nomen pro re ipſa ponitur.

Iſai. 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, וְקָרָאת Lxx. Aq. Symm. Theod. ϗ καλέσεις *& vocabis* (ô Virgo, verbum enim ſecundum Maſſoretharum puncta femininum eſt) *nomen ejus Emmanuel.* Alii, *& vocabit*, vide ſupra pag. 270. col. 1. Vulg. *vocabitur*, idem ſenſus; h. e. revera erit *Emmanuel*, quod interpretatur *nobiſcum Deus.* Quæ verba in proprio ſuo ſenſu de alio intelligi nequeunt, niſi de æterno Dei verbo, quod in tempore σὰρξ ἐγένετο, ϗ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, *caro factum eſt, & habitavit in nobis*, Joan. 1. v. 14.

Cap. 9. v. 6. *Et vocabitur nomen ejus* (Meſſiæ) *Admirabilis*, *Conſiliarius*, *Deus*, *Fortis*, &c. h. e. vere erit *Admirabilis*, &c.

Cap. 62. v. 4. *Non vocaberis amplius deſolata ..... ſed vocaberis voluntas mea in ea*, i. non eris amplius deſolata, ſed eris ita exornata & amœna, ut voluntas mea, & beneplacitum meum in te futurum ſit.

Jerem. 23. v. 6. *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter*, h. e. erit Dominus juſtus noſter. Vide cap. 33. v. 16.

Zach. 8. v. 3. *Et vocabitur Jeruſalem civitas veritatis*, &c. h. e. erit civitas veritatis.

CANON II.

NOMEN proprium unius, quandoque alteri imponitur; ob ſimilitudinem, vel etiam typum.

I. In nominibus perſonarum.

4. Reg. 9. v. 31. *Jehu* vocatur à Jezabele *Zambri;* quia ſicut Zambri occiderat dominum ſuum *Elan* regem Iſraëlis, 3. Reg. c. 16. v. 10. ita Jehu occidit *Joram* regem Iſrael dominum ſuum, 4. Reg. 9. v. 24. ideo ob facti ſimilitudinem *Zambri* à Jezabele appellatur.

Iſai. 55. v. 3. Chriſtus ſervator noſter *Davidis* nomine vocatur, quia Chriſti typus fuit David. Sic Jerem. 30. v. 9. Ezech. 34. vv. 23. 24. cap. 37. vv. 24. 25. Oſe. 3. v. 5. &c. Vide etiam Syntax. fig. tract. II. cap. III. art. VIII. §. I.

Malach. 4. v. 5. Joannes Baptiſta nominatur *Elias*, ut explicat ipſe Chriſtus Matth. 11. v. 14. cap. 17. vv. 11. 12. 13. idque ob ſimilitudinem, quia *in ſpiritu & virtute Eliæ* anteceſſit Chriſtum Servatorem, explicante Angelo, Luc. 1. v. 17 Præterea cinctura & veſtis utriuſque eadem fuit. Jezabelem Elias, Herodiadem Joannes libera increpatione offenderat. Ambo vaſta & inculta loca, procul à mortalium profana multitudine habitarunt. Eodem numine afflatus, eodemque zelo in peccatores fuit uterque accenſus, &c.

II. In nominibus locorum.

Iſai. 2. vv. 2. 3. Mons *Sion* & *Jeroſolyma* pro Eccleſia Novi Teſtam. ponuntur; quia ex urbe Jeroſolyma vox Evangelii prodiit in univerſum orbem terrarum. Vide inſuper cap. 40. v. 9. cap. 49. v. 14. cap. 59. v. 20. Zach. 9. v. 9. Gal. 4. v. 26. Heb. 12. v. 22.

Joel 3. al. 4. v. 2. Vallis יְהוֹשָׁפָט *Joſaphat*, in qua judicaturus eſt Dominus omnes gentes, quæque ea de cauſa à Paraph. Chald. vocatur *vallis diſtributionis Judicii*, ſumitur etiam pro Eccleſia Chriſtiana, ante quam in extremo judicio omnes homines judicabit & angelos apoſtatas, qui *robuſtorum* nomine v. 11. denotantur. In ipſo autem *Joſaphati* nomine ad divinum illud judicium alluditur, ſignificat enim *Dominus judicat*, ex יְהוֹ pro יְהוָה *Dominus*, & שָׁפָט *judicavit.*

Matth. 5. v. 22. Infernus, damnatorum locus, dicitur *Gehenna*, ut & Marc 9. vv. 43. 45. 47. Luc. 12. v. 5. Jacob. 3. v. 6. Vox autem illa formatur à גֵּי־הִנֹּם Gehinnom, i. e. *vallis Hinnom*, Joſ. 15. v. 8. quæ etiam dicebatur גֵּי בֶן־הִנֹּם *vallis filii Hinnom*, ibid. Hæc vallis vicina erat urbi Jeruſalem, in eaque erat locus editus dictus *Topheth*, in quo Judæi idololatræ filios ſuos in honorem *Molochi* adurebant, vide 4. Reg. 21. v. 6. cap. 23. v. 10. 2. Paral. 28. v. 3. Jerem. 7. v. 31. cap. 19. vv. 3. 4. 6. cap. 32. v. 35. &c. Locum hunc polluit Joſias projiciendo illuc cadavera, fimum, ſtercora, &c. Vide 4. Reg. 23. v. 10. Ex hoc porro igne, Infernus dictus eſt *Gehenna.*

Apoc. 11. v. 8. Roma gentilis vocatur *ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus*, ob ſimilem idololatriam & morum depravationem. Urbs eadem appellatur etiam *Babylon*, 1. Pet. 5. v. 13. *Salutat vos eccleſia, quæ eſt in Babylone coëlecta.* Hic Babylonis nomine Romam deſignari, ſcribunt veteres interpretes, quibus aſſentitur Grotius.

Cap. 16. v. 16. Locus in quem congregandi ſunt reges totius terræ in prælium, vocatur Ἀρμαγεδδὼν, vel Ἁρμαγεδδὼν, *Armageddon*, vel *Armagedon*, ab Hebræo חֶרְמָה *exitium, perditio*, & מְגִדּוֹ *Megiddo*, Vulg. *Mageddo*, qui locus erat in tribu Manaſſis, ubi *Joſias* interfectus eſt. Vide 4. Reg. c. 23. v. 29. 2. Paral. c. 35. v. 22. Zach. 12. v. 11. Secundum hanc etymologiam Ἀρμαγεδδὼν per ſyncopen dicitur pro Ἀρμαμαγεδδὼν. Alii nomen iſtud componunt ex הַר *mons*, & מְגִדּוֹ, forte quia juxta planitiem mons erat, qui una cum planitie *Mageddo* appellabatur. *Armageddon* itaque Apocalypſeos, ob eventus ſimilitudinem, id nominis habuit à *Mageddo*, 4. Reg. cap. 23. v. 29. &c.

Digitized by Google

CANON III.

NOMEN proprium civitatis aliquando pro agro, ſive tractu circumjacente, uſurpatur.

Joſue 14. v. 14. *Atque ex eo fuit Hebron* (לו) *Caleb filio Jephone Cenezæo* (vel Cenezæi) *in poſſeſſionem*, h. e. ager Hebronis, ut liquet ex cap. 21. vv. 11. 12.

Ibid. cap. 24. v. 1. *Congregavitque Joſue omnes tribus Iſraël in Sichem*, i. in agrum Sichemiticum, ſive in Silo, ubi tunc erat tabernaculum Dei; ſequitur enim: *ſteteruntque in conſpectu Domini.* Ibidem v. 32. *Oſſa quoque Joſeph .... ſepelierunt in Sichem*, h. e. in parte agri Sichemitici. Confer Gen. 33. vv. 18. 19. & vide ſupra pag. 426. coll. 1. 2.

1. Reg. 11. v. 8. *Et recenſuit eos* (Saül) *in Bezech*, i. in agro Bezech, confer Jud. 1. v. 4. Planum hoc eſt ex numero recenſitorum, qui erat 330000. hominum. Sic cap. 15. v. 4. *Et recenſuit eos* בטלאים *in Telaim*, ut quibuſdam videtur, i. in agro Telaim, quæ erat civitas tribus Juda. Confer Joſ. 15. v. 24. ubi טלם appellatur. Vulg. *ſicut agnos*, legebat בטלאים cum כ pro ב, ut jam monuimus ſupra pag. 430. col. 2.

HActenus de nominibus propriis, in quorum prolatione Lxx. & Vulgatum interpretem Latinum ut plurimum ſequuti ſumus eorum gratia, qui Hebraïcæ pronuntiationi non ſunt adſueti. Ceterum nomina illa, maximam ſui partem, aliter ab his interpretibus, aliter à Judæis proferri, nihil eſt, quod miremur; illi enim Græcis & Latinis auribus, quantum potuere; ea accommodarunt. Quapropter non ſolum ultimas ſyllabas Græca, aut Latina terminatione ſæpius donarunt: verum etiam ceteras, quantum per earum naturam licuit, mollire conati ſunt. Præterea, cum lingua Hebraïca literas quaſdam habeat, quæ in Græca & Latina non occurrunt; fieri non poteſt ut nomina propria, in quibus illæ reperiuntur, eadem plane ſint in Græco, vel Latino idiomate, atque in Hebræo. Denique vocales quod attinet, ſi nomina uſitatiora exceperis, cetera librariorum indiligentia ſimul & ignorantia ita depravata ſunt, ut vix eadem credideris. Corruptionis hujus exempla quædam in hoc articulo protulimus: innumera alia in libris cum editis, tum manuſcriptis reperies. Adde prolationem τῷ ſchevá initialis ratione vocalis, quæ ſequitur, quâ de re pag. 37. coll. 1. 2. ad Hebræos cum Græcis & Latinis conciliandos non mediocriter conducere. Ex nominibus itaque propriis ab Hebræis & Græcis, vel Latinis, aliter atque aliter lectis, aut pronuntiatis, nullum adverſus Maſſorethарum punctationem firmum colligi poteſt argumentum. Maſſorethæ enim nomina illa, prout à Judæis ſemper pronuntiata ſunt, & pro lingua, ex qua deducuntur, indole, punctis vocalibus inſtruxerunt. Sed hæc fuſius diſputata vide in diatriba, quæ aliquot abhinc annis ad Maſſoretharum punctationem aſſerendam à nobis elaborata, in altero operis hujus volumine, typis, ſi Deus dederit, mandabitur.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De Nomine appellativo.

NOMEN appellativum dividitur in *Subſtantivum* & in *Adjectivum*, ut diximus ſupra pag. 49. in append. Sunt etiam, qui illud tribuant in *Abſtractum* & *Concretum* ; Latinis enim ſubſtantivum & abſtractum nonnihil differunt, ſicuti adjectivum & concretum : nam neque omne ſubſtantivum eſt abſtractum , neque omne concretum eſt adjectivum : licet omne abſtractum ſit ſubſtantivum, & omne adjectivum ſit concretum. Latius igitur patet ſubſtantivum quam abſtractum; & concretum quam adjectivum.

Nomen, ſive ſubſtantivum, ſive abſtractum, Hebræi vocant שֵׁם הַדָּבָר *nomen rei*, qua voce non ſolum intelligunt ſubſtantiam rei, aut perſonæ; verum etiam accidens, relationem, privationem, &c.

Nomen, ſive adjectivum, ſive concretum, appellant שֵׁם הַתֹּאַר *nomen formæ*, quod qualitatem quampiam ſubjecto alicui inhærentem habitu, vel potentia ſignificat, ut: *juſtus*, *ſapiens*, *medicus*, *grammaticus*, &c. In eo autem nomen iſtud differt à participio, quod participium actum ſignificet, ut: גּוֹנֵב *furans*, ſeu, qui actu furatur: גַּנָּב vero nomen *Tóar*, habitum, vel potentiam furandi habentem, ſeu furem exprimit. Sæpe tamen participia nominum *Tóar*, ſeu *formæ*, naturam induunt, ut: גּוֹאֵל *redemtor*, רֹפֵא *medicus*, &c. quæ ſunt participia bénoní verborum גָּאַל *redemit*, & רָפָא *ſanavit*.

CANON I.

ADJECTIVUM, ſeu concretum, pro ſubſtantivo, ſeu abſtracto, interdum ponitur.

Gen. 21. v. 16. כִּמְטַחֲוֵי קֶשֶׁת *ſicut jaculantes arcu*, h. e. ut vertunt LXX. ὡσεὶ τόξου βολὴν, *quaſi arcus jactum*. Vulg. *quantum poteſt arcus jacere*. Alii, *ut jaculantes arcu* ſolent ſcopo abeſſe.

Num. 24. v. 20. עֲדֵי אֹבֵד *uſque ad pereuntem*, h. e. perditionem.

Pſal. 118. Heb. 119. v. 176. כְּשֶׂה אֹבֵד *ſicut ovis pereuntis*, i. perditionis, שֶׂה enim eſt in forma conſtructa, ut (-) denotat.

Dan. 9. v. 24. *Ad obſignandam viſionem*, וְנָבִיא *& prophetam*, h. e. *prophetiam*. Vulg. *ut impleatur viſio & prophetia*. LXX. τοῦ σφραγίσαι ὅρασιν καὶ προφήτην, *ad obſignandum viſionem & prophetam*, i. *prophetiam*; unde Compl. loco προφήτην habet προφητείαν *prophetiam*. Huc etiam refertur à Glaſſio illud Iſai. 53. v. 9. וַיִּתֵּן אֶת־רְשָׁעִים קִבְרוֹ וְאֶת־עָשִׁיר בְּמֹתָיו, *& dedit*, vel *poſuit impios*, (i. impietates, iniquitates) *in ſepulchro ſuo, & divitem*, (h. e. divitias) *in morte ſua*; ſubintellecta in priori membro præpoſitione בְּ, quæ in poſte-

riori exprimitur. Senſus itaque eſt: Chriſtus Dominus peccata hominum, quæ in corpore ſuo portaverat ſuper crucem, intulit quaſi ſecum in ſepulchrum, ut à facie Dei eſſent abſcondita, & remiſſa iis, qui in eum (Chriſtum) crederent. Poſuit etiam divitias in morte ſua, ex qua omnes divitiæ ſpirituales hauriuntur. Quare S. Petrus epiſt. 1. c. 1. v. 19. ſanguinem Chriſti *τίμιον carum & pretioſum* vocat, & omnibus mundi theſauris opponit. Vide Epheſ. 1. vv. 7. 8. 18. cap. 2. v. 7. cap. 3. v. 8.

Epheſ. 6. v. 12. *contra πνευματικὰ τῆς πονηρίας, ſpiritualia nequitiæ*, h. e. ſpiritus nequitiæ, ſive ſpiritus malos.

Heb. 2. v. 16. *Nuſquam enim angelos*, (i. angelicam naturam) *apprehendit* (filius Dei) *ſed ſemen Abrahæ*, h. e. naturam humanam ex ſtirpe Abrahami *apprehendit*. Conf. Rom. 1. v. 3.

2. Pet. 2. v. 14. *ὀφθαλμοὺς ἔχοντες μεστοὺς μοιχαλίδος, oculos habentes plenos adulteræ*, h. e. adulterii, ut optime interpretatur Vulg.

Sic *τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ*, pro *ἡ χρηστότης, bonitas Dei*, Rom. 2. v. 4. *τὸ μωρὸν*, pro *ἡ μωρία, ſtultitia*, 1. Cor. 1. v. 25. *τὸ ἀσθενὲς*, pro *ἡ ἀσθένεια, infirmitas*, Phil. 4. v. 5. &c.

Apud profanos. *τὸ δίκαιον*, pro *ἡ δικαιοσύνη, juſtitia*, *τὸ ἡδὺ*, pro *ἡ ἡδονὴ, voluptas*, &c.

Apud Latinos. Perſius Satyra prima: *Quantum eſt in rebus inane!* pro quanta inanitas!

Hucuſque de enallage concreti pro abſtracto. De enallage abſtracti pro concreto, infra §. II. Can. II. Sed antequam ultra progrediamur, expendenda eſt regula de *epithetis & denominativis*, quæ ſic traditur:

CANON II.

DENOMINATIVA & epitheta quandoque de ſubjectis ſuis prædicantur, etiamſi fundamentum ipſorum, & denominationis ratio perierit. Et viciſſim denominantur quædam talia, etiam ante rem ipſam, ob quam iſta fit denominatio.

I. Aliquando in Scriptura, mutata re, priſtinum nomen remanet.

Gen. 2. v. 23. *Hæc eſt os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Sic loquitur Adamus de Heva, quæ ex coſta cum carne ex latere ipſius extracta, formata fuerat.

Exod. 7. v. 12. Virga Aaronis in ſerpentem converſa, appellatur virga, quia talis erat natura ſua, & quia mox in priſtinam formam erat reditura.

2. Reg. 24. v. 23. *Areuna* rex appellatur, quia ante captam à Davide Jebus, ſive Jeruſalem, rex erat Jebuſæorum.

Iſai. 11. v. 6. *Habitabit lupus cum agno*, &c. i. qui prius erat lupus, &c. Qua metaphora intelliguntur homines feri ac crudeles ante ſuam ad Chriſtum converſionem.

Matth. 10. v. 3. Matthæus dicitur *publicanus*, quia talis olim fuerat. Confer c. 9. v. 9.

Cap. 11. v. 5. *Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt*, &c. hoc eſt, qui erant cœci, claudi, ſurdi, &c.

Cap. 21. v. 31. *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei*, i. qui antea erant publicani, &c. ſed converſi ſunt.

Cap. 26. v. 6. *Simon leproſus* memoratur, h. e. qui olim fuit leproſus.

Cap. 27. v. 53. Jeruſalem dicitur *civitas ſancta*, quia olim talis fuerat.

Joan. 9. v. 17. *Dicunt ergo cæco iterum*, &c. h. e. illi, *qui fuerat cæcus*, ut deſcribitur v. 24.

Joan. 12. v. 1. *ὅπου ἦν Λάζαρος ὁ τεθνηκὼς, ubi erat Lazarus mortuus*, Gallice *où étoit Lazare le mort*; h. e. ubi erat Lazarus, qui fuerat mortuus, ſed quem ſuſcitaverat Jeſus. Articulus *ὁ* voci *τεθνηκὼς* præpoſitus, indicio eſt eam eſſe Lazari epitheton, non vero prædicatum.

1. Cor. cap. 11. vv. 26. 27. 28. Corpus Chriſti dicitur *panis*, & ſanguis ejus *vinum*,

Digitized by Google

ſeu *calix*, per metonymiam continentis pro contento; quia fit ex pane & vino, quæ vi verborum ſacramentalium in corpus & ſanguinem Chriſti *οὐσιωδῶς* convertuntur.

Photiniani hac regula abutuntur ad carnis reſurrectionem impugnandam; aiunt enim *carnem reſurrecturam dici, ſicut meretrices & publicanos in regnum cœlorum ingreſſuros*, Matth. 21. v. 31. *nimirum, qui olim publicani & meretrices fuerint: Ita quod caro fuit, reſurrecturum.* At aliud eſt dicere Scripturæ verba ſic, vel ſic accipi poſſe; aliud vero demonſtrare ſic eo loci accipi debere. Carnis reſurrectio evidenter probatur Job. 19. v. 25. Joan. 5. vv. 28. 29. 1. Cor. 15. vv. 42. 44. 53. 2. Cor. 5. v. 10. Philip. 3. v. 12. 2. Theſſ. 4. v. 14. &c. Quibus argumentis accedit *ἀναμάρτητον* Eccleſiæ judicium, quod in iis, quæ ad fidem & mores pertinent, unus eſt Scripturæ ſenſus interpres.

II. In Sacris literis res interdum deſcribitur, non qualis nunc eſt, ſed qualis futura eſt.

Gen. 1. v. 1. *cœlum & terram* dicitur rudis indigeſtaque illa moles, quæ primitus creata eſt, ex qua cœli & terra facti ſunt, ac poſt cum eo nomine donati, vv. 8. 10.

Gen. 3. v. 20. Adamus nominat uxorem ſuam *Hevam, eo quod* (futura) *eſſet mater cunctorum viventium*, nempe hominum.

Gen. c. 29. v. 21. Deut. 22. v. 24. Matth. 1. v. 20. *deſponſata* vocatur *uxor*, quia eſt uxor promiſſa & futura.

Joan. 10. v. 16. Chriſtus *oves ſuas* appellat eos, qui olim tales futuri erant, nunc autem erant lupi. Quamvis etiam ob æternum prædeſtinationis decretum, hoc nomine inſigniri potuerint. Vide c. 11. v. 52.

Epheſ. 5. v. 27. Apoſtolus vocat Eccleſiam *glorioſam, non habentem maculam, aut rugam*, &c. quod intelligendum eſt de Eccleſia in *ſtatu patriæ, non autem in ſtatu viæ, in quo ſi dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus*, S. Thom. part. 3. quæſt. 8. art. 3. reſp. ad 2. Vide Apoc. 19. vv. 7. 8. Hactenus de prima nominis appellativi diſtributione: nunc de altera, qua in ſubſtantivum & adjectivum dividitur.

§. I.

De Nomine ſubſtantivo.

DUo in nomine ſubſtantivo notanda ſunt. I. Appoſitio. II. Repetitio, quæ in duobus ſequentibus canonibus explicantur.

CANON I.

SUBSTANTIVUM cum ſubſtantivo ejuſdem rei, in eodem genere, numero, & caſu convenit; quam conſtructionem Latini appoſitionem vocant.

Deut. 22. v. 28. נַעֲרָה בְתוּלָה *puella virgo.*
2. Reg. 14. v. 5. אִשָּׁה אַלְמָנָה *mulier vidua.*
Gen. 13. v. 8. אֲנָשִׁים אַחִים *viri fratres.*

Alia exempla vide Num. 32. v. 14. Jud. 11. v. 1. 2. Sam. 3. v. 18. cap. 20. v. 3. &c.

In Novo Teſtamento. Luc. 4. v. 26. *πρὸς γυναῖκα χήραν, ad mulierem viduam.* Vide Matth. 18. v. 23. c. 20. v. 1. Luc. 2. v. 15. cap. 24. v. 19. Act. 2. v. 29. cap. 7. v. 59. *κύριε Ἰησοῦ, Domine Jeſu*, utraque voce in vocandi caſu poſita, non *Domine Jeſu*, ita ut Jeſu ſit in genitivo, quaſi invocatio eſſet non ipſius Jeſu, ſed Dei patris, qui ſit Dominus Jeſu, in gignendi caſu, ut impie aſſerit *Franciſcus Davidis* Antitrinitarius. Nam ut hæretici illius ſententia ſtare poſſet, dicendum foret, *κύριε τοῦ Ἰησοῦ.* Præterea Apoc. 22. v. 20. eadem loquendi ratio occurrit *ἔρχου κύριε*

ἔρχου Ἰησοῦ, *veni Domine Jeſu*; ubi ipſum Jeſum compellari, nullus eſt dubitandi locus. Denique S. Stephanus invocat eum, quem vidit ſtantem à dextris Dei; is vero *Jeſus* eſt, vv. 55. 56.

Apud Profanos. *Mulier ancilla*, Salluſtio. *Ancilla virago*, Plauto.

In hac ſubſtantivorum appoſitione, utrique ſæpe articulus, præpoſitio, aut alia litera ſervilis præponitur, pleonaſtice quidem, ſed elegantia & emphaſi ſingulari.

Gen. 32. v. 18. לְעַבְדְּךָ לְיַעֲקֹב *ſervi tui Jacobi*. Ibidem, לַאדֹנִי לְעֵשָׂו *Domino meo Eſau*. Vide 2. Reg. 7. v. 10. Pſal. 73. Heb. 74. v. 14.

2. Reg. 7. v. 7. אֶת־עַמִּי אֶת־יִשְׂרָאֵל Matth. 2. v. 6. *τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ*, *populum meum Iſraelem*.

Ibid. cap. 18. v. 12. בַּנַּעַר בְּאַבְשָׁלוֹם *in puerum iſtum, in Abſalom*.

Ibid. cap. 7. v. 5. אֶל־עַבְדִּי־אֶל־דָּוִד *ad ſervum meum, ad Davidem*.

Ibid. v. 8. עַל־עַמִּי עַל־יִשְׂרָאֵל, Lxx. *ἐπὶ τὸν λαόν μου, τὸν Ἰσραήλ*, *ſuper populum meum, ſuper Iſraelem*.

Ibid. v. 23. כְּעַמְּךָ כְּיִשְׂרָאֵל מִי *quis ſicut populus tuus, ſicut Iſrael?*

Gen. 21. v. 10. עִם־בְּנִי עִם־יִצְחָק, *cum filio meo, cum Iſaaco*.

Loco appoſitionis, interdum ſtatus regiminis ponitur.

Gen. 15. v. 18. נְהַר פְּרָת *fluvius Euphratis*, pro נָהָר פְּרָת *fluvius Euphrates*.

Ezech. 3. v. 15. נְהַר כְּבָר *fluvius Chobaris*.

Amos 5. v. 2. בְּתוּלַת יִשְׂרָאֵל *virgo Iſraelis*, i. populus Iſraeliticus.

Act. 8. v. 5. *εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας*, *in urbem Samariæ*, h. e. Samariam. Confer vv. 9. 14. Sic Cicero ad Attic. l. 5. epiſt. 18. *in oppido Antiochiæ*.

Huc etiam referunt quidam illud Rom. 4. v. 11. *σημεῖον περιτομῆς*, *ſignum circumciſionis*, h. e. circumciſionem, quæ ſignum eſt. Matth. 12. v. 39. *ſignum Jonæ*, i. Jonas, qui ſignum, ſeu typus eſt filii hominis, ut ibidem ſequitur.

CANON II.

IDEM ſubſtantivum, eodem caſu & numero, ſæpius in S. Scriptura repetitur, idque

I. Ad emphaſin & evidentiam, vel etiam continuationem deſignandam.

Deut. 2. v. 27. בַּדֶּרֶךְ בַּדֶּרֶךְ *in eadem via, in eadem via procedam*, h. e. continuo eadem via procedam, *non declinabo ad dexteram vel ſiniſtram*. Vulg. *publica gradiemur via, non declinabimus*, &c.

Ibid. cap. 16. v. 20. צֶדֶק צֶדֶק *juſtitiam juſtitiam ſectaberis*, i. indeſinenter & conſtanter juſtitiam ſectaberis. Vulg. *juſte, quod juſtum eſt, perſequêris*.

Pſal. 21. Heb. 22. v. 1. אֵלִי אֵלִי *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Confer Matth. 27. v. 46. Marc. 15. v. 34. &c. quæ repetitio valde emphatica eſt. Lxx. adjiciunt *πρόσχες μοι*, *reſpice in me*, quia אלי ſignificare etiam poteſt *in* vel *ad me*, ſi legatur אֵלַי. Vocem autem *πρόσχες* *attende, reſpice*, ſenſus complendi gratia addiderunt. Iſta autem pericope in aliis interpretibus Græcis, & in S. Hieron. deſideratur.

Alia iterationis hujus exempla vide 2. Reg. 18. v. 33. 4. Reg. 4. v. 19. Pſal. 132. Heb. 133. v. 2. Jerem. 4. v. 19. Sic cum quis geminato nomine proprio vocatur, ut Gen. 22. v. 11. *Abraham, Abraham!* c. 46. v. 2. *Jacob, Jacob!* Exod. 3. v. 4. *Moyſes, Moyſes!* 1. Reg. 3. v. 10. *Samuel, Samuel!*

Si ter fiat illa repetitio, major adhuc orationis vis ac evidentia deſignatur.

Jerem. 7. v. 4. *Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt*, hoc eſt, unicum & chariſſimum Domini templum, in quo habitat, & in quo nos maxime confidimus.

Cap. 22. v. 29. *Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini*, i. ô terra omnium terrarum præſtantiſſima!

Digitized by Google

Ezech. 21. v. 27. *Perverſitatem, perverſitatem, perverſitatem ponam eam* (coronam), h. e. funditus evertam regnum Iſraeliticum. Vulg. *iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*, i. pœnam iniquitatis.

II. Ad multitudinem ſignificandam, quod plerumque in repetitione ſubſtantivorum pluralium fit.

Gen. 14. v. 10. *Vallis autem Siddim* (Vulg. ſylveſtris) *erat putei putei bituminis*, i. *habebat puteos multos bituminis*, ut optime interpretatur Vulgatus.

Exod. 8. v. 14. *Et colligebant eas* (ranas) *acervos acervos*, h. e. acervatim, ſeu ut Vulg. *in immenſos aggeres.*

Jud. 5. v. 22. *Tunc obtuſa ſunt*, (Vulg. *ceciderunt*) *ungulæ equi propter plauſus plauſus fortium ejus*, h. e. propter multiplicem & incitatiſſimum equorum curſum.

4. Reg. 3. v. 16. *Fac torrentem hunc foveas foveas*, h. e. fac in torrente iſto plurimas foveas.

Iſai. 25. v. 7. *Et præcipitabit* (Dominus) *in monte hoc faciem* הַלּוֹט הַלּוֹט *vinculi vinculi*, h. e. multiplicis vinculi. Vulg. *vinculi colligati;* pro ultimo הַלּוֹט legebat הָלוּט in participio. Aq. cum Theod. teſte Hieron. comm. in h. l. *faciem tenebrarum* interpretatus eſt. At Symmach. ἐξουσιαστοῦ τοῦ ἐξουσιάζοντος, *dominatoris dominantis;* quæ omnes interpretationes eumdem ſenſum efficiunt; vincula enim ſive involucra, victoris potentiam denotant, & infelicem captivorum ſtatum, quem *tenebrarum* voce recte expreſſit Aquila. Senſus autem literæ is eſt: poſt reditum è captivitate Babylonica, conteret Dominus in monte Sion vincula, quibus alligati fuerant omnes populi, nempe Iſraelitæ. Clarius autem innuitur Gentium ad Chriſti fidem converſio, quarum vincula, quibus à Diabolo captivæ tenebantur, contrivit Dominus in Eccleſia, quæ *montis* nomine ſignificatur.

Joel 3. al. 4. v. 14. הֲמוֹנִים הֲמוֹנִים *multitudines multitudines*, Vulg. *populi populi in valle conciſionis*, h. e. tanta erit ſtrages, ut cumuli cadaverum paſſim coacervati appareant. Qua allegoria infinitus damnatorum numerus ſignificatur. Confer Iſai. 66. v. 24.

III. Ad diſtributionem indicandam.

Gen. 32. v. 16. *Et dedit* (Jacob) *in manus ſervorum ſuorum gregem gregem ſeorſim*, h. e. *ſingulos ſeorſim greges*, Vulg.

Num. 5. v. 12. *Vir vir, cum declinaverit uxor ejus*, hoc eſt, cujuſcumque viri uxor declinaverit. Sic Lev. 15. v. 2. cap. 24. v. 15. Ezech. 14. v. 4. cui reſpondet ἕκαστος *unuſquiſque*, Matth. 16. v. 27. c. 25. v. 15. 1. Cor. 4. v. 5.

Num. 17. v. 2. *Accipe ab eis virgam virgam*, hoc eſt, *virgas ſingulas*, Vulg.

Ibid. c. 28. v. 21. *decimam decimam parato*, i. ſingulas decimas.

Alia exempla vide 4. Reg. 17. v. 29. in *gens gens*. 1. Paral. 26. v. 13. *ad portam & portam*. 2. Paral. 19. v. 5. *urbe & urbe*. Eſd. 10. v. 14. *civitatis & civitatis*. Eſth. 8. v. 9. *provinciæ & provinciæ, populo & populo*, &c. Marc. 6. v. 39. συμπόσια συμπόσια, *per convivia convivia*, i. per ſingulas convivantium claſſes. v. 40. πρασιαὶ πρασιαὶ, *areolæ areolæ*, h. e. areolatim, ſive per ſingulas areolas, &c.

Eadem fere ratio eſt adjectivorum numeralium, quæ, ſi geminentur, diſtributiva fiunt.

Gen. 7. v. 9. *Duo duo ingreſſa ſunt* animalia munda, i. bina. Vide v. 2.

Marc. 6. v. 7. *& cœpit* (Jeſus) *eos mittere* δύο δύο, *duos duos*, i. binos.

IV. Ad diverſitatem & varietatem innuendam. Quod fit ſi copula ו interponatur, etſi exempla quædam in præced. numero poſita oſtendant diſtributionem indicari, etiam dum copula illa interjicitur.

Deut. 25. v. 13. *Non erit tibi in loculo tuo pondus & pondus*, h. e. *diverſa pondera*, Vulg. nempe *majus & minus*, ut ibidem exponitur. Vide v. 14.

Pſal. 11. Heb. 12. v. 3. *In corde & corde loquuntur*, i. duplici corde.

Pſal. 86. Heb. 87. v. 5. *homo & homo natus eſt in ea*, h. e. diverſi & quamplurimi homines.

Joel 2. v. 2. *uſque in annos generationis & generationis*, i. diverſarum ac plurimarum generationum.

Digitized by Google

Sic in diverſo genere, vel numero. Iſai. 3. v. 1. *Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Jeruſalem & Juda* מַשְׁעֵן וּמַשְׁעֵנָה *ſcipionem & ſcipionem*, i. hunc & illum robuſtum. Vulg. *validum & fortem.*

Eccle. 2. v. 8. שָׁרִים וְשָׁרוֹת *cantores & cantatrices*, h. e. varios cantores, diverſa muſices genera. Ibid. שִׁדָּה וְשִׁדּוֹת *ſymphoniam & ſymphonias.* Ita recentiores quidam interpretes. Lxx. οἰνοχόον καὶ οἰνοχόας, *miniſtrum & miniſtras vini.* Aq. κυλίκιον καὶ κυλίκια, *parvos calicem & calices.* Vulg. *ſcyphos & urceos in miniſterio ad vina fundenda.* S. Hieronym. comment. in h. l. *Denique Symmachus, licet verbum non potuerit exprimere de verbo, ab hac opinione non longe eſt, dicens* menſurarum ſpecies & appoſitiones. *Sive igitur urceos, ſive ſcyphos, ſive crateras, qui in miniſteriis ordinantur, auro gemmiſque diſtinctos, Salomonem habuiſſe credendum eſt: & quod ex uno κυλικίῳ, id eſt, cratere, aliis κυλικίοις, minoribus ſcilicet vaſculis, hauriretur: & per miniſtrorum manus, potantium vinum turba ſuſciperet.* Hæc interpretationum varietas ex eo nata eſt, quod voces iſtæ שִׁדָּה & שִׁדּוֹת eo tantum loci reperiantur. Symm. qui interpretatus eſt menſurarum ſpecies, &c. videtur legiſſe מִדָּה מִדָּה & מִדּוֹת.

§. II.

De Nomine adjectivo.

NOMEN adjectivum in lingua Hebraïca, ſicut & in aliis, cum ſuo ſubſtantivo in eodem genere, numero, & caſu concordat; ac ut plurimum poſt ſubſtantivum ponitur: prius eſt enim natura τὸ τι, quam τὸ πῶς; prius ſubjectum, quam ei accidens, vel adjunctum. Ut Prov. 15. v. 14. לֵב נָבוֹן *cor ſapiens quærit doctrinam.* Cap. 19. v. 4. *Divitiæ addunt* ▭ רֵעִים רַבִּים *amicos plurimos.* Sic participia & pronomina adjective nominibus ſubſtantivis addita, Gen. 6. v. 4. בַּיָּמִים הָהֵם *in diebus illis.* Prov. 28. v. 7. בֵּן מֵבִין *filius intelligens.*

Sæpe tamen adjectivum præcedit, & ſequitur ſubſtantivum. Pſal. 88. Heb. 89. v. 51. רַבִּים עַמִּים *multi populi.* Hab. 2. v. 6. עָב טִיט *denſum lutum*, &c. Cumque adjectivum ita præcedit, ſæpe eſt ellipſis verbi ſubſtantivi intercedentis. Pſal. 32. Heb. 33. v. 4. יָשָׁר דְּבַר יְהוָה *rectum* (eſt) *verbum Domini.* Eccle. 7. v. 12. טוֹבָה חָכְמָה עִם נַחֲלָה *bona* (eſt) *ſapientia cum poſſeſſione*, &c. De conſtructione adject. numeralium infra lib. III. cap. III.

Circa nomen adjectivum hæc in ſpecie notanda ſunt. I. Ejus *conſtitutio*, ſeu quomodo ſingulari idiotiſmo exprimatur: neque enim in ſua forma ſemper venit. II. Ejus *ellipſis*, ſive defectus. III. Ejus *enallage*, ſeu permutatio.

Primum quod attinet, exprimitur adjectivum 1°. Per duo ſubſtantiva, quorum alterum loco adjectivi eſt. 2°. Per abſtractum pro concreto poſitum. 3°. Per duo nomina, quorum alterum altero regitur, & rectum adjectivi munere fungitur. 4°. Per ſubſtantivum cum præpoſitione compoſitum. 5°. Per adverbium. De quibus omnibus in ſequentibus canonibus agendum.

Digitized by Google

Adjectivi conſtitutio.

CANON I.

DUO nomina ſubſtantiva, vel ſynonyma, vel diſparatæ ſignificationis, conjunguntur, & eorum alterum vicem adjectivi cum emphaſi ſuſtinet.

Hæc loquendi forma appellatur vulgo *Hendiadys*, h. e. *ἓν διὰ δυοῖν*, *unum per duo*, quando ſcilicet una res per duo, vel ſynonymæ, vel diſparatæ ſignificationis vocabula exprimitur.

Gen. 1. v. 26.... *ad imaginem & ſimilitudinem*, h. e. imaginem ſimillimam.

Ibid. cap. 19. v. 24. *Pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem*, id eſt, ſulphur igneum, vel ignem ſulphureum.

Job. 4. v. 16. דְּמָמָה וָקוֹל *ſilentium & vocem audivi*, h. e. tacitam & ſubmiſſam vocem. Vulg. *vocem quaſi auræ lenis.* Quidam interpretantur *cum ſilentio*, per ellipſin ב ante דְּמָמָה.

Ibid. cap. 10. v. 17. חֲלִיפוֹת וְצָבָא *mutationes & exercitus* (ſunt) *contra me*, h. e. quaſi exercitus alii aliis ſuccedentes me oppugnant. Exercitus illi pœnæ ſunt, unde optime Vulg. *& pœnæ militant in me.*

Pſal. 115. Heb. 116. v. 1. *Dilexi* (Dominum) *quoniam exaudiet Dominus* אֶת־קוֹלִי תַּחֲנוּנָי *vocem meam, ſupplicationes meas*, h. e. vocem meam humillime ſupplicem. LXX. S. Hieron. *vocem deprecationis meæ*, conſiderabant (י) vocis קוֹלִי, ut vocalem antiquam *e* ſub ל ſubintellectam.

Jerem. 22. v. 3. *facite* מִשְׁפָּט וּצְדָקָה *judicium & juſtitiam*, i. judicium juſtum.

Ibid. cap. 29. v. 11. *ut dem vobis finem & expectationem*, Vulg. *patientiam*, h. e. finem expectatum, ſeu exoptatum.

Matth. 3. v. 11. *Ipſe* (Chriſtus) *vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, h. e. in Spiritu Sancto ignito, i. illuminante, inflammante, & purificante corda veſtra.

Act. 14. v. 12. al. 13. *Sacerdos autem Jovis.... tauros & coronas afferens*, hoc eſt, tauros coronatos.

In profanis ſcriptoribus. Virg. l. 2. Georg. v. 192. *pateris libamus & auro*, i. pateris aureis. Lucan. *chalybem frænoſque momordit*, h. e. frænos chalybeos.

CANON II.

SÆPIUS abſtractum pro concreto, ſive ſubſtantivum pro adjectivo, cum inſigni emphaſi & energia ponitur.

Gen. 46. v. 34. תּוֹעֲבַת *abominatio Ægyptiorum* (eſt) *omnis paſtor pecoris*, h. e. ſumme abominabilis. Vulg. *quia deteſtantur Ægyptii omnes paſtores ovium*, quia mactabant & comedebant pecora, quæ colebantur ab Ægyptiis. Vel quia paſtores in Ægyptios olim rebellarant.

Pſal. 5. v. 10. *Cor eorum* הַוּוֹת *perverſitates*, h. e. perverſum maxime ac pravum eſt.

Pſal. 34. Heb. 35. v. 6. *Sit via illorum tenebræ & lubricitates*, i. tenebroſa & lubrica.

Pſal. 38. Heb. 39. v. 6. *Ecce* טְפָחוֹת *palmos poſuiſti dies meos.* Sym. *ὡς σπιθαμὰς*, *ſicut palmos.* LXX. *παλαιάς*, *veteres*, ſed mendum eſt pro *παλαιστὰς palmos*, ut habent Ald. & Complut. h. e. poſuiſti dies meos palmares, non longiores, quam ſit hominis palmus. Vulg. Lat. *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos.* Egregia vitæ humanæ brevitatis deſcriptio. S. Hieron. *Ecce breves poſuiſti dies meos.* Senſum optime reddidit. Ibid. *Veruntamen univerſa vanitas omnis homo* הֶבֶל Symm. *ἴσως*,

Digitized by Google

S. Hieron. *ſtans*. Aq. ἐστηλωμένος *erectus*. LXX. ζῶν *vivens*, idem ſenſus, h. e. verumtamen omnis homo vivens vaniſſimus eſt; hoc enim ſubſtantivo pro adjectivo poſito, ſuperlativus gradus nonnunquam exprimitur. Sym. *μόνον γὰρ ἀτμὸς πᾶς ἄνθρωπος ἑστώς, ſolum enim vapor eſt omnis homo ſtans.*

Cant. 1. v. 17. *Tigna domorum noſtrarum* אֲרָזִים *cedri* ſunt. Vulg. optime, *cedrina*.

Agg. 2. v. 8. *Et veniet* חֶמְדַּת *deſiderium omnium gentium*, i. deſideratus & expetitus cunctis gentibus: nempe Chriſtus Meſſias, qui & *ipſe erit expectatio gentium*, Gen. 49. v. 10.

Luc. 16. v. 15. *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum*, h. e. abominabile.

Joan. 17. v. 17. *Sermo tuus veritas eſt*, i. veriſſimus. Sic Pſal. 118. Heb. 119. vv. 142. 151.

2. Cor. 5. v. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (Deus Pater) *ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*, h. e. Deus Pater fecit Chriſtum filium ſuum peccatorem non ſuis, ſed alienis peccatis, ut efficeremur juſti. S. Chryſoſt. *Juſtum fecit peccatorem, ut peccatores faceret juſtos.* Vide Eph. 5. v. 8. ubi *tenebræ* pro tenebricoſi; *Lux in Domino*, pro illuminati à Spiritu Sancto ponuntur. Rom. 2. v. 26. c. 3. v. 30. ubi Judæi vocantur *circumciſio*, i. circumciſi; Gentiles vero *præputium*, h. e. incircumciſi.

CANON III.

Ex duobus ſubſtantivis, quorum alterum altero regitur, modo prius; modo poſterius, loco adjectivi ponitur: quandoque etiam utrumvis pro adjectivo commode poteſt accipi.

I. Prius ſubſtantivum loco adjectivi eſt.

Gen. 17. v. 5. *Patrem* הֲמוֹן *multitudinis gentium conſtitui te*, h. e. multarum, uti Rom. 4. v. 17. exponitur.

Ibid. cap. 45. v. 22. חֲלִפוֹת *mutationes veſtium*, h. e. veſtes mutatoriæ. Vulg. *binæ ſtolæ*. Vide Jud. 14. vv. 13. 14.

Lev. 6. v. 14. *Coctiones muneris fruſtorum*, i. cocta muneris fruſta.

Ibid. cap. 7. v. 35. *Hæc eſt* (pars) *unctionis Aaron, & unctionis filiorum ejus*, h. e. uncti Aaronis, & unctorum filiorum ejus.

Ibid. cap. 16. v. 12. *plenitudo thuribuli, & plenitudo pugillorum*, h. e. plenum thuribulum, pleni pugilli.

Num. 30. v. 13. *juramentum obligationis*, i. juramento confirmata obligatio.

1. Reg. 17. v. 40. *lubricitates lapidum*, i. lubrici, læves. Vulg. *limpidiſſimi lapides*.

4. Reg. 19. v. 23. *proceritas cedrorum, delectus abietum*, i. cedri proceræ, electæ abietes. Vulg. *ſublimes cedros, electas abietes* interpretatur.

Pſal. 1. v. 1. *Beatitudines viri*, i. beatus vir. Aliis tamen אַשְׁרֵי eſt potius adverbium *beate*, quam ſubſtantivum *beatitudines*.

Pſal. 73. Heb. 74. v. 5. *implexitas lignorum*, h. e. implexa ligna. Vulg. *ſylva lignorum*.

Pſal. 76. Heb. 77. v. 5. אָחַזְתָּ Theod. *ἐκράτησας tenuiſti*, Aq. *κάτειχες detinuiſti vigilias oculorum meorum*, h. e. vigiles oculos meos tenuiſti.

Pſal. 98. Heb. 99. v. 4. *fortitudo*, Vulg. *honor regis judicium diligit*, h. e. rex fortiſſimus, honoratiſſimus, &c.

Pſal. 138. Heb. 139. v. 22. *perfectione odii*, i. *perfecto odio*, Vulg.

Eccle. 1. v. 18. *in multitudine ſapientiæ, multitudo indignationis eſt*. Vulg. optime, *in multa ſapientia, multa eſt indignatio*.

Iſai. 22. v. 7. *Electio vallium*, h. e. *electæ valles*, Vulg.

Alia exempla vide Jud. 20. v. 40. Job. 33. v. 3. Pſal. 49. Heb. 50. v. 2. Pſal. 75. Heb. 76. v. 4. Prov. 20. v. 20. Iſai. 2. v. 11. &c.

In Novo Teſtamento.

Matth. 13. v. 5. *profunditas terræ*, i. profunda terra.

1. Cor. 1. v. 21. *ſtultitia prædicationis*, h. e. ſtulta coram ratione humana prædicatio.

Gal. 3. v. 14. *Promiſſio Spiritus*, h. eſt, promiſſus Spiritus.

Cap. 4. v. 4. *plenitudo temporis*, h. e. pletum, ſeu completum tempus.

1. Theſſ. 1. v. 3. *opus fidei, labor charitatis, patientia ſpei*, i. fides operoſa, laborioſa charitas, ſpes tolerans, ſive patiens.

1. Pet. 1. v. 7. *probatio fidei*, i. fides probata & explorata, &c.

Alia exempla vide Luc. 1. v. 48. cap. 5. v. 9. Rom. 5. v. 17. Epheſ. 4. v. 29. 1. Pet. 3. v. 20. Apoc. 17. v. 1. cap. 18. v. 3.

In profanis. Euripid. in Hecuba. καὶ μὴν Ὀδυσσεὺς ἔρχεται σπουδῇ ποδὸς, *Etquidem Ulyſſes venit celeritate pedis*, h. e. celeri pede.

Sic adjectivum neutrum pro ſubſtantivo poſitum, eadem conſtructione, idem ſubſtantivum in genitivo regit.

2. Cor. 4. v. 2. τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, *occulta dedecoris*, h. e. occulta dedecora.

2. Pet. 2. v. 18. ὑπέρογκα ματαιότητος, *ſuperba vanitatis* loquentes, i. ſuperbam vanitatem.

Cap. 3. v. 3. ἔσχατον τῶν ἡμερῶν, *ultimum dierum*, h. e. dies ultimi, ſive noviſſimi.

Apud profanos. Lucian. Menip. ἀλλόκοτον τοῦ σχήματος, *inſolens habitus*; τὸ πιστὸν τῆς ἀληθείας, *fidelis veritas*; τὸ βαρβαρικὸν τῆς γλώσσης, *barbara lingua.* Tacit. lib. 6. Annal. *lubricum juventæ*, pro lubricam juventutem. Idem, *humidum paludum, ſecretum loci*, pro humidæ paludes, locus ſecretus. Apul. *proclive montis, lubricum ætatulæ virentis.* Hor. *amara curarum.* Catull. *truculenta pelagi.* Virgil. *telluris operta*, &c. pro mons proclivis, lubrica ætatula virens, amaræ curæ, truculentus pelagus, tellus operta, &c.

II. Poſterius ſubſtantivum loco adjectivi eſt, cum in ſingulari, tum in plurali numero.

In ſingulari. Exod. 15. v. 3. אִישׁ מִלְחָמָה *vir belli*, ſeu *pugnæ*, h. e. bellicoſus, pugnator.

Pſal. 22. Heb. 23. v. 2. בִּנְאוֹת דֶּשֶׁא *in caulis*, ſive *paſcuis herbæ*, h. e. in paſcuis herbidis. Vulg. *in loco paſcuæ.*

Pſal. 30. Heb. 31. v. 3. *petra fortitudinis, domus munitionum*, h. e. petra fortis, domus munita.

Pſal. 54. Heb. 55. v. 9. רוּחַ סֹעָה *ſpiritus profectionis*, h. e. ſpiritus, ſive ventus rapidiſſimus, cujus impetu omnia diſpelluntur, & quaſi è loco ſuo proficiſcuntur.

Pſal. 67. Heb. 68. v. 31. חַיַּת קָנֶה *catervam arundinis*, h. e. ſagittis, quæ ex arundinibus fiebant, armatam. Vulg. *feras arundinis*, (videtur legiſſe חַיּוֹת,) i. quæ in arundinetis degunt; חַיָּה & *feram* & *catervam* ſignificat.

Pſal. 139. Heb. 140. v. 12. *vir linguæ*, i. linguoſus, ſeu maledicus.

Ibid. *vir violentiæ*, h. e. violentus. Sic Iſai. 8. v. 18. *vir ingenii*, i. ingenioſus.

Abacuc 1. v. 8. *lupi veſperæ*, h. e. veſpertini, qui cum nihil prædæ tota die nanciſci potuerint, veſpere graſſantur. Sic Jerem. 5. v. 6. Sophon. 3. v. 3.

Matth. 26. v. 64. *à dextris virtutis*, h. e. ad dexteram potentiſſimam, Dei ſcilicet, ut addit Luc. c. 22. v. 69.

Rom. 7. v. 24. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* i. de hoc mortali corpore.

Epheſ. 4. v. 24. *juſtitia & ſanctitas veritatis*, i. vera, non ficta & fucata ſanctitas.

Philip. 3. v. 21. *corpus humilitatis noſtræ*, h. e. corpus noſtrum humile, ſive humiliatum.

Col. 1. v. 13. *filius dilectionis ſuæ*, i. filius ejus dilectus. Confer Matth. 3. v. 17.

2. Theſſ. 2. v. 3. *homo peccati*, h. e. peccator. Ibid. *filius perditionis*, i. perditus, ſive perditioni deſtinatus.

Jacob. 1. v. 23. *vultus nativitatis*, i. nativus.

2. Pet. 2. v. 1. *ſectæ perditionis*, i. perdentes, ſeu pernicioſæ.

Apoc. 18. v. 3. *vinum veneni*, h. e. venenatum. Vulg. *vinum iræ.* Vox θυμὸς, quæ reſpondet Hebraïcæ חֵמָה, & *iram*, & *venenum* ſignificat. Confer Pſal. 57. Heb. 58. v. 5. Pſal. 139. Heb. 140. v. 4. Job. 6. v. 4. Deut. 32. v. 33.

Vide alia exempla Epheſ. 4. v. 16. Jac. 2. v. 4. &c.

In plurali numero. Exod. 19. v. 6. *Regnum ſacerdotum*, i. ſacerdotale, inclytum, eximium; nam apud omnes populos, ſacerdotes erant ceteris honoratiores.

Jud. 7. v. 13. *panis hordeorum*, h. e. hordeaceus.

1. Reg. 1. v. 11. *ſemen virorum*, i. virile. Vulg. optime *ſexum virilem* reddidit.

2. Reg. 1. v. 21. שְׂדֵי תְרוּמֹת *agri elationum*,

i. editi. Alii ut Lxx. *ἀγροὶ ἀπαρχῶν*, Vulg. *agri primitiarum*. Alii, *agri oblationum*, ex quibus fiunt oblationes. Quæ eſt communior vocis תְּרוּמֹת ſignificatio.

Pſal. 22. Heb. 23. v. 2. *ſuper aquas* מְנֻחוֹת *quietum*, id eſt quietas & leniter fluentes, non turbidas & exitioſas. Vulg. *refectionis*; idem ſenſus.

Pſal. 115. Heb. 116. v. 13. *Calicem ſalutum accipiam*, i. maxime ſalutarem. Sacrificia Euchariſtica (quæ hîc per calicem, ſeu libationem vini ſignificantur) offeram Domino pro omnimoda ſalute ab eo accepta.

Prov. 5. v. 17. *cerva amorum*, h. e. *chariſſima*, Vulg. C. 14. v. 5. *teſtis veritatum*, i. verax, ſeu *fidelis*, Vulg.

Iſai. 13. v. 8. *facies flammarum*, h. e. inflammatæ, Vulg. *combuſtæ*.

Jacob. 1. v. 17. *à patre luminum*, i. luminoſiſſimo & glorioſiſſimo. Confer Job. 25. v. 3.

Heb. 12. v. 9. *patri ſpirituum*, h. e. ſpirituali & cœleſti, cui paulo ante opponuntur *patres carnis*, h. e. carnales.

In hac autem conſtructione, ſi pronomen affixum nomini poſteriori adjungatur, ad prius magis pertinet.

Deut. 1. v. 41. Heb. *Et accinxiſtis vos quiſque armis belli ſui*, i. armis ſuis bellicis.

Pſal. 2. v. 6. Heb. *ſuper Sion montem ſanctitatis meæ*, h. e. ſuper Sion montem meum ſanctum. Sic Pſal. 88. Heb. 89. v. 21. *oleo ſanctitatis meæ*, h. e. oleo meo ſancto.

Iſai. 2. v. 20. *projiciet homo idola argenti ſui, & idola auri ſui*, h. e. idola ſua argentea, & idola ſua aurea.

Dan. 9. v. 24. *ſuper urbem ſanctitatis tuæ*, i. ſuper urbem tuam ſanctam. Vide etiam Pſal. 40. Heb. 41. v. 10. Ezech. 9. v. 1. &c.

Matth. 25. v. 31. *ſuper thronum gloriæ ſuæ*, i. ſuper thronum ſuum glorioſum. Vide ſupra Coloſſ. 1. v. 13. & 2. Theſſ. 1. v. 7.

III. Utrumvis ſubſtantivum pro adjectivo commode accipi poteſt. Pſal. 144. Heb. 145. v. 5. הֲדַר כְּבוֹד הוֹדֶךָ *gloriam honoris magnificentiæ tuæ eloquar* (ô Deus), h. e. vel glorioſum honorem & magnificentiam, vel gloriam honorificam & magnificam.

Matth. 5. v. 22. *εἰς γέενναν τοῦ πυρὸς*, in *gehennam ignis*, i. in gehennam igneam & ardentem; vel in gehennalem & infernalem ignem; vel, ut aliis placet, per hypallagen, in ignem gehennæ, ſeu inferni.

Epheſ. 1. v. 18. & Col. 1. v. 17. *Divitiæ gloriæ*, h. e. dives & ſuperabundans gloria, vel divitiæ glorioſæ.

2. Theſſ. 1. v. 8. *ἐν πυρὶ φλογὸς*, *in igne flammæ*, i. in ignea flamma, vel in igne flammante.

Huc pertinet Matth. 24. v. 15. *Abominatio deſolationis*, h. e. abominabilis deſolatio, vel uti Dan. 12. v. 11. שִׁקּוּץ שֹׁמֵם *abominatio deſolans*.

CANON IV.

ADJECTIVUM eleganter exprimitur per ſubſtantivum cum aliqua ex his præpoſitionibus בּ, ל, מ, vel מִן conjunctum.

I. Cum בּ *in*. Exod. 32. v. 22. *Tu noſti populum iſtum, quod* בְּרָע *in malo eſt*, h. e. malus. Vulg. *proclivis ad malum*. Conf. 1. Joan. 5. v. 19.

Ibid. cap. 1. v. 14. *in omni opere in agro*, i. agreſti.

1. Paral. 26. v. 14. *conſiliarius in intellectu*, h. e. intelligens.

Pſal. 28. Heb. 29. v. 4. *vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia*, i. potens & magnifica.

Pſal. 50. Heb. 51. v. 7. *Ecce in iniquitate formatus ſum, & in peccato concepit me mater mea*, h. e. iniquum & peccatorem, peccato ſcilicet originali, concepit me mater mea. Conf. Job. 14. v. 4.

Pſal. 89. Heb. 90. v. 5. *Cuſtodia in nocte*, i. nocturna.

Cant. 3. v. 8. *propter timorem in noctibus*, i. nocturnum.

Matth. 22. v. 16. *viam Domini in veritate doces*, i. veram viam, vel adverbialiter, *vere*.

Luc. 4. v. 32. *quia in poteſtate erat ſermo ejus* (Chriſti), i. quia potens erat ſermo ejus; vel quia *loquebatur tanquam poteſtatem habens*, ut Matth. 7. v. 29.

Joan. 9. v. 34. *in peccatis totus natus es*, h. e. omnino ſceleratus & peccator.

1. Cor. 2. v. 7. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio*, h. e. myſticam & hujus mundi ſapientibus *abſconditam*, ut ſtatim ſequitur. Conf. Matth. 11. v. 25.

1. Theſſ. 2. v. 6. *cum poſſemus vobis* ἐν βάρει εἶναι *in onere eſſe*, i. oneroſi ac moleſti. Vulg. eleganter, *oneri eſſe*.

2. Pet. 2. v. 13. *voluptatem exiſtimantes* τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν, *in die delicias*, i. quotidianas delicias. Vide inſuper 2. Cor. 15. vv. 42. 43. 44. 1. Tim. 3. v. 4. &c.

Huc etiam referri poſſunt hæc: Marc. 5. v. 2. *homo in ſpiritu immundo*, h. e. habens ſpiritum immundum. Ibid. v. 25. *mulier in fluxu ſanguinis*, i. fluxum ſanguinis habens, ſeu αἱμοῤῥοοῦσα, ut Matth. 9. v. 20.

II. Cum ל *ad* vel *in*. Iſai. 4. v. 2. *In die illa erit germen Domini* (Meſſias Chriſtus ſalvator) לִצְבִי וּלְכָבוֹד *in magnificentiam & gloriam*, h. e. magnificum & glorioſum. Ibid. *& fructus terræ* לְגָאוֹן וּלְתִפְאֶרֶת *in ſublimitatem & decorem*, i. ſublimis & decorus.

Ibid. cap. 7. v. 23. *Omnis locus erit* לַשָּׁמִיר וְלַשַּׁיִת *in veprem & ſpinam*, h. e. vepribus obſitus & ſpinoſus.

Pſal. 99. Heb. 100. v. 1. *Pſalmus* לְתוֹדָה Lxx. εἰς ἐξομολόγησιν, *ad confeſſionem*, h. e. ἐξομολογητικός, *ad confitendum*, ſive *gratias agendum* compoſitus.

Pſal. 37. Heb. 38. v. 1. & 69. Heb. 70. v. 1. לְהַזְכִּיר *ad commemorandum*, Lxx. εἰς ἀνάμνησιν, *ad recordationem*; (infinitivi enim interdum ſubſtantive accipiuntur,) h. e. μνημονευτικός, *memorialis.*

Pſal. 59. Heb. 60. v. 1. *Aureum Davidis carmen* לְלַמֵּד *ad docendum*, Lxx. εἰς διδαχήν, *ad doctrinam*, h. e. διδασκαλικός, ſive διδακτικός, *ad docendum appoſitus*, *didacticus.*

Tob. 13. v. 1. προσευχὴ εἰς ἀγαλλίασιν, *precatio ad exſultationem*, h. e. exſultatoria, qua Deo grates perſolvuntur cum ſingulari mentis gaudio, quale fuit canticum B. M. Virginis, *Magnificat anima mea*, &c. Luc. 1. v. 46.

Joan. 8. v. 52.... *non guſtabit mortem* εἰς αἰῶνα, *in æternum*, i. mortem æternam.

III. Cum מ vel מִן *à*, *ab*, *de*, *ex*. Pſal. 15. Heb. 16. v. 4. S. Hieron. *Non libabo libamina eorum* מִדָּם *de ſanguine*. Aq. οὐ μὴ σπείσω σπονδὰς αὐτῶν ἐξ αἱμάτων, *non libabo libamina eorum de ſanguinibus*, i. ſanguinea, vel cruenta.

Pſal. 79. Heb. 80. v. 14. *exterminavit eam* (vineam) *aper de ſylva*, i. ſylveſtris. Sic Jerem. 5. v. 6. *Leo de ſylva.*

Prov. 7. v. 19. *Abiit via de longinquo*, h. e. *longiſſima*, Vulg. Sic Jerem. 31. v. 10. Alia exempla vide Pſal. 16. Heb. 17. v. 4. &c.

Joan. 3. v. 31. *qui de terra eſt*, h. e. terrenus, *de terra loquitur*, i. terrena.

Cap. 6. v. 31. *panem de cœlo dedit eis*, i. panem cœleſtem, qui Pſal. 77. Heb. 78. v. 24. *frumentum cœlorum* dicitur, hoc eſt, cœleſte.

Hac ratione Apoſt. Rom. 3. v. 26. cap. 4. v. 16. Gal. 3. vv. 7. 8. credentes, ſeu fideles vocat τοὺς ἐκ πίστεως, *qui ſunt ex fide*. Et Rom. 4. vv. 14. 16. legales, ſeu eos, qui in operibus legis juſtitiam quærebant, τοὺς ἐκ νόμου, *qui ſunt ex lege*. Idem Rom. 4. v. 12. Coloſſ. 4. v. 11. Tit. 1. v. 10. *circumciſos*, ſive Judæos vocat τοὺς ἐκ περιτομῆς, *qui ſunt ex circumciſione*. Et Rom. 2. v. 8. Philipp. 1. v. 16. *contentioſos* τοὺς ἐξ ἐριθείας, *qui ſunt ex contentione.*

Apud profanos. *Mercenarius de villa*, Ter. Adelph. *Aper de ſylva*, Florus. *Vicini è proximo*, Plaut. Aul. *Poëta de populo*, Cicer. pro Arch.

Præpoſitio ſeparata *cum*, adjectivi etiam periphraſi inſervit.

Pſal. 88. Heb. 89. v. 14. *tuum brachium* (eſt) עִם *cum potentia*, h. e. potens eſt.

1. Tim. 3. v. 4. *Filios habentem in ſubjectione* (Vulg. *ſubditos*) μετὰ πάσης σεμνότητος, *cum omni honeſtate* (Vulg. *caſtitate*), h. e. ſubditos & honeſtiſſimos, ſeu caſtiſſimos.

Sic κατὰ *ſecundum*, 2. Cor. 8. v. 2. ἡ κατὰ βάθους πτωχεία αὐτῶν, *ſecundum profunditatem paupertas eorum*, h. e. profundiſſima. Vulg. *altiſſima eorum paupertas.*

CANON

CANON V.

ADVERBIUM ſubſtantivo additum, adjectivi ſignificationem non raro induit.

1. Reg. 25. v. 31. .... *quod effuderis ſanguinem* חִנָּם *innoxie*, h. e. *innoxium*, Vulg.

Prov. 3. v. 25. *non timebis à timore* פִּתְאֹם *ſubito*, h. e. ſubitaneo.

Cap. 15. v. 24. *ab inferno* מָטָּה *infra*, h. e. inferiore.

Cap. 24. v. 28. Ne *ſis teſtis* חִנָּם *temere*, i. temerarius, falſo teſtimonium dicens.

Zach. 12. v. 6. *omnes populos* סָבִיב *circum*, h. e. circumjacentes, qui ſunt in circuitu. Sic: יוֹם מָחָר *dies cras*, Gen. 30. v. 33. Prov. 27. v. 1. i. craſtinus.

Luc. 10. v. 30. Καὶ τίς ἐστί μου πλησίον; *Et quis eſt meus prope*, i. meus proximus? πλησίον adverbium eſſe liquet ex Joan. 4. v. 5. Uſurpatur etiam ut nomen, Matth. 22. v. 39. Rom. 13. v. 10.

2. Cor. 4. v. 16. ὁ ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπος, *qui foris eſt homo noſter*, i. externus, ὁ ἔσωθεν, *qui intus eſt*, internus.

2. Petr. 1. v. 9. *oblitus purgationis* τῶν πάλαι αὐτοῦ ἁμαρτιῶν, *ſuorum olim delictorum*, h. e. *veterum ſuorum delictorum*, Vulg.

Alia exempla vide Joan. 15. v. 5. in χωρὶς ἐμοῦ, pro χωρισθέντες ἀπ᾽ ἐμοῦ. 2. Cor. 4. v. 17. in τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν, &c.

Apud profanos auctores. Xenoph. pæd. 2. & 8. αἱ παραυτίκα ἡδοναὶ, *momentaneæ voluptates*. Demoſth. Philip. 2. ἡ παραυτίκα ἡδονὴ, *momentanea voluptas*. Sophocl. τὰ πρὶν ἔργα, *res præteritæ*. Eurip. ἡ πάλαι γυνὴ, *natu grandior mulier*.

Apud Latinos. Terent. Andr. Act. 1. Scen. 2. *Heri ſemper lenitas*, i. perpetua lenitas. Virg. Æneid. lib. I. v. 202. .... *neque enim ignari ſumus ante malorum*, i. præteritorum, &c.

Adjectivi ellipſis.

CANON VI.

QUANDOQUE adjectivum deeſt, ſed commode ſupplendum.

Gen. 18. v. 11. *venerant* (Abraham & Sara) בַּיָּמִים *in dies*, ſupple רַבִּים multos. Vulg. *provectæ erant ætatis*. Confer Luc. 2. v. 36.

Cap. 36. v. 6. *Et abiit* (Eſau) *ad terram*, ſcilicet aliam, quod ſupplet Chald. Sic Vulg. *in alteram regionem*.

3. Reg. 22. v. 10. *Rex autem Iſrael, & Joſaphat rex Juda, ſedebant unuſquiſque in ſolio ſuo, induti veſtibus*, ſupple regiis. Vulg. *veſtiti cultu regio*.

Pſal. 33. Heb. 34. v. 13. *Quis eſt homo, qui vult vitam*, ſupp. longævam, *& diligit dies*, ſupple bonos, uti 1. Petr. 3. v. 10. unde in textu additur לִרְאוֹת טוֹב *videre bonum*.

Prov. 18. v. 22. *Qui invenit mulierem*, ſupp. cum LXX. ἀγαθὴν, Vulg. *bonam*, *invenit bonum*.

Iſai. 1. v. 18. *ſi fuerint* (peccata veſtra) *rubra quaſi vermiculus, ſicut lana erunt*, ſupp. cum Vulg. *alba*. Ibi præterea notanda eſt hypallage, qua peccatis tribuitur, quod hominis peccatoris & pœnitentis eſt; non enim peccata, ſed peccator albeſcit. Conf. Pſal. 50. Heb. 51. v. 9.

Cap. 37. v. 25. *Ego fodi & bibi aquas*, ſupp. alienas, quæ vox 4. Reg. c. 19. v. 24. completur.

Cant. 5. v. 9. *Quid dilectus tuus* מִדּוֹד *præ dilecto*, ſupp. alio. Vulg. *ex dilecto*, h. e. dilectiſſimus.

Malach. 1. v. 14. *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum*, ſupp. integrum, eximium, &c. ſequitur enim: *& votum faciens immolat debile Domino*.

CANON VII.

QUANDOQUE è contrario adjectivum tantum exprimitur, ſubſtantivo commode ſubintellecto.

Gen. 25. v. 30. *Da mihi de rufo, rufo iſto*, ſuppl. edulio. Vulg. *de coctione iſta rufa.*

2. Reg. 8. v. 4. *Et cepit David ex ipſis mille*, ſupp. currus, *& ſeptingentos equites*, &c. quæ ellipſis 1. Paral. c. 18. v. 4. completur.

2. Reg. c. 21. v. 16. *Et accinctus erat novo*, ſupp. cum Vulg. *enſe*.

Pſal. 5. v. 10. *Non eſt in ore eorum* נְכוֹנָה *recta*, ſupp. אִמְרָה *loquutio.* Vel femininum genus pro neutro uſurpatur.

Pſal. 72. Heb. 73. v. 10. וּמֵי מָלֵא יִמָּצוּ לָמוֹ *& aquæ pleni* (ſcilicet poculi) *exprimentur eis*, hypallage pro vaſa aquæ plena exprimentur eis: qua loquutione ingens lacrymarum copia innuitur. Lxx. *Et dies pleni invenientur in eis.* Pro וּמֵי legebant יְמֵי ſubintellecta copula ו, vel וּמֵי à יוֹם *dies*, plur. abſol. יָמִים, conſt. יְמֵי. Deinde pro מָלֵא legebant מְלֹא *plenitudo*, dies plenitudinis, i. pleni; & יִמָּצוּ deducebant à מָצָא *invenit*; verba enim quieſcentia Lamedh א & Lamedh ה formas ſuas non raro commutant.

Cant. 4. v. 2. *Dentes tui ſicut grex tonſarum*, ſupp. ovium.

Iſai. 30. v. 13. *Propterea erit vobis iniquitas iſta ſicut ruina cadentis*, ſupp. muri.

Ibid. v. 16. *ſuper veloces aſcendemus*, ſupp. equos.

Cap. 34. v. 4. *ſicut defluit folium de vinea, & deciduum de ficu*, ſupp. fructus, aut groſſulus.

Jerem. 15. v. 18. *facta eſt mihi* (plaga mea) *quaſi* אַכְזָב *fallax*, ſupp. מְקוֹר *fons aquarum infidelium.*

Ezech. 8. v. 3. *ad oſtium portæ interioris*, ſupp. atrii; שַׁעַר enim *porta* maſc. eſt, הַפְּנִימִית vero *interioris*, femin. quare refertur ad חָצֵר *atrium*, comm. gen. ſed ſæpius feminini.

Huc pertinet, cum adjectivum, ſive maſc. ſive femininum, abſolute & neutraliter accipitur. Quidam tamen ſubſtantivum ſubintelligendum aſſerunt.

Gen. 42. v. 30. *Loquutus eſt nobis Dominus terræ* קָשׁוֹת *dura*, ſupp. cum quibuſdam, אֲמָרוֹת *verba.* Vulg. *dure.* Vide Prov. 18. v. 23. Job. 40. v. 22. Iſai. 32. v. 4.

Pſal. 11. Heb. 12. v. 4. *diſperdat Dominus* ... *linguam loquentem* גְּדֹלוֹת *magna*, ſupp. ut ſupra אֲמָרוֹת *verba.* Vulg. *magniloquam.*

Pſal. 37. Heb. 38. v. 8. *Lumbi mei impleti ſunt* נִקְלֶה *vili*, ſupp. דָּבָר *re*, vel נֶגַע *plaga.*

Pſal. 105. Heb. 106. v. 21. *Qui fecit* גְּדֹלוֹת *magna in Ægypto*, ſupp. מַעֲשׂוֹת *opera.*

Jerem. 25. v. 38. *à facie iræ* הַיּוֹנָה *opprimentis*, ſupp. חֶרֶב *gladii*, ut ſupplementum iſtud exſtat cap. 46. v. 16. cap. 50. v. 16. & ut ſuppleverunt Lxx. ἀπὸ προσώπου τῆς μαχαίρας τῆς μεγάλης, *à facie gladii magni.* Iidem cap. 46. v. 16. & c. 50. v. 16. vocem הַיּוֹנָה verterunt Ἑλληνικῆς, ſic: ἀπὸ προσώπου μαχαίρας Ἑλληνικῆς, *à facie gladii Græci.* Attendebant ad יָוָן filium Japheth, & mutatis punctis, יוֹן, à quo Græci Ἴωνες *Iones* dicti ſunt. Verum his in locis de Græcis ſermo non eſt, ſed de Babyloniis & Perſis. S. Hieron. ubique interpretatur *à facie iræ columbæ*; יוֹנָה enim & *columbam*, & *opprimentem* ſignificat. Columba autem ſignificari volunt Chaldæos, qui in vexillis & labaris ſuis præferebant columbam; idque, ut notat Diodorus Siculus, in honorem & memoriam Semiramidis primæ Babyloniorum reginæ à columbis, ut ſcribit Gnidius, enutritæ, ac poſt mortem in columbam converſæ, ut vulgus credidit. Aq. Sym. Theod. cap. 25. v. 38. ἀπὸ προσώπου ὀργῆς τῆς μεγάλης, *à facie iræ magnæ.*

In novo Teſtamento hæc ellipſeos ſubſtantivi exempla legere eſt.

Matth. 10. v. 42. *Quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis*, ποτήριον ψυχροῦ, *calicem frigidæ*, ſupp. ὕδατος *aquæ*; quod ſupplementum in quibuſdam mſſ. codd. legitur, & à Vulg. additum eſt.

Ibid. cap. 11. v. 8. *qui mollibus veſtiuntur*,

ſupp. *ἱματίοις veſtibus*; quæ vox in priori hujus verſiculi membro ponitur in Græco communi, nam in mſ. Cantabrigienſi abeſt, neque à Vulg. redditur.

Luc. 12. v. 47. *δαρήσεται πολλάς, vapulabit multis*, ſupp. *πληγὰς plagis.*

Cap. 14. v. 18. *Et cœperunt ἀπὸ μιᾶς, ab una ſe excuſare omnes*, ſupp. *γνώμης ſententia*, aut *φωνῆς voce*, aut *βουλῆς ſententia*, aut *ὥρας hora*. Vulg. *ſimul.*

Act. 19. v. 35. *Quis eſt hominum, qui neſciat Epheſiorum civitatem cultricem eſſe magnæ Dianæ, καὶ τοῦ Διοπετοῦς; & à Jove delapſi?* ſupp. *ἀγάλματος ſimulachri*, quod Dianæ ſimulachrum è cœlo delapſum populis perſuaſere Deæ hujus ſacerdotes, quia ejus fabricatio omnem memoriam ſuperabat. Idem Numa perſuaſit Romanis de ancilibus, & Aſiatici de Peſſinuncio ſuo ſimulachro. Euripides de Tauricæ Dianæ ſimulachro: *λαβεῖν τ᾽ ἄγαλμα θεᾶς ὅ φασιν ἐνθάδε εἰς τούσδε ναοὺς οὐρανοῦ πεσεῖν ἄπο, accipere ſimulachrum Deæ, quod in hæc templa de cœlo cecidiſſe dicunt.* Idem poſtea vocat *διοπετὲς ἄγαλμα, ſimulachrum à Jove delapſum.* Jovem autem pro cœlo dici, Græcis frequens eſt.

Apoc. 3. v. 4. *Ambulabunt mecum ἐν λευκοῖς, in albis*, ſup. veſtibus.

Sic apud profanos auctores Græcos, *πρὸς ὀρθὴν* ſupp. *γραμμὴν*, ad *rectam* lineam. Syneſ. *ἐκ νέας* ſupp. *ἡλικίας, ab ineunte ætate.*

Huc pertinet cum adjectivum reſpondet ſubſtantivo, quod cum altero ſubſtantivo conſtructum eſt; tunc enim ſubſtantivum abſolutum ſubintelligitur; nam convenientia eſt inter voces integras, non ob ſtructuram immutatas.

Pſal. 17. Heb. 18. v. 31. אִמְרַת יְהוָה צְרוּפָה *ſermo Domini igne conflatus*, i. purus eſt; ſupple abſolutum אִמְרָה ante צְרוּפָה, ſic: אִמְרַת יְהוָה אִמְרָה צְרוּפָה *ſermo Domini, ſermo igne conflatus*, ſeu *purus* eſt.

Pſal. 18. Heb. 19. v. 8. תּוֹרַת יְהוָה תְּמִימָה *Lex Domini perfecta* eſt, repete תּוֹרָה ante תְּמִימָה.

Ibid. v. 9. פִּקּוּדֵי יְהוָה יְשָׁרִים *præcepta Domini recta* ſunt, ſubintellige פִּקּוּדִים ante יְשָׁרִים.

Ibid. v. 10. יִרְאַת יְהוָה טְהוֹרָה *timor Domini purus* eſt, ſupple יִרְאָה ante טְהוֹרָה.

Plenæ loquutionis hujus exemplum legere eſt Pſal. 11. Heb. 12. v. 7. אִמְרוֹת יְהוָה אֲמָרוֹת טְהֹרוֹת *eloquia Domini, eloquia munda* ſunt.

Adjectivi, conſtructionem quod attinet, enallage.

CANON VIII.

SUBSTANTIVO plurali adjectivum ſingulare quandoque jungitur, quo diſtributio, ſeu partitio, denotatur.

Pſal. 77. Heb. 78. v. 15. *Et potum dedit eis* בִּתְהֹמוֹת רַבָּה *in abyſſis magna*, h. e. quaque abyſſorum magnarum. In aliis codicibus legitur כִּתְהֹמוֹת *ſicut* (in) *abyſſis*, cum כ pro ב.

Pſal. 118. Heb. 119 v. 137. *Juſtus es Domine*, וְיָשָׁר מִשְׁפָּטֶיךָ *& rectum eſt judicia tua*, h. e. quodque judiciorum tuorum. Niſi (י) nota pluralis numeri, ſit antiqua vocalis *e*, tuncque locum non habet enallage.

Iſai. 16. v. 8. שַׁדְמוֹת חֶשְׁבּוֹן אֻמְלָל *Arva Heſebonis languidum eſt*, i. quodque arvum; ubi inſuper in Hebræo eſt enallage generis; ſubſtantivum enim femin. eſt, adjectivum vero maſculinum.

Huc pertinet nomen Toár רֹעֵה, Gen. 47. v. 3. רֹעֵה *paſtor ovium ſervi tui ſunt*, pro paſtores, h. e. ſervorum tuorum quilibet paſtor eſt ovium.

Sic apud profanos. Terent. Eunuch. Act. IV. Scen. III. Verſ. VII. *Neſcio quid profecto abſente nobis turbatum eſt domi*, h. e. abſente unoquoque noſtrûm. Sic Varro, *præſente legatis omnibus*. Pomponius, *præſente amicis.* Catullus carm. CIV. *inſperanti nobis.* Tibullus lib. III. Eleg. ult. *nobis merenti.* Vide Donatum ad locum Terentii mox laudatum, & Voſſium in Ariſtarcho, cap. 55. de conſtruct. pag. 532. edit. Amſtelod. 1662.

CANON IX.

DUOBUS ſubſtantivis pluralibus diverſi generis, ſubjicitur adjectivum in genere maſculino, tamquam digniore.

Deut. 28. v. 32. בָּנֶיךָ וּבְנֹתֶיךָ נְתֻנִים, *filii tui, & filiæ tuæ traditi* (erunt) *populo alteri.*

3. Reg. 7. v. 5. כָּל־הַפְּתָחִים וְהַמְּזוּזוֹת רְבֻעִים *omnes portæ & poſtes quadratæ*, ita Lxx. ac in Vulg. hæc verba deſiderantur.

Job. 1. v. 13. וּבָנָיו וּבְנֹתָיו אֹכְלִים *& filii ejus, & filiæ ejus comedentes* erant.

2. Eſd. 9. v. 13. חֻקִּים וּמִצְוֹת טוֹבִים, *ſtatuta & præcepta bona.* His in exemplis adjectiva maſc. ſunt, & ſubſtantivis maſc. reſpondent.

CANON X.

QUANDOQUE duobus, vel pluribus ſubſtantivis, adjectivum jungitur, quod cum propiore tantum convenit.

Jerem. 7. v. 20. אַפִּי וַחֲמָתִי נִתֶּכֶת *furor meus, & indignatio mea fuſa* eſt, Vulg. *conflatur.* Adjectivum convenit cum וַחֲמָתִי fem. quamvis præceſſerit אַפִּי maſc.

Ezech. 1. v. 11. וּפְנֵיהֶם וְכַנְפֵיהֶם פְּרֻדוֹת *vultus eorum & alæ eorum extentæ.* Adjectivum convenit cum voce וְכַנְפֵיהֶם, quæ eſt feminini generis.

CANON XI.

QUANDOQUE duobus ſubſtantivis ſubjicitur adjectivum conveniens poſteriori, cum convenire deberet priori.

Gen. 4. v. 10. דְּמֵי אָחִיךָ צֹעֲקִים *Vox ſanguinum fratris tui clamantium ad me* eſt, h. e. clamans eſt, vel ut Lxx. βοᾷ, Vulg. *clamat.* Alii enallagen hic non agnoſcunt. Confer Heb. 12. v. 24.

Exod. 25. v. 5. וְעֹרֹת אֵילִם מְאָדָּמִים *& pelles arietum rubro tinctorum*, h. e. rubro tinctas, ſive, ut Vulg. *rubricatas.*

1. Reg. 2. v. 4. קֶשֶׁת גִּבֹּרִים חַתִּים *arcus fortium fractorum*, pro חַתָּה *fractus.* Vulg. *ſuperatus eſt.*

3. Reg. 17. v. 16. וְצַפַּחַת שֶׁמֶן לֹא חָסֵר *& ampula olei non* (erit) *deficiens*,

Huc etiam referunt illud Act. 5. v. 20. *Loquimini populo* πάντα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης, *omnia verba vitæ hujus*, pro πάντα τὰ ῥήματα ζωῆς ταῦτα, omnia hæc verba vitæ, ut legit Syrus interpres. Vide etiam c. 13. v. 26.

CANON XII.

DUOBUS, vel pluribus ſubſtantivis ſingularibus, ſive unius, ſive diverſi ſint generis, jungitur adjectivum plurale genere maſculino.

Gen. 18. v. 11. אַבְרָהָם וְשָׂרָה זְקֵנִים *Abraham & Sara ſenes* erant.

2. Reg. 1. v. 23. שָׁאוּל וִיהוֹנָתָן הַנֶּאֱהָבִים *Saül & Jonathan amabiles.*

3. Reg. 1. v. 21. אֲנִי וּבְנִי שְׁלֹמֹה חַטָּאִים *Ego* (loquitur Bethſabee) *& filius meus Salomon peccatores* erimus.

Jerem. 34. v. 9. הָעִבְרִי וְהָעִבְרִיָּה חָפְשִׁים *Hebræum & Hebræam liberos.* Vide etiam Pſal. 96. Heb. 97. v. 2. in סְבִיבָיו.

Digitized by Google

§. III.

De adjectivi comparatione, ſeu de comparativo gradu.

HEBRÆI, pro comparandi gradu exprimendo, adjectiva non inflectunt, ſicuti Græci & Latini; ſed præpoſitione מִן, vel מ *præ* utuntur, quam præponunt poſitivo.

Eccle. 4. v. 9. טוֹבִים הַשְּׁנַיִם מִן־הָאֶחָד *boni ſunt duo præ uno*, i. meliores.

Amos 6. v. 2. הֲטוֹבִים מִן־הַמַּמְלָכוֹת הָאֵלֶּה *an boni ſunt præ regnis illis?* h. e. meliores.

Agg. 2. v. 10. גָּדוֹל *magna erit gloria domus hujus poſterioris*, מִן־הָרִאשׁוֹן *præ priori illa*, i. major, præſtantior. Vide & Ezech. 28. v. 3. Amos. 6. v. 2.

Jud. 11. v. 25. *An bonus es* מִבָּלָק *præ Balaq?* h. e. melior.

Prov. 8. v. 11. *Bona eſt ſapientia* מִפְּנִינִים *præ margaritis*, i. melior.

Iſai. 54. v. 1. *multi ſunt filiæ deſertæ*, מִבְּנֵי *præ filiis maritatæ*, Vulg. *ejus quæ habet virum*, h. e. plures ſunt filii deſertæ, filiis maritatæ. Vide Galat. 4. v. 27.

Rabbini in his loquutionibus uſurpant etiam particulam יוֹתֵר *magis*, ſervata præpoſitione מ, vel מִן, quæ per *quam* explicatur, ut: גְּדוֹלָה תּוֹרָה יוֹתֵר מֵחָכְמָה *magna eſt lex magis præ ſapientia*, h. e. quam ſapientia. Huic loquendi modo conſonat illud Act. 20. v. 35. *μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον, ἢ λαμβάνειν*, *beatum eſt magis, dare quam accipere*, i. beatius eſt.

§. IV.

De ſuperlativo gradu.

SUPERLATIVUM gradum terminatione cum non habeant Hebræi, illum circumſcribendo exprimunt, cum in genere, tum in ſpecie.

I. In Genere, efferunt ſuperlativum

I. Per continuam adjectivi repetitionem.

Gen. 25. v. 30. *Da mihi* מִן הָאָדֹם הָאָדֹם *de ruſo, ruſo iſto*, ſup. הַבָּשִׁיל *edulio*, h. e. da mihi de edulio iſto valde ruſo.

1. Reg. 2. v. 3. *Ne loquamini* גְּבֹהָה גְבֹהָה *elatum, elatum*, i. elatiſſime, ſuperbiſſime.

Prov. 20. v. 14. רַע רַע *malum, malum eſt, ait emtor*, h. e. peſſimum.

Eccle. 7. v. 25. וְעָמֹק עָמֹק *& profundum profundum* quiddam eſt ſapientia, h. e. profundiſſimum quid. Vulg. *alta profunditas*.

Iſai. 6. v. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum*, i. ſanctiſſimus. Chriſtiani quidam hac trina repetitione, Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium ſignificari volunt.

Adjectivo tamen repetito, ſuperlativus ſemper non exprimitur, ut Num. 3. v. 9. *Et dabis Levitas Aaroni ac filiis ejus*, נְתוּנִם נְתוּנִם *donati, donati ſunt ei & filiis ejus*, h. e. certiſſime donati ſunt; hac enim repetitione non ſuperlativus gradus, ſed certa donatio ſignificatur.

II. Per ſubſtantivum in genitivo caſu ſeipſum regens.

Gen. 9. v. 25. *Chanaan erit* עֶבֶד עֲבָדִים *ſervus ſervorum*, h. e. viliſſima ſervitute preſſus, & fratribus ſuis addictus. Sic Summi Pontifices ſuis in diplomatibus vocant ſe *ſervos ſervorum Dei*, i. ſervos humillimos.

Exod. 26. v. 33. *Et dividet vobis velum inter ſanctitatem*, וּבֵין קֹדֶשׁ הַקֳּדָשִׁים *& inter ſanctitatem ſanctitatum*, i. ſanctiſſimum locum in

Tabernaculo, ſive Templo, qui locus ſanctuarium appellabatur.

Num. 3. v. 32. *Princeps principum Levi*, i. ſummus princeps ordinis Levitici.

Deut. 10. v. 17. *Deus Deorum, & Dominus Dominantium*, h. e. ſupremus omnium Deus & Dominus.

3. Reg. 8. v. 27. *Cœli cœlorum*, i. cœli altiſſimi.

Eccle. 1. v. 2. *Vanitas vanitatum*, h. e. vanitas maxima.

Cant. c. 1. v. 1. *Canticum canticorum*, i. canticum præſtantiſſimum.

Oſe. 10. v. 15. *propter malitiam malitiæ veſtræ*, h. e. ſummam malitiam veſtram, ſummamque perverſitatem.

1. Tim. 6. v. 15. Deus vocatur ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριος τῶν κυριευόντων, *rex regum, & Dominus Dominantium*, h. e. ſummus rex & Dominus. In hoc exemplo non nomen ſeipſum regit, ſed nomen conjugatum. Verum idem ſemper idiotiſmus.

Apoc. 1. v. 6. *Ipſi gloria* .... εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, *in ſæcula ſæculorum*, i. in ſæcula infinita.

Sic in profanis. Sophocl. in Elect. δειλαία δειλαίων *infelix infelicium*, h. e. infeliciſſima.

Virg. Æneid. l. 7. v. 266. *Pax*, al. *Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe tyranni*, i. maxima pax.

Superlativum gradum exprimunt etiam duo ſubſtantiva ſynonyma per copulam ו conjuncta, ut: Ezech. 35. v. 3. שְׁמָמָה וּמְשַׁמָּה *deſolationem & deſolationem*, h. e. deſolatiſſimam. Vide etiam v. 7.

III. Per adjectivum regens ablativum cum præpoſitione ב *in*.

Joſ. 14. v. 15. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariat Arbe* (i. urbs Arbe, qui) *homo magnus fuit* בָּעֲנָקִים *in*, vel *inter Anakæos*. Vulg. *Enacim*, i. maximus Anakæorum.

1. Reg. 17. v. 12. *Vir ille* (Iſai) ... *ſenex venerat* בָּאֲנָשִׁים *in hominibus*, vel *inter homines*, h. e. maxime ſenuerat præ ceteris hominibus, erat valde ſenex.

Pſal. 93. Heb. 94. v. 8. *Intelligite inſipientes in populo*, h. e. populorum inſipientiſſimi.

Prov. 30. v. 30. *Leo fortis in beſtiis*, i. *fortiſſimus beſtiarum*, Vulg.

Cant. 1. v. 8. *Pulchra in mulieribus*, h. e. mulierum pulcherrima. Vulg. *pulcherrima inter mulieres.*

Jerem. 49. v. 15. *Ecce parvum in gentibus dedi te, & contemtum in hominibus*, h. e. minimum gentium, contemtiſſimumque hominum.

Luc. 1. v. 28. εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, *benedicta tu in mulieribus*, i. benedictiſſima mulierum.

Et ſine præpoſitione, ſubſtantivoque in genitivo caſu per adjectivum recto.

4. Reg. 10. v. 6. גְּדֹלֵי הָעִיר *magni urbis*, i. *optimates*, Vulg.

2. Paral. 21. v. 17. קְטֹן בָּנָיו *parvus filiorum ejus*, i. *minimus natu*, Vulg.

Prov. 30. v. 24. *Quatuor ſunt* קְטַנֵּי אָרֶץ *parva terræ*, h. e. *minima*, Vulg.

Iſai. 23. v. 8. *honorati terræ*, i. honoratiſſimi in terra.

Ezech. 28. v. 7. *feroces gentium*, h. e. ferociſſimi. Vulg. *robuſtiſſimi gentium.*

Sic apud Hom. Iliad. α. v. 540. δολομῆτα θεῶν, *aſtute Deorum*, i. aſtutiſſime. Virg. Æneid. lib. 4. v. 576. *ſequimur te ſancte Deorum*, h. e. ſanctiſſime.

Eumdem ſenſum efficit affixum cum adjectivo junctum. Jon. 3. v. 5. מִגְּדוֹלָם *à magno eorum*, i. à maximo, Vulg. à *majore* eorum, וְעַד־קְטַנָּם *& ad parvum eorum*, h. e. minimum, Vulg. *minorem.*

IV. Quandoque per nomen abſtractum pro concreto, ſeu adjectivo, poſitum.

Gen. 3. v. 6. *Viditque mulier, quod bonum eſſet lignum* (arbor) *ad veſcendum, &* תַאֲוָה *deſiderium oculis*, i. deſideratiſſimum.

Gen. 12. v. 2. *eriſque* בְּרָכָה *benedictio*, i. benedictiſſimus.

Cant. 5. v. 19. *Guttur illius* מַמְתַקִּים *dulcedines, ſuavitates*, Vulg. *ſuaviſſimum; & totus ipſe* (dilectus eſt) מַחֲמַדִּים *deſideria*, hoc eſt, deſideratiſſimus.

Ezech. 35. v. 15. שְׁמָמָה *deſolatio erit mons Seir*, h. e. deſolatiſſimus.

Dan. 9. v. 23. *Quia* חֲמוּדוֹת *deſideria tu es*, i. deſideratiſſimus. Theod. ἀνὴρ ἐπιθυμιῶν, Vulg. *vir deſideriorum*, Sym. ἀνὴρ ἐπιθυμητὸς, *vir deſiderabilis*, &c. Vide ſup. p. 460. col. 1. in fine.

V. Per adverbium intendendi מְאֹד *valde* adjectivo adpoſitum.

Gen. 1. v. ult. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant* מְאֹד *valde bona*, i. optima.

Jerem. 24. v. 3. …. *ficus bonas, bonas* מאד *valde*, h. e. optimas; *& ficus malas, malas* מְאֹד *valde*, i. peſſimas.

Quod ſi adverbium iſtud repetatur, auget emphaſin. Num. 14. v. 7. *Bona eſt terra* מְאֹד מְאֹד *valde valde*, h. e. perquam optima.

Matth. 2. v. 10. *Gavisi ſunt* (Magi) *gaudio magno σφόδρα valde*, i. maximo. Sic Demoſthenes hominem ditiſſimum vocat *σφόδρα πλούσιον*. Iſoc. *λίαν πικρῶς amariſſime*. Plutarch. *σφόδρα ἑτοίμως promptiſſime*, &c.

VI. Per ſyllabæ, vel literæ in ſubſtantivo repetitionem, *quæ ad intendendam ſignificationem, reique duplicationem facit*, ut ſcribit Qimhhi in Oſe. 8. v. 7. & Pſal. 3. v. 1.

Exod. 15. v. 16. אֵימָתָה *maximus terror*, ab אֵימָה *terror*, cujus ultima litera ה mutatur in ת, & præterea additur aliud ה nota femin. gen. Vide ſupra pag. 50. Sic: יְשׁוּעָתָה *maxima ſalus*, Pſal. 3. v. 3. à יְשׁוּעָה *ſalus*. עֶזְרָתָה *omnimodum auxilium*, Pſal. 43. Heb. 44. v. 27. Pſal. 62. Heb. 63. v. 8. ab עֶזְרָה *auxilium*. צָרָתָה *maxima anguſtia*, Pſal. 119. Heb. 120. v. 1. à צָרָה *anguſtia*. עַוְלָתָה *ſumma nequitia*, Job. 5. v. 16. ab עַוְלָה *nequitia*. עֵיפָתָה *maxima obſcuritas*, Job. 10. v. 22. ab עֵיפָה *obſcuritas*. סוּפָתָה *ingens procella*, Oſe. 8. v. 7. à סוּפָה *procella*, &c.

In alia forma, geminatis nempe radicalibus, חַלְחָלָה *dolor maximus*, Nehem. 2. v. 10. à חוּל *dolere*. צְפַצְפָה *circumſpectio accuratiſſima*, à צָפָה *contemplatus eſt*. פְּקַח־קוֹחַ *omnimoda apertio*, Iſai. 61. v. 1. ubi ſcribitur ut duæ voces, ſed unica eſt conſtans ex geminatis duabus ultimis literis radicalibus, à פָּקַח *aperuit*. זְנוּנִים *ſcortationes maximæ*, Oſe. 2. v. 2. à זָנָה *ſcortatus eſt*. Ibidem נַאֲפוּפִים *adulteria maxima*, à נָאַף *adulteravit*.

In adjectivis. Jerem. 46. v. 20. יְפֵה־פִיָּה *pulcherrima*, à יָפֶה *pulcher*. *Quod nomen*, inquit Qimhhi, *ſcribitur ut duæ dictiones, ſignificatio autem unius eſt, & ſecunda ac tertia radicalis geminatæ ſunt, ad ſummam pulchritudinem indicandam*.

In verbis. Pſal. 44. Heb. 45. v. 3. יָפְיָפִיתָ iophiaphitha *pulcherrimus effectus es*, in puál verbi יָפָה *pulcher fuit*. Sic Thren. 1. v. 20. *viſcera mea* חֳמַרְמָרוּ *maxime turbata ſunt*, ab חָמַר *turbari*, in puál. Confer. Thren. 2. v. 11. Job. 16. v. 16. Pſal. 45. Heb. 46. v. 4. Iſai. 57. v. 24. Eamdem regulam ſtatuit Aben-Eſra Pſal. 45. Heb. 46. *Cùm*, inquit, *prima & ſecunda thematis geminantur, hoc fit ad auxeſin ſignificationis; cum ſecunda & tertia; hoc fit ad diminutionem ſignificationis*.

II. In ſpecie, ſuperlativus gradus effertur quibuſdam vocibus, quæ miram emphaſin ac intenſionem in Lingua Sancta obtinent. Illæ autem ſunt

I. בְּכוֹר *primogenitus*, quo nomine in Scripturis vocatur, quod in ſuo genere excellit & ſummum eſt. Metaphora autem deſumitur ex nobilitate & præſtantia juris primogenitorum; eaque vox tam in *bonum*, quam in *malum* uſurpatur.

Pſal. 88. Heb. 89. v. 28. *Ego* בְּכוֹר *primogenitum ponam illum* (Chriſtum), *excelſum in regibus terræ*, hoc eſt, mirum in modum exaltabo illum, & glorificabo in regibus, vel inter reges terræ.

Job. 18. v. 13. *Comedat ramos ejus* (impii) בְּכוֹר מָוֶת *primogenitus mortis*, i. mors cruentiſſima. Vulg. *conſumat brachia ejus primogenita mors*.

Iſai. 14. v. 30. *Paſcentur primogeniti pauperum*, i. Judæi pauperrimi, multiſque calamitatibus attriti. Sic cum verbo inde deducto:

Ezech. 47. v. 12. *Per ſingulos menſes* יְבַכֵּר *primogenitabit* (arbor pomifera) h. e. fructus præſtantiſſimos afferet.

Col. 1. v. 15. Chriſtus æternus Dei filius dicitur *πρωτότοκος πάσης κτίσεως*, *primogenitus omnis creaturæ*, h. e. princeps & Dominus omnium creaturarum, non ut creatura, ſed ut creaturarum opifex & conditor. Quæ explicatio ſtatim in textu ſubjungitur, v. 16. *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa.... omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt*. V. 17. *Et ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant*, &c. Præterea Chriſtus vocatur primogenitus omnis creaturæ, quod à Patre ab æterno

Digitized by Google

genitus ſit antequam ulla creatura fieret. Quod autem ante omnem creaturam fuiſſe dicitur, ſimpliciter æternum eſt, Pſal. 89. Heb. 90. v. 2. Prov. 8. v. 22. ſeqq. quo ex ultimo loco deſumta videtur vox ab Apoſtolo uſurpata.

Ibidem, v. 18. & Apoc. 1. v. 5. Chriſtus dicitur *πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν*, *primogenitus ex mortuis*, h. e. præſtantiſſimus; ſequitur enim: *ut ſit ipſe in omnibus πρωτεύων*, *primatum tenens*. Præſtantiſſimus igitur reſurgentium eſt Chriſtus, *tum* ratione perſonæ, quæ Divina eſt, *tum* ratione potentiæ & operationis; illius enim merito & virtute omnes credentes ad vitam reſurgent.

II. חֵלֶב *adeps*, ſive *medulla*, quæ pro optimo cujuſque rei ponitur.

Gen. 45. v. 18. *ut comedatis* אֶת־חֵלֶב הָאָרֶץ *adipem*, Vulg. *medullam terræ*, h. e. fructus terræ ſelectiſſimos. Ubi ſimul cauſæ efficientis metonymia eſt, neque enim pinguedinem terræ, ſed fructus optimos, quos illa producit, comedunt homines. Quod Græcis *στέαρ πυροῦ*, *pinguedo tritici* dicitur, illud Suidas *κάλλιστον σῖτον*, *pulcherrimum*, aut *optimum triticum* interpretatur. Alia exempla vide Num. 18. vv. 12. 29. 30. 32. Deut. 32. v. 14. Pſal. 80. Heb. 81. v. ult.

III. Nomina Dei אֵל, אֱלֹהִים, יְהוָה, quibus, quod eſt excellentiſſimum, aut maximum & vehementiſſimum ſignificatur, ſuperlativo gradui exprimendo ſerviunt; *rem enim, quam vult* (Scriptura Sacra) *magnificare, eam jungit Deo*, ut ſcribit Qimhhi in 1. Reg. c. 26. Idem in Pſal. 64. Heb. 65. *Vox Elohim eſt cognomen rei maximæ & admirabilis.*

Gen. 23. v. 6. נְשִׂיא אֱלֹהִים *princeps Dei es apud nos*, h. e. princeps maximus.

Gen. 30. v. 8. נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים *luctationibus Dei*, hoc eſt, vehementiſſimis & graviſſimis.

Gen. 35. v. 5. חִתַּת אֱלֹהִים *terror Dei*, i. maximus.

1. Reg. 14. v. 15. *trepidatio Dei*, h. e. graviſſima.

Ibid. c. 26. v. 12. תַּרְדֵּמַת יְהוָה *ſopor Domini*, i. graviſſimus.

2. Paral. 28. v. 13. *reatus Domini*, h. e. graviſſimus.

Job. 1. v. 16. *ignis Dei*, hoc eſt, maximus & terribilis.

Pſal. 35. Heb. 36. v. 7. הַרְרֵי אֵל *montes Dei*, h. e. maximi.

Pſal. 64. Heb. 65. v. 10. *rivus Dei*, i. præſtantiſſimus & maximus.

Pſal. 79. Heb. 80. v. 11. אַרְזֵי אֵל *cedri Dei*, h. e. proceriſſimæ.

Pſal. 103. Heb. 104. v. 16. *ſaturabuntur* עֲצֵי יְהוָה *ligna Domini*, i. arbores celciſſimæ. Lxx. *τὰ ξύλα τοῦ πεδίου* *ligna campi*, pro יְהוָה legiſſe videntur שָׂדֶה, facto שׂ ex (ְ) & ה, ac mutato ו in ד. Ceteri interpretes Græci, teſte Euſebio & 2. mſſ. codd. regiis, verterunt *τὰ ξύλα τοῦ κυρίου*, S. Hieron. *ligna Domini.*

Huc etiam pertinent 1°. Vocabula, quæ cum Dei nomine componuntur.

Cant. 8. v. 6. *carbones ejus* (amoris, ſive æmulationis) *carbones* (ſunt) *ignis* שַׁלְהֶבֶתְיָה *flammæ Domini*, ſive qui eſt flamma Domini, i. ardentiſſima & maxima. Ex שֶׁ, & cum (ַ) pro (ֶ), שַׁ, vide ſupra pag. 74. col. 1. in fine, *qui, quæ, quod*, לַהֶבֶת *flamma*, & יָהּ *Deus*, ſive *Dominus*. Exemplaria quædam etiam accuratiſſima, pro שַׁלְהֶבֶתְיָה habent שַׁלְהֶבֶתְיָה ſine mappiq in ה; & cum duabus vocibus per maqqaph conjunctis, שַׁלְהֶבֶת־יָהּ.

Jerem. 2. v. 31. *Terra* מַאְפֵּלְיָה *caliginis Domini*, h. e. maximæ. Ex מַאְפֵּל *caligo*, & יָהּ *Dominus*. 2°. Quando nomen Divinum cum præfixo componitur.

Ruth. 2. v. 20. *Benedictus ſit ille* לַיהוָה *Domino*, h. e. omnibus modis benedictus.

Ibid. 3. v. 10. *Benedicta es* לַיהוָה *Domino*, h. e. benedictiſſima.

Iſai. 28. v. 2. *Validus & fortis* לַאדֹנָי *Domino*, i. validiſſimus & fortiſſimus. Vulg. *Validus & fortis Dominus*, ל ut proſthethicum accepit.

Jon. 3. v. 3. *civitas magna* לֵאלֹהִים *Domino*, h. e. maxima.

In Novo Teſt. Act. 7. v. 20. *Eodem tempore natus eſt Moyſes, & fuit ἀστεῖος τῷ θεῷ pulcher Deo*, h. e. pulcherrimus.

2. Cor. 10. v. 4. *Arma militiæ noſtræ ..... potentia ſunt τῷ θεῷ Deo*, h. e. potentiſſima.

§. V.

§. V.

De Graduum inter ſe enallage, ſeu permutatione.

ISTHÆC enallage locum habet in Novo Teſtamento, cujus lingua comparativi & ſuperlativi diſtinctam terminationem agnoſcit.

CANON I.

POSITIVUS pro comparativo ponitur, quam enallagen Atticorum dialecto adſcribunt Græci.

Matth. 18. v. 8. καλόν σοι, *bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum*, ἢ *quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum*, h. e. κάλλιον *melius eſt.*

Luc. 18. v. 14. *Deſcendit hic* (publicanus) δεδικαιωμένος, *juſtificatus*, ἢ ἐκεῖνος *quam ille* (Phariſæus), h. e. magis juſtificatus. Vulg. *ab illo*, legebat παρ' ἐκεῖνον, ut habent quidam mſſ. codd.

Sic in V. Teſt. Græca verſione, Pſal. 117. Heb. 118. v. 8. ἀγαθὸν πεποιθέναι ἐπὶ κύριον, ἢ πεποιθέναι ἐπ' ἄνθρωπον, *bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine*, h. e. melius eſt, &c.

Homer. Iliad. α. v. 117. βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι, *volo ego populum ſervari, quam perire*, i. malo populum, &c.

Menand. καλὸν τὸ μὴ ζῆν ἐστὶν, ἢ ζῆν ἀθλίως, *bonum eſt non vivere, quam miſere vivere*, h. e. melius eſt.

Apud Latinos. Plaut. in Rud. *Tacita mulier bona eſt ſemper, quam loquens*, h. e. melior. Tacitus. *Claris majoribus, quam vetuſtis*, h. e. clarioribus. Seneca lib. 1. de ira, *Vir ingenii magni, quam boni*, h. e. majoris. Alii ſubintellectum volunt adverbium μᾶλλον *magis*, quod in verbis neceſſario eſt ſubintelligendum.

Poſitivus pro ſuperlativo interdum etiam ponitur, ut: Matth. 22. v. 36. *Magiſter, quod eſt* ἐντολὴ μεγάλη, *mandatum magnum in Lege?* h. e. mandatum maximum, ut liquet ex reſponſione Chriſti v. 38. *Hoc eſt maximum & primum mandatum.* Ita Vulg. interpres Latinus, qui in ſuo codice legebat μεγίστη, ut habet mſſ. Veleſii. Conf. Marc. 12. vv. 28. 29.

CANON II.

SUPERLATIVUS pro comparativo quandoque ponitur.

Joan. 1. vv. 15. 30. ὅτι πρῶτός μου ἦν, Vulg. *quia prior me erat*, utpote verus Dei filius ab æterno exiſtens. πρῶτος igitur eo loci eſt loco πρότερος. πρῶτος autem ſuperlativus eſt ex πρό, comparativus πρότερος, ſuperlativus πρότατος, per ſyncopen πρόατος, deinde per craſin πρῶτος.

Joan. c. 15. v. 18. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me* πρῶτον ὑμῶν, *primum vobis odio habuit*, h. e. πρότερον *priorem*, Vulg.

1. Cor. 14. v. 30. *Quod ſi alii revelatum fuerit ſedenti*, ὁ πρῶτος *primus taceat*, i. *prior*, Vulg.

1. Joan. 4. v. 19. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus* πρῶτος *primus dilexit nos*, h. e. *prior*, Vulg.

Apoc. 13. v. 12. *Et poteſtatem* τοῦ πρώτου, *primæ beſtiæ omnem faciebat coram eo*, h. e. *prioris beſtiæ*, Vulg.

Quidam hac enallage explicant illud Luc. 2. v. 2. αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, *Hæc deſcriptio prior erat ea, quæ facta eſt à præſide Syriæ Cyrenio*, quem Tacitus *Quirinium* vocat. Secundum hanc interpretationem πρώτη eſt loco προ-

τέρα. Inſuper ſubaudiendus eſt articulus τῆς hoc modo: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη (i. προτέρα) ἐγένετο τῆς (ſupp. ἡγουμένης) ἡγεμονεύοντος, &c. Deſcriptionis autem alterius à Quirinio factæ mentio fit Act. 5. v. 37. Nempe decem annis poſt eam, quæ naſcente Chriſto contigit, ſecundum Uſſerium; nam eo tempore, quo natus eſt Chriſtus, & facta hæc deſcriptio, Syriæ præerat Sentius Saturninus, teſte Tertulliano in Marc. l. 4. c. 19. & Joſeph. antiq. l. 17. c. 7.

Alii exiſtimant hanc Lucæ deſcriptionem factam per Quirinium, non Syriæ præſidem, ſed Sentio Saturnino, juſſu Cæſaris, adjunctum. Neque huic ſententiæ adverſatur vox ἡγεμονεύοντος; ea ſiquidem de quavis poteſtate, præſertim majore, uſurpatur. Hinc Joſephus de his temporibus agens, Volumnium, quem Saturnino adjungit, vocat ἡγέμονα, l. 16. antiq. c. 17. cum tamen Volumnius ἐπίτροπος tantum fuerit, i. *procurator*, ut eum appellat idem Joſephus l. 1. de bello Jud. c. 17. Quirinii autem potius quam Saturnini meminit Lucas, quod præſentem deſcriptionem cum altera poſt decennium ſub eodem Quirinio facta, conferre voluerit.

Sunt nonnulli, qui hunc textum ſic explicent: *Hæc autem deſcriptio prior erat Quirinio Syriæ præſide*, ſeu antequam Syriæ præeſſet Quirinius. Vide R. P. Calmetum, Schmidium, &c.

CANON III.

COMPARATIVUS pro ſuperlativo interdum uſurpatur.

Matth. 11. v. 11. ὁ μικρότερος, *qui minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo* (Joanne Baptiſta), h. e. qui minimus eſt, ὁ μικρότατος.

Matth. 13. v. 32. *Quod* (granum ſinapis) μικρότερον, *minus quidem eſt omnibus ſeminibus*, i. *minimum*, Vulg. *cum autem creverit*, μεῖζον *majus eſt omnibus oleribus*, h. e. maximum. Sic Marc. 4. vv. 31. 32.

Matth. 18. v. 1. *Quis putas* μείζων *major eſt in regno cœlorum?* h. e. μέγιστος maximus. Confer v. 4. c. 23. v. 11.

Joan. 10. v. 29. *Pater meus*, ὃς δέδωκέ μοι, *qui dedit mihi* (oves iſtas), μείζων *major eſt omnibus*, h. e. maximus. Vulg. *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt*, pro ὃς legebat ὅ, & pro μείζων in maſc. gen. μεῖζον in neutro. Sic etiam habent codd. Veleſii, Hilar. Auguſt. & Cyril. Mſ. Alex. legit etiam μεῖζον. Vide Nov. Teſt. D. Mill. p. 227. col. 2.

1. Cor. 15. v. 19. *Si in hac vita tantum ſperantes ſumus in Chriſto*, ἐλεεινότεροι *miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*, h. e. miſerrimi.

2. Pet. 1. v. 19. *habemus* βεβαιότερον *firmiorem propheticum ſermonem*, h. e. βεβαιότατον *firmiſſimum*.

Nilus. πάντων χαλεπώτερόν ἐστιν ἄρχειν ψυχῶν, h. e. χαλεπώτατον, *omnium difficillimum eſt animabus præeſſe*.

Syneſius. μακρῷ πάντων βαρύτερος, pro βαρύτατος, *longe omnium graviſſimus*.

Prudentius hym. 12. *O ſola magnarum urbium major Bethleem!* i. maxima. Q. Curt. *Duo majora omnium navigia*, i. maxima.

§. VI.

De Nominum Hebræorum genere.

CANON I.

IN nominibus & pronominibus, pro neutro genere, quo caret Lingua Sancta, Hebræi cum maſculino, tum feminino utuntur.

Maſculino pro neutro genere poſito. Gen. 2. v. 18. לֹא טוֹב *non* (eſt) *bonus hominem eſſe ſolum*, hoc eſt, *non eſt bonum*, Vulg. Vide ſupra pag. 50.

Pſal. 118. Heb. 119. v. 65. טוֹב *bonum feciſti cum ſervo tuo*, Vulg. *bonitatem*. Alia exempla vide Gen. 1. v. ult. Iſai. 5. v. 20. c. 7. v. 15. &c.

In pronominibus. Eccle. 9. v. 9. *Fruere vita cum uxore, quam diligis ..... quia* הוּא *hoc ipſum* (eſt) *pars tua in hac vita*. Sic Joſ. 13. v. 14.

Feminino pro neutro eodem uſurpato.

Gen. 50. v. 20. *Vos cogitaſtis de me* רָעָה *malam*, h. e. *malum*, Vulg. *ſed Deus* חֲשָׁבָהּ *cogitavit*, Vulg. *vertit illud* לְטֹבָה *in bonam*, i. *bonum*, Vulg. Sic Job. 5. v. 9. Pſal. 11. Heb. 12. v. 4. Pſal. 26. Heb. 27. v. 4. &c.

In pronominibus tam ſeparatis, quam affixis.

Gen. 15. v. 6. *credidit Abraham Deo*, וַיַּחְשְׁבֶהָ *& reputavit illam ei* (Deus) *ad juſtitiam*, h. e. reputavit illud. Vulg. *reputatum eſt illi ad juſtitiam*, in paſſiva voce, ſicut Apoſt. tranſtulit Rom. 4. v. 3.

Gen. 43. v. 32. Heb. *Non poſſunt Ægyptii comedere cum Hebræis cibum, quia abominatio* הִוא *illa eſt*, h. e. illud eſt.

Exod. 10. v. 11. *Ite tantum viri, & ſacrificate Domino, quia* אֹתָהּ *hanc vos petiiſtis*, Vulg. *hoc enim & ipſi petiſtis*.

Num. 23. v. 19. *An loquetur* (Deus) *& non* יְקִימֶנָּה *implebit, ſeu præſtabit illam?* h. e. illud, quod loquutus eſt.

Pſal. 117. Heb. 118. v. 23. *A Domino* הָיְתָה זֹּאת *facta eſt iſta*, הִיא נִפְלָאת *hæc mirabilis eſt in oculis noſtris*. Sic LXX. παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη, καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν. Aquila vero, vel, ut aliis placet, Symmachus, hunc idiotiſmum recte expreſſit: παρὰ κυρίου ἐγένετο τοῦτο, αὐτὸ παράδοξον ἐφάνη ἡμῖν, *à Domino factum eſt iſtud, ipſum incredibile viſum eſt nobis*. S. Hieron. *A Domino factum eſt iſtud, & hoc eſt mirabile in oculis noſtris*. Vide Matth. 21. v. 42. & Marc. 12. v. 11. ubi verſiculus iſte allegatur ſervato Hebraiſmo.

Joan. 17. v. 3. αὕτη *hæc autem vita æterna*, &c. id eſt, τοῦτο *hoc* eſt vita æterna, &c.

CANON II.

CUM de perſona ſermo eſt, neutrum genus pro maſculino interdum uſurpatur.

Matth. 1. v. 20. τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, &c. *quod in ea* (Maria) *natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*, pro ὁ ἐν αὐτῇ γεννηθεὶς, *qui in ea natus eſt*, &c. loquitur enim angelus de conceptione Chriſti. Sic Luc. 1. v. 35. διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, *ideoque eſt quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*. Syrus, *is qui naſciturus eſt ex te, ſanctus ipſe, & filius Dei vocabitur*.

Matth. 12. v. 6. *Dico autem vobis*, ὅτι τοῦ ἱεροῦ μεῖζόν ἐστιν ὧδε, *Dico autem vobis, quia templo majus eſt hîc*. Sic in neutro genere legunt mſſ. Steph. omnes, Cantab. aliique plurimi, quos vide apud D. mill. p. 26. Quæ lectio confirmatur infra v. 41. *Et ecce* πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε, *plus Jona hîc*. v. 42. *Et ecce* πλεῖον *plus Salomone hîc*, in neutro genere: loquitur autem in his locis Chriſtus de ſeipſo. Quamplurimi tamen libri editi habent μείζων *major*, ſicut & Vulg. interp. Latinus, qui ita in ſuo codice legebat.

Matth. 18. v. 11. *venit enim filius hominis ſalvare* τὸ ἀπολωλὸς, *quod perierat*, h. e. hominem perditum.

Joan. 1. v. 46. al. 47. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* h. e. aliquis homo bonus.

Joan. 3. v. 6. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*, h. e. homo, qui in peccatis conceptus eſt, nec renatus, totus carnalis eſt: qui autem renatus eſt per ſpiritum, totus ſpiritus, ſeu ſpiritualis eſt. Confer 1. Joan. 5. v. 4.

Heb. 7. v. 7. *Quod minus eſt à meliori*, ſeu *majori benedicitur*, h. e. minor à majori. Vide inſuper Luc. 16. v. 15. Joan. 6. v. 39. (conf. v. 40.) 1. Cor. 1. vv. 27. 28.

1. Joan. 1. v. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ*. v. 3. *Quod vidimus & audivi-*

mus, &c. hoc eſt, qui fuit ab initio, ut Joan. 1. v. 1. *In principio erat verbum*, &c. Quem audivimus, quem vidimus oculis noſtris, &c. iſta enim verba Chriſtum reſpiciunt, & eadem plane ſunt atque illa Joan. 1. v. 14. *Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus*, &c.

Huc referunt quidam illud 1. Petr. 2. v. 8. Chriſtus factus eſt *lapis offenſionis & petra ſcandali his, qui offendunt* τῷ λόγῳ *verbo, nec credunt*, εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν, *in quod & poſiti ſunt*, h. e. εἰς ὃν, *in quem* (λόγον) ut crederent poſiti, i. ordinati & conditi ſunt. Syrus: *quod non acquieſcunt ſermoni, in quem poſiti ſunt* ut acquieſcerent. Alii: *in quo*, nimirum ut non crederent, poſiti ſunt non à Deo eos reprobante, ut vult Beza, aliique Calvini aſſeclæ: ſed à ſua malitia & improbitate; nam ut ſcribit Oecumenius in h. l. οὐχ ὡς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς τοῦτο ἀφωρισμένους εἴρηται· οὐδαμῶς γὰρ αἰτία ἀπωλείας διὰ τοῦ πάντας ἀνθρώπους θέλοντος σωθῆναι, βραβεύεται· ἀλλὰ τοῖς ἑαυτοὺς σκεύη κατηρτικόσιν ὀργῆς, καὶ ἡ ἀπείθεια ἐπηκολούθησε, καὶ εἰς ἣν παρεσκεύασαν ἑαυτοὺς τάξιν, ἐτέθησαν, *non quaſi ad hoc ſint ſegregati à Deo, hoc dictum eſt: nulla enim perditionis cauſa ab eo, qui vult omnes homines ſalvos fieri, miniſtratur; ſed eis, qui ſeipſos vaſa iræ effecerunt, & incredulitas ſequuta eſt, & in ordine conſtituti ſunt, ad quem ſeſe præparaverant.*

§. VII.

De Nominum Hebræorum numero.

CANON I.

INTERDUM ſingularis numerus pro plurali, ad collectam multitudinem, vel etiam ſpeciem exprimendam, adhibetur.

Gen. 3. v. 8. *Abſcondit ſe Adam & uxor ejus .... in medio* עֵץ *ligni*, ſeu *arboris paradiſi*, h. e. lignorum, ſeu arborum.

Gen. 49. v. 6. *In furore ſuo occiderunt* אִישׁ *virum, & in voluntate ſua avulſerunt* שׁוֹר *bovem*, h. e. viros, boves. Lxx. ἐνευροκόπησαν ταῦρον, *ſubnervaverunt taurum.* Aq. Symm. ἐξερρίζωσαν τεῖχος, *eradicaverunt*, Vulg. *ſuffoderunt murum.* שׁוּר *& bovem*, ſeu *taurum*, & *murum* ſignificat. Vide c. 34. v. 25. ſeqq.

Exod. 23. v. 28. *Emittam crabronem ante te*, h. e. *crabrones*, Vulg. Vide etiam c. 14. v. 17. *in curru ejus.* c. 15. vv. 1. 21. *equum & aſcenſorem ejus.*

Lev. 11. v. 2. *Hæc eſt* הַחַיָּה *beſtia, quam comedetis.* Vulg. *hæc ſunt animalia*, &c.

Num. 21. v. 7. *Ora ut tollat* (Dominus) *à nobis* הַנָּחָשׁ *ſerpentem*, Vulg. *ſerpentes.*

Deut. 20. v. 19. *Quoniam vita hominis arbor agri*, h. e. arbores.

Prov. 17. v. 22. *Spiritus triſtis exſiccat* גָּרֶם *os*, i. *oſſa*, Vulg. Sic c. 30. vv. 17. 18. Oſe. 5. v. 6.

Iſai. 15. v. 9. *His, qui fugerint de Moab*, (mittam) *leonem*, i. leones.

Jon. 2. v. 4. *Et flumen circumdedit me*, h. e. flumina. Lxx. καὶ ποταμοὶ ἐκύκλωσάν με, *& flumina circumdederunt me.*

Alia exempla vide Gen. 32. v. 5. Exod. 10. v. 12. Jud. 4. v. 5. Job. 14. v. 1. Iſai. 1. v. 3. c. 16. v. 1. Jerem. 8. v. 7. &c.

CANON II.

VICE verſa pluralis numerus pro ſingulari quandoque ponitur, ad denotandam magnitudinem & excellentiam.

Gen. 19. v. 11. *Et eos, qui foris erant, percuſſerunt* (Angeli) סַנְוֵרִים *cæcitatibus*, i. ſumma ac denſiſſima cæcitate. Vide 4. Reg. 6. v. 18. ubi vox eadem in plurali numero uſurpatur.

Digitized by Google

Job. 40. v. 10. al. 15. *Ecce* בְּהֵמוֹת Lxx. *θηρία* *beſtiæ, quas feci tecum*, &c. h. e. beſtiarum maxima, quæ interpretibus eſt elephas, vel hippopotamus. Vulg. retinuit vocem Heb. *Behemoth.*

Ibid. v. 11. בִּשְׁרִירֵי *in umbilicis ventris ejus*, i. in umbilico forti.

Pſal. 21. Heb. 22. v. 4. תְּהִלּוֹת *laudes Iſraelis*, h. e. perfecta laus.

Pſal. 33. Heb. 34. v. 5. & Pſal. 41. Heb. 42. v. 6. יְשׁוּעוֹת *ſalutes*, i. omnimoda ſalus.

Vide Pſal. 44. Heb. 45. v. 16. *Lætitiæ.* Pſal. 89. Heb. 90. v. 10. *in excellentiis*, Vulg. *potentatibus.*

Prov. 1. v. 20. חָכְמוֹת *ſapientiæ*, i. ſumma & eximia ſapientia, nempe Chriſtus. Vide etiam c. 5. v. 2. c. 6. v. 14. c. 9. v. 1.

Eccle. 5. v. 6. *vanitates*, i. maxima vanitas.

Iſai. 58. v. 11. בְּצַחְצָחוֹת *in ſiccitatibus, ariditatibus*, h. e. in ſumma ariditate. Vulg. *ſplendoribus*. Rad. צָחָה etiam *ſplendere* ſignificat. Vide & cap. 59. v. 9.

Thren. 3. v. 22. *Miſericordiæ Domini*, &c. i. maxima Domini miſericordia eſt. Vide Pſal. 85. Heb. 86. v. 2. Rom. 12. v. 1. 2. Cor. 1. v. 3.

Ezech. 28. v. 10. מוֹתֵי *mortibus incircumciſorum morieris*, h. e. morte truculentiſſima. Mors etiam duplex conſiderari poteſt, temporalis & æterna.

Mich. 5. v. 1. וּמוֹצָאֹתָיו *& egreſſus ejus* (Meſſiæ) *ab initio, à diebus æternitatis*, h. e. eminentiſſima & maxime miranda illa generatio Divina.

Nahum. 2. v. 6. al. 7. *portæ* הַנְּהָרוֹת *fluminum aperientur*, i. fluminis illius maximi, qui Tigris appellatur. Portæ autem, munitiones ſunt, quarum apertio & dejectio hîc prædicitur.

Heb. 9. v. 23. *Neceſſe eſt ergo .... ipſa cœleſtia κρείττοσι θυσίαις παρὰ ταύτας, melioribus hoſtiis, quam iſtis, mundari*, h. e. præſtantiori hoſtia, nempe Chriſto in cruce immolato. Per cœleſtia autem hîc intelliguntur electi in cœlum introducendi.

CANON III.

NOMINA Dominii אֱלֹהַּ, בַּעַל & אָדוֹן, ſive ad dignitatem perſonæ dominantis exprimendam, ſive ex ſolo Linguæ Sanctæ uſu, plurali numero, pro ſingulari, ſæpius efferuntur.

Gen. 1. v. 1. *In principio* בָּרָא אֱלֹהִים *creavit Dii*, h. e. אֱלֹהַּ *Deus.* Sunt qui hoc plurali SS. Trinitatis myſterium denotari exiſtiment. In ea fuit olim ſententia Bellarminus, qui inſtitutionum ſuarum Hebraicarum parte quarta, cap. IV. de Syntaxi, num. V. pag. 235. edit. Pariſ. 1622. ſcribit hoc nomine plurali cum verbo ſingulari compoſito, Trinitatis myſterium inſinuari. At re accuratius perpenſa, calculum reduxit; ait enim contr. tom. 1. lib. 2. cap. 6. col. 322. edit. Pariſ. 1608. ſe non putare argumentum iſtud eſſe admodum ſolidum, *ſiquidem*, inquit, *Scripturæ conſuetudo id habere videtur, ut nomina illuſtrium perſonarum ponantur in numero multitudinis, licet verba retineant numerum ſingularem.*

Gen. 24. v. 9. *Poſuit ergo ſervus manum ſuam ſub fœmore Abraham* אֲדֹנָיו *Dominorum ſuorum*, h. e. *Domini ſui.*

Gen. 40. v. 1. *Peccaverunt pincerna regis Ægypti, & piſtor* לַאֲדֹנֵיהֶם *Dominis ſuis*, i. Domino ſuo.

Gen. 42. v. 30. *Loquutus eſt nobis* אֲדֹנֵי הָאָרֶץ *Domini terræ iſtius dure*, h. e. Dominus; de ſolo enim Joſepho ſermo eſt.

Exod. 21. v. 4. *Si* אֲדֹנָיו *Domini ejus* (ſervi) *dederit ei uxorem*, h. e. Dominus ejus. Sic vv. 6. 8.

Ibid. v. 29. *Quod ſi bos cornupeta fuerit .... & conteſtati ſunt* בִּבְעָלָיו *Dominos ejus*, h. e. *Dominum ejus ..... bos lapidibus obruetur,* וְגַם־בְּעָלָיו *& Domini ejus morietur*, i. Dominus. Vide Iſai. 1. v. 3.

Joſ. 24. v. 19. כִּי אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא *quia Dii ſancti ipſe eſt*, h. e. Deus ſanctus. Et ſic ſæpius in Scripturis.

CANON IV.

In Novo Teſtamento quædam etiam vocabula in plurali numero modo cum emphaſi, modo ſine emphaſi, & ex ſolo linguæ uſu, efferuntur.

Matth. 8. v. 11. oriens exprimitur vocabulo *ἀνατολαὶ*, & occidens voce *δυσμαί*. Vide Luc. 13. v. 29. Matth. 2. v. 13. &c.

Heb. 1. v. 2. Mundus, qui à Deo per filium ejus Chriſtum factus eſt, dicitur *αἰῶνες ſæcula.* Vide c. 11. v. 3.

Heb. 9. vv. 2. 12. pars Tabernaculi, in qua erant candelabrum, menſa, & panes propoſitionis, vocatur *τὰ ἅγια ſancta.* Pars autem, in qua erat arca, dicitur *ἅγια ἁγίων ſancta ſanctorum*, ibid. v. 3. h. e. ſanctum ſanctorum, ſive ſacratiſſimus Templi, aut Tabernaculi locus, quem *τὸ ἅγιον τῶν ἁγίων ſanctum ſanctorum* interpretantur Lxx. Exod. 26. v. 33.

Alia exempla ſunt: *τὰ δεξιὰ dextra*, pro *ἡ δεξιὰ*, Matth. 26. v. 64. Marc. 16. vv. 5. 19. Luc. 22. v. 69. Act. 1. v. 34. Heb. 1. v. 13. Pſal. 109. Heb. 110. v. 1. in Lxx. quamvis in Heb. ſit לִימִינִי *ad dexteram meam*, in ſing. ut redditur Heb. 8. v. 1. c. 12. v. 2.

τὰ ἱμάτια veſtimenta, pro *ἱμάτιον*, Matth. 26. v. 65. Marc. 5. v. 30. Joan. 13. v. 4. cap. 19. v. 23. Act. 18. v. 6.

οἱ οὐρανοὶ cœli, pro *οὐρανὸς*, Marc. 12. v. 25. quocum confer Matth. 22. v. 30. conf. etiam Matth. 16. v. 19. cum cap. 18. v. 18. quibus in locis indifferenter ſingularis & pluralis numerus uſurpantur.

τὰ σάββατα Sabbatha, pro *σάββατον*, Matth. 12. v. 1. *In illo tempore abiit Jeſus per ſata τοῖς σάββασι, Sabbathis*, Vulg. *Sabbatho*, legeb. *τῷ σαββάτῳ*, ut habet mſ. Veleſ. Vide v. 2. ubi mſſ. aliquot legunt *τοῖς σάββασιν*, Vulg. *Sabbathis.* Vide inſuper vv. 10. 11. 12. Luc. 4. v. 16. ubi tamen mſ. Veleſ. habet *σαββάτου*, Vulg. *Sabbathi*, Act. 13. v. 14. cap. 16. v. 13.

Vox eadem ſive in plurali, ſive in ſingulari numero, dies ſeptimanæ, ſeu ſeptimanam integram ſynecdochice denotat. Matth. 28. v. 1. *Veſpere autem σαββάτων Sabbathorum, quæ luceſcit εἰς μίαν σαββάτων, in una Sabbathorum*, h. e. in prima die ſeptimanæ. Vulg. utrobique *Sabbathi*, quia legebat *σαββάτου*. Sic etiam mſ. Veleſ.

1. Cor. 16. v. 2. *κατὰ μίαν σαββάτων, in una Sabbathorum*, h. e. prima die ſeptimanæ. Vulg. *per unam Sabbathi*, legeb. *σαββάτου*, ut habent mſſ. quidam codices. In his exemplis *una* eſt pro *prima*; ſæpe enim numerus cardinalis pro ordinali ponitur, ut videbimus infra l. 3. de numeris.

Luc. 18. v. 12. *Jejuno δὶς τοῦ σαββάτου, bis in Sabbatho*, h. e. in hebdomada, nempe die primo & quinto, i. lunæ & Jovis. Quod jejunium etiamnum obſervant Judæi, qui aliis religioſiores videri volunt. Triplici autem de cauſa jejunium illud imperaverunt Rabbini, 1°. propter deſtructum Templum. 2°. legem conflagratam. 3°. probrum Divini nominis.

Denique Philip. 2. v. 6. neutrum plurale *ἴσα æqualia*, uſurpatur pro accuſat. ſingul. maſc. *ἴσον, æqualem. Qui* (Chriſtus) *cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, eſſe æqualia Deo*, h. e. *eſſe ſe æqualem Deo*, Vulg.

CANON V.

Pluralis numerus pro uno aliquo non definito, ſeu plurale pro uno ex pluribus quandoque ponitur.

Quidam in hac Syntaxi ellipſin diſtributivi אֶחָד *unus*, vel אַחַת *una*, ſtatuunt.

Gen. 8. v. 4. *Requievitque arca* עַל הָרֵי *ſuper montes Ararat*, Vulg. *Armeniæ*, hoc eſt,

ſuper unum montium.

Jud. 12. v. 7. *Sepultus eſt* (Jephte) בְּעָרֵי גִּלְעָד *in urbibus Galaad*, hoc eſt, in una urbium.

Nehem. 3. v. 8. *Ananias* בֶּן־הָרַקָּחִים *filius pigmentariorum*, h. e. *pigmentarii*, Vulg.

Cap. 6. v. 2. *Conveniamus una* בַּכְּפָרִים *in viculis*, h. e. in uno, ſeu aliquo viculorum.

Job. 21. v. 32. *Ipſe* (impius) *ad ſepulchra ducetur*, h. e. unum ex ſepulchris. Sic 2. Paral. 16. v. 14.

Pſal. 1. v. 3. *Et erit tanquam lignum* (arbor), *quod plantatum eſt ſecus decurſus*, ſive *rivos aquarum*, h. e. aliquem rivorum.

Pſal. 18. Heb. 19. v. 5. *Soli poſuit* (Deus) *tabernaculum in eis* (cœlis), h. e. in uno eorum.

Jon. 1. v. 5. *Deſcendit* (Jonas) *ad latera navis*, h. e. unum è lateribus. Sic Amos 6. v. 10.

Zach. 9. v. 9. *ſuper pullum filium aſinarum*, h. e. unius ex aſinabus. Vulg. *aſinæ*.

Matth. 24. v. 1. *Et acceſſerunt diſcipuli ejus* (Jeſu) *ut oſtenderent ei ædificationes Templi*, h. e. *unus ex diſcipulis ſuis*, ut Marc. 13. v. 1. dicitur.

Matth. 26. v. 8. *Videntes autem diſcipuli indignati ſunt*, &c. h. e. *unus ex diſcipulis*, nempe *Judas Iſcariotes*, ut dicitur Joan. 12. v. 4.

Matth. 27. v. 44. *Idipſum autem & latrones .... improperabant ei*, h. e. *unus de latronibus*, Luc. 23. v. 39.

Marc. 1. v. 2. *Scriptum eſt in prophetis*, h. e. aliquo prophetarum, nempe prius: *Ecce ego mitto angelum meum*, &c. Malach. 3. v. 1. poſterius vero: *Vox clamantis in deſerto*, &c. Iſai. 54. v. 13.

Act. 13. v. 40. *Videte ne ſuperveniat vobis, quod dictum eſt in prophetis: videte contemtores*, &c. h. e. in uno prophetarum, ſcilicet Habac. 1. v. 5. Alia exempla vide Gen. 19. v. 29. Matth. 24. v. 26. &c.

§. VIII.

De Nominum Hebræorum caſu.

CANON I.

NOMINATIVUS in oratione quandoque ponitur abſolute, adeo ut vim integri membri in ſententia abſolvat.

Hic Hebraïſmus reperitur in nominibus & in pronominibus.

In nominibus. Pſal. 10. Heb. 11. verſ. 4. יְהוָה בַּשָּׁמַיִם כִּסְאוֹ *Dominus, in cœlo ſedes ejus*, h. e. Dominum quod attinet, ſedes ejus in cœlo eſt.

Pſal. 17. Heb. 18. v. 31. *Deus, perfecta* (eſt), *via ejus*.

Pſal. 103. Heb. 104. v. 17. חֲסִידָה בְּרוֹשִׁים בֵּיתָהּ *Ciconia, abietes domus ejus*, h. e. in abietibus nidificat, vel commoratur. Aq. ἐρωδιῷ ἐλάτου οἶκος αὐτῷ, *Erodio abietes domus ipſi.* Erodius, teſte Suida, eſt εἶδος ὀρνέου, ἢ πελαργὸς λεγόμενος, ἢ ὅμοιος αὐτῷ, *ſpecies avis, vel ciconia dicta, vel ipſi ſimilis.* Sym. τῷ ἰκτῖνι βόρατον οἴκησις, *milvo abies domus* ejus, vocem Hebraïcam בְּרוֹשִׁים græcis literis expreſſit, mutato ש in τ. Lxx. τοῦ ἐρωδιοῦ ἡ οἰκία ἡγεῖται αὐτῶν, *Erodii domus dux eſt eorum*, pro בְּרוֹשִׁים legebant בְּרֹאשָׁם *in capite eorum*, quod idem eſt ac *dux eorum*.

Eccle. 2. v. 14. *Sapiens, oculi ejus in capite ipſius* ſunt.

Oſe. 9. v. 11. *Ephraim, ut avis avolat gloria eorum.*

Cap. 12. v. 7. *Chanaan*, i. *mercator, in manu ejus* (eſt) *ſtatera doloſa.*

Nah. 1. v. 3. *Dominus, in tempeſtate & turbine via ejus.*

Sunt qui hæc exempla per pleonaſmum relativi cum ſuo antecedente concurrentis explicent, ita ut ſenſus ſit: *Domini ſedes in cœlo* eſt. *Dei perfecta* (eſt) *via*. Et ſic de reliquis.

In N. T. nominativus & accuſativus hoc ſenſu ſic uſurpantur.

Nominativus. Act. 7. v. 40. *Moyſes enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, neſcimus quid factum ſit ei.*

Apoc. 2. v. 26. καὶ ὁ νικῶν, *& qui vicerit … dabo illi poteſtatem ſuper gentes.*

Cap. 6. v. 8. καὶ ὁ καθήμενος, *& qui ſedebat ſuper eum* (equum pallidum), *nomen illi mors.*

Accuſativus. Matth. 21. v. 42. λίθον *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus in caput anguli.*

Act. 10. v. 36. τὸν λόγον, *verbum quod miſit Deus filiis Iſraël* ….. v. 37. *Vos ſcitis quod factum eſt verbum* (iſtud) *per univerſam Judæam*, &c. in Græco pro λόγον poſterioris membri, eſt ſynonymum ῥῆμα.

In profanis. Virg. Æn. I. v. 577. *Urbem, quam ſtatuo, veſtra eſt.* Terent. in Eunuch. Act. 4. Scen. 3. v. 11. *Eunuchum, quem dediſti nobis, quas turbas dedit.*

Quidam hunc accuſativum per metatheſin relativi ſic explicant: ὃν λίθον, *quem lapidem reprobaverunt*, &c. *quod verbum*, &c. *quam urbem*, &c. *quem eunuchum*, &c.

In pronominibus ſeparatis ſimilis nominativi abſolute & emphatice poſiti loquutio occurrit. 1. Paral. cap. 28. v. 2. אֲנִי עִם לְבָבִי לִבְנוֹת בֵּית מְנוּחָה, *Ego, cum animo meo* (fuit) *ædificare domum quietis*, &c. Vulg. *Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini.*

Iſai. 59. v. 21. *Ego autem, hoc* (erit) *fœdus meum cum ipſis.* Cap. 66. v. 18. *Ego autem, cum operum cogitationumque ipſorum quæque advenerit*, &c. Vide Pſal. 68. Heb. 69. v. 14. 72. Heb. 73. v. 2. Sic apud Lat. *de me, de me autem*, &c. vel plene: *me quod attinet.*

In Novo Teſt. 1. Joan. 2. v. 27. al. 28. καὶ ὑμεῖς, *& vos: unctio quam accepiſtis ab eo, manet in vobis.* Vulg. *& vos, unctionem quam accepiſtis*, &c. cum accuſativo abſolute ſumto, ut ſupra, vel *quam unctionem*, &c.

CANON II.

CASUUM inter ſe non raro enallage, ſeu permutatio occurrit; præcipue autem uſurpatur

I. Nominativus pro vocativo; vel, ut rectius loquamur, vocativus ſimilis eſt nominativo, quod ad dialectum Atticam pertinet.

Matth. 1. v. 20. *Joſeph* υἱὸς Δαβίδ, *fili David*, pro υἱέ.

Matth. 27. v. 29. *Salve* ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, *rex Judæorum*, pro βασιλεῦ. Vide Marc. 10. v. 47. Luc. 8. v. 54. c. 12. v. 32. c. 18. v. 13.

Rom. 18. v. 15. *Accepiſtis Spiritum adoptionis, in quo clamamus*, ἀββᾶ ὁ πατὴρ, *abba pater*, pro ὦ πάτερ. Vide Marc. 14. v. 36. ubi Chriſti orantis eadem verba legere eſt, & ubi voces ὁ πατὴρ interpretationis gratia ab Evangeliſta additæ ſunt; Chriſtus enim Syriace, non Græce, loquebatur.

Eph. 6. v. 1. τὰ τέκνα, *filii obedite parentibus veſtris*, pro ὦ τέκνα. Sic v. 4. In verſione Græc. Pſal. 50. Heb. 51. v. 1. *Miſerere mei* ὁ θεὸς, *Deus*, &c. pro ὦ θεέ.

In profanis. Hom. Iliad. γ. vv. 276. 277. Ζεῦ πάτερ, ἠέλιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, &c. *Jupiter pater, & Sol, qui omnia vides*, &c. pro ἠέλιε. Virg. l. 1. Æneid. v. 738. *Adſis lætitiæ Bacchus dator*, pro Bacche. Lucan. *degener ô populus*, pro ô popule.

II. Accuſativus pro nominativo ponitur.

Nehem. 9. v. 19. אֶת־עַמּוּד *columna nubis non receſſit ab eis per diem.*

1. Reg. 17. v. 34. *Et veniebat leo*, וְאֶת־הַדּוֹב *& urſus*, &c.

4. Reg. 6. v. 5. *Accidit autem…. ut* אֶת־הַבַּרְזֶל *ferrum* (ſecuris) *caderet in aquam.*

Dan. 9. v. 13. אֵת כָּל־הָרָעָה *omne malum hoc venit ſuper nos.*

Amos 9. v. 12. לְמַעַן יִירְשׁוּ אֶת־שְׁאֵרִית אֱדוֹם Lxx. & Jacobus Act. 15. v. 17. ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων, *ut requirant reliqui hominum κύριον Dominum*, quam vocem ſenſus gratia addiderunt. Pro יִירְשׁוּ *poſſideant.*

poſſideant, legebant יִדְרְשׁוּ *requirant*, & pro אֱדוֹם *edom*, legebant אָדָם *homo.* Vulg. Amoſi textum ſic interpretatur: *ut poſſideant reliquias Idumææ;* atque ita caſus enallage locum non habet. Sic etiam S. Hier. comm. in h. l. t. 3. col. 1451. nov. edit. hunc contextum explicat: *& poſſideant credentes reliquias Idumææ, & omnes nationes: ut quidquid reliquum fuerit regno ſanguinario atque terreno, in cœleſtia regna mutetur; & omnes gentes, quæ oblitæ ſunt Dominum, convertantur & revertantur ad eum.* Vide etiam Agg. 2. v. 17. ubi pronomen אֶתְכֶם in nominandi casu ponitur.

Alia exempla, quæ afferuntur, prætereo; tum quia aliter explicari poſſunt; tum quia את certa non eſt articuli nota, ut jam diximus pag. 69. col. 2. initio, & ut in cap. ſequenti in verbis paſſivis videbimus.

§. IX.

De Nominum Hebræorum regiminis ſtatu.

IN regiminis ſtatu quinque notanda ſunt. I. Idiotiſmus. II. Pleonaſmus. III. Ellipſis. IV. Enallage. V. Hypallage.

Idiotiſmus occurrit tum *in genere*, tum *in ſpecie.*

In genere, I. ratione *ſignificationis.* II. ratione *conſtructionis.*

De Idiotiſmo in genere conſiderato.

Idiotiſmus ratione ſignificationis.

MONOCANON.

NOMEN rectum in genitivo caſu, ratione uſus & ſignificationis, varie accipitur, denotatque

I. CAUSAM EFFICIENTEM. Deut. 32. v. 19. *Vidit Dominus, & ſprevit eos,* מִכַּעַס בָּנָיו וּבְנֹתָיו *præ indignatione filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum*, h. e. præ indignatione, cujus cauſa exſtiterunt filii & filiæ ejus. Vulg. *Quia provocaverunt eum filii ſui & filiæ.*

Eſd. 3. v. 7. *Secundum facultatem Cyri regis Perſidis ſuper eos*, h. e. à Cyro ipſis datam, ſeu ut Vulg. *juxta quod præceperat Cyrus rex Perſarum eis.*

Job. 14. v. 1. *Homo natus mulieris*, i. *de muliere*, Vulg. Sic: *nati mulierum*, Luc. 7. verſ. 28.

Iſai. 1. v. 7. *Secundum ſubverſionem alienorum*, i. quam alieni inferunt.

Ibid. 53. v. 4. *Et nos putavimus eum quaſi leproſum*, מֻכֵּה אֱלֹהִים *percuſſum Dei*, h. e. *à Deo*, Vulg. Si pro מֻכֵּה in reg. legatur מַכֵּה in abſol. ſenſus erit: *percuſſum Deum*, quod Chriſti Divinatem mirum in modum aſſerit.

Ibid. v. 13. *Ponam univerſos filios tuos doctos Domini*, i. *doctos à Domino.* Vulg.

Ezech. 1. v. 1. *Viſiones Dei*, i. à Deo oblatas. Vide etiam Iſai. 54. v. 13. &c.

Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti patris mei*, h. e. à patre meo. Conf. Eph. 1. v. 3.

Joan. 12. v. 43. *Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*, h. e. maluerunt ab hominibus, quam à Deo glorificari. Conf. cap. 5. v. 44.

Rom. 3. v. 23. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei*, i. à Deo collata. Sic *juſtitia Dei*, cap. 1. v. 17. h. e. quæ à Deo confertur. Hinc Aug. Serm. 131. de verbis Apoſt. tom. 5. nov. edit. col. 644. *Quomodo dicitur:* Domini eſt ſalus, *non qua ſalvus eſt Dominus, ſed quam dat eis, quos ſalvos facit: ſic & Dei gratia per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum,*

juſtitia Dei dicitur, non qua juſtus eſt Dominus, ſed qua juſtificat eos, quos ex impiis juſtos facit.

In Pronominibus poſſeſſivis. Pſal. 2. v. 6. *Ego autem unxi regem meum*, h. e. qui à me eſt. Loquitur Deus pater de filio ſuo unigenito Jeſu Chriſto.

Pſal. 36. Heb. 37. v. 22. *Quia* מְבֹרָכָיו *benedicti ejus hæreditabunt terram*, וּמְקֻלָּלָיו *& maledicti ejus diſperibunt*, h. e. ut ſym. interpretatur, *εὐλογημένοι ὑπ' αὐτοῦ*, S. Hieron. *qui benedicti fuerint ab eo*, *& καταρώμενοι ὑπ' αὐτοῦ*, S. Hieron. *qui maledicti ab eo.* Lxx. *οἱ εὐλογοῦντες αὐτὸν ..... οἱ δὲ καταρώμενοι αὐτὸν, benedicentes ei ..... maledicentes ei*, legebant in act. voce מְבָרְכָיו & מְקַלְלָיו.

Prov. 9. v. 18. *invitati*, Vulg. *convivæ ejus*, h. e. invitati ab ea.

Ezech. 21. v. 28. al. 33. *Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, & ad opprobrium illorum*, quo videlicet meos indeſinenter affecerunt. Conf. c. 25. v. 6. Soph. 2. v. 8.

Interdum etiam genitivo indicatur cauſa inſtrumentalis. Iſai. 33. v. 21. אֳנִי שַׁיִט *navis remi*, ſeu *remorum*, Vulg. *remigum*, h. e. remis impulſa.

II. CAUSAM MATERIALEM. Gen. 3. v. 21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus* כָּתְנוֹת עוֹר *tunicas pellis*, h. e. *pelliceas*, Vulg.

Gen. 6. v. 14. *Fac tibi arcam* עֲצֵי גֹפֶר *lignorum Gopher*, h. e. ex lignis illis. Vox גֹּפֶר alibi non occurrit, quare ab interpretibus antiquis varie redditur. Lxx. *ἐκ ξύλων τετραγώνων, ex lignis quadratis.* Alius: *ἐκ ξύλων ἀσήπτων, ἢ κεδρίνων, ex lignis imputribilibus, aut cedrinis.* Alius: *ἐπὶ πινακῶν πυξίνων, ſuper tabulis buxinis*, Vulg. *de lignis lævigatis.* Quidam recentiores *cupreſſum* interpretantur, facili mutatione g. in c. Ex ea materia naves fabricatas fuiſſe teſtantur Plutarch. Symp. l. 1. probl. 2. Veget. 4. c. 34. Caſſiod. Var. l. 5. epiſt. 16. Plato lib. 4. de Leg. Diod. l. 19. Arrian. in Alex. l. 7. Strabo lib. 16. His adde quod in Aſſyria, vel Babylonia, ubi primos homines habitaſſe conſtat, nulla eſt alia materies navibus conſtruendis idonea. Vide Boch. in Phaleg, l. 1. c. 4.

Jud. 7. v. 13. *panis hordeorum*, i. hordeaceus.

Pſal. 2. v. 9. תְּרֹעֵם בְּשֵׁבֶט בַּרְזֶל *conteres eos in virga ferri*, h. e. *ferrea*, Vulg. Lxx. *ποιμανεῖς αὐτοὺς, paſces*, Vulg. *reges eos*, legebant תִּרְעֵם.

III. CAUSAM FINALEM. Pſal. 34. Heb. 35. v. 16. בְּחַנְפֵי לַעֲגֵי מָעוֹג *cum hypocritis*, ſeu *profanis ſannionum placentæ frenduerunt ſuper me dentibus ſuis*, h. e. cum profanis ſannionibus, qui placentæ gratia, quæ ibi omne ciborum genus ſignificat, aliis adulantur. Lxx. *ἐπείρασάν με, ἐξεμυκτήρισάν με μυκτηρισμὸν*, &c. Vulg. Lat. *tentaverunt me, ſubſannaverunt me ſubſannatione*, &c. pro בְּחַנְפֵי legeb. בְּחָנוּנִי à בָּחַן *tentavit*, & pro לַעֲגֵי legeb. לָעֲגוּ addito pronomine *me*, ſenſus gratia. Denique מָעוֹג retulerunt ad radicem לָעַג, contra hodiernæ grammatices analogiam. Vel dictio iſta forte etiam olim *μυκτηρισμὸν ſubſannationem* ſignificabat.

Pſal. 43. Heb. 44. v. 23. *Æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis*, i. occiſioni, ſeu mactationi deſtinatæ. Conf. Rom. 8. v. 36.

Pſal. 101. Heb. 102. v. 21. *ut ſolveret filios mortis*, i. morti deſtinatos, &c.

Joan. 6. v. 29. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille*, h. e. opus in gloriam Dei cedens, proindeque ipſi gratum & acceptum.

2. Cor. 1. v. 5. *Paſſiones Chriſti*, h. e. ob Chriſti confeſſionem toleratæ.

1. Petr. 2. v. 19. *conſcientia Dei*, h. e. ſtudium Deo placendi. Vide Eph. 3. v. 1. ubi Paulus vocat ſe *vinctum Chriſti*, i. ob Chriſti prædicationem, &c.

IV. EFFECTUM. Gen. 2. v. 9. *Lignum vitæ*, h. e. quod vitam conſervabat integram ſemper & incolumem.

Pſal. 4. v. 2. *Deus juſtitiæ meæ*, i. qui juſtam cauſam meam tueris.

Pſal. 64. Heb. 65. v. 12. *Coronas annum benignitatis tuæ*, i. in quo hominibus benignitatem tuam bonorum abundantia exhibes.

Iſai. 9. v. 5. al. 6. *Princeps pacis*, i. qui pacem cœleſtem confert.

Ibid. c. 11. v. 2. *Spiritus ſapientiæ & intellectus*, &c. h. e. qui hæc dona credentibus impertitur, & quorum plenitudo in Chriſto Servatore reſidet.

Digitized by Google

Ibid. c. 53. v. 5. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum* (Chriſtum Meſſiam), h. e. caſtigatio, quæ pacem noſtram operata eſt, ſuper eum cecidit.

Luc. 1. v. 69. *Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui*, i. potentiam Chriſti, à quo ſalus noſtra proficiſcitur, erexit Deus in familia David ſervi ſui; ſive ſalutem potentiſſimam nobis præſtitit.

Rom. 5. v. 18. *in juſtificationem vitæ*, h. e. quæ vitam operatur. Sic *verba vitæ*, Joan. 6. v. 68.

V. SUBJECTUM RECIPIENS. Deut. 16. v. 17. כְּמַתְּנַת יָדוֹ *ſecundum donum manus ſuæ*, h. e. donum Dei manui ipſius collatum. Vulg. *offeret unuſquiſque ſecundum quod habuerit, juxta benedictionem Domini Dei ſui, quam dederit ei.*

Iſai. 55. v. 3. ... *Miſericordias Davidis fideles*, i. Davidi à Deo promiſſas, nempe Chriſtum ex proſapia ejus naſciturum. Conf. Act. 13. v. 34.

Dan. 4. v. 14. *In ſententia vigilum decretum eſt*, &c. h. e. in ſententia vigilibus manifeſtata. Per *vigiles* autem eo loci, & in ſequentibus verbis per *ſanctos* intelliguntur Angeli, qui mandatis Dei exſequendis invigilant.

Luc. 21. v. 4. *Munera Dei*, h. e. Deo dicata & conſecrata, & metonymice Gazophylacium. Alias, *dona Dei*, ea ſunt, quæ dat Deus. Vide Eph. 2. v. 8. &c.

Act. 7. v. 30. ἐν φλογὶ πυρὸς βάτου, *in flamma ignis rubi*, h. e. in rubo viſi. Vulg. *in igne flammæ rubi*, legeb. cum mſſ. quibuſdam ἐν πυρὶ φλογὸς βάτου. Vide D. Mill. p. 271.

Apoc. 14. v. 12. *Patientia Sanctorum*, quæ ſcilicet data eſt ſanctis. Sic *aves cæli*, Matth. 6. v. 26. quia in cœlo, ſeu aëre volant. *Lilia agri*, ibid. v. 28. quia in agro creſcunt, &c.

VI. SUBJECTUM OCCUPANS, quod & *objectum* vocatur. Pſal. 149. v. 6. *Exaltationes Dei in gutture eorum*, h. e. laudes, quibus excelſus Deus prædicatur.

Prov. 1. v. 7. *Timor Domini*, i. quo Dominus ſicut pater à filiis timetur.

Iſai. 3. v. 14. *rapina pauperis*, h. e. quod pauperi ereptum ablatumque eſt.

Joel 3. al. 4. v. 19. מֵחֲמַס בְּנֵי יְהוּדָה *propter violentiam filiorum Juda*, h. e. ut optime interpr. Vulg. *pro eo quod inique*, ſeu violenter *egerint in filios Juda.*

Zach. 9. v. 1. *Domini eſt oculus hominis*, i. reſpiciens homines; qua loquutione providentia Dei ſignificatur.

Matth. 10. v. 1. *Poteſtas ſpirituum immundorum*, h. e. in ſpiritus immundos. Sic cap. 14. v. 1. *fama Jeſu*, h. e. de Jeſu.

Act. 4. v. 9. *Beneficium hominis infirmi*, h. e. in eum collatum.

Gal. 3. v. 22. *Fides Jeſu Chriſti*, i. in Jeſum Chriſtum.

1. Joan. 2. v. 5. *Charitas Dei*, h. e. qua Deus diligitur.

In Pronominibus poſſeſſivis. Gen. 50. v. 4. *Et præterierunt dies fletus ejus* (Jacobi), h. e. tempus, quo deflebatur.

Iſai. 21. v. 2. *omnem gemitum ejus* (Babelis) *ceſſare faciam*, h. e. *quo* (homines) *ingemunt præ timore ejus*, ita Qimhhi, qui addit: *affixa in nominibus cadunt tam ſupra activam, quam ſupra paſſivam ſignificationem*, hoc eſt, tam efficientem cauſam, quam objectum deſignant.

Ibid. c. 53. v. 11. *In ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos*, h. e. ſcientia; ſive cognitione, qua per fidem cognoſcetur Chriſtus, multi juſtificabuntur, modo tamen fides illa ſit cum charitate conjuncta. Confer Joan. 17. v. 3.

Ibid. c. 56. v. 7. *Lætificabo eos in domo orationis meæ*, h. e. in qua invocor.

Jerem. 51. v. 35. *iniquitas*, ſeu *violentia mea*, h. e. quæ fit mihi. Vulg. *iniquitas adverſum me.*

VII. ADJUNCTUM tam *inhærens*, quam *adhærens* & *connexum.*

Inhærens. Prov. 29. v. 8. אַנְשֵׁי לָצוֹן *viri deriſionis*, h. e. deriſores, Vulg. *peſtilentes*; ſenſum non verbum reddidit, ut Pſal. 1. v. 1. & *in cathedra* לֵצִים *deriſorum*, LXX. λοιμῶν *peſtilentium*, Vulg. *peſtilentiæ.*

Iſai. 52. v. 1. עִיר הַקֹּדֶשׁ *civitas ſanctitatis*, i. ſancta. Vulg. *ſancti*, legeb. הַקָּדוֹשׁ.

Jud. v. 18. *ambulantes ſecundum* ἐπιθυμίας τῶν ἀσεβειῶν, *deſideria impietatum*, h. e. maxime impia.

Adhærens & connexum. 1. Reg. 16. v. 20. *Tulit itaque Iſai* חֲמוֹר לֶחֶם וְנֹאד יַיִן *aſinum panis, & utrem vini*, h. e. aſinum pane onuſtum, & utrem vino plenum.

Iſai. 34. v. 5. *populum anathematis mei*, Vulg. *interfectionis meæ*, i. quem devovi internecioni, ſeu interfectioni.

Cap. 51. v. 20. *Bubalus*, Vulg. *Oryx retis*, h. e. *illaqueatus*, Vulg.

Cap. 54. v. 9. *aquas Noë*, h. e. quæ tempore Noë orbem terrarum inundarunt.

Ezech. 20. v. 7. *offenſiones oculorum ſuorum*, h. e. idola, quæ oculis eorum placent, quamvis abominabilia ſint, & oculos divinæ majeſtatis offendant. Vel quæ oculos eorum offendere deberent, nedum ipſis placere.

Cap. 30. v. 3. *Tempus gentium*, i. quo puniendæ ſunt gentes.

Matth. 26. v. 7. *Alabaſtrum unguenti*, i. unguento plenum.

VIII. COMPARATIONEM. 4. Reg. 24. v. 3. *Propter peccata Manaſſis, quæ fecit* (Juda), i. peccata ſimilia iis, quæ fecerat Manaſſes.

2. Paral. 24. v. 6. *Quare tibi non fuit curæ, ut cogeres Levitas inferre de Juda & de Jeruſalem* אֶת־מַשְׂאַת מֹשֶׁה *collectam*, ſeu *oblationem Moſis?* i. pecuniam ſimilem ei, quam Moyſes ad ſtructuram Tabernacul. collegit. Vide v. 9.

Iſai. 1. v. 10. *Principes Sodomorum .... populus Gomorrhæ*; i. Sodomæ & Gomorrhæ incolis ſceleribus æquiparandi.

Jerem. 22. v. 19. *ſepultura aſini ſepelietur*, h. e. ſepultura aſini ſepulturæ ſimili, ſeu inſepulta ſepultura, ut vocat Cicero Philipp. 1.

Luc. 1. v. 17. *Et ipſe* (Joannes) *præcedet ante illum* (Chriſtum) *in ſpiritu & virtute Eliæ*, i. in ſpiritu & virtute Eliæ ſimili.

Joan. 10. v. 23. *Ambulabat Jeſus in porticu Salomonis*, h. e. ædificata in loco, & ad ſimilitudinem ejus, quam ædificaverat Salomon.

2. Pet. 2. v. 16. *Subjugale mutum animal hominis voce loquens*, i. voce ſimili voci hominis.

Jud. v. 11. *in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt*, h. e. in via Caini viæ ſimili, & errore errori Balaami ſimili.

In pronominibus. Pſal. 54. Heb. 55. v. 14. *Tu vero homo* כְּעֶרְכִּי *ſecundum eſtimationem*, vel *comparationem meam*, i. tanti æſtimatus, quanti & ego. Lxx. ἰσόψυχε, S. Hieron. *unanimis meus*. Sym. ὁμοιότροπός μοι, *ſimilis moris mihi*.

Idiotiſmus ratione conſtructionis.

CANON I.

NON ſolum nomen ſubſtantivum aliud ſubſtantivum ſimpliciter regit: verum etiam intercedentibus quandoque præpoſitionibus inſeparabilibus ב, ל, מ, & quibuſdam ſeparabilibus, quarum omnium vide exempla ſupra pagg. 123. 124.

CANON II.

INFINITIVUS, ceu nomen ſubſtantivum, quandoque ab altero nomine ſubſtantivo regitur.

Gen. 2. v. 4. בְּיוֹם עֲשׂוֹת *in die facere*, h. e. in die factionis, ſeu *quo fecit Dominus Deus cœlum & terram*, Vulg.

Ruth. 1. v. 1. בִּימֵי שְׁפֹט *in diebus judicare judices*; h. e. judicii judicum, ſeu *quando judices præerant* (reipublicæ Iſraëlis;) Vulg.

Iſai. 20. v. 1. בִּשְׁנַת בֹּא *in anno venire Thartan*, h. e. adventus, ſeu quo venit Thartan.

Mich. 7. v. 15. כִּימֵי צֵאתְךָ *ſecundum dies egredi te*, i. ἐξοδίας σου, Lxx. *egreſſionis tuæ*, Vulg. Vide etiam Joſ. 10. v. 27. Eccle. 3. v. 4. Soph. 3. v. 8.

Digitized by Google

Sic etiam Participia quandoque regunt infinitivum. Pſal. 126. Heb. 127. v. 2. מַשְׁכִּימֵי קוּם מְאַחֲרֵי שֶׁבֶת *diluculantes ſurgere, tardantes ſedere*, h. e. qui ſummo diluculo ſurgitis, qui ſero admodum ſedetis. Totius verſiculi ſenſus eſt: vanum eſt vobis ſummo diluculo ſurgere, & ſero admodum ſedere. Aq. *εἰκῆ ὑμῖν ὀρθρίζοντες ἀνίστασθαι, βραδύνοντες καθῆσθαι*, *fruſtra* (eſt) *vobis mane experrectis ſurgere, tardantibus ſedere.*

Prov. 30. v. 29. *Tres ſunt* מֵיטִיבֵי צָעַד *bene facientes procedere*, h. e. *qui bene gradiuntur*, Vulg. *& quatuor* מֵיטִבֵי לָכֶת *benefacientes ambulare*, i. qui bene & magnifice ambulant. Idiotiſmus in ſecundo tantum membro eſt, צָעַד enim prioris, ſubſtantivum, non infinitivus eſt.

Iſai. 56. v. 10. אֹהֲבֵי לָנוּם *amantes dormire*, i. dormitionem.

Subſtantivorum ante adverbia quædam conſtructorum exempla vide ſupra pag. 124. col. 2.

CANON III.

DUORUM ſynonymorum rectio auxeſin & evidentiam denotat.

Pſal. 10. Heb. 11. v. 6. רוּחַ זִלְעָפוֹת *ventus*, ſeu *ſpiritus procellarum*, h. e. ventus procelloſiſſimus.

Pſal. 15. Heb. 16. v. 5. *Dominus* מְנָת־חֶלְקִי *pars portionis*, Vulg. *hæreditatis meæ*, i. pars, hæreditas mea omnimoda.

Pſal. 31. Heb. 32. v. 5. *Remiſiſti iniquitatem peccati mei*, h. e. peccatum meum graviſſimum. Vel iniquitas hîc ſumitur pro pœna peccati, ſeu iniquitatis.

Pſal. 39. Heb. 40. v. 3. *Et eduxit me de luto cæni*, Vulg. *fæcis*, h. e. de luto profundiſſimo. Sic Plaut. in Bacch. *ut eum ex lutulento cæno ejiciat foras.*

Zach. 10. v. 1. *pluviam imbris*, h. e. abundantiſſimam. Alia exempla vide Iſai. 32. v. 13. Ezech. 21. v. 3. al. 20. v. 47. Ibid. cap. 39. v. 4. Mich. 2. v. 4.

2. Theſſ. 1. v. 8. *ἐν πυρὶ φλογὸς*, *in igne flammæ*, h. e. in igne ardentiſſimo, & maxime flammante, Vulg. *in flamma ignis*, legeb. *ἐν φλογὶ πυρὸς*, ut habent mſſ. quidam codd. Vide D. Mill. pag. 482.

2. Pet. 2. v. 17. & Jud. v. 13. *caligo tenebrarum*, h. e. denſiſſimæ tenebræ & horribilis caligo. Vide Eph. 1. v. 19.

Sic in adjectivis ſynonymis. Ezech. 32. v. 21. *Alloquentur illum* אֵלֵי גִבּוֹרִים *fortes potentum*, h. e. duces potentiſſimi. Vulg. *potentiſſimi robuſtorum.*

Jerem. 6. v. 28. סָרֵי סוֹרְרִים *contumaces contumacium*, h. e. contumaciſſimi. Vulg. *principes declinantes.* Chald. *principes eorum rebellantes.* Vel pro סָרֵי legerunt שָׂרֵי; vel ס in סָרֵי pro שׂ poſitum exiſtimarunt.

Interdum tamen illa emphaſis locum non habet, ſed duntaxat pleonaſmus eſt. Num. 19. v. 2. *hoc eſt* חֻקַּת הַתּוֹרָה *ſtatutum legis*, i. ſtatutum, ſive lex.

Pſal. 39. Heb. 40. v. 8. בִּמְגִלַּת סֵפֶר *in volumine libri*, h. e. in volumine, ſive in libro, S. Scripturæ ſcilicet.

Pſal. 66. Heb. 67. v. 1. *Pſalmus cantici*, Pſal. 47. Heb. 48. v. 1. *canticum Pſalmi*, h. e. canticum, vel Pſalmus. Non poſſumus diſtinguere, ſcribit Aben-Eſra, inter canticum pſalmi, & pſalmum cantici, ſicut nec inter rupem petræ, Deut. 8. v. 15. & inter petram rupis, Deut. 32. v. 13. Alia exempla vide Iſai. 33. v. 23. Dan. 12. v. 2. Rom. 1. v. 23. *ὁμοίωμα εἰκόνος* *imago ſimilitudinis*, h. e. imago, vel ſimilitudo.

2. Cor. 5. v. 1. *Domus tabernaculi*, i. domus, vel tabernaculum.

Eph. 4. v. 23. *renovamini ſpiritu mentis veſtræ*, i. ſpiritu, vel mente. Vide etiam 1. Theſſ. 2. v. 13. Heb. 4. v. 2. Apoc. 16. v. 19.

Apud profanos. Æſchylus: *χθονὸς πέδον*, *terræ ſolum. σκάφη νεῶν ſcapha navium*, &c.

Sic in adjectivis. Deut. 33. v. 19. שְׂפֻנֵי טְמוּנֵי חוֹל *occulta abſconditorum arenæ*, h. e. abſcondita arenæ. Vulg. *theſauros abſconditos arenarum*, i. theſauros maris, juxta quod habitabat Zabulon, de quo loquitur Moyſes.

CANON IV.

ADJECTIVA nominalia & participialia regunt genitivum, qui diverſimode Latinis exprimitur.

Adjectiva nominalia regunt genitivum, qui per ablativum redditur, ſi genitivus iſte *rei* ſit; ſi *perſonæ*, per accuſativum cum præpoſitione *inter* exprimitur.

Genitivus rei. Pſal. 23. Heb. 24. v. 4. נְקִי כַפַּיִם וּבַר לֵבָב *innocens manuum & purus cordis*, i. manibus, corde.

Pſal. 118. Heb. 119. v. 1. *Beati* תְּמִימֵי דָרֶךְ *immaculati viæ*, h. e. *via*, ſeu ut Vulg. *in via*. Sic Horat. *integer vitæ ſceleriſque purus.*

Jerem. 32. v. 19. גְּדֹל הָעֵצָה וְרַב הָעֲלִילִיָּה *magnus conſilii, & multus operis*, i. conſilio, opere.

Genitivus perſonæ. Prov. 14. v. 1. חַכְמוֹת נָשִׁים *ſapientes mulierum ædificat domum*, h. e. quæque ſapientum inter mulieres; hic enim idiotiſmus diſtributionem quoque complectitur. Vulg. *ſapiens mulier.* Vide etiam cap. 15. v. 20. cap. 21. v. 20.

Iſai. 3. v. 3. חֲכַם חֲרָשִׁים *ſapientem artificum*, h. e. inter artifices, Vulg. *de artificibus.*

Cap. 29. v. 19. וְאֶבְיוֹנֵי אָדָם *& pauperes hominum*, i. inter homines.

Sic cum nomen אָדָם participio additur, ut: Oſe. 13. v. 2. זֹבְחֵי אָדָם *ſacrificantes hominum*, i. inter homines. Lxx. θύσατε ἀνθρώπους, *immolate homines*. Sym. teſte S. Hier. comm. in h. l. *immolate, homines vitulos adorent*, ita ut poſt *immolate* ſequatur diſtinctio. Hi pro זֹבְחֵי legebant זבחו.

Apud profanos. γνήσιοι τῶν φίλων, *genuini amicorum*, i. inter amicos. Sic apud Latinos: *ovorum oblonga; nigræ lanarum; canum degeneris*, &c. Sunt tamen, qui per ſimplicem adjectivi cum ſubſtantivo conſtructionem iſta explicent: *ſapientes mulierum*, i. ſapientes mulieres: *ſapiens artificum*, h. e. ſapiens artifex: *pauperes hominum*, i. pauperes homines.

Adjectiva participialia, ſive propriè participia ſint, ſive nomina à verbis formata, formæ אָבֵל *lugens*, de quibus infra cap. V. de participiis, regunt genitivum, quo denotatur

I. *Cauſa efficiens*, explicaturque per ablativum cum præpoſitione *à*, vel *præ*.

Gen. 24. v. 31. *Ingredere* בְּרוּךְ יְהוָה *benedicte Domini*, h. e. à Domino. Sic Job. 14. v. 1. Iſai. 53. v. 4. Matth. 25. v. 34.

Pſal. 21. Heb. 22. v. 7. בְּזוּי עָם *contemtus populi*, h. e. à populo.

Cant. 2. v. 5. חוֹלַת אַהֲבָה *ægra amoris*, i. præ amore.

II. *Subjectum*, & ſic per accuſativum, vel ablativum exprimitur.

Gen. 22. v. 12. יְרֵא יְהוָה *timens Domini*, i. Dominum. Sic apud Lat. *timens mortis.*

Pſal. 33. Heb. 34. v. 19. דַּכְּאֵי רוּחַ *contritos ſpiritus*, i. ſpiritu.

Iſai. 6. v. 5. טְמֵא שְׂפָתַיִם *pollutus labiorum*, i. labiis.

Sic in participio pure activo, Pſal. 18. Heb. 19. v. 8. *Lex Domini immaculata* מְשִׁיבַת נָפֶשׁ *reſtituens animæ*, h. e. animam, ſeu reſtitutrix animæ. Ibidem *inſtituens imperiti*, ſive *parvuli*, h. e. inſtitutrix. V. 9. *Illuminans oculorum*, h. e. oculos; vel illuminatrix oculorum.

III. *Adjunctum*; tuncque vel genitivus retinetur, vel ablativus adhibetur.

1. Paral. 29. v. 28. שְׂבַע יָמִים *ſatur dierum*, *divitiarum & gloriæ*. Vulg. *plenus dierum*, *divitiis & gloria*. Sic Jerem. 6. v. 11. מְלֵא יָמִים *plenus dierum.*

Pſal. 31. Heb. 32. v. 1. *Beatus* נְשׂוּי פֶּשַׁע כְּסוּי חֲטָאָה *levatus defectionis, tectus peccati*, h. e. defectione, peccato. Conf. Rom. 4. vv. 6. 7.

Joel. 1. v. 8. חֲגֻרַת שָׂק *accincta ſacci*, i. ſacco.

Eandem conſtructionem ſæpius imitantur adjectiva numeralia, quæ modo loquendi Hebræis proprio, ſubſtantivorum naturam videntur induere.

Gen. 17. v. 12. *Filius* שְׁמֹנַת יָמִים *octonarii dierum*, h. e. octo dierum.

Digitized by Google

De Idiotiſmo in ſpecie conſiderato.

STATUS conſtructi idiotiſmus ſpecialis ſpectat potiſſimum voces quatuor, aut quinque, quæ ſunt אִישׁ *vir*, אֱנוֹשׁ *homo*, בַּעַל *Dominus*, בֵּן *filius*, & בַּיִת *domus*, de quibus ordine agemus.

CANON I.

NOMINA ſubſtantiva אִישׁ *vir*, & אֱנוֹשׁ *homo*, ſi aliud ſubſtantivum in genitivo regant, reſpectu illius ſignificant

I. SUBJECTUM reſpectu accidentis, vel adjuncti, notantque in arte vel facultate aliqua peritum; itemque re aliqua, virtute, vel vitio præditum.

Exod. c. 4. v. 10. אִישׁ דְּבָרִים *vir verborum*, h. e. *eloquens*, Vulg.

1. Reg. c. 16. v. 18. *vir belli*, i. *bellicoſus*, Vulg. Ibid. *vir formæ*, i. *pulcher*, Vulg. Sic c. 17. v. 33.

2. Reg. c. 16. v. 7. *vir ſanguinum*, & *vir belial*, i. vir ſanguinolentus, homicida, & nequiſſimus. Vide Deut. 17. v. 13. 1. Reg. 1. v. 16. &c.

3. Reg. c. 2. v. 26. *vir mortis*, i. morte dignus.

Job. c. 11. v. 2. *vir labiorum*, i. *verboſus*, Vulg.

Prov. c. 15. v. 18. *vir iræ*, h. e. *iracundus*, Vulg. Vide etiam c. 22. v. 24.

Prov. c. 18. v. 24. *vir amicorum*, i. cui ſunt amici.

Prov. c. 19. v. 6. *vir muneris*, i. munificus, qui large dat munera.

Prov. c. 29. v. 1. *vir correptionum*, h. e. ſæpius correptus.

Iſai. c. 53. v. 3. *vir dolorum*, h. e. multis doloribus affectus.

Sic אֱנוֹשׁ in plurali numero. Gen. c. 6. v. 4. *viri nominis*, h. e. celebres. Vulg. *famoſi.*

Gen. c. 46. v. 34. *viri pecoris*, h. e. *paſtores*, Vulg.

Gen. c. 47. v. 6. *viri roboris*, h. e. robuſti, ſtrenui. Vulg. *induſtrii.* Vide 4. Reg. c. 24. v. 16.

4. Reg. cap. 19. v. 29. *viri mortis*, i. rei mortis.

Job. c. 34. v. 8. *viri improbitatis*, h. e. improbi. Ibid. v. 10. *viri cordis*, i. cordati, prudentes.

Pſal. 118. Heb. 119. v. 24. *viri conſilii mei*, h. e. *conſiliarii mei.*

1. Reg. c. 31. v. 3. ubi forma nominis abſoluta adhibetur cum præpoſitione, אֲנָשִׁים בַּקֶּשֶׁת, *viri in arcu*, h. e. in arte jaculatoria inſtructi. Vulg. *viri ſagittarii.*

II. ADJUNCTUM reſpectu ſubjecti, vel *occupantis*, vel *recipientis.*

Occupantis; ſicque pro occupato circa aliquid, vel rem illam tractante accipitur.

Gen. c. 9. v. 20. *Noe* אִישׁ אֲדָמָה *vir terræ*, h. e. agriculturæ deditus. Vulg. *agricola.*

Gen. cap. 25. v. 27. *vir agri*, i. crebo in agrum egrediens venationis gratia.

Recipientis; ac incolam alicujus loci, tribus, vel urbis; itemque ex ea oriundum ſignificat.

Jud. c. 10. v. 1. אִישׁ יִשָּׂשכָר *vir Iſſachar*, h. e. ex tribu Iſſachar oriundus.

Sic Judas Chriſti proditor dicitur Ἰσκαριώτης, Matth. 10. v. 4. ex patria קְרִיּוֹת, Vulg. *Carioth* opido, aut vico in tribu Juda, de quo Joſ. 15. v. 25.

In feminino. Jud. c. 4. v. 4. Debora dicitur אֵשֶׁת לַפִּידוֹת *mulier Lappidoth*, h. e. Lappidoth oriunda. Alii tamen *Lappidoth* Deboræ maritum fuiſſe exiſtimant; unde Vulg. *uxor Lapidoth.*

In plur. num. Gen. c. 19. v. 4. אַנְשֵׁי סְדֹם *viri Sodomæ*, h. e. cives Sodomæ.

Gen. c. 24. v. 13. *viri civitatis*, i. habitantes civitatem.

Gen. c. 39. v. 14. *viri domus*, i. domeſtici.

Luc. c. 11. v. 32. *viri Ninives*, i. Ninivitæ.

III. EFFICIENTEM reſpectu actionis cujuſdam, vel effecti.

Jud. c. 12. v. 2. אִישׁ רִיב *vir rixæ*, h. e. qui rixatur, qui litem intentat. Eadem loquutio paſſive accipitur Jerem. 15. v. 10. ubi *vir rixæ*, is eſt in quem lis intenditur. E contrario Iſai. c. 41. v. 11. active ſumitur in plur. *viri contentionis tuæ*, i. qui contra te rixantur.

1. Reg. c. 17. v. 4. Goliath dicitur אִישׁ הַבֵּנַיִם *vir medietatum*, propterea quod quotidie exiret inter duos exercitus, ut pugnam ſingularem decerni poſtularet, vv. 8. 9. 10. Lxx. ἀνὴρ δυνατὸς, *vir potens*, ſeu *gigas*, ut Syrus & Arabs interpretantur. Vulg. *ſpurius*, q. d. inter duos patres conceptus, cujus ſcilicet pater incertus eſt. Et ſane Goliathi mater *Arapha* tantum exprimitur in ejus genealogia, non pater. Forte Lxx. & Vulg. reſpexerunt ad Geneſ. 6. v. 4. ubi ex illicitis connubiis filiorum Dei cum filiabus hominum, gigantes nati dicuntur.

2. Reg. c. 18. v. 20. *vir nuntii*, i. nuntius.

Iſai. c. 46. v. 11. אִישׁ עֲצָתִי *vir conſilii mei*, h. e. qui conſilia mea exſequatur. Vulg. *vir voluntatis meæ*, i. qui voluntatem meam perficiat.

IV. EFFECTUM, vel potius actionis ſubjectum, reſpectu efficientis.

Pſal. 79. Heb. 80. v. 18. *Fiat manus tua ſuper* אִישׁ יְמִינֶךָ *virum dexteræ tuæ*, h. e. quem dextera tua, ſeu virtute tua protegis & roboras.

Huc pertinet loquutio אִישׁ אֱלֹהִים *vir Dei*, qua propheta à Deo miſſus & Spiritu Sancto afflatus exprimitur 3. Reg. 13. vv. 1. 4. Deut. 33. v. 1. Jerem. 35. v. 4. &c. & uti explicatur 2. Pet. 1. v. 21. ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι, *Spiritu Sancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines.* Eadem phraſis ὁ ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ, *homo Dei*, occurrit 1. Tim. 6. v. 11. 2. Tim. 3. v. 17. eaque potiſſimum miniſter Dei in annuntiando ejus verbo & voluntate indicatur.

CANON II.

NOMEN בַּעַל *Dominus*, ſubſtantivo in gignendi caſu additum; ſignificat

I. REI POSSESSOREM. Exod. 22. v. 7. בַּעַל הַבַּיִת *Dominus domus*, h. e. paterfamilias. Sic in fem. בַּעֲלַת הַבַּיִת *materfamilias*, 3. Reg. 17. v. 17.

1. Sam. 28. v. 7. *Quærite mihi mulierem* בַּעֲלַת אוֹב *dominam Pythonis*, h. e. Pythoniſſam. Vulg. *habentem Pythonem.* Lxx. ἐγγαστρίμυθον *ventriloquam.* Pythoniſſa mulier erat per cujus inferiores ventris partes loquebatur Dæmon.

4. Reg. 1. v. 8. *Dominus pili*, h. e. piloſus.

Prov. 1. v. 17. *Dominus alæ*, i. habens alas, alatus, ſeu ales.

Iſai. 41. v. 15. *Dominus roſtrorum*, h. e. roſtra habens, roſtratus.

Dan. 8. v. 6. *Dominus cornuum*, i. cornutus, cornupotens.

Nah. 3. v. 4. *Domina præſtigiorum*, Vulg. *maleficiorum*, h. e. præſtigiatrix.

Sic cum affixo, Eccle. 7. v. 12. *Sapientia vivificat* בְּעָלֶיהָ *dominos ſuos*, h. e. qui illam poſſident.

II. REI SUBJECTUM. Gen. 14. v. 13. *Et ipſi erant* בַּעֲלֵי בְרִית *domini fœderis Abram*, h. e. *pepigerant fœdus cum Abram*, Vulg. Lxx. συνωμόται *conjurati.* Sic Nehem. 6. v. 18. *viri juramenti*, h. e. conjurati, fœderati.

Gen. 37. v. 19. *Dominus ſomniorum*, i. *ſomniator*, Vulg.

Gen. 49. v. 23. *Domini ſagittarum*, h. e. ſagittarii, ſagittandi periti.

Exod. 24. v. 14. *Dominus verborum*, ſeu *negotiorum*, h. e. qui habet controverſias, ſeu dubia aliqua.

Prov. 22. v. 24. *Dominus iræ*, h. e. iracundus.

Cant. 8. v. 11. *Vinea eſt Salomoni*, (Vulg. *pacifico*, vocem שְׁלֹמֹה ut appellativam accepit) בְּבַעַל הָמוֹן *in Domino multitudinis*, vini ſcilicet;

Digitized by Google

ſcilicet; h. e. in loco feraci. Aq. ἐν ἔχοντι πλῆθος, *in* (loco) *habente multitudinem* vini. Lxx. Βεελαμών, ut nomen proprium acceperunt. Sym. ἐν κατοχῇ λαοῦ, al. ὄχλου, *in detentione populi*, al. *turbæ*. Vulg. *in ea, quæ habet populos*, ſupp. regione.

III. Loci incolam, ſeu habitatorem. Num. 21. v. 28. בַּעֲלֵי בָּמוֹת *Domini excelſorum*, h. e. *habitatores excelſorum*, Vulg.

Jud. 9. vv. 2. 3. 6. &c. *Domini*, Vulg. *viri Sichem*, h. e. habitatores Sichem, ſive Sichemitæ.

IV. Rei alicui, quacumque ratione, deditum. Eccle. 12. v. 11. *Verba ſapientium quaſi ſtimuli* (ſunt,) *& clavi infixi* בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת *domini collectionum*, h. e. qui in dicta ſapientum colligenda incumbunt, quoſque Græci ῥαψῳδοὺς appellant.

Prov. 18. v. 9. *Dominus diſſipationis*, h. e. prodigus, decoctor.

Cum affixis. Prov. 1. v. 19. *animam* בְּעָלָיו *dominorum ſuorum rapiet quæſtus*, de quo in verbis præcedentibus, h. e. animas eorum, qui ipſi addicti ſunt, perdet.

Prov. 3. v. 27. *noli prohibere bonum* מִבְּעָלָיו *à dominis ſuis*, h. e. ab eis, qui opus habent, & quibus jure debetur. Quod quidam intelligunt de eleemoſina, quæ Hebræis צְדָקָה *juſtitia* vocatur, quod pauperibus ſubvenire jus & æquum ſit. Vulg. aliter hunc contextum explicat. *Noli prohibere benefacere eum, qui poteſt: ſi vales, & ipſe benefac.*

Prov. 17. v. 8. *Gemma gratiſſima eſt munus in oculis* בְּעָלָיו *dominorum ſuorum*, ſeu *Domini ſui*, hoc eſt, ejus, qui illud diligit, ſive ut Chald. interp. *ejus, qui accipit illud.*

CANON III.

Nomen maſculinum בֵּן *filius*, & femininum בַּת *filia*, cum nomine rei animæ expertis conſtructum, multos facit hebraïſmos, & pro ratione ſequentis genitivi diverſimode explicandum eſt.

I. Si nomen *qualitatis*, vel *adjuncti* addatur, per concretum, ſeu adjectivum ei reſpondens, explicari debet; tuncque ſæpius ſupervacaneum eſt nomen *filii*, vel ſynecdochice pro homine in genere ponitur.

Deut. 13. v. 13. *Egreſſi ſunt* בְנֵי־בְלִיַּעַל *filii Belial*, h. e. viri iniqui & impii. בְלִיַּעַל enim componitur vel ex בְּלִי *non*, & יָעַל in hiphil *profuit*; h. e. ſecundum Hebraiſmum, *nocuit*. Vel ex בְּלִי *ſine*, & עֹל *jugum*, q. d. ſine jugo, qui jugum legis ac timoris Dei excuſſit. Unde Lxx. *filios Belial* quandoque interpretantur παρανόμους *iniquos*. Jud. 19. v. 22. emphatice per pleonaſmum additur: *viri filiorum Belial*, h. e. improbiſſimi.

2. Reg. 2. v. 7. *filii fortitudinis*, h. e. robuſti, fortes, ſtrenui.

Sic Deut. 3. v. 18. 3. Reg. 1. v. 52.

4. Reg. 14. v. 14. *filii fidejuſſionum*, h. e. *obſides*, Vulg.

Iſai. 5. v. 1. *cornu filius olei*, i. clivus pinguis, adeoque uberrimus. Lxx. τόπον πίονα, *locum pinguem* interpretantur.

Luc. 16. v. 8. οἱ υἱοὶ τοῦ φωτὸς, *filii lucis*, i. homines à Deo illuminati, quibus ibidem opponuntur *filii hujus ſæculi*, h. e. præſenti vitæ addicti. Paulo aliter *filii hujus ſæculi* accipiuntur cap. 20. v. 34. nempe pro hominibus in hoc mundo adhuc verſantibus, quibus v. 35. opponuntur *filii reſurrectionis*, i. beatæ reſurrectionis participes. Vide Joan. 12. v. 36. 1. Theſſ. 5. v. 5. Epheſ. 5. v. 8. ubi exſtat etiam appellatio *filiorum lucis*.

Epheſ. 2. v. 2. *filii incredulitatis*, Vulg. *diffidentiæ*, h. e. increduli, inobedientes. Sic c. 5. v. 6.

1. Petr. 1. v. 14. *filii obedientiæ*, i. obedientes.

Quandoque nomen *filii* ſubintelligitur. Heb. 10. v. 39. *Nos autem non ſumus* ὑποστολῆς *ſubſtractionis*, ſupp. υἱοὶ *filii*, ut ſupp. Vulg. interp. qui forte etiam in ſuo cod. legeb. υἱοὶ, ut habet mſ. Veleſ. *ſed fidei* πίστεως, ſupple ex membro præced. *filii*; h. e. ii non ſumus, qui nos ſubducamus in perditionem, ſed vera fide præditi ſumus in acquiſitionem,

hoc eſt, in ſalutem animæ.

II. Si nomen *præmii*, vel *pœnæ* addatur; tum per *dignum eſſe*, *deſtinatum eſſe* explicatur.

1. Reg. 20. v. 31. בֶּן־מָוֶת *filius mortis eſt*, h. e. morte dignus. Sic 2. Reg. 12. v. 6.

Pſal. 101. Heb. 102. v. 21. *filii mortis*, h. e. morti deſtinati. Vide Pſal. 78. Heb. 79. v. 11.

Cum infinitivo loco nominis poſito. Deut. 25. v. 2. בִּן־הַכּוֹת *filius cædendi*, h. e. dignus qui percutiatur. Vulg. *dignus plagis.*

Matth. 23. v. 15. *filius gehennæ*, ſeu *inferni*, h. e. gehenna, inferno dignus.

Luc. 10. v. 6. *filius pacis*, h. e. pace dignus, ut exponitur Matth. 10. v. 13.

Joan. 17. v. 12. *filius perditionis*, h. e. perditione dignus. Vide 2. Theſſ. 2. v. 3.

Epheſ. 2. v. 3. *filii iræ*, h. e. ira digni.

2. Pet. 2. v. 14. *maledictionis filii*, i. maledictione digni.

III. Si nomen *ætatis*, ſeu *temporis* addatur; per *natum eſſe*, vel alia convenienti voce exponendum eſt.

Gen. 17. v. 1. בֶּן־תִּשְׁעִים שָׁנָה *filius nonaginta annorum*, &c. h. e. 90. annos natus. Vide vv. 12. 17. cap. 50. v. 26. Num. 3. v. 15.

Exod. 12. v. 5. *Agnus* .... *filius anni*, h. e. anniculus, nimirum qui annum non exceſſerit, etiamſi annum præciſe non compleverit, nam aptus eſſe incipiebat ab octavo die, cap. 22. v. 30. c. 34. v. 26. Lev. 22. v. 27. Deut. 14. v. 21.

1. Reg. 13. v. 1. בֶּן־שָׁנָה שָׁאוּל בְּמָלְכוֹ וּשְׁתֵּי שָׁנִים מָלַךְ עַל־יִשְׂרָאֵל *filius anni* (erat) *Saül in regno ſuo: aut duobus annis regnaverat ſuper Iſraël.* v. 2. *Cum elegit*, &c. h. e. primo aut ſecundo anno regni ſui ſuper Iſraël, elegit Saül tria millia, &c. Hæc explicatio ab Hebræo aliena non eſt, & omnes difficultates tollit. Quod conjunctio ו ſignificet etiam *aut*, multis exemplis probabimus infra, in conjunctione ו.

Iſai. 65. v. 20. *Puer filius centum annorum morietur*, h. e. Puer ad centum annos perveniet antequam moriatur; ſeu centum annos natus erit, cum morietur.

Jon. 4. v. 10. *filius noctis*, h. e. qui una nocte crevit & periit.

Huc referunt Gen. 37. v. 3. *Iſraël autem diligebat Joſephum .... quia filius ſenectutis erat ipſi*, h. e. in ſenectute ipſi natus. Vulg. *eo quod in ſenectute genuiſſet eum.* Chald. vertit: *filius ſapiens*; cum ſenectute enim ſapientia vulgo conjuncta eſt.

IV. Si nomen *loci*, *urbis*, *populi* addatur; per *civem*, *incolam*, &c. aut *patronymicum* nomen explicandus eſt idiotiſmus.

Gen. 15. v. 3. בֶּן־בֵּיתִי *filius domus meæ*, h. e. *vernaculus meus*, Vulg.

Gen. 23. v. 11. *filii populi mei*, h. e. cives mei, populares mei. Sic Jud. 14. v. 16. 2. Paral. 35. v. 13.

Eſd. 2. v. 1. *filii provinciæ*, i. incolæ.

Pſal. 148. Heb. 149. v. 2. *filii Sion*, h. e. incolæ Sionis.

Eccle. 2. v. 7. *filii domus*, i. vernæ. Vulg. *familia.*

Iſai. 11. v. 14. *filii orientis*, h. e. orientales populi.

Jerem. 2. v. 16. בְּנֵי נֹף *filii Noph*, Vulg. *Mempheos*, h. e. incolæ Mempheos.

Ezech. 16. v. 26. *filii Ægypti*, h. e. Ægyptii. Sic & v. 28.

Ezech. 30. v. 5. *filii terræ fœderis*, h. e. incolæ terræ illius, quibuſcum fœdus initum eſt; ſeu ſimpliciter juncti fœdere.

Sic *filia Sion*, 4. Reg. 19. v. 21. *filia Jeruſalem*, Thren. 2. v. 16. *filia Tyri*, Pſal. 44. Heb. 45. v. 13. *filia Babel*, Zach. 2. v. 11. pro harum civitatum incolis. Vide infra in Syntaxi figurata.

Matth. 8. v. 12. *filii regni*, h. e. indigenæ. Quo in loco notantur Judæi.

V. Si nomen *rei continentis* addatur, ad ſenſum commode inſtituenda eſt explicatio.

Job. 41. v. 19. בֶּן־קָשֶׁת *filius arcus*, h. e. ſagitta, quæ Hebræis maſculini eſt generis. Vulg. *vir ſagittarius.*

Thren. 3. v. 13. *filii pharetræ*, i. ſagittæ, quæ in pharetra continentur.

Iſai. 21. v. 10. *filius areæ*, hoc eſt, frumentum, quod in area trituratur & ventilatur.

Iſai. 23. v. 10. *filia maris*, i. navis.

In Nov. Teſt. Matth. 9. v. 15. *οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος*, *filii thalami nuptialis*, h. e. amici

ſponſi, quos Græci *παρανυμφίους* appellant. Vulg. *filii ſponſi*, legeb. *νυμφίου*, ut habent mſſ. quidam. Vide D. Mill. pag. 20.

VI. Sunt & aliæ loquutiones ſingulariter notandæ, & congrue explicandæ.

Job. 38. v. 32. *Nunquid.... Arcturum* עַל *cum filiis ſuis deduces*: per cœlum ſcilicet, h. e. Arcturum cum ſtellis propinquis, vel etiam ex quibus componitur. עַל enim eo loci uſurpatur pro עִם *cum*.

Eccle. 12. v. 4. *filiæ cantici*, i. aures, in quibus recipitur cantionum ſonus. Vide infra Synt. fig.

Cant. 6. v. 14. al. 7. v. 4. *porta filiæ multorum*, h. e. maxime frequentata, per quam multi ingrediuntur & egrediuntur.

Iſai. 14. v. 12. *Quomodo cecidiſti de cœlo lucifer*, בֶּן־שָׁחַר *filius auroræ*? h. e. ut Lxx. interpretantur, ὁ πρωῒ ἀνατέλλων, *mane oriens*, ſeu ut Vulg. *qui mane oriebaris.* Hac autem Luciferi, ſeu ſtellæ matutinæ periphraſi, rex Babylonis ſignificatur, ut liquet ex contextu.

Ezech. 27. v. 6. קַרְשֵׁךְ עָשׂוּ־שֵׁן בַּת־אֲשֻׁרִים *tranſtra tua fecerunt ex dente filia Greſſuum*, i. ex ebore optimo, illud enim ebur præſtantiſſimum eſt, quod ab elephantibus defoditur in terram, & in ea pedibus teritur. Vide Plinium hiſt. nat. lib. 8. c. 3. Lxx. τὰ ἱερά σου ἐποίησαν ἐξ ἐλέφαντος, οἴκους ἀλσώδεις. &c. *templa tua fecerunt ex ebore, domus ſylveſtres*, &c. pro קַרְשֵׁךְ legebant קָדְשֵׁךְ *ſanctitatem tuam*, i. templum, vel templa tua; & pro בַּת־אֲשֻׁרִים legeb. בֵּית־אֲשֵׁרִים *domum lucorum*, ſive *ſylvarum*, h. e. domos ſylveſtres. Chald. interpretatur *aſſeres buxorum*, ſive *tabulas buxinas*, pro בַּת־אֲשֻׁרִים legebat unica voce בִּתְאַשֻּׁרִים, ex ב præpoſitione & תְּאַשּׁוּר *buxus*, quæ vox exſtat Jerem. 41. v. 19. Vulg. *tranſtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, & prætoriola de inſulis Italiæ.* Poſt vocem *ebore*, addit *Indico*, & בַּת־אֲשֻׁרִים interpretatur *prætoriola*, quæ erant in prora navis. Videtur legiſſe cum Lxx. בֵּית־אֲשֵׁרִים *domum ſylvarum*, i. domos ligneas.

Gal. 4. v. 28. *filii promiſſionis*, h. e. ad quos pertinet promiſſio Abrahæ facta: nempe libertas filiorum Dei atque hæreditas.

Huc referunt quidam illud Gen. 49. v. 22. בֵּן פֹּרָת *filius fructificantis*, ſeu *frugiferæ* (arboris) *Joſeph*; h. e. ramus fœcundus. Lxx. υἱὸς ηὐξημένος, Vulg. *filius accreſcens*, videntur legiſſe בֵּן פֹּרֶה.

Eodem idiotiſmo Rabbini nomen יְהוָה vocant *nomen filium quatuor litterarum*, h. e. quatuor litteris conſtans.

Sic apud Latinos. Horat. 1. carm. Od. 14. .... *pinus ſylvæ filia nobilis.* 2. Serm. Satyra 6. *fortunæ filius*, &c.

Denique בֵּן ſignificat etiam *diſcipulum*, ut: בְּנֵי־הַנְּבִיאִים *filii prophetarum*, 4. Reg. 2. v. 3. & ſic ſæpe in hoc libro & alibi, h. e. prophetarum diſcipuli.

Hinc Judæi orientales, qui ſequuntur punctationem R. *Moſis* (vel ut placet Eliæ Levitæ præf. III. ad lib. Maſſoreth Hammaſſoreth, R. *Jacob*) *filii Davidis, de tribu Nephtali*; vocantur *filii Nephtali*, i. e. diſcipuli. Ita Judæi occidentales, qui adſtipulantur lectioni R. *Aaron filii Moſis, de tribu Aſcher*, vel *Aſer*; appellantur *filii Aſcher*, vel *Aſer*, h. e. diſcipuli. Vide ſupra pag. 289. col. 1. Porro in laudandis illis doctoribus, brevitatis ergo omiſſis eorum nominibus, tribus duntaxat, unde oriundi erant, memorantur. Vixerunt autem circa annum Chriſti 1034. ſecundum ſcriptorem *Schalſcheleth*; vel 1037. ſecundum *Zemahh David.* Non fuerunt ergo primi punctorum vocalium inventores, ut ſcribit *Vignalius* in notis ad *Quinquarborei* inſtitutiones linguæ Hebraïcæ, pag. 8. edit. Pariſ. 1621. Diſſident à ſe invicem circa puncta quædam vocalia & accentus, quorum indices ad calcem Bibl. Rabb. editionis Venet. & Baſileenſis, & in tom. 6. Bibl. polyglott. Lond. pag. 8. exhibentur. Illæ autem diſcrepantiæ, quæ nullius ſunt momenti, quæque ut variantes lectiones ad ſummum ſpectari poſſunt, punctationem Maſſorethicam mirum in modum confirmant, nedum eam elevent. Hic etiam operæ pretium eſt obſervare in codicibus noſtris, qui lectionem R. Aſcher exhibent, nonnunquam inveniri punctationem R. Nephtali, & viciſſim. Vide exemplum in יְיָ, pag. ſuperius laudata 289.

CANON IV.

NOMEN בַּיִת *domus*, in ſtatu conſtructo poſitum, pro quovis continente, vaſe, aut loco accipitur.

Deut. 5. v. 6. בֵּית עֲבָדִים *domus ſervorum*, h. e. locus, in quo dura ſervitute premebatur populus Iſraëliticus. Vulg. *domus ſervitutis.* Conf. Levit. 26. v. 13.

Jud. 16. v. 21. *Domus vinctorum*, h. e. carcer. Sic 2. Reg. 20. v. 3. *domus cuſtodiæ*, i. cuſtodia. Jerem. 37. v. 4. *domus carceris*, h. e. carcer. Vide vv. 15. 18.

2. Reg. 15. v. 17. *domus remotionis*, h. e. *locus remotus*, ita Targum.

Eccle. 12. v. 5. *Domus æternitatis*, Vulg. vel *ſæculi*, i. *ſepulchrum*, ſecundum Targum, in quo manent ſepulti uſque ad diem reſurrectionis.

3. Reg. 18. v. 32. *Fecitque* (Elias) *aquæductum* כְּבֵית סָאתַיִם זֶרַע *quaſi domum duorum ſatorum ſeminis.* Vulg. *quaſi per duas aratiunculas*, h. e. fecit circa altare foveam, in qua decurrerent aquæ, & latitudo iſtius aquæductus erat juxta menſuram loci capientis quaſi duo ſata ſementis.

Cant. 2. v. 4. *Domus vini*, h. e. *cella vinaria*, Vulg.

Iſai. 3. v. 21. *Domus animæ*, h. e. *olfactoriola*, Vulg. Alii, myrothecia, in quibus ſervantur unguenta fragrantia, quæ recreant animam, ac veluti in corpore, ceu in domo retinent, cum ex eo per deliquium videtur exire. Alii per *animam* intelligunt halitum, quem ex ſe exhalant pixides olfactoriæ.

§. X.

De Nominis conſtructi pleonaſmo.

MONOCANON.

E duobus ſubſtantivis in regiminis ſtatu copulatis, ſignificatio poſterioris, vel unice, vel cumprimis attenditur: adeo ut prius in ſubjectis vocibus & exemplis redundare videatur.

I. פָּנִים *facies.*

Gen. 1. v. 2. *Et tenebræ erant* עַל־פְּנֵי תְהוֹם *ſuper faciem abyſſi*, h. e. ſuper abyſſum.

Gen. 23. v. 3. *Cumque ſurrexiſſet* (Abraham) מֵעַל־פְּנֵי מֵתוֹ *à facie mortui ſui*, h. e. à mortuo ſuo, in maſc. gen. quamvis de mortua Sara ſermo ſit, quia reſpicit ad גּוּף *corpus.* Vulg. *Cumque ſurrexiſſet ab officio funeris*, h. e. poſtquam planxit & flevit Saram. Vide v. præcedentem. Alia exempla vide 1. Reg. 14. v. 26. Iſai. 14. v. 21. Luc. 21. v. 35. ubi πρόσωπον γῆς, *facies terræ* eſt pro *terra.*

II. פֶּה *os, oris.*

Deut. 13. v. 15. *Percuties habitatores urbis illius* לְפִי חָרֶב *in ore gladii*, h. e. gladio. Vide Luc. 21. v. 24.

Gen. 43. v. 7. *Et nos reſpondimus ei* (Joſepho) עַל־פִּי הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה *ſecundum os verborum illorum*, h. e. ſecundum verba illa. Eleganter Vulg. *conſequenter juxta id, quod fuerat ſciſcitatus.*

Num. 26. v. 56. עַל־פִּי הַגּוֹרָל *ſecundum os ſortis*, i. ſecundum ſortem. Vulg. *quidquid ſorte contigerit.*

Prov. 22. v. 6. עַל־פִּי דַרְכּוֹ *ſecundum os viæ ſuæ*, h. e. *ſecundum viam ſuam*, Vulg.

Sic quando vox illa particula expletiva eſt cum ל & כ. לְפִי & כְּפִי *juxta, ſecundum.* Vide Gen. 47. v. 12. Exod. 16. v. 21. Mal. 2. v. 9.

III. בָּנִים *filii.*

Pſal. 35. Heb. 36. v. 8. בְּנֵי אָדָם *filii homi-*

num, i. homines. Sic Marc. 3. v. 28. *υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων*. Chriſtus etiam ſeipſum vocat *filium hominis*, Matth. 16. v. 13. cap. 20. v. 28. &c. h. e. hominem *κατ' ἐξοχήν*. Ezechiel ſæpius à Deo appellatur *filius hominis*, h. e. homo. Vide cap. 2. vv. 1. 11. &c.

Pſal. 126. Heb. 127. v. 4. בְּנֵי הַנְּעוּרִים *filii juventutis*, h. e. juvenes, vel in juventute procreati; ſicque בְּנֵי non redundat.

Joel 3. al. 4. v. 6. *filiis Græcorum*, h. e. Græcis. Sic Deut 9. v. 2. *filii Enacim*, h. e. gigantes. Enac enim fuit celebris gigas, de quo Num. 13. vv. 22. 28. cujus nomen ad omnes gigantes poſtea traductum fuit.

Apud profanos. *υἷες Ἀχαιῶν*, *filii Archivorum*, i. Archivi, ſeu Græci, Hom. Iliad. *α.* v. 162. &c. Sic *filii medicorum*, i. medici; *filii muſicorum*, i. muſici, &c.

IV. שֵׁם *nomen.*

Pſal. 19. Heb. 20. v. 2. *protegat te nomen Dei Jacob*, h. e. Deus Jacob. Et ſic ſæpius in Scripturis.

Apoc. 11. v. 13. *occiſa ſunt .... ὀνόματα*, *nomina hominum ſeptem millia*, h. e. ſeptem millia hominum.

V. יָד *manus.*

Vox illa, quæ in Hebræo pro quovis inſtrumento ſumitur, quandoque etiam redundat.

Gen. 9. v. 5. *Sanguinem veſtrum .... requiram* מִיַּד *de manu omnis beſtiæ*, h. e. ab omni beſtia.

Exod. 9. v. 35. *Sicut præceperat Dominus per manum Moyſi*, h. e. per Moyſen.

3. Reg. 8. v. 53. *Sicut loquutus eſt per manum Moyſi*, i. *per Moyſen*, Vulg. Vide Pſal. 21. Heb. 22. v. 21. Pſal. 48. Heb. 49. v. 16. Pſal. 106. Heb. 107. v. 2.

4. Reg. 17. v. 13. *Per manum omnium prophetarum*, h. e. per omnes prophetas.

1. Paral. 6. v. 16. al. 31. *Iſti ſunt, quos conſtituit David ſuper manus cantici*, h. e. ſuper cantica, miniſterium muſicum. Vulg. *cantores.* Vide 2. Paral. 29. v. 27.

Iſai. 64. v. 6. *In manu iniquitatis noſtræ*, i. propter iniquitatem noſtram.

VI. תָּוֶךְ & קֶרֶב *medium.*

Duæ illæ voces ſæpius aut ſupervacaneæ ſunt, aut *medium* non ſignificant, ſed *in*, *inter*; &c.

Gen. 45. v. 6. *Biennium eſt, quod cœpit fames eſſe* בְּקֶרֶב *in medio terræ*, h. e. *in terra*, Vulg. Vide Exod. 8. v. 22. Joſ. 3. v. 17. 4. Reg. 4. v. 13. Pſal. 21. Heb. 22. v. 15. Pſal. 39. Heb. 40. vv. 9. 11. Pſal. 47. Heb. 48. v. 10. Iſai. 10. v. 23. Conf. Rom. 9. v. 28.

Habacuc 3. v. 2. *Domine, opus tuum* בְּקֶרֶב שָׁנִים חַיֵּיהוּ *in medio annorum vivifica illud*, h. e. populum Iſraëliticum, qui opus tuum eſt, interea temporis cum calamitatibus opprimitur, ſerves incolumem. Aq. *ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη, ζώωσον αὐτό*, *in appropinquando annos vivifica illud*, legeb. בִּקְרֹב pro בְּקֶרֶב. Symm. *ἐντὸς τῶν ἐνιαυτῶν ἀναζώωσον αὐτό*, *intra annos revivifica illud.* Theod. *ἐν μέσῳ ἐτῶν ζώωσον αὐτό*, Vulg. *in medio annorum vivifica illud.* Lxx. & alius interpres, *ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ*, *in medio duorum animalium cognoſcêris.* Pro שָׁנִים *annorum*, legebant שְׁנַיִם *duorum*; & pro חַיֵּיהוּ *vivifica illud*, חַיּוֹת *animalium.* Denique vocem *γνωσθήσῃ cognoſcêris*, addiderunt ex membro ſequenti תּוֹדִיעַ *notum facies*, cujus loco legebant תִּוָּדַע in paſſiva voce, *cognoſcêris.* Multa inſuper in hoc verſu [illegible] addidêre, quæ fruſtra in Hebræo quæſieris; niſi forte plures ſimul conjunctæ ſint verſiones, quod vero ſimilius videtur.

Zach. 2. v. 8. *Præ multitudine hominum & jumentorum in medio ejus* (Jeruſalem), h. e. in ea. Vide verſ. ſequentem.

Matth. 13. v. 25. *ſeminavit zizania in medio tritici*, i. inter triticum.

Luc. 17. v. 11. *Tranſibat* (Jeſus) *per mediam Samariam*, i. per Samariam. Vide Heb. 2. v. 12. &c.

Cor pro *medio* in hoc ſenſu interdum metaphorice ponitur. Prov. 30. v. 19. *viam navis in corde maris*, h. e. in mari.

Ezech. 27. v. 4. Tyrus ſita dicitur *in corde maris*, h. e. in mari, etquidem non longe à continente.

Matth. 12. v. 40. *Sic erit filius hominis in corde terræ*, h. e. in terra.

VII. דָּבָר *verbum*, *res.*

Job. 41. v. 4. Heb. *Non ſilebo* בַּדָּיו *vectes*

Digitized by Google

ejus (Leviathan, ſive crocodili) h. e. membra ejus inſtar vectium robuſta, וּדְבַר גְּבוּרוֹת & *verbum virium*, h. e. & vires ejus.

Pſal. 64. Heb. 65. v. 4. *verba iniquitatum*, i. iniquitates.

Pſal. 104. Heb. 105. v. 27. *verba ſignorum*, h. e. ſigna, miracula.

Pſal. 144. Heb. 145. v. 5. *verba mirabilium tuorum*, h. e. *mirabilia tua*, Vulg.

Eſth. 9. v. 31. *verba jejuniorum & clamoris eorum*, h. e. *jejunia & clamores*, Vulg.

Sic apud Plaut. in Amphitr. *res voluptatum*, pro, voluptates.

Dictiones קוֹל *vox*, & יָמִים *dies*, quandoque etiam abundare videntur, ut: Iſai. 24. v. 18. *à voce formidinis*, h. e. à formidine. 2. Reg. 19. v. 35. *Quot ſunt dies annorum vitæ meæ?* h. e. quot ſunt anni vitæ meæ? Vide Pſal. 89. Heb. 90. v. 10. Et extra regimen, Jud. 19. v. 2. *manſitque ibi* יָמִים אַרְבָּעָה חֳדָשִׁים *diebus, quatuor menſibus*, h. e. *quatuor menſibus*, Vulg. nulla facta dierum mentione. Sunt tamen, qui hîc enallagen abſoluti pro constructo agnoſcant, nempe יָמִים, pro יְמֵי, *diebus quatuor menſium*, h. e. quatuor menſibus integris, ut per hypallagen dicitur *menſis dierum*, Gen. 29. v. 14. Num. 11. vv. 20. 21. pro *diebus menſis*, ſeu menſe completo. Sic *biennium dierum*, Gen. 41. v. 1. 2. Reg. 14. v. 28. pro *biennio integro*.

§. XI.

De Nominis conſtructi ellipſi.

MONOCANON.

Ex duobus ſubſtantivis, quorum alterum altero regitur, modo prius, ſive regens; modo poſterius, ſive rectum deficit.

Prioris ſubſtantivi ellipſis.

I. אִישׁ *vir.*

Jud. 5. v. 19. *ſupellex varia* שָׁלָל לְצַוְּארֵי *ad colla ſpolii*, h. e. *ad colla* אַנְשֵׁי *virorum ſpolii*, i. *ſpoliantium ornanda congeritur*, ut ultima hæc verba ſupplevit Vulg.

Ruth. 3. v. 2. *cognatio noſtra eſt*, i. vir cognationis noſtræ. Vulg. *propinquus noſter eſt.*

2. Reg. 23. v. 6. *Belial*, pro viri Belial, ut integre habetur cap. 16. v. 7. Vulg. *prævaricatores.*

3. Reg. 22. v. 36. *Et tranſivit clamor*, h. e. vir clamoris. Vulg. *præco.* Alii ſupplent קוֹל vox clamoris.

Job. 15. v. 34. *tabernacula muneris*, h. e. viri muneris. Vulg. *eorum, qui munera libenter accipiunt.*

Job. 32. v. 7. *Dies loquentur, & annorum multitudo notam faciet ſapientiam*, h. e. viri dierum, & multitudinis annorum, provecti ætate, annoſi, valde ſenes.

Prov. 13. v. 6. *impietas peccatum ſupplantat*, h. e. virum peccati. Vulg. *peccatorem.*

Iſai. 41. v. 24. *Abominatio eliget vos*, h. e. vir abominationis; quare verbum maſc. eſt, quamvis nomen תּוֹעֵבָה *abominatio* ſit femininum.

Alia exempla vide Pſal. 35. Heb. 36. v. 12. Pſal. 108. Heb. 109. vv. 2. 4. Pſal. 119. Heb. 120. v. 7. Prov. 17. v. 4. c. 20. v. 1. c. 23. v. 28. cap. 24. v. 9. Iſai. 17. v. 5. Dan. 9. v. 23. &c.

Et fem. אִשָּׁה *mulier.* Prov. 14. v. 1. *Sapiens mulier ædificat domum, & ſtultitia manibus ſuis deſtruit eam*, h. e. mulier ſtultitiæ, ſtulta. Vulg. *inſipiens.*

II. בַּיִת *domus.*

Mich. 3. v. 1. *Principes Jacob*, ſupp. domus Jacob, ut v. 9. legitur.

Mich. c. 4. v. 2. *Mons Domini*, i. domus Domini. Conf. v. 1.

Apoc. 3. v. 7. *Qui habet clavem David*, h. e. domus David. Conf. Iſai. 22. v. 22.

Huc pertinet Act. 2. vv. 27. 31. *εἰς ᾅδου*, *in inferni*, ſupp. *οἶκον domum*; quæ ellipſis apud auctores profanos tam Græcos quam Latinos frequens eſt. Euripid. *ἐν ἀνδρὸς ἀνελεύσετο*

πατρὸς, in viri religioſiſſimi, ſupp. οἴκῳ *domo nutritus*. Ita Cicero, *ad Opis*, *ad Pollucis*, ſcilicet ædem.

III. אֱלֹהֵי *Deus*.

Frequens eſt hæc ellipſis in phraſi, quæ ſæpiſſime in Scripturis occurrit: יְהוָה צְבָאוֹת *Dominus Sabaoth*, ſeu *exercituum*, quæ plena legitur Pſal. 88. Heb. 89. v. 9. Jerem. 15. v. 16. Oſe. 12. v. 6. Amos 3. v. 3. &c. יְהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת *Dominus Deus exercituum*. Vox enim יְהוָה nunquam in regiminis ſtatu ponitur.

IV. אֶחָד *unus*, vel אַחַת *una*.

Hujus ellipſeos exempla vide ſupra p. 478. Canon V.

V. אָבִי *pater*, אֵם *mater*, בֵּן *filius*, אָחִי *frater*, אִשָּׁה *uxor*, &c.

2. Reg. 21. v. 19. *Goliath Gethæi*, ſupp. *fratrem*, ut ſuppletur 1. Paral. 20. v. 5. Vide ſupra in nom. prop. pag. 432. col. 2.

Matth. 1. v. 6. *ex ea, quæ fuit Uriæ*, ſup. uxor.

Matth. 4. v. 21. *Jacobum Zebedæi*, ſupp. filium. Sic Joan. 21. v. 2.

Marc. 2. v. 14. *Levi Alphæi*, ſup. filium.

Marc. 15. v. 47. *Maria Joſe*, Vulg. *Joſeph*, ut habet mſ. Alex. ſup. mater. Eadem c. 16. v. 1. dicitur *Maria Jacobi*, ſcilicet mater. Jacobus enim & Joſeph erant ejus filii.

Luc. 6. v. 16. *Judas Jacobi*, ſupp. frater. Vide Jud. v. 1.

Luc. 24. v. 10. *Maria Jacobi*, ſup. mater, quod Syrus expreſſit ex Marc. 15. v. 40.

Joan. 13. v. 2. *Judas Simonis*, ſup. filius, ut Syrus exprimit. Sic & v. 26. c. 6. v. 71. cap. 12. v. 24.

Joan. 19. v. 25. *Maria Cleophæ*, ſup. uxor.

Joan. 21. v. 15. *Simon Jonæ*, ſupp. filius. Conf. Matth. 16. v. 17.

Act. 1. v. 3. *Jacobus Alphæi*, ſupp. filius. Ibid. *Judas Jacobi*, h. e. filius.

Act. 7. v. 16. *à filiis Emmor* τοῦ Συχὲμ, h. e Patris Sichem. Conf. Gen. 33. v. 19.

2. Petr. 2. v. 15. *Balaam* τοῦ Βοσὸρ, ſupp. filii.

Hæc ellipſis vocis *filii* perpetua eſt in genealogia Chriſti Luc. 3. v. 23. ſeqq. niſi quod v. 23. in illo: Ἰωσὴφ τοῦ Ἡλὶ, ſubintelligendum ſit nomen *gener*, non enim Joſephi, ut Matth. cap. 1. ſed Mariæ genealogia texitur; & v. 38. Ἀδὰμ τοῦ Θεοῦ, ſupp. *creatura*.

Huc pertinet illud Rom. 16. v. 10. al. 11. *ſalutate* τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου, *eos qui ſunt ex Ariſtobuli*, ſup. οἰκετῶν domeſticis. Vulg. *domo*.

In profanis. Herodot. in Clio, Ἄδρηστος ὁ Γορδίεω, τοῦ Μίδεω, *Adraſtus* (nepos) *Gordii*, (patris) *Midæ*. Et in Thalia, Κῦρος ὁ Καμβύσεω, *Cyrus Cambyſis*, ſupp. pater. Dionyſ. Halicar. παρὰ τῷ τοῦ Ὀλόρου, *apud Olori*, ſupp. filium, nempe Thucydidem; παρὰ τῷ τοῦ Ἀρίστωνος, *apud Ariſtonis*, ſupp. filium, Platonem ſcilicet. Plato ipſe, Ζωροάστρης τοῦ Ὠρομάζου, *Zoroaſtres* (filius) *Horomazi*. Virg. Æneid. lib. 6. v. 36. &c. *Deiphobe Glauci*, ſupp. filia. Cicero lib. 9. epiſt. fam. epiſt. 10. *Sophia Septimiæ*, ſupp. filia, &c.

VI. Vocis cujuſlibet alius, quæ commode ſupplenda eſt.

Gen. 42. v. 33. רַעֲבוֹן בָּתֵּיכֶם *famem domorum veſtrarum accipite*, h. e. שֶׁבֶר *annonam* contra famem domorum veſtrarum, &c. quæ vox v. 19. ſuppletur. Vulg. *cibaria domibus veſtris neceſſaria accipite*, ſenſum recte expreſſit.

Exod. 12. v. 11. *Quia eſt phaſe*, ſeu *paſcha Domini*, h. e. זֶבַח פֶּסַח *ſacrificium paſchatis*.

Exod. 25. v. 4. c. 35. vv. 6. 23. 26. c. 36. v. 14. &c. vox עִזִּים *capræ*, ſumitur pro *pilis caprarum*. Lxx. τρίχας αἰγείας, *pilos caprinos*, Vulg. *pilos caprarum* interpretantur.

Deut. 20. v. 19. *Quando obſederis civitatem .... Non ſuccides arbores, de quibus veſci poteſt ....* כִּי הָאָדָם עֵץ הַשָּׂדֶה *quia homo arbor eſt agri*, h. e. quia חַיֵּי *vita* hominis eſt arbor agri, ſeu ex fructibus arboris, quæ eſt in agro, ſuſtentatur. Lxx. & Vulg. alium ſenſum exhibent. Lxx. μὴ ἄνθρωπος τὸ ξύλον τὸ ἐν τῷ ἀγρῷ, εἰσελθεῖν ἀπὸ προσώπου σου εἰς τὸν χάρακα, *homo non eſt lignum agri ut veniat, ſeu ſit ante te in vallum.* Vulg. *Quoniam lignum eſt, & non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum.* Paulo aliter legiſſe videntur atque habet Hebræus textus hodiernus, qui ſenſum maxime cohærentem cum verſu ſequente exhibet, nimirum: *Quando obſederis civitatem .... non exſcindes arbores .... ex quibus veſci poteſt, illas, in-*

quam, *non exſcindes*, (*quia vita hominis ex fructibus arborum, quæ ſunt in agro, ſuſtentatur*), *ut ſint ante te propugnaculum.* v. 20. *Sed arbores, quas ſcis nequaquam aptas noveris, exſcindes ut ædifices propugnaculum contra civitatem, quæ adverſum te bellum gerit, donec ea corruat.*

Deut. 24. v. 6. *Quia vitam pignore acciperet*, h. e. vitam animæ, ſeu quæ ad vitæ ſuſtentationem pertinent.

Jud. 7. v. 18. *Domini & Gedeonis*, ſup. gladius, ut v. 20. ſuppletur.

Ruth. 3. v. 15. *Et menſus eſt ſex hordeorum*, ſupp. menſuras, Vulg. *modios hordeorum.*

4. Reg. 18. v. 31. *comedite quiſque vitem ſuam, & quiſque ficum ſuam*, h. e. fructus vitis ſuæ, & ficus ſuæ. Vulg. *de vinea ſua, & de ficu ſua.*

2. Paral. 30. v. 22. *Et comederunt* אֶת־הַמּוֹעֵד *ſolemnitatem ſeptem diebus*, h. e. ſacrificia ſolemnitatis. Vulg. paulo aliter: *& comederunt ſeptem diebus ſolemnitatis.* Lxx. καὶ συνετέλεσαν τὴν ἑορτὴν, *& perfecerunt feſtivitatem*, pro וַיֹּאכְלוּ *& comederunt*, legebant וַיְכַלּוּ à כִּלָּה *perfecit*; vel וַיֹּאכַלּוּ, ita ut א ſpectaverint ut vocalem *e* τȢ (י), ab eadem radice כָּלָה.

Nehem. 10. v. 31. *Et dimittemus annum ſeptimum*, h. e. culturam terræ anno ſeptimo, quæ Lex exſtat Exod. 23. v. 11. Deut. 15. vv. 1. 2.

Eſth. 5. v. 1. *induta eſt Eſther regno*, h. e. veſtibus regni, ſeu regiis. Vulg. *regalibus veſtimentis.*

Pſal. 145. Heb. 146. v. 8. *Dominus aperit cæcorum*, ſupp. oculos. Vulg. *Dominus illuminat cæcos.*

Prov. 8. v. 6. *Audite, quoniam principum eloquar*, h. e. verba principum, principibus digna. Vulg. *de rebus magnis loquutura ſum.*

Prov. 26. v. 18. *Sicut noxius eſt, qui mittit ſagittas mortem*, &c. ſupp. inſtrumenta mortis. Vulg. *in mortem.*

Rom. 11. v. 4. *Qui non curvaverunt genua* τῇ Βάαλ *Baali*, ſupp. τῇ εἰκόνι, vel στήλῃ Βάαλ, *imagini*, vel *ſtatuæ Baal.* Conf. 4. Reg. 11. v. 18.

Poſterioris ſubſtantivi ellipſis.

Poſterius ſubſtantivum deficit in

Pſal. 73. Heb. 74. v. 19. *Ne tradas* לְחַיַּת *catervæ animam turturis tuæ*, ſupp. inimicorum, hoc eſt, ne tradas catervæ inimicorum. Lxx. Μὴ παραδῷς τοῖς θηρίοις ψυχὴν ἐξομολογουμένην σοι, *ne tradas beſtiis animam confitentem tibi.* Pro חַיַּת *beſtia, caterva*, legebant חַיּוֹת; & pro תּוֹרְךָ *turturis tuæ*, תּוֹדֶה, quæ *confitebitur*, vel *confitetur* tibi; à יָדָה in hiphil *confeſſus eſt, laudavit.*

Iſai. 14. v. 6. מַכַּת *plaga ſine averſione*, ſup. manus, h. e. plaga manus indeſinente. Vulg. *plaga inſanabili.*

Iſai. 51. v 21. שִׁכְּרַת *ebria, ſed non à vino*, ſup. afflictionibus, h. e. ebria afflictionibus. Hæc & alia, quæ adducuntur, exempla referunt quidam ad ſtatus conſtructi pro abſoluto poſiti enallagen, de qua in §. ſeq.

§. XII.

De Enallage.

ENALLAGE, quantum ad præſentem ſcopum attinet, duplex eſt, I. in *formatione*, II. in *conſtructione.*

In formatione, cum nomen regens, quod mutationi obnoxium eſt; vel non mutatur cum deberet, vel mutatur cum non deberet. Hujus enallages exempla vide ſupra pagg. 122. 123.

In conſtructione, I. cum genitivus verbali nomini addendus, reſolvitur in caſum verbi. II. Cum genitivus reſolvitur in caſum nominis regentis, cum conjunctione &.

CANON

Digitized by Google

CANON I.

NOMINA verbalia, tam abſoluta, quam conſtructa, caſum verbi ſui regunt, qui Latinis per genirivum explicandus eſt.

Num. 10. v. 2. לְמִקְרָא הָעֵדָה וּלְמַסַּע אֶת־הַמַּחֲנוֹת *ad convocationem cœtum*, i. cœtus, *& ad motionem caſtra*, i. caſtrorum.

Iſai. 11. v. 9. *repleta eſt terra* דֵּעָה אֶת־יְהוָה *ſcientia Dominum*, h. e. *Domini*, Vulg.

Ezech. 17. v. 9. לְמַשְׂאוֹת אוֹתָהּ מִשָּׁרָשֶׁיהָ *ad ſublationes eam*, i. ejus, *à radicibus ſuis.* Vulg. *ut evelleret eam radicitus.*

Si aliud nomen, vel pronomen genitivi caſus ſubſtantivo verbali addatur, tum accuſativus, qui per ſubſtantivum illud verbale regitur, per accuſativum cum præpoſitione, aut alia ratione, exponendus eſt.

Deut. 1. v. 27. מִשִּׂנְאַת יְהוָה אֹתָנוּ *propter odium Domini nos*, i. adverſum nos. Vel per ellipſin verbi conjugati, i. שָׂנֵא *odio habuit*, quod includitur in nomine ſubſtantivo שִׂנְאָה *odium*, ſic: *propter odium Domini, quo odit nos.* Vide Deut. 7. v. 8. Oſe. 3. v. 1.

2. Reg. 3. v. 11. מִיִּרְאָתוֹ אוֹתוֹ *propter timorem ejus ipſum*, h. e. ab ipſo, ſeu ut Vulg. *quia metuebat illum.*

Iſai. 13. v. 19. כְּמַהְפֵּכַת אֱלֹהִים אֶת־סְדֹם, *ſecundum ſubverſionem Domini Sodomam*, h. e. qua ſubvertit Dominus Sodomam. Sic etiam Amos 4. v. 11.

Iſai. 29. v. 13. יִרְאָתָם אֹתִי *timor eorum me*, h. e. erga me. Vulg. *timuerunt me.*

Apud profanos. Plaut. Amph. Act. 1. *Quid tibi hanc curatio eſt rem?* Idem in Pœn. *Quid tibi hanc digito tactio eſt?* Cicero l. de Divin. *domum itio*, &c.

CANON II.

INTER duo ſubſtantiva per copulam & connexa, alterum per genitivum quandoque exponitur.

Gen. 3. v. 16. *Multiplicabo* עִצְּבוֹנֵךְ וְהֵרֹנֵךְ *dolorem tuum & conceptum tuum*, h. e. dolorem conceptus, ſeu partus tui.

Iſai. 1. v. 13. *Non poſſum* (ferre) *iniquitatem & cœtum*, h. e. iniquitatem cœtus.

Jerem. 36. v. 27. *Poſtquam combuſſerat rex volumen & ſermones*, i. volumen ſermonum.

Jerem. 29. v. 11. *ut dem vobis finem & expectationem*, i. finem expectationis, ſeu expectatum. Vulg. *finem & patientiam.*

Act. 23. v. 6. περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναστάσεως νεκρῶν, *de ſpe & reſurrectione mortuorum*, h. e. *de ſpe reſurrectionis mortuorum.*

Rom. 1. v. 5. *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum*, h. e. gratiam Apoſtolatus.

Rom. 11. v. 17. *Socius radicis & pinguedinis*, h. e. pinguedinis radicis.

1. Cor. 11. v. 7. *imago & gloria Dei*, h. e. *imago gloriæ Dei.*

Sic Virgil. lib. 1. Æneid. vv. 65. 66. *molemque & montes inſuper altos impoſuit*, h. e. molem akorum montium, &c.

§. XIII.

De Nominis conſtructi hypallage.

MONOCANON.

IN ſtatu regiminis quandoque hypallage, ſeu vocum inverſio, contingit.

Levit. 12. v. 4. *Ipſa vero triginta tribus diebus manebit* בִּדְמֵי טָהֳרָה *in ſanguinibus purificationis*, h. e. in purgatione ſanguinis, qui eo loci metonymice accipitur pro im-

puritate ex eo contracta, ut liquet ex verſu 7.

Lev. 22. v. 4. *concubitus ſeminis*, h. e. *ſemen concubitus*, Vulg.

Joſ. 2. v. 6. *Ipſa autem* (Rahab)... *abſcondit eos* (exploratores) *inter lina ligni*, h. e. inter ligna, ſeu calamos lini. Vulg. *operuitque eos ſtipula lini.*

3. Reg. 17. v. 14. *Hydria*, ſive *cadus farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur*, h. e. farina cadi non deficiet, oleum lecythi non minuetur.

Nehem. 10. v. 34. *oblationes lignorum*, h. e. ligna oblationum.

Eſth. 9. v. 19. *Judæi, qui habitabant in urbibus pagorum*, h. e. in pagis urbium.

Job. 29. v. 10. *vox principum occultabant ſe*, i. principes voce, eloquentes. Vulg. *vocem ſuam cohibebant duces.*

Prov. 26. v. 23. *Argentum ſcoriarum*, h. e. ſcoriæ argenti. Vulg. *argentum ſordidum.*

Ezech. 21. v. 25. al. 30. *iniquitas termini*, i. terminus iniquitatis.

Ezech. 34. v. 18. *ſedimentum aquarum*, h. e. aquæ ſedimenti, in quibus omnis craſſa ſubſidit, & in profundum depreſſa eſt. Vulg. optime *aquam puriſſimam* interpretatur.

Rom. 9. v. 31. *Lex juſtitiæ*, h. e. juſtitia legis.

Apoc. 21. v. 24. ϰ̀ τὰ ἔθνη τῶν σωζομένων, *& gentes ſalvatorum*, pro ſalvati gentium, ſeu ex gentibus.

Huc etiam referunt, quæ ſupra ad §. II. Can. III. pag. 461. & ſeqq. pertinere poſſunt.

Lev. 5. v. 15. *argento ſiclorum*, pro ſiclis argenti, ſeu argenteis. Vulg. *qui emi poteſt duobus ſiclis*, pro שְׁקָלִים in plur. legeb. שְׁקָלַיִם *duobus ſiclis*, in duali numero. Lxx. τιμῆς ἀργυρίου σίκλων, *pretio argenti ſiclorum*, legebant etiam שְׁקָלִים in numero plurali.

Lev. 7. v. 21. *Immunditiam hominis*, pro hominem immunditiei, i. immundum.

Deut. 12. v. 3. *Sculptilia Deorum comminuetis*, h. e. Deos ſculptilium, ſive ſculptiles.

Sic ſecundum quoſdam, Pſal. 1. v. 1. *Beatitudines viri*, pro, vir beatitudinum, ſive beatus, &c.

CAPUT III.

De Pronomine.

PRONOMINA Hebræorum dividuntur in *ſeparata* & *conjuncta*. Ex ſeparatis, alia ſunt *primitiva*, ſeu *perſonalia*; alia *demonſtrativa*, alia *relativa*, alia denique *interrogativa*. De primitivis, & interrogativis egimus ſupra lib. I. cap. VII. art. I. §. I. & IV. De conjunctis egimus etiam in eodem capite, art. II. §. I. II. III. &c. Superſunt igitur eo loci demonſtrativa & relativa, ſingulares eorum idiotiſmos quod attinet, expendenda; nam de eorum quoque etymologia in §. II. & III. articuli I. ejuſdem capitis diſſeruimus.

ARTICULUS I.

De Pronomine demonſtrativo.

DUo circa Pronomen demonſtrativum conſideranda ſunt; *generalia* & *ſpecialia*. Generalia ſunt, I. Ejus repetitio. II. Pleonaſmus. III. Enallage.

Digitized by Google

§. I.

De Pronominis demonſtrativi repetitione.

MONOCANON.

DEMONSTRATIVI pronominis repetitio diſtributionem indicat.

Num. 22. v. 24. *Et ſtetit Angelus Domini in tramite vinearum*, גָּדֵר מִזֶּה וְגָדֵר מִזֶּה *maceria ex hoc, & maceria ex hoc*, i. hinc illinc, ſeu utrinque maceriam habente. Vulg. *in anguſtiis duarum maceriarum.*

Jud. 18. v. 4. כָּזֶה וְכָזֶה *ſecundum hanc, & ſecundum hunc fecit mihi*, h. e. rationem & modum. Vel, uſurpato maſculino & feminino genere pro neutro, hoc & hoc fecit mihi. Vulg. *hæc & hæc præſtitit mihi.*

2. Reg. 12. v. 8. כָּהֵנָּה וְכָהֵנָּה *ſecundum hæc, & ſecundum hæc*, i. & hæc & alia; alia atque alia. Vulg. *multo majora*, ſenſum non verba, reddidit.

Pſal. 19. Heb. 20. v. 8. אֵלֶּה *hi in curribus*, וְאֵלֶּה *& hi in equis*, h. e. alii in curribus, alii in equis. Vide Iſai. 6. v. 3.

In Novo Teſtam. hujus demonſtrativi diſtributivi vim obtinet relativum ὃς, ἣ, ὃ, cum particulis μὲν & δὲ.

Matth. 13. v. 8. *Alia autem* (ſemina) *ceciderunt in terram bonam, & dederunt fructum*, ὃ μὲν *aliud centeſimum*, ὃ δὲ *aliud ſexageſimum*, ὃ δὲ *aliud trigeſimum.* Vide Act. 17. v. 32. Rom. 14. vv. 2. 5. 1. Cor. 11. v. 21. cap. 7. v. 7.

Matth. 28. v. 17. οἱ δὲ pro τινὲς δὲ *quidam autem* uſurpatur, quamvis οἱ μὲν non præceſſerit.

Apud profanos etiam in tali uſu eſt articulus ὁ, ἡ, τὸ, cum iiſdem particulis. Plato epiſt. 9. ἑ γενέσεως ἡμῶν τὸ μὲν τι πατρὶς μερίζεται, τὸ δὲ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι, *ortus noſtri partem ſibi patria vendicat, partem parentes, partem reliqui amici.*

Democritus: ζημίαν αἱροῦ μᾶλλον, ἢ κέρδος αἰσχρόν, ἡ μὲν γὰρ ἅπαξ σε λυπήσει, τὸ δὲ διὰ παντός, *elige potius damnum, quam turpe lucrum; illud enim ſemel tantum te dolore afficiet, hoc vero ſemper.*

§. II.

De Pronominis demonſtrativi & reciproci pleonaſmo.

CANON I.

PRONOMEN demonſtrativum זֶה interdum cum emphaſi pleonaſtice additur

I. Nominibus numeralibus, & vulgo per adverbium temporis *jam* exprimitur.

Gen. 31. v. 38. זֶה עֶשְׂרִים שָׁנָה *bis viginti annis fui tecum*, i. jam viginti annis.

Num. 14. v. 22. זֶה *bis decem vicibus.* Vulg. *jam per decem vices.* Cap. 22. v. 28. זֶה *iſtis tribus vicibus* Vulg. *ecce jam tertio.*

II. Pronomini interrogativo מַה־, aut לָמָּה; uncque relativum אֲשֶׁר vel שֶׁ ſubintelligitur.

Gen. 18. v. 13. לָמָּה זֶּה *quid hoc* (eſt quod) *riſit Sara?* Vulg. *quare riſit Sara?* Sic cap. 25. v. 22. Jerem. 20. v. 18.

4. Reg. 1. v. 5. מַה־זֶּה שַׁבְתֶּם *quid hoc* (eſt quod) *reverſi eſtis?* Vulg. *quare reverſi eſtis?*

III. Adverbio עַתָּה *nunc.* 3. Reg. 17. v. 24. עַתָּה זֶה *nunc hoc cognoſco, quoniam vir Dei es tu*, h. e. jam nunc. Vulg. *nunc in iſto cognovi*, &c. ſuppl. præpoſit. ב. Vide 4. Reg. 5. v. 22.

Digitized by Google

CANON II.

PRONOMEN reciprocum in dandi caſu, frequenter nominibus & verbis, interdum etiam & adverbiis, per pleonaſmum quemdam emphaticum additur.

Pronomine reciproco hîc intelligit *Glaſſius* affixa cum articulo ל conjuncta, quæ pronominum reciprocorum munere utcunque funguntur.

Pronomen additum nomini.

Pſal. 143. Heb. 144. v. 2. *Suſceptor meus, & liberator meus* לִי *mihi.*

Oſe. 8. v. 9. *Quia ipſi aſcenderunt ad Aſſur, onagrum ſolitarium* לוֹ *ſibi.* Vulg. *onager ſolitarius ſibi*, retulit ad Iſraeliticum populum.

Amos 2. v. 10. al. 13. *ſicut ſtridet*, vel *premit plauſtrum onuſtum* לָהּ *ſibi.*

Pronomen additum verbo.

Gen. 12. v. 1. לֶךְ־לְךָ *egredere tibi de terra tua.* Vulg. *egredere de terra tua*, neglecto pronomine, ut in ſequentibus exemplis.

Gen. 21. v. 16. *& ſedit* לָהּ *ſibi è regione*, Vulg. *ſeditque è regione.*

Gen. 22. v. 5. *ſedete* לָכֶם *vobis hîc*, Vulg. *exſpectate hîc.*

Num. 11. v. 16. אֶסְפָה־לִּי *congrega mihi.*

Ibidem v. 29. *Nunquid æmularis* אַתָּה לִי *tu mihi?* h. e. nunquid invides, &c.

Alia exempla vide Gen. 23. v. 8. Exod. 18. v. ult. Joſ. 7. v. 10. 2. Reg. 16. v. 20. Job. 12. v. 11. cap. 7. v. 5. Pſal. 79. Heb. 80. v. 7. Pſal. 119. Heb. 120. v. 6. Pſal. 121. Heb. 122. v. 4. Cant. 1. v. 8. Ezech. 37. v. 11. Jerem. 15. v. 8. Zach. 9. v. 9. Iſai. 31. v. 8. Mich. 1. v. 11. &c.

Pronomen additum adverbio.

2. Reg. 18. v. 5. לְאַט־לִי *leniter mihi* (agite) *erga puerum iſtum, erga Abſalomum.* Vulg. *ſervate mihi puerum Abſalom.* Senſum optime reddidit.

Eodem idiotiſmo explicari etiam poteſt (י) paragogicum in fine bénoni qal, de quo pag. 164. col. 1. ut: אֹסְרִי *ligans mihi ad vineam pullum ſuum*, Gen. 49. v. 11. contracte pro אֹסֵר לִי. Sic מְלוֹשְׁנִי, vel ſecundum Maſſorethas, מְלָשְׁנִי, Pſal. 100. Heb. 101. v. 5. *detrahentem mihi proximo ſuo*, &c. Vide etiam ſupra pag. 347. col. 2.

In Novo Teſt. Matth. 23. v. 31. *Itaque μαρτυρεῖτε ἑαυτοῖς, teſtimonio eſtis vobiſmetipſis*, &c. h. e. *teſtificamini, quia filii eſtis eorum, qui prophetas occiderunt.* Alii ſine pleonaſmo ſic explicant: teſtificamini contra voſmetipſos, in veſtrum exitium, &c. quia filii eſtis, &c. Conf. Marc. 6. v. 11. Luc. 9. v. 5.

In Syriaca Novi Teſtamenti verſione frequens eſt ille pleonaſmus.

Matth. 3. v. 2. קְרֵבַת לָהּ *appropinquat ſibi regnum cælorum.* Vide cap. 4. vv. 10. 12. &c.

Apud profanos. Demoſth. *τούτῳ μοι προσέχετε νῦν, huic rei mihi mentem advertite. πῶς ἡμῖν ἔχεις, quomodo nobis habes?* &c. Apud Latinos. Terent. *ſcin' ubi nunc ſit tibi tua Daphnis?* &c.

§. III.

De Pronominis demonſtrativi enallage.

CANON I.

PRONOMINA demonſtrativa nominibus ſubjuncta, verbi ſubſtantivi loco, ſingulari cum elegantia, ponuntur.

Pronominibus demonſtrativis, primitiva etiam eo loci intelligit *Glaſſius.*

Gen. 3. v. 10. *Timui eo quod* עֵירֹם אָנֹכִי *nudus ego*, h. e. *nudus eſſem*, Vulg. Vel *eo quod*

Digitized by Google

nudus ego eſſem; illa enim pronomina, ſecundum alios quoſdam grammaticos, retinentur, & ſubintelligitur cum eis verbum ſubſtantivum *ſum*. Vide etiam vv. 7. 19.

Cap. 6. v. 2. *Videntes filii Dei filias hominum, quod* טֹבֹת הֵנָּה *bonæ eſſent*, ſupp. forma, Vulg. *pulchræ eſſent*. Vide c. 42. v. 11. Exod. 12. v. 11. Deut. 7. v. 26. Pſal. 34. Heb. 35. v. 3. Eccle. 1. v. 10.

Cum nominibus præponuntur, verbi ſubſtantivi ellipſis eſt, remanente pronominum illorum ſignificatione.

Gen. 6. v. 9. אֵלֶּה תּוֹלְדֹת *iſtæ* (ſunt) *generationes*.

2. Paral. 28. v. 22. הוּא מֶלֶךְ *iſte* (erat) *rex*, &c.

Iſai. 28. v. 12. וְזֹאת הַמַּרְגֵּעָה *hæc* (eſt) *requies*.

Ibid. cap. 57. v. 6. הֵם הֵם *illi, illi* (ſunt) *ſors tua*, &c.

CANON II.

Loco pronominis demonſtrativi primæ & ſecundæ perſonæ, quandoque ipſum nomen ejus, qui loquitur, vel ad quem fit ſermo, ponitur.

Per pronomen demonſtrativum, affixum & hic intelligit *Glaſſius*.

Primæ perſonæ. Exod. 30. v. 16...... *eritque filiis Iſraël monumentum coram Domino*, h. e. coram me, loquitur enim Dominus.

Lev. 10. v. 11. *Doceatiſque filios Iſraël omnia legitima mea, quæ loquutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi*, h. e. quæ loquutus ſum; verba enim Domini ſunt ad Aaronem.

Pſal. 49. Heb. 50. v. 14. *Sacrifica Deo laudem*, Vulg. *immola Deo ſacrificium laudis*, h. e. immola mihi. Loquitur & hîc Deus.

Pſal. 131. Heb. 132. v. 1. *Memento Domine David*, h. e. memento mei. Sic enim orat David ipſe.

Secundæ perſonæ. Zach. 3. v. 9. *Quia ecce lapis, quem dedi* (ſeu) *poſui coram Jeſu*, h. e. coram te; Jeſum enim alloquitur Deus.

Utriuſque perſonæ. Num. 27. v. 11. *Sicut præcepit Dominus Moyſi*, h. e. ſicut præcepi ego Dominus tibi; Deus enim ibi Moyſen alloquitur.

CANON III.

PRONOMINA demonſtrativa הוּא & זֶה, quandoque vel cum emphaſi majori, quam proprie ſonant, vel in alia paululum diverſa ſignificatione, accipiuntur.

I. הוּא *ipſe* de Deo uſurpatum, immutabilitatem ejus notat, id ſignificans, quod Latinis fere *idem*.

Pſal. 101. Heb. 102. v. 28. וְאַתָּה הוּא Lxx. *σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, tu autem idem es*, ſequitur explicatio: *& anni tui non deficient*. Vide Heb. 1. v. 12. & c. 13. v. 8. ubi loquutio *ὁ αὐτὸς* eodem ſenſu de Chriſto legitur.

II. זֶה pro indefinito *quidam* interdum accipitur.

1. Reg. 17. v. 12. *David autem erat filius viri Ephrataei* הַזֶּה *illius*, h. e. *cujuſdam*. Vulg. *David autem erat filius viri Ephrataei, de quo ſupra dictum eſt*, nempe cap. 16. v. 1.

Ibid. v. 34. *veniebat leo, vel urſus, & tollebat* זֶה *illud de medio gregis*, h. e. aliquid. Lxx. *προβάτον, ovem*, Chald. אִמְּרָא *agnum*, Vulg. *arietem*, pro זֶה legebant שֶׂה, ut in duobus mſſ. codd. extare teſtantur Junius & Tremellius; vel ז poſitum pro ש crediderunt, ex vicaria harum literarum inter ſe permutatione.

3. Reg. 19. v. 5. *Et ecce* זֶה *ille angelus tetigit eum* (Eliam), h. e. quidam angelus. Lxx. *καὶ ἰδού τις* (Complut. *ἄγγελος*) *ἥψατο αὐτοῦ*.

III. זֶה & *οὗτος* nonnumquam idem eſt ac *talis*.

Deut. 5. v. 29. *utinam eſſet cor eorum* זֶה

illuc ad timendum me, &c. h. e. tale, ut timeat me. Vulg. *Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me?*

1. Joan. v. 7. *Qui non confitetur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem*, οὗτος *hic ſeductor eſt & antichriſtus*, h. e. talis ſeductor eſt, &c. quamvis etiam pronomen demonſtrativum ſenſum commodum efficiat.

IV. αὐτὸς *ipſe*, interdum idem eſt atque αὐτόματος, *ultroneus*, *ſpontaneus*, ut: Joan. 16. v. 27. αὐτὸς, *ipſe enim pater amat vos*, h. e. ſponte & ultro amat vos. Confer quæ præcedunt.

V. Denique אַתְּ *tu*, maſculinum eſt Num. 11. v. 15. Deut. 5. v. 24. Ezech. 28. v. 14. אַתֶּן *vos*, femininum eſt Ezech. 3. v. 20. ſicut & הֵמָּה *illi*, Cant. 6. v. 8. Ruth. 1. v. 22. Zach. 5. v. 10. E contrario, הִיא *ille*, maſc. eſt 2. Reg. 4. v. 6. Jerem. 50. v. 5. & לָהֵן Ruth. 1. v. 13. Vide ſupra pagg. 72. 73. in append.

ARTICULUS II.

De Pronomine relativo.

RELATIVI pronominis voce, non ſolum eo loci intelligitur אֲשֶׁר, vel שֶׁ, *qui*, *quæ*, *quod*: verum etiam ipſa pronomina primitiva, & quæ ex eis deducuntur, affixa, quæ eo etiam nomine inſigniri poſſunt, quod ad rem, vel perſonam, de qua habetur ſermo, referantur.

Ad quatuor autem reduci poſſunt, quæ in hoc articulo de pronomine relativo dicturi ſumus. I. Idiotiſmum. II. Enallagen. III. Ellipſin. IV. Pleonaſmum.

§. I.

De Pronominis relativi idiotiſmo.

CANON I.

RELATIVA quandoque referunt ea, quæ remotius diſtant, licet adſint propiora, ad quæ referri poſſe videantur.

Gen. 10. v. 12. *Reſen quoque inter Niniven & Chale*, הִוא *ipſa eſt civitas magna*, nimirum Ninive, non Chale. Confer Jon. c. 3. vv. 2. 3. & cap. 4. v. 11.

Gen. 19. v. 12. . . . . *omnes, qui tui ſunt, educ de urbe hac.* V. 13. *Delebimus enim locum iſtum* . . . . *miſit nos Dominus* לְשַׁחֲתָהּ Lxx. ἐκτρῖψαι αὐτὴν, *ad perdendum eam*, nempe civitatem, de qua v. præced.

2. Reg. 10. v. 6. *Tolle ergo ſervos Domini tui, & perſequere eum*, non Dominum tuum Amaſam; ſed Sebam, cujus mentio præceſſit.

Pſal. 98. Heb. 99. v. 6. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus, & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.* V. 7. *In columna nubis loquebatur ad eos*, ſcilicet Moyſen & Aaronem, non Samuelem & alios.

Huc pertinet adverbium loci שָׁם *ibi*, quod etiam ut relativum conſiderari poteſt.

1. Reg. 7. v. 17. *ædificavit etiam ibi altare Domino*, non in Ramatha, quæ immediate præcedit, ſed in urbe Cariathiarim, de qua v. 1. Quod tamen nimis coactum videtur nonnullis, qui ſingulari Dei diſpenſatione altare in Ramatha à Samuele extructum opinantur.

Digitized by Google

In Novo Teſt. Joan. 8. v. 44. *Cum loquitur mendacium* (Diabolus), *ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus*, mendacii ſcilicet, quæ vox præcedit; non quod Diabolus patrem habeat *draconem, qui regnat in mari, & quem Hebræi appellant Leviathan*; quæ erat veterum quorumdam ſententia, referente Hieron. comm. in cap. 14. Iſaiæ, tom. 3. nov. edit. col. 163. Erravit etiam Nonnus ſic vertens:

ψεύστης αὐτὸς ἔφυ, ψευδήμονος ἐκ γενετῆρος.

Mendax ipſe eſt, mendace ex patre.

Act. 8. v. 26. *Surge & vade contra meridianum, ad viam, quæ deſcendit ab Jeruſalem in Gazam, hæc eſt deſerta*, non Gaza, ſed via ob intercurrentes Caſii montis ſolitudines, ſecundum Strabonem lib. 16. Hujus autem itineris minus triti admoneri Philippum neceſſe fuit, alioqui communem viam ingreſſurum. Sunt tamen, qui hæc verba: *hæc eſt deſerta*, ad Gazam veterem referant, quæ ab Alexandro deſtructa, adhuc Strabonis tempore erat μένουσα ἔρημος, *manens deſerta*, quæ ſunt Strab. verba, ibid. p. 759. edit. Pariſ. 1620.

2. Theſſ. 2. v. 9. *Cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ*; cujus, &c. ſcilicet hominis iniqui, de quo v. 8.

Heb. 9. v. 2. Σκηνὴ γὰρ *tabernaculum enim factum eſt* ἡ πρώτη *primum, in quo erant candelabra*, (i. ſeptem lucernæ candelabri), *menſa, & propoſitio panum*, (hypallage, pro panes propoſitionis,) ἥτις λέγεται ἅγια, *quæ dicitur Sancta*, in neutro plurali. Non propoſitio panum dicitur *Sancta*, ſed σκηνὴ *tabernaculum*; ſequitur enim v. 3. *Poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum.* Apoſtolus eo loci deſcribit Tabernaculum tempore Moſis erectum, cujus erant duæ partes; prima, quæ dicebatur ἅγιον *Sanctum*, vel ἅγια *Sancta*, & ſecunda, quæ vocabatur ἅγια ἁγίων *Sancta Sanctorum.*

Eodem idiotiſmo explicant quidam duos ſequentes verſiculos. v. 4. *Aureum habens thuribulum, & arcam Teſtamenti ..... in qua erat urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabulæ Teſtamenti.* Has voces *in qua* non referunt ad *arcam*, ſed ad σκηνὴν *tabernaculum*, v. 3. Nam ex 3. Reg. cap. 8. v. 9. & 2. Paral. cap. 5. v. 10. *in arca nihil erat aliud, niſi duæ Tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes*, &c. Verum iſthæc expoſitio hic locum non habet, ſequitur enim v. 5. *ſuperque eam erant Cherubim gloriæ*, &c. quæ verba ad arcam, non ad Tabernaculum pertinent. Præterea Tabulæ Teſtamenti erant non ſolum in ea Tabernaculi parte, quæ dicebatur *Sancta Sanctorum*: verum etiam intra ipſam arcam.

Locum hunc ſic exponit Glaſſius. Arca duplici ratione conſiderari poteſt, *ſtricte* & *late.* Stricte ſumta, eſt ipſum corpus arcæ, quæ tecta erat propitiatorio. Late vero, non ſolum corpus arcæ comprehendit, ſed etiam lateralia receptacula, ſive appendices. Fuiſſe autem in lateribus arcæ hujuſmodi receptacula, colligitur ex Deut. 31. v. 26. ubi liber Legis reponi jubetur מִצַּד *ex latere arcæ.* Vide etiam 1. Reg. 6. v. 8. ubi capſula cum muribus aureis poſita dicitur à latere arcæ, quod v. 15. ita exponitur, quod illa capſula fuerit אִתּוֹ *cum ipſa*, ſcilicet arca, h. e. ipſi exterius in receptaculo quodam addita. Priori modo arca ſumitur 3. Reg. 8. poſteriori, Heb. 9. Inſuper præpoſitio hebraica ב & Græca ἐν, non ſolum ſignificat *in, intra*, ſed etiam *juxta, prope*, &c. Senſus itaque hujus loci ille eſt 1°. quod prope alteram Tabernaculi partem, quæ dicitur *Sancta Sanctorum*, fuerit *thuribulum aureum*, h. e. altare thymiamatis; vox enim ἔχουσα *habens*, non ſignificat ſemper rem eo in loco contentam. 2°. quod in illa altera Tabernaculi parte fuerit arca Teſtamenti, *juxta* quam erat urna aurea continens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat; & *intra* quam (arcam) erant tabulæ Teſtamenti.

Alii, diſtinctis temporibus, exiſtimant vas manna plenum, & virgam Aaronis cum Decalogo in arca incluſa fuiſſe quandiu duravit Tabernaculum à Moſe juſſu Dei extructum; poſtquam vero à Salomone ædificatum eſt Templum, ea ab arca extracta fuiſſe, ac prope eam poſita; quod Apoſtolus, inquiunt, traditione acceperat. Alias explicationes vide apud Interpretes.

CANON II.

ALIQUANDO relativum reſpicit ad conſequens, ſive ad id, quod in textu ſequitur.

Num. 24. v. 17. אראנו ולא עתה אשורנו ולא קרוב, *videbo eum, ſed non modo: intuebor illum, ſed non prope*, illum ſcilicet, de quo mox dicturus ſum, nempe *orietur ſtella ex Jacob*, &c. quæ ſtella Chriſtus eſt Meſſias. Aq. ὄψομαι αὐτὸν, καὶ οὐ νῦν, προσκοπῶ αὐτὸν, ἀλλ' οὐκ ἐγγὺς, *videbo illum, & non nunc; proſpiciam illum, ſed non prope.* Symm. . . . . ὁρῶ αὐτὸν, ἀλλ' οὐκ ἐγγὺς, *video illum, ſed non prope.* LXX. δείξω αὐτῷ, καὶ οὐχὶ νῦν· μακαριῶ, καὶ οὐκ ἤγγιζει, *oſtendam ei, & non modo; beatifico, & non appropinquat.* Pro אראנו legebant אַרְאֶנּוּ in hiphil, contracte pro אַרְאֶה לּוֹ *oſtendam ei.* אֲשֻׁרֶנּוּ deducebant à verbo אִשֵּׁר *beatificavit*, & קָרוֹב ut nomen adjectivum *propinquus* acceperunt: *neque propinquus eſt.* Vel קָרוֹב ibi eſt ex forma יָכוֹל *potuit.*

Pſal. 86. Heb. 87. v. 1. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*, &c. ejus, nempe Sionis, ut mox ſequitur, ſive urbis Jeruſalem, quæ exſtructa erat partim ſuper montem *Sion*, partim ſuper montem *Moria.* Neque generis diſcrepantia inter pronomen maſc. & urbem Jeruſalem feminini generis huic explicationi adverſatur; magis enim populus Jeroſolymitanus, quam ipſa civitas attenditur. Alii reciproce accipiunt hoc ſenſu: *Fundationem ſuam diligit Deus, in montibus ſanctis*: nempe *portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob*, i. urbem Jeruſalem, quam ipſe fundavit Deus in montibus ſanctis, diligit præ ceteris urbibus Judææ. Portæ ſynecdochice pro tota urbe ponuntur. Quidam hæc verba *Fundamentum ejus in montibus ſanctis*, ad titulum Pſalmi pertinere exiſtimant hac ratione: *Filiis Core; pſalmus cantici, cujus fundamentum*, i. argumentum, materies, eſt *in montibus ſanctis*, in quibus ædificata eſt Jeruſalem. Montes iſti ſunt, ut diximus, *Sion* & *Moria.* Prior, ſanctus dicitur propter arcam illuc à Davide tranſlatam; poſterior, ob Templum in eo exſtructum.

Pſal. 104. Heb. 105. v. 18. *Donec veniret verbum ejus*, ſcilicet Domini, cujus mentio ſequitur.

Prov. 7. vv. 7. 8. *Video juvenem, qui tranſit per plateam juxta angulum illius, & prope viam domus illius graditur*, illius, h. e. meretricis, de qua v. 10.

Jerem. 40. v. 5. ועודנו לא־ישוב ושבה אל־גדליה *cum non ille revertatur, revertere ad Godoliam*, ille, nimirum Godolias, de quo ſtatim fit mentio. Senſus eſt: Aut veni mecum Babylonem; aut, ſi iſtud tibi non placet, ibi remane; & quandoquidem non revertitur nobiſcum Godolias, quem præpoſuit Rex Babylonis civitatibus Juda, habita cum eo in medio populi tui.

Matth. 17. v. 17. al. 18. *Et increpavit illud Jeſus, & exiit ab eo dæmonium*, illud, ſcilicet dæmonium. Vulg. *& increpavit illum*, retulit ad lunaticum. Relativum αὐτῷ, & lunatico & dæmonio convenire poteſt. Ex Marc. 9. v. 25. & Luc. 9. v. 42. Jeſus Dæmonium increpuit.

Act. 12. v. 21. . . . . *& ſedens ſuper tribunali, concionem habebat ad ipſos*, auditores ſcilicet, quorum in verſu ſequenti fit mentio.

Apoc. 20. v. 4. *Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt illis*, ſcilicet *animabus decollatorum propter teſtimonium Jeſu*, de quibus in verbis ſequentibus.

§. II.

De Relativi enallage.

ISTHÆC enallage ſpectat vel *relativum* ipſum, vel ejus *accidentia*; videlicet, genus numerum, & caſum. In relativo ipſo duo conſideranda

Digitized by Google

randa ſunt. I. Quod ſæpius pro antecedente ſuo ponatur. II. Quod pro relativo alia quandoque uſurpentur, ut nomen antecedens repetitum, pronomen demonſtrativum, conjunctiones *&*, *quia*, de quibus in ſequentibus canonibus agendum.

CANON I.

RELATIVUM ſæpius pro ipſo antecedente ponitur.

Num. 7. v. 89. *Cumque ingrederetur Moyſes tabernaculum fœderis*, לְדַבֵּר אִתּוֹ, Lxx. λαλῆσαι αὐτῷ, *ut loqueretur cum ipſo*, h. e. cum Deo. Vulg. *ut conſuleret oraculum*, ſenſum, non verba, reddidit.

Num. 25. v. 4. *Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis.* Eos, hoc eſt, illos, *qui initiati ſunt Beelphegor*, ut v. 5. explicatur, ubi quos antea principes, nunc judices vocat, quia in hoc à Moyſe convocantur, ut judicium exſequantur in tranſgreſſores, quos quiſque ſubditos habebat.

Joſue 13. v. 8. *Cum ipſa Ruben & Gad poſſederunt terram, quam tradidit eis Moyſes famulus Domini, trans fluenta Jordanis, ad orientalem plagam.* Cum ipſa, h. e. cum altera dimidiata tribu Manaſſe. Qimhhi in h. l. *dixit*, cum ipſa (altera dimidiata tribu), *etiamſi mentionem ejus non fecerit; verum quia mentionem fecit alterius dimidiatæ tribus* (v. 7.), *dixit* cum ipſa, *ac ſi alteram etiam memoraſſet.*

2. Reg. 11. v. 25. *Conforta* מִלְחַמְתְּךָ *prælium tuum* .... וְחַזְּקֵהוּ *& confirma eum*, h. e. militem tuum. Optime Vulg. *conforta bellatores tuos* .... *& exhortare eos*; abſtracto per concretum reddito.

4. Reg. 3. v. 24. *Et percuſſerunt* בָהּ *in ea*, ſcilicet regione. Conf. Maſſoram & Chald. In Hebræo וַיַּכּוּ־בָהּ, ſed Maſſorethæ legendum notant וַיַּכּוּ *& percuſſerunt*, cum כ pro ב. Lxx. καὶ εἰσῆλθον εἰσπορευόμενοι, *& ingreſſi ſunt ingredientes*, legebant וַיָּבֹאוּ pro וַיַּכּוּ, & בא pro בָהּ, à verbo בּוֹא *venire*. Vulg. *venerunt igitur*, &c. legebat ut Lxx. Correctio itaque Maſſorethica temporibus Lxx. & Vulgati interpretis eſt recentior.

Eſth. 9. v. 25. וּבְבֹאָהּ *& cum ingrederetur illa ad Regem.* Illa, h. e. Eſther, ut optime ſupplevit Vulg. *Et poſtea ingreſſa eſt Eſther ad regem.*

Job. 40. v. ultimo, al. 41. v. 1. אֶל־מַרְאָיו *ad conſpectum illius* (hominis) *præcipitabitur* Leviathan. Vulg. *videntibus cunctis præcipitabitur.*

Pſal. 15. Heb. 16. v. 4. *Non libabo libamina eorum de ſanguine, neque aſſumam nomina eorum in labiis meis.* Eorum, h. e. idolorum.

Pſal. 113. Heb. 114. v. 2. *Facta eſt Judæa ſanctificatio ejus, Iſraël poteſtas ejus*, nempe Dei, cujus in hoc pſalmo nulla mentio præceſſit.

Prov. 25. v. 27. Ut *comedere plurimum mellis non eſt bonum: ſic inveſtigatio eorum* (non eſt) *gloria.* Eorum, h. e. cœleſtium, rerum Divinarum & abſtruſarum. Vulg. optime ſenſum ſic expreſſit: *Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.* Conf. v. 2. & Rom. 11. v. 33.

Eccle. 4. v. 15. *Cum adoleſcente ſecundo, qui conſurget pro eo*, i. pro patre.

Iſai. 3. v. 26. *Et mærebunt atque lugebunt portæ ejus*, nempe Jeruſalem. Videtur etiam eſſe enallage perſonæ, *ejus* ſcilicet pro *tuæ*.

Iſai. cap. 8. v. 21. *Et tranſibit per eam*, h. e. Judæam, ſive terram, ut expreſſit Chald. בְּאַרְעָא *per terram.*

Iſai. 21. v. 2. *Omnem gemitum ejus ceſſare feci.* Ejus, i. Babylonis, quæ v. 1. per *deſertum maris* deſcribitur.

Jon. 1. v. 3. *ut iret cum ipſis*, hoc eſt, cum nautis.

Matth. 11. v. 24. *Quod abſcondiſti hæc à ſapientibus*, &c. i. cœleſtia myſteria.

Marc. 9. vv. 44. 46. 48. *ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.*

Eorum, i. damnatorum. Conf. Iſai. 66. v. 24. unde verba Chriſti deſumta ſunt.

Marc. 14. v. 69. *Quis hic ex illis eſt*, h. e. ex Chriſti diſcipulis, ſive Galilæis. Sic v. 70.

Joan. 9. v. 22. .... *ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret.* Eum, i. Jeſum.

Joan. cap. 20. v. 15. *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Eum, h. e. Jeſum. Mos eſt ferventer amantium æſtimare, quod omnes cogitent de eo, quod cordi habent. Liran.

Sic uſurpatur adverbium loci שָׁמָּה *illuc.*

Job. 1. v. 21. *Nudus egreſſus ſum, de utero matris meæ, & nudus revertar* שָׁמָּה *illuc*, h. e. in terram, ſive pulverem.

CANON II.

PRO relativo & reciproco, interdumque etiam poſſeſſivo pronomine, ſæpius ponitur antecedens in textu repetitum.

Gen. 1. v. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam; ad imaginem Dei creavit illum*, &c. h. e. ad imaginem, inquam, ſuam creavit illum. Vide etiam cap. 5. v. 1.

Gen. 4. v. 23. *Dixitque Lamech uxoribus ſuis: .... audite vocem uxores Lamech*, h. e. uxores meæ.

Gen. 12. v. 5. *Et egreſſi ſunt ut venirent in terram Chanaan, & venerunt in terram Chanaan*, h. e. in eam. Vulg. *cumque veniſſent in eam.* Vide etiam vv. 4. 8.

Gen. 16. v. 16. *Octoginta & ſex annorum erat Abram, quando peperit Agar Iſmaelem Abramo*, h. e. ut optime reddidit Vulg. *quando peperit ei Agar Iſmaelem.* Alia exempla vide Lev. 7. v. 19. cap. 14. vv. 15. 26. 1. Reg. 3. v. 21. cap. 15. v. 22. 3. Reg. 8. v. 1. cap. 12. v. 21. Pſal. 24. Heb. 25. v. 9. Zach. 1. v. 16. &c.

In Novo Teſt. Luc. 3. v. 19. *Herodes autem tetrarcha, cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris ſui, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes*, h. e. quæ ipſe fecit.

1. Cor. 1. v. 8. *Qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine, in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti*, h. e. in die adventus ſui, præcedit enim v. 7. mentio revelationis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

2. Theſſ. 3. v. 5. *Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei*, h. e. in charitate ſua. Emphatice enim nomen cognatum, ſive ſynonymum *Deus* pro reciproco ponitur.

Sunt tamen quædam loca, in quibus antecedentis repetitio perſonarum diſtinctionem denotat.

Gen. 19. v. 24. *Igitur* יְהוָה *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem* מֵאֵת יְהוָה *à Domino de cœlo*, h. e. Deus Pater pluit ſulphur & ignem de cœlo, à, h. e. per Dominum filium ſuum; *quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit*, Joan. 5. v. 19. Nullus autem ſenſus eſſe videtur, ſi dicatur Deus pluere ignem & ſulphur à ſeipſo.

Pſal. 109. Heb. 110. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis*, h. e. Dixit Deus Pater Chriſto Deo filio ſuo, & Domino meo, ſede à dextris meis, i. æqualem mecum habeto poteſtatem. Ex hoc loco probavit Chriſtus Phariſæis Matth. 22. v. 42. & ſeqq. Meſſiam non eſſe filium Davidis eo ſenſu, quo ipſi intelligebant, ſed Dei; ac proinde ipſum eſſe Deum, non purum hominem. Vide Act. 2. v. 34. Heb. 1. v. 13. &c.

Jerem. 23. v. 5. *Ecce dies veniunt, dicit* יְהוָה *Dominus, & ſuſcitabo Davidi germen juſtum .... v. 6. .... Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum,* יְהוָה *Dominus juſtus noſter.* Hinc liquet Deum Patrem non de ſeipſo loqui, ſed de Meſſia filio ſuo, qui etiam vocandus erat יְהוָה, h. e. *Dominus.* Vide cap. 35. v. 15.

Oſe. 1. v. 7. *Et domui Jacob miſerebor* (ego Dominus) *& ſalvabo eos in* יְהוָה *Domino Deo ſuo*, h. e. in Chriſto, ut 2. Tim. 1. v. 18. *Det illi* (Oneſiphoro) *Dominus invenire miſericordiam à Domino in die illa*, h. e. Deus Pater concedat illi, ut inveniat miſericordiam à Deo filio ſuo Domino noſtro Jeſu Chriſto, quem conſtituit judicem vivorum & mortuorum, Joan. 5. v. 22. Act. 10. v. 42.

CANON III.

Loco pronominis relativi אֲשֶׁר, interdum ponitur demonſtrativum זֶה, vel זוּ, *iſte*.

Pſal. 9. v. 16. *in laqueo* זוּ *iſtum abſconderunt mihi*, &c. h. e. אֲשֶׁר, *quem abſconderunt mihi.* Sic Pſal. 31. Heb. 32. v. 8.

Pſal. 103. Heb. 104. v. 8. *Aſcendunt montes .... in locum* זֶה *iſtum fundaſti eis*, i. *quem fundaſti eis.*

Pſal. 141. Heb. 142. v. 4. *In via* זוּ *iſta ambulabam*, h. e. *qua ambulabam.*

Iſai. 43. v. 21. *Populum* זוּ *iſtum formavi mihi*, h. e. *populum, quem formavi mihi*, Vulg. per attractionem ſubſtantivi à relativo, pro, populus, quem formavi mihi. Alia exempla vide Exod. 15. vv. 13. 16. &c.

Quidam tamen, ut Qimhhi, iſtud per ellipſin relativi explicant, ita ut demonſtrativum ſua gaudeat ſignificatione. Sic Lxx. Pſal. 9. v. 16. ἐν παγίδι ταύτῃ, ᾗ ἔκρυψαν, pro ἣν, attracto relativo à demonſtrativo præcedente, Vulg. Lat. *in laqueo iſto, quem abſconderunt*, &c. Et Pſal. 141. Heb. 142. v. 3. al. 4. ἐν ὁδῷ ταύτῃ, ᾗ ἐπορευόμην, Vulg. *in via hac, qua ambulabam.*

Paraphraſtes Chald. Pſal. 103. Heb. 104. v. 8. expreſſit etiam pronomen relativum, ſervato demonſtrativo, *in locum* דֵּין דִּיסַדְתָּא לְהוֹן *hunc, quem fundaſti eis.*

In Novo Teſt. Huc referunt Act. 8. v. 26. cap. 10. v. 36. ubi αὕτη pro ὃς accipitur; etſi his in locis pronomen demonſtrativum ſine ullo incommodo retineri poteſt.

CANON IV.

Loco pronominis relativi, quandoque uſurpatur

I. Conjunctio &. Exod. 10. v. 25. *Hoſtias quoque & holocauſta dabis nobis*, וְעָשִׂינוּ *& offeremus Domino Deo noſtro*, h. e. *quæ offeramus*, Vulg.

Ruth. 3. v. 16. *Et venit ad ſocrum ſuam*, וַתֹּאמֶר *& dixit ei*, hoc eſt, *quæ dixit ei*, Vulg.

1. Reg. 20. v. 2. *Neque enim faciet pater meus quidquam grande vel parvum*, וְלֹא *& non indicabit mihi*, i. quod non indicet mihi. Vulg. *niſi prius indicaverit mihi.*

Iſai. 8. v. 3. *Et acceſſi ad prophetiſſam*, וַתַּהַר *quæ concepit & peperit filium.*

Ibid. cap. 39. v. 6. *Ecce dies veniunt*, וְנִשָּׂא, *quibus auferetur quidquid in domo tua eſt.*

Malach. 3. v. 1. *Ecce ego mitto angelum meum*, וּפִנָּה *qui præparabit viam ante me.* Confer Matth. 11. v. 10. & Marc. 1. v. 2. ubi pro *ante me*, duo illi Evangeliſtæ habent ἔμπροσθέν σου, *ante te*; ſed in Propheta loquitur Chriſtus, in Evangelio Deus Pater ad Filium.

Epheſ. 5. v. 5. *In regno Chriſti & Dei*, h. e. qui eſt Deus.

II. Particula cauſalis כִּי *quia.* Gen. 3. v. 19. *Donec revertaris in terram*, כִּי מִמֶּנָּה *quia ex ea ſumtus es*, pro אֲשֶׁר מִמֶּנָּה. Lxx. ἐξ ἧς ἐλήφθης, Vulg. *de qua ſumtus es.* De hoc idiotiſmo fuſius infra §. IV. can. III.

Gen. 4. v. 25. *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel*, כִּי *quia occidit eum Cain*, i. *quem occidit Cain*, Vulg.

Pſal. 70. Heb. 71. v. 15. *Os meum annuntiabit juſtitiam tuam, tota die ſalutare tuum*, כִּי *quia non novi numeros*, h. e. cujus non novi numeros. Alii כִּי adverſative exponunt: *quamvis ignorem* (ejus) *numeros*, h. e. amplitudinem.

Pſal. 89. Heb. 90. v. 4. *Quia mille anni ante oculos tuos*, (ſunt) *tanquam dies heſterna*, כִּי *quæ præteriit*, &c.

Prov. 11. v. 15. *Affligetur malo*, כִּי *qui fidem facit* (ſpondet) *pro extraneo.*

Ibid. cap. 20. v. 16. *Tolle veſtimentum ejus*, כִּי *qui ſpopondit pro alieno.*

CANON V.

In pronomine relativo, non raro diverſitas eſt generis ab antecedente, quæ vel per aliquod conveniens ſynonymum, vel alia quavis ratione concilianda eſt.

Gen. 2. v. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum* בְגַן (maſcul.) *in horto voluptatis*, ſeu *Eden*, לְעָבְדָהּ (fem.) *ad colendum eum*, וּלְשָׁמְרָהּ (femin.) *& ad cuſtodiendum eum.* Vel גַּן erat olim utriuſque generis; vel pro לְעָבְדָהּ & לְשָׁמְרָהּ, olim legebatur לְעָבְדוֹ & לְשָׁמְרוֹ, cum ה pro ו, ut interdum accidit. Vel denique ſynonymum גִּנָּה, aut גִּנַּת (fem.) ſubintelligendum eſt.

Exod. 11. v. 6. *Eritque* צְעָקָה (fem.) *clamor magnus in univerſa terra Ægypti, cui* כָּמֹהוּ (maſc.) *ſimilis non fuit.* Vulg. *qualis nec ante fuit.* Supplendum eſt nomen קוֹל (maſc.) *vox clamoris*, &c.

Exod. 22. v. 26. *Si* חָבֹל *pignus acceperis* שַׂלְמַת (fem.) *veſtem proximi tui, ante ſolis occaſum* תְּשִׁיבֶנּוּ (maſcul.) *reſtitues eam.* Vel affixum maſculinum refertur ad חֲבֹל *pignus*, ut vult Aben-Eſra; vel ad ſynonymum ſubintellectum לְבוּשׁ, aut בֶּגֶד *veſtis*, ut placet Qimhhi; vel תְּשִׁיבֶנּוּ eſt pro תָּשִׁיב לוֹ *reddes ei.*

Deut. 7. v. 26. *Nec inferes* תּוֹעֵבָה (fem.) *abominationem in domum tuam, ne fias anathema* כָּמֹהוּ (maſcul.) *ſicut ille*, vel *illud*, &c. ſupple דָּבָר (maſc.) Ne inferas rem abominationis, i. abominabilem.

Jud. 19. v. 24. *Ecce filiam meam virginem, & concubinam illius* (hominis) *educam nunc* אוֹתָם *eos, & comprimite* אוֹתָם *eos, ac facite* לָהֶם (maſc.) *illis, quod bonum in oculis veſtris* (videbitur.) Pronomina illa maſculina ſunt, licet ad ſubſtantiva feminina referantur, quia iis, ut volunt nonnulli, flagitioſiſſima Benjaminitarum propoſitio perſtringitur.

Jud. 21. v. 22. *Cumque venerint* אֲבוֹתָם *patres earum* (filiarum Silo), *ac* אֲחֵיהֶם *fratres earum ,... tum dicemus ad illos: gratificamini nobis* אוֹתָם *eas.* Pronomina maſculina ſunt, pro אוֹתָן, אֲחֵיהֶן, & אֲבוֹתָן, Qua de cauſa? Forte amanuenſium oſcitantia.

Ruth. 1. v. 8. *Faciat Dominus* עִמָּכֶם *vobiſcum miſericordiam*, affixum maſculinum eſt, quamvis ſermo ſit de Noëmi nuribus, eaque enallage virilis earum animus denotatur, ut volunt quidam interpp. Vide etiam vv. 9. 11. 13. 19. 22.

Prov. 4. v. 13. *Tene* בַּמּוּסָר (maſc.) *diſciplinam ....* נִצְּרֶהָ (fem.) *cuſtodi illam, quia* הִיא *ipſa eſt vita tua.* Vel מוּסָר communis erat generis, vel ejus loco ſupplenda eſt vox חָכְמָה *ſapientia*, quæ in verſibus ſuperioribus præcedit.

Iſai. 3. v. 16. בְּרַגְלֵיהֶם *pedibus ſuis compeditas agunt* (filiæ Sion,) h. e. inter gradiendum leges numerorum obſervant, quaſi compeditæ eſſent. Pronomine maſculino, maſculam earum protervam indicari volunt.

Thren. 2. v. 20. *comedent mulieres* פִּרְיָם *fructum ſuum*, pro פִּרְיָן. Quod videtur eſſe ſphalma graphicum.

Alia hujus in pronominibus affixis enallages exempla ſunt: נוּ pro נָּה in מִמֶּנּוּ pro מִמֶּנָּה *ab illa, præter illam*, Jud. 11. v. 34. הֶם pro הֶן in בָּהֶם pro בָּהֶן *inter illas*, Cant. 4. v. 2. cap. 6. v. 6. Vide etiam Exod. 1. v. 21. Num. 36. v. 6. Job. 19. v. 15. 2. Reg. 20. v. 3. Ezech. 23. vv. 45. 47. Eſd. 10. vv. 3. 44. Zach. 5. v. 9. & cap. 11. v. 5. ם pro ן in שֶׁכֻּלָּם pro שֶׁכֻּלָּן *quæ omnes*, Cant. 4. v. 2. & cap. 6. v. 6. Vide etiam Exod. 2. v. 17. 2. Reg. 20. v. 3. Ezech. 13. v. 20. Pſal. 118. Heb. 119. v. 152. ן pro ם in לְאַרְבַּעְתָּן *quatuor illis*, Ezech. 1. vv. 10. 16. 18. pro לְאַרְבַּעְתָּם, quod legitur v. 8. בְּלֶכְתָּן pro בְּלֶכְתָּם *in eundo illos, cum irent ipſi*, ibid. vv. 9. 12. 17. הֶן pro הֶם in רִבְעֵיהֶן pro רִבְעֵיהֶם *quatuor latera ipſorum*, Ezech. 1. v. 17. Vide etiam ibid. vv. 18. 24. 25. cum ה parag. גְּוִיֹּתֵיהֶנָה *corpora ipſorum*, ibid. v. 11. כֶם pro כֶן, in אֲבִיכֶם pro אֲבִיכֶן *patris veſtri*, Gen. 31. v. 9. Vide quoque Ezech. 13. vv. 19. 20. 21. Jerem. 9. v. 19. Hæc autem affixorum enallage ex eo nata videtur, quod vel nomina

Digitized by Google

ad quæ referuntur, vel ipſa etiam affixa, ut nonnullis placet, communis olim eſſent generis. Forte etiam anomaliæ hujus partem non minimam ſibi vindicat amanuenſium oſcitantia.

In Novo quoque Teſtamento hanc enallagen reperire eſt, quam σύνθεσιν vocant; cum videlicet ſenſus magis, quam verba, reſpicitur.

Matth. 28. v. 19. *Euntes ergo docete πάντα τὰ ἔθνη, omnes gentes, baptizantes αὐτοὺς, eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Neutro maſculinum reſpondet, quia de hominibus loquitur Chriſtus.

Joan. 15. v. 26. τὸ πνεῦμα, *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit,* ἐκεῖνος *ille teſtimonium perhibebit de me.*

Cap. 16. v. 13. *cum autem venerit* ἐκεῖνος *ille* τὸ πνεῦμα *Spiritus veritatis.....* v. 14. ἐκεῖνος *ille me clarificabit.* Qua enallage Spiritum Sanctum vere eſſe perſonam indicatur. Vide etiam cap. 17. v. 2.

Gal. 4. v. 19. τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, *filioli mei, quos iterum parturio.*

Coloſſ. 2. v. 19. *Et non tenens* τὴν κεφαλὴν, ἐξ οὗ, *caput, ex quo totum corpus constructum,* &c. caput eo loci Chriſtus eſt, ideo pronomen maſculini eſt generis. Vide etiam v. 15. & Philip. 2. v. 15. Philem. v. 10. 1. Joan. 5. v. 21. 2. Joan. v. 1. &c.

Ex Lxx. Græc. verſione adducunt locum Gen. 3. v. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem,* ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς, αὐτός σου τηρήσει (melius quam τηρήσει) κεφαλήν σου, &c. *inter ſemen tuum, & inter ſemen illius, ipſe conteret caput tuum,* &c. qua generis diſcrepantia oſtenditur Deum non loqui de univerſo genere humano, ut interpretantur Rabbini, ſed de una certa perſona, nempe Chriſto.

Apud Latinos. In hymno laudum tempore Adventus.

Verbum ſupernum prodiens
E Patris æterni ſinu,
Qui natus, &c.

Horat. lib. 1. carm. Od. 37. de Cleopatra ſic cecinit..... *daret ut catenis*

Fatale monſtrum, quæ generoſius
Perire quærens, &c.

Terent. Eun. Act. 2. Scen. 3.

Ut Dî illum Deæque ſenium perdant, qui me hodie remoratus eſt.

CANON VI.

IN relativo interdum etiam contingit diverſitas numeri ab antecedente.

I. Subſtantivo plurali nonnunquam reſpondet pronomen ſingulare, quo diſtributio plerumquè denotatur.

Deut. 21. v. 10. *Si egreſſus fueris ad pugnam contra hoſtes tuos,* וּנְתָנוֹ *& tradiderit eum Dominus Deus tuus,* &c. hoc eſt, unumquemque illorum, vel *eos*, ut Vulg.

Joſ. 2. v. 4. *Tollenſque mulier viros,* וַתִּצְפְּנוֹ *abſcondit eum,* h. e. utrumque, vel eos.

4. Reg. 3. v. 3. *Veruntamen* בְּחַטֹּאות *peccatis Jeroboam..... adhæſit* (Joram), *nec receſſit* מִמֶּנָּה *ab eo*, i. ab ullo eorum.

Alia exempla vide Pſal. 34. Heb. 35. v. 8. Eccle. 10. v. 15. al. 12. Iſai. 5. v. 23. Malach. 2. v. 2. &c.

Philipp. 3. v. 20. *Noſtra autem converſatio* ἐν οὐρανοῖς, *in cœlis eſt,* ἐξ οὗ, *ex quo etiam Salvatorem exſpectamus,* &c. Relativum ſingulare ad mentem refertur, quaſi ſcriptum eſſet ἐν οὐρανῷ *in cœlo.* Vel ſupplenda eſt vox τόπου *loco*, ex quo loco.

Huc pertinet, cum diverſis ſubſtantivis reſpondet pronomen ſingulare.

Gen. 2. v. 19. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cœli, adduxit ad Adam, ut videret, quod nomen inderet* לוֹ *ei*, i. unicuique illorum. Vulg. *quid vocaret ea.*

Huc etiam referunt nomina pluralia cum affixo ſingulari, ſive ea forma, qua ſingularibus adjici ſolet, conjuncta.

Deut. 28. v. 59. *Augebit Dominus* מַכֹּתְךָ

plagas tuam, h. e. unamquamque plagarum tuarum, pro מַכֹּתֶךָ *plagas tuas.*

Pſal. 131. Heb. 132. v. 12. *Si cuſtodierint filii tui* עֵדֹתִי *teſtimonia meum*, h. e. ſingula teſtimonia mea, pro עֵדֹתַי *teſtimonia mea*, ut reddit Vulg.

II. Nomini collectivo ſingulari reſpondet pronomen multitudinis.

Gen. 15. v. 13. *Peregrinum erit* זַרְעֲךָ *ſemen tuum .... & affligent* אֹתָם *eos.* Semen hîc pro poſteris ponitur.

Num. 16. v. 3. *Quia omnis hic cœtus* כֻּלָּם קְדֹשִׁים *omnes illi ſancti ſunt.*

4. Reg. 7. v. 10. *Et venerunt & clamaverunt ad* שֹׁעֵר *janitorem civitatis, & nuntiarunt* לָהֶם *eis*, pro לוֹ *illi.* Sed *janitor* eo loci ſumitur pro excubitorum cœtu. Vulg. *cumque veniſſent ad portam civitatis*, pro שֹׁעֵר *janitor*, legebat שַׁעַר *porta.*

Act. 15. v. 36. *Revertentes viſitemus fratres noſtros*, κατὰ πᾶσαν πόλιν, *per univerſam civitatem*, ἐν αἷς, *in quibus prædicavimus verbum Domini.* Vulg. *per univerſas civitates*, πόλιν enim collective hic ſumitur, unde relativum plurale ei ſubjicitur. Vel diſtributio eſt pro, *in earum* (urbium) *qualibet.*

CANON VII.

RELATIVUM quandoque convenit genere & numero, (vel horum alterutro), cum ſubſtantivo conſequente, cum deberet reſpondere antecedenti.

Marc. 12. v. 42. *Cum veniſſet autem vidua una pauper, miſit* λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης, *minuta duo, quod eſt quadrans*, pro ἅ ἐστι, *quæ ſunt.* Relativum genere convenit cum priori ſubſtantivo, numero autem cum poſteriori.

Galat. 3. v. 16..... καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστι Χριστὸς ..... *& ſemini tuo, qui eſt Chriſtus*, pro ὅ, *quod* (ſemen), *eſt Chriſtus.*

Epheſ. 1. v. 13. *Signati eſtis* τῷ πνεύματι *Spiritu promiſſionis ſancto.* V. 14. ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν, *qui eſt pignus hæreditatis noſtræ*, &c.

Cap. 3. v. 13. *Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis*, ἥτις *quæ eſt gloria veſtra*, pro, quæ (tribulationes) ſunt gloria veſtra.

Sic in prononiinibus primitivis, cum relative, aut demonſtrative accipiuntur.

Lev. 25. v. 33. *Nam* בָּתֵּי *domus urbium Levitarum*, הִוא אֲחֻזָּתָם *ipſa eſt poſſeſſio eorum*, הִוא pro הֵם *ipſæ* (domus ſunt) *poſſeſſio eorum.* Vulg. *Quia domus urbium Levitarum, pro poſſeſſionibus ſunt inter filios Iſraël.* Vide etiam Jerem. 10. v. 3.

Matth. 13. v. 38. τὸ δὲ καλὸν σπέρμα, οὗτοί εἰσιν οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας, *bonum vero ſemen, hi ſunt filii regni*, pro τοῦτο *hoc* (ſemen) *ſunt filii regni.*

Galat. 4. v. 24. *Quæ ſunt per allegoriam dicta*, αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι, *illa enim ſunt duo Teſtamenta*, pro ταῦτα *hæc*, per allegoriam dicta, duo Teſtamenta ſignificant.

Ex Profanis. Plato, λόγοι μὲν ἐν ἑκάστοις ἡμῶν εἰσιν, ἃς ἐλπίδας ὀνομάζομεν, pro οἳ, *in unoquoque noſtrûm ſermones ſunt, quas ſpes vocamus.* Salluſt. *Et nunc domicilis conjuncta, quas urbes dicimus*, pro *quæ*, &c.

CANON VIII.

RELATIVUM apud Græcos quandoque convenit caſu cum antecedente ſubſtantivo, nulla habita verbi ſequentis ratione.

Marc. 13. v. 19. *Ab initio* κτίσεως, ἧς ἔκτισεν ὁ Θεὸς, *creaturæ, quam condidit Deus*, pro ἣν ἔκτισεν.

Joan. 2. v. 22. *Et crediderunt ....* τῷ λόγῳ, ᾧ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, *ſermoni, quem dixit Jeſus*, pro ὃν εἶπεν. Vide etiam cap. 4. v. 50. 1. Cor. 6. v. 19. Epheſ. 2. vv. 4. 10. &c.

Pſal. 9. Heb. 10. v. 2. Lxx. *comprehendantur*

Digitized by Google

ἐν διαβουλίοις, οἷς διαλογίζονται, Vulg. Lat. ſervato idiotiſmo, *comprehendantur in conſiliis, quibus cogitant*, pro, *quæ cogitant*. Iſthæc loquutio, quæ Atticorum propria eſt, quæque à grammaticis *attractio* vocatur, in profanis auctoribus ſæpiſſime occurrit, ut: χρῶμαι, οἷς ἔχω, βιβλίοις, utor *iis, quibus*, pro, *quos habeo, libris.* ἀπολαύω, ὧν ἔχω, ἀγαθῶν, *fruor iis, quibus*, h. e. *quæ habeo, bonis*, &c.

CANON IX.

E contrario, relativum pronomen quandoque in caſum ſuum pertrahit antecedens, quod ipſi interdum ſubjicitur.

Marc. 6. v. 16. ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα Ἰωάννην, οὗτός ἐστιν, *quem ego decollavi Joannem, hic eſt*, &c. pro, οὗτος Ἰωάννης, ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα, &c. Vulg. non legebat οὗτός ἐστιν, *hic eſt*, ſed οὗτος ἠγέρθη *hic ſurrexit à mortuis*, ut habent mſſ. aliquot codd. Vide D. Mill. pag. 85.

Act. 21. v. 16. *Venerunt autem & ex diſcipulis à Cæſarea nobiſcum, adducentes ſecum* παρ' ᾧ ξενισθῶμεν, Μνάσωνί τινι Κυπρίῳ, *apud quem hoſpitaremur, Mnaſonem quemdam Cyprium*, pro, Μνάσωνά τινα Κύπριον. Vide Rom. 6. v. 17. 1. Cor. 10. v. 16. 1. Joan. 2. v. 25. &c. Vide etiam ſup. p. 480. col. 1. initio.

Apud Profanos. Terent. *Eunuchum, quem dediſti nobis, quas turbas dedit.* Virg. *Urbem, quam ſtatuo, veſtra eſt*, &c. Vide p. 480. col. 1.

Denique ad pronominis enallagen pertinet, quando affixum, quod cum particula, aut præpoſitione jungendum erat, cum ſubſtantivo præcedente copulatur, eodem modo, quo ſupra pag. 372. in verbis. Pſal. 114. Heb. 115. v. 7. יְדֵיהֶם *manus illorum*, pro יָדַיִם לָהֶם *manus (ſunt) illis*, ſive ut Vulg. Lat. *manus habent*, ut v. 6. פֶּה לָהֶם *os* (eſt) *illis*.

§. III.

De Pronominis relativi ellipſi.

PRONOMINIS relativi ellipſis triplicis eſt generis. I. Nominis antecedentis. II. Relativi & reciproci. III. Utriuſque ſimul.

CANON I.

RELATIVUM אֲשֶׁר *qui, quæ, quod*, cum particulis אֶת־, ל, מ, ב, conjunctum, non raro antecedens ſuum includit, quod commode ſubintelligendum eſt.

Gen. 44. v. 1. *Præcepit autem Joſeph*, אֶת־אֲשֶׁר *cui præerat domui ſuæ*, h. e. illi, qui. Vulg. *diſpenſatori domus ſuæ.* Sic לַאֲשֶׁר v. 4.

Ruth. 2. v. 9. *Et bibas*, מֵאֲשֶׁר *ex quo hauſerint pueri iſti*, h. e. ex eo, quod, ſeu ex aqua, quam, &c. Vulg. *Et bibe aquas, de quibus & pueri bibunt.*

Rom. 6. v. 21. *Quem igitur fructum habuiſtis* ἐφ' οἷς, *in quibus nunc erubeſcitis*, pro, in illis, in quibus, &c.

Cum de *loco* ſermo eſt, frequens eſt hæc ellipſis.

Gen. 21. v. 17. *Exaudivit enim Deus vocem pueri*, בַּאֲשֶׁר הוּא שָׁם *in quo ipſe eſt*, ſupple בַּמָּקוֹם *in loco, in quo ipſe eſt.* Vulg. *de loco, in quo eſt.* Vide Jud. 17. v. 8. Num. 22. v. 19. Ruth. 1. v. 16. 2. Reg. 7. v. 7. 3. Reg. 18. v. 12. &c.

Sic cum demonſtrativo, Gen. 37. v. 17. *receſſerunt* מִזֶּה *de hoc*, Vulgatus, *de loco iſto*,

Digitized by Google

recte ſupplevit nomen ſubſtantivum *loco.* Num. 13. v. 17. al. 18. עֲלוּ זֶה *aſcendite hac*, ſupple דֶּרֶךְ *via*. Vide etiam cap. 19. v. 19.

CANON II.

RELATIVUM pronomen tam in Hebræo Veteris Teſtamenti, quam in Græco Novi, non raro deficit.

In Hebræo. Gen. 39. v. 4. וְכָל־יֶשׁ־לוֹ *& omne erat ſibi, tradidit in manum ejus*, pro, וְכָל־אֲשֶׁר יֶשׁ־לוֹ *& omne, quod erat ſibi*, &c. ut v. 5.

Exod. 15. v. 7. *miſiſti iram tuam, devoravit eos*, ſupple cum Vulg. *quæ devoravit eos.*

Ibid. v. 17. *In loco habitationis tuæ, operatus es*, &c. ſupple cum Lxx. & Vulg. *quem* locum, vel *quam* habitationem.

Iſai. 6. v. 6. *& in manu ejus calculus forcipe tulerat de altari*, ſupple, *quem forcipe tulerat*, Vulg.

Iſai. 42. v. 5. *dans flatum populo* עָלֶיהָ *ſuper eam*, ſupp. אֲשֶׁר *qui* (eſt) *ſuper eam* (terram), ſic Vulg. Vide c. 55. v. 13. cap. 56. v. 2. Thren. 1. v. 21. &c.

In Græco. 1. Joan. 3. v. 12. *Non ſicut Cain, ex maligno erat*, ſupp. cum Vulg. *qui ex maligno erat.*

Præter ellipſin relativi שׁ, vel אֲשֶׁר, alia eſt etiam, 1°. Relativi *ille*, *ipſe*, &c. 2°. Reciproci & poſſeſſivi pronominis.

Relativi *ille*, *ipſe*. Deut. 6. v. 13. *Non tentabitis Dominum Deum veſtrum, ſicut tentaſtis* (ſupp. eum) *in Maſſa*. Vulg. *in loco tentationis*, nomen proprium appellative accepit.

Job. 18. v. 9. *Tenebit calcaneum*, (ſup. illius improbi) *laqueus*. Vulg. *tenebitur planta illius laqueo.*

Ibid. 42. v. 6. *Idcirco aſpernor*, ſupp. ea, quæ cogitaveram & dixeram. Vulg. *idcirco meipſum reprehendo*. Vide Gen. 9. v. 3. ubi vox *illis* ſubintelligenda eſt poſt *viridem herbam*, ut patet ex cap. 1. v. 29. Vide etiam Exod. 13. v. 8. ubi ſupplendum pronomen *illa* poſt *fecit*.

Matth. 21. v. 7. *Et impoſuerunt ſuper eos*, (aſinam & pullum), *veſtimenta ſua*, ϗ ἐπεκάθισαν *& collocaverunt*, (ſupp. ipſum, nempe Chriſtum) *ſuper ea*. Vulg. *& eum deſuper ſedere fecerunt*, legeb. αὐτὸν pro αὐτῶν, ut mſ. Curcel.

Matth. 24. v. 33. *Ita & vos cum videritis hæc omnia, ſcitote quia prope eſt in januis*, ſupp. ille, videlicet filius hominis, ex v. 30. vel *regnum Dei*, ex Luc. 21. v. 31.

Joan. 3. v. 34. *Quem miſit Deus, verba Dei loquitur, non enim ad menſuram dat Deus* (ſup. illi) *ſpiritum.*

Act. 13. v. 3. *Tunc jejunantes & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt*, ſup. *illos*, ut Vulg. qui legebat ἀπέλυσαν αὐτοὺς, ut habent quidam codd. mſſ. Vide D. Mill. pag. 285.

1. Cor. 10. v. 9. *Neque tentemus Chriſtum, ſicut & quidam illorum tentaverunt* (ſupp. illum,) *& à ſerpentibus perierunt*. Vide Num. 21. v. 5. & ſeqq.

Reciproci & poſſeſſivi pronominis ellipſeos hæc afferuntur exempla.

Gen. 9. v. 6. *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: quia ad imaginem Dei fecit hominem*, h. e. ad imaginem ſuam Deus fecit hominem. Vel, ut Vulg. *ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.*

3. Reg. 2. v. 27. *Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet Sacerdos Domini, ut impleret verbum Domini*, &c. hoc eſt, ut Dominus impleret verbum ſuum, &c. Vel, ut Vulg. *ut impleretur ſermo Domini*, &c. Nam verba activa in tertia perſona tam ſingulari quam plurali, ſæpe intranſitive & paſſive accipiuntur, ut videbimus in capite ſequenti.

Ibid. cap. 13. v. 2. al. 10. *Sic enim præcepit mihi in ſermone Domini*, h. e. Sic enim præcepit mihi in ſermone ſuo Dominus. Vel, ut Vulg. *Sic enim mandatum eſt mihi in ſermone Domini.*

Eſd. 5. v. 17. *& voluntatem regis ſuper hac re mittat ad nos*, h. e. & voluntatem ſuam ſuper hac re mittat rex ad nos. Vel mittatur, &c.

Job.

Digitized by Google

Job. 37. v. 10. *A flatu Dei fortis producit glaciem*, h. e. Deus fortis flatu ſuo glaciem producit. Vel, ut Vulg. *flante Deo, concreſcit gelu*, ſeu *glacies*. Vel denique *producitur*; ita ut tertia illa perſona paſſive ſumatur, ut videbimus in cap. ſeq. Alia exempla vide Eſth. 3. v. 7. Prov. 12. v. 13. (al. 14.) Cap. 21. v. 8. (Confer Jac. 1. v. 8.) Eccle. 2. v. 26. &c.

CANON III.

ELLIPSIS quandoque eſt antecedentis ſimul & relativi.

Exod. 4. v. 13. *Mitte, quæſo*, בְּיַד תִּשְׁלָח *per manum miſſurus es*, ſupp. illius, quem *miſſurus es*.

1. Paral. 15. v. 12. *Afferte arcam Domini Dei Iſraël* אֶל־הֲכִינוֹתִי לוֹ *ad præparavi ei*, ſupp. locum, quem, ut habetur integre v. 3. & Exod. 23. v. 20.

Job. 18. v. 21. *Et iſte* (eſt) *locus non novit Deum*, ſupp. viri, qui, &c. Vulg. *ejus, qui ignorat Deum.*

Job. 24. v. 19. Heb. (Quemadmodum) *ſiccitas & æſtus rapiunt aquas nivis:* (ſic) *infernus peccaverunt*, ſupp. rapit eos, qui peccaverunt.

Jerem. 2. v. 8. *Prophetæ prophetaverunt in Baal, & poſt* (ſupp. Idola, quæ) *non proſunt, ambularunt.* Vulg. *& idola ſequuti ſunt.*

Ibid. v. 11. *Populus vero meus mutavit gloriam ſuam in* (ſupp. idolum, quod) *non prodeſt.* Vulg. *in idolum.* Alia exempla vide Pſal. 80. Heb. 81. v. 6. Prov. 8. v. 32. Iſai. 55. v. 2. Jerem. 51. v. 3. Thren. 1. v. 14. &c.

§. IV.

De Pronominis relativi, &, ad quod refertur, ſubſtantivi pleonaſmo.

CANON I.

ANTECEDENS, ſeu nomen ad quod relativum pertinet, quandoque poſt relativum ipſum repetitur.

Iſthæc antecedentis repetitio fit לְתוֹסֶפֶת הַבֵּיאוּר *amplioris declarationis gratia*, ut loquuntur Hebræi, ſive ad tollendam ἀμφιβολίαν, id eſt, ſermonis ambiguitatem.

Gen. 13. v. 16. *Faciamque ſemen tuum ſicut pulverem terræ, quem ſi quis poteſt hominum numerare pulverem terræ, ſemen quoque tuum numerare poterit*, ubi redundant poſteriores voces *pulverem terræ.*

Alia exempla vide Gen. 2. v. 19. Exod. cap. 35. v. 5. Joſ. 1. v. 2. 2. Reg. 6. v. 4. ubi עִם pro אֶת־ ponitur, Jerem. 27. v. 8. &c.

Huc pertinet in N. T. Matth. 26. v. 24. *Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*, quæ ultimæ voces *redundant.* Vide etiam 2. Cor. 4. v. 4. ubi vox ἀπίστων *infidelium*, quæ in fine verſus ponitur, abundat. Aliis verborum trajectio eſt pro *in quibus infidelibus.*

CANON II.

ANTECEDENTI ſubſtantivo relativum quandoque adjungitur, pleonaſtice quidem, ſed evidenter & cum energia; cum alioquin ſolum ſubſtantivum ſufficeret.

In hoc idiotiſmo relativum modo præponitur, modo poſtponitur.

Præponitur. Exod. 2. v. 6. Et *aperuit* (arcam), וַתִּרְאֵהוּ אֶת־הַיֶּלֶד *& vidit eum puerum*-

lum ipſum, pro & vidit puerulum illum.

1. Reg. 21. v. 13. וַיְשַׁנּוֹ אֶת־טַעְמוֹ *& mutavit eam ſpeciem ſuam.*

Job. 33. v. 20. וְזִהֲמַתּוּ חַיָּתוֹ לָחֶם *& abominatur ipſum anima ejus panem.*

Alia exempla vide Prov. 5. v. 22. cap. 14. v. 13. Jerem. 9. v. 15. Habac. 1. v. 11. &c. In lingua Chaldaïca & Syriaca frequens eſt hic pleonaſmus.

Poſtponitur. Gen. 2. v. 17. *De arbore autem ſcientiæ boni & mali non comedes* מִמֶּנָּה *ex ea*, hoc eſt, ex ea, inquam, plane non comedes.

Exod. 32. v. 1. *Moyſi enim huic viro, qui eduxit nos de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit ei.* Sic 2. Reg. 6. v. 23. Job. 3. v. 5. Pſal. 9. Heb. 10. v. 5. Eccle. 2. v. 14.

Iſai. 8. v. 13. *Dominum exercituum ipſum ſanctificate.* Alia exempla vide c. 45. v. 9. Ezech. 33. v. 2. Dan. 1. v. 17. &c.

Matth. 12. v. 36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*, pro, de omni verbo otioſo, &c.

Ibidem cap. 21. v. 41. *Dicunt illi :* κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτοὺς, *malos male perdet ipſos.* Vide inſuper Joan. 17. v. 2. Act. 10. v. 38. Rom. 16. v. 27. Apoc. 6. v. 4. &c.

Apud profanos. Thucyd. pag. 267. edit. Oxon. 1696. τῷ δὲ Ἱπποκράτει ὄντι περὶ τὸ Δήλιον, ὡς αὐτῷ ἠγγέλθη, *Hippocrati vero apud Delium verſanti, ut ipſi nunciatum eſt*, &c.

CANON III.

DUPLEX relativum quandoque uſurpatur, cum unum ſufficeret.

I. Affixum & integrum pronomen interdum cum eleganti emphaſi conjunguntur.

4. Reg. 9. v. 27. גַּם אֹתוֹ הַכֻּהוּ *etiam hunc percutite ipſum.*

Pſal. 9. v. 7. אָבַד זִכְרָם הֵמָּה *periit memoria eorum ipſorum.* Vel *ipſi* etiam in ſolidum perierunt. Quidam interpretes Græci, σὺν αὐτοῖς, S. Hieron. *cum ipſis.* LXX. μετ' ἤχου, Vulg. Lat. *cum ſonitu*, pro הֵמָּה legebant הֶמָה, vel הָמָה, quæ vox legitur Ezech. 7. v. 11. ſignificatque, ſecundum Qimhhi & alios, *ſtrepitum, tumultum, ſonitum.* Hinc Vulg. ibidem מֶהֱמֵהֶם interpretatur *ex ſonitu eorum.*

Sic in pronominibus primitivis primæ & ſecundæ perſonæ. Gen. 27. v. 34. בָּרֲכֵנִי גַם־אָנִי *benedic mihi, etiam ego*, h. e. *mihi*, inquam, ita ut nominativus ſit loco dativi. Vel *quantum ad me attinet ;* ſicque nominativus phraſim integram conficiet, ut vidimus ſupra pag. 479. col. 1. Atque ita explicari poſſunt, quæ ſequuntur exempla.

1. Reg. 25. v. 24. בִּי אֲנִי *in me* (ſit) *ego Domine mi, hæc iniquitas*, hoc eſt, in me, in me, inquam, &c. Vel quantum ad me pertinet.

Prov. 22. v. 19. הוֹדַעְתִּיךָ הַיּוֹם אַף־אָתָּה *nota facio ea tibi hodie, etiam tu.*

Agg. 1. v. 4. הַעֵת לָכֶם אַתֶּם *nunquid tempus vobis eſt, vos*, &c.

Zach. 7. v. 5. *nunquid jejunium jejunaſtis mihi, ego?*

Huc pertinet nominativus אֲנִי *ego*, qui pro dativo לִי *mihi* ſumitur. Prov. 8. v. 14. אֲנִי בִינָה *ego prudentia*, h. e. mihi eſt prudentia, præcedit enim & ſequitur לִי *mihi.* Vulg. *mea eſt prudentia.*

II. Relativum *is, ipſe* repetitur.

1. Reg. 9. v. 13. *Quis* אֹתוֹ *eum hac ipſa hora invenietis* אֹתוֹ *eum*, h. e. eo ipſo certe tempore eum invenietis.

Matth. 8. v. 1. καταβάντι δὲ αὐτῷ ἀπὸ ὄρους, ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, *cum autem deſcendiſſet ipſe* (Jeſus) *de monte, ſequutæ ſunt eum turbæ multæ.* Vide Marc. 9. v. 28. &c.

III. Relativum אֲשֶׁר *qui, quæ, quod*, cum alio relativo ſæpiſſime in oratione conjungitur, tuncque poſterius relativum negligitur.

Gen. 1. v. 11. אֲשֶׁר זַרְעוֹ־בוֹ *quo* (ſit) *ſemen ſuum in eo*, h. e. in quo ſit ſemen ſuum.

Exod. 6. v. 4. . . . . *terram peregrinationis eorum*, אֲשֶׁר־גָּרוּ בָהּ *qua peregrinati ſunt in ea*, h. e. בַּאֲשֶׁר *in qua peregrinati ſunt.*

Pſal. 1. v. 4. *tanquam gluma*, ſeu *pulvis*, אֲשֶׁר תִּדְּפֶנּוּ *quem projicit eum ventus*, h. e.

quem projicit. Lxx. addunt explicationis gratia, *ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς*, *à facie terræ*. Alia exempla vide Exod. 25. v. 29. 2. Reg. 6. v. 2. 4. Reg. 13. v. 14. Jerem. 2. v. 2. &c.

Marc. 7. v. 25. *Mulier....* ἧς εἶχε τὸ θυγάτριον αὐτῆς, *cujus habebat filia ejus ſpiritum immundum*, ubi redundat *αὐτῆς ejus.*

Joan. 1. v. 27. *Cujus non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti*, abundat *ejus.*

Act. 15. v. 17. ἐφ᾽ οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου ἐπ᾽ αὐτούς, *ſuper quos*, vel *ſuper quas* (gentes) *invocatum eſt nomen meum ſuper eos*, vel *eas.*

1. Pet. 2. v. 24. οὗ τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἰάθητε, *cujus livore ejus ſanati eſtis.*

Alia exempla vide Apoc. 7. vv. 2. 9. &c. Antequam huic capiti finem imponamus, quædam obſervanda ſunt.

1°. Loco poſterioris relativi, uſurpatur interdum adverbium loci שָׁם *ibi*, cum de loco ſermo eſt.

Gen. 2. v. 11. Vulg. *Ipſe eſt* (Phiſon), *qui circuit omnem terram Hevilath*, Heb. *Hhavila*, אֲשֶׁר שָׁם *qua illic aurum eſt*, pro אֲשֶׁר בָּהּ, quod & ipſum eſt pro בַּאֲשֶׁר *in qua*, &c. Vide c. 3. v. 23. Exod. 12. v. 13. Ruth. 1. v. 7. &c.

Huc pertinet Apoc. 12. v. 14. ubi duplex adverbium loci ponitur, ὅπου τρέφεται ἐκεῖ, *ubi alitur ibi*, h. e. *ubi alitur*, Vulg.

2°. Prioris relativi אֲשֶׁר quandoque ellipſis eſt.

Exod. 18. v. 20. *Oſtendaſque....viam bonam* יֵלְכוּ בָהּ *ambulent in ea*, pro אֲשֶׁר יֵלְכוּ בָהּ, *qua ambulent in ea*, h. e. in qua ambulent.

2. Paral. 16. v. 9. *Oculi Domini diſcurrunt per univerſam terram, ut robuſtum ſe exhibeat* עִם־לְבָבָם שָׁלֵם *cum cor eorum integrum eſt*, hoc eſt, עִם־אֲשֶׁר לְבָבָם שָׁלֵם *cum* (iis) *quorum cor eorum integrum eſt.*

Job. 3. v. 3. *Pereat dies* אִוָּלֶד בּוֹ *natus ſum in ea*, h. e. in qua natus ſum. Vide etiam v. 15. Pſal. 10. Heb. 11. v. 4. Jerem. 2. v. 6. &c.

3°. Pro priori *relativo*, nonnunquam adhibetur, 1°. Particula cauſalis כִּי *quia.*

Gen. 3. v. 19. *Donec revertaris in terram*, כִּי מִמֶּנָּה *quia ex ea ſumtus es*, pro אֲשֶׁר מִמֶּנָּה *qua ex ea*, i. de qua. 2°. Conjunctio *&*.

Gen. 22. v. 24. *concubina vero illius* (Nachoris) וּשְׁמָהּ *& nomen ejus Reuma*, pro אֲשֶׁר שְׁמָהּ *cujus nomen*, &c.

CAPUT IV.

De Verbo.

QUÆ de Verbo, quantum ad præſentem ſcopum attinet, dicturi ſumus, ad quatuor capita revocantur. I. Idiotiſmum. II. Enallagen. III. Ellipſin. IV. Pleonaſmum. Quæ omnia in ſequentibus quatuor articulis expendentur.

ARTICULUS I.

De Verborum Idiotiſmo.

IDIOTISMUS cum *ſignificationem*, tum *conſtructionem* verborum ſpectat. Significatio, vel *generalis* eſt, vel *ſpecialis*. De utraque in paragraphis ſequentibus.

Digitized by Google

§. I.

De ſignificatione verborum in genere.

CANON I.

SIMPLICIA verba apud Hebræos, adjectis præpoſitionibus, & ſæpe etiam ſine iis, habent compoſitorum ſignificationem.

Omnia verba apud Hebræos ſunt ſimplicia. Præpoſitio igitur, quam Græci & Latini cum verbo componunt, diverſarum ſignificationum cauſa, ab Hebræis inter *verbum* & *nomen* ſequens diſponitur, ut v. g. הָלַךְ *ire*, cum præpoſitione אֶל *ad*, ſignificat *adire*; cum מִן *ab*, *abire*; cum לִפְנֵי *ante*, *præire*; cum אַחַר *poſt*, *ſequi*, &c.

Quandoque etiam ſine hujuſmodi præpoſitionis adjectione, verbum ſimplex compoſiti ſignificationem obtinet; quod ex contextu ipſo eruendum.

Sic עָמַד *ſtetit*; item *obſtitit*, *reſtitit*, Dan. 11. v. 3. קוּם *ſtare*; item *ſubſiſtere*, *conſiſtere*, Joſ. 7. v. 12. Pſal. 1. v. 5. &c. item *reſtare*, *ſuperſtitem eſſe*, Joſ. 2. v. 11. Ita quoque נָפַל *cadere & excidere*, ſeu *deficere*, & *irritum fieri* ſignificat. נָתַן *dare* & *reddere*. רָעָה *paſcere* & *depaſcere*, ſeu *perdere*. אָמַר *dicere* & *obloqui*. קָרָא *vocare* & *invocare*. Vide alia exempla in Lexicis.

In N. T. Joan. 14. v. 18. ἔρχομαι, *venio ad vos*, Vulg. *veniam*, optime, enallage enim eſt præſentis pro futuro ἐλεύσομαι, quod & ipſum futurum ſimplex eſſet pro ἐπανελεύσομαι *redibo*. Ibidem v. 31. ἄγωμεν ἐντεῦθεν, pro ὑπάγωμεν, *abeamus hinc*.

E contrario, nonnunquam verbum compoſitum pro ſimplici ponitur. Joan. 9. vv. 11. 15. 18. de cæco nato dicitur, quod ἀνέβλεψε, *deperditum videndi uſum rurſus obtinuerit*. Igitur verbum iſtud compoſitum poſitum eſt pro ſimplici ἔβλεψε *vidit*, quod vv. 7. 15. uſurpatur. Jacob. 1. v. 17. ἔνι (per ſyncop. pro ἔνεστι) *ineſt*, adhibetur pro ἐστὶ *eſt*.

CANON II.

IN uno verbo eodemque quandoque duæ ſignificationes concurrunt, ſeu unicum verbum pro duobus ponitur.

Gen. 12. v. 15. וַתֻּקַּח *& capta eſt mulier in domum Pharaonis*, h. e. capta perducta eſt. Sic לָקַח accipitur cap. 15. vv. 9, 10. Exod. 18. v. 2. cap. 25. v. 2. cap. 27. v. 20. Num. 19. v. 2. Eſth. 2. v. 16.

Gen. 43. v. 33. וַיִּתְמְהוּ *& mirati ſunt homines illi, quiſque ad proximum ſuum*, h. e. mirantes reſpexerunt alter ad alterum.

Ibidem v. 34. וַיִּשָּׂא *Accepit* (Joſeph) *fercula de eo, quod erat in conſpectu ſuo, ad eos*, h. e. accipiens miſit ad eos, ſeu diſtribuit eis. Ita נָשָׂא accipitur Exod. 18. v. 12. c. 25. v. 2. cap. 28. v. 20. &c.

Exod. 23. v. 18. *Non mactabis ſanguinem ſacrificii mei cum fermentato*, h. e. non mactando fundes. Sic cap. 34. v. 25.

2. Paral. 32. v. 1. *Et cogitavit* (Sennacherib) *diſcindere eas* (urbes munitas) *ad ſe*, h. e. divellendo eas à regno Juda, ſibi adjungere.

Eſd. 2. v. 62. *Et polluti ſunt à Sacerdotio*, h. e. quaſi polluti *ejecti ſunt de Sacerdotio*, Vulg.

Pſal. 21. Heb. 22. v. 22. *Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium* עֲנִיתָנִי *exaudies me*, vel, qui à cornibus unicornium exaudiſti me, i. exaudiens liberaſti me. Lxx. τὴν *ταπείνωσίν μου*, *humilitatem meam*, pro עֲנִיתָנִי

legeb. עַנְוָתֵנִי, ab עַנְוָה *manſuetudo, humilitas*, cum ו loco (י), & affixo verbali נִי loco י. .

Pſal. 117. Heb. 118. v. 5. *Et exaudivit me in latitudine Dominus*, i. exauditum collocavit me in latitudine.

Pſal. 54. Heb. 55. v. 19. *Redemit in pace animam meam*, h. e. redemtum me collocavit in pace.

Pſal. 67. Heb. 68. v. 19. *Accepiſti dona in hominibus*, vel *in homines*, i. accipiens dediſti hominibus. Quæ Eph. 4. v. 8. de Chriſto intelligit Apoſtolus. Alia exempla vide Pſal. 41. Heb. 42. v. 2. Pſal. 62. Heb. 63. v. 9. Pſal. 65. Heb. 66. v. 14. Pſal. 72. Heb. 73. v. 27. Pſal. 88. Heb. 89. v. 40. Pſal. 136. Heb. 137. v. 9. &c.

Prov. 25. v. 22. *Prunas* חֹתֶה *accipis ſuper caput ejus*, h. e. acceptas coacervas ſuper caput ejus. Confer Rom. 12. v. 20. ubi legere eſt *σωρεύσεις congeres.*

Iſai. 11. v. 10. *Ad eam* (radicem Jeſſe) *gentes requirent*, h. e. requirendo venient.

Ibid. cap. 14. v. 17. *Vinctos ſuos non ſolvebat* בַּיְתָה *domum*, h. e. ut domum reverterentur.

Ibid. cap. 38. v. 17. *Tu autem* חָשַׁקְתָּ *amaviſti animam meam ex fovea conſumtionis*, i. amando eruiſti animam meam, &c. Vulg. optime: *Tu autem eruiſti animam meam, ut non periret.*

Ibid. v. 21. *Sumant palatham ficuum* וְיִמְרְחוּ *& contundant ſuper vulnus*, h. e. contuſam applicent ſuper vulnus.

Ibid. cap. 46. v. 6. *Vilipendentes aurum de crumena*, h. e. aurum vilipendentes, illud producunt de crumena, & profundunt.

Ibid. cap. 57. v. 9. al. 13. *Et contemplaris ad regem cum unguentis*, h. e. contemplata mittis ad regem, nempe Tiglathphalaſar, 4. Reg. 16. v. 7. Conf. Ezech. 16. v. 33.

Jerem. 41. v. 7. *Et jugulavit eos* (Iſmael filius Nathaniæ) *in medium foveæ*, h. e. jugulatos eos projecit in medium foveæ. Vide etiam Ezech. 19. v. 4. Amos 9. v. 3. &c. Sic verbum חָרַד *trepidavit*, ſignificat interdum *trepide accurrere.* Vide 1. Reg. 13. v. 7. cap. 16. v. 15.

In Novo Teſt. Matth. 4. v. 5. *Tunc παραλαμβάνει, aſſumit eum* (Jeſum) *Diabolus in ſanctam civitatem*, h. e. aſſumtum transfert. Sic v. 8. & cap. 27. v. 27.

Luc. 21. v. 38. *Et omnis populus ὤρθριζε, diluculo ſurgebat ad eum*, h. e. diluculo ſurgens veniebat ad eum.

Act. 7. v. 9. *Et Patriarchæ æmulantes Joſeph vendiderunt in Ægyptum*, ſupple abducendum.

Apoc. 13. v. 3. *Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam*, hoc eſt, admirata ſequuta eſt beſtiam.

CANON III.

Verbum, quod actum completum ſignificat, accipiendum quandoque inchoative. Et viciſſim, quod actum inchoatum denotat, accipiendum quandoque completive.

I. Verba completiva inchoative intelligenda ſunt, ſeu factum ipſum pro ejus initio accipitur.

1. Reg. 3. v. 21. *Et addidit Dominus ut appareret in Silo, poſtquam revelaverat ſe Dominus Samueli in Silo*, h. e. poſtquam revelare ſe cœperat.

2. Reg. 2. v. 10. *Quadraginta annorum erat Iſboſeth filius Saul, cum regnaret*, h. e. *cum regnare cœpiſſet*, Vulg.

3. Reg. 6. v. 1. *Factum eſt quadringenteſimo & octogeſimo anno .... ædificavit* (Salomon) *domum Domino*, h. e. ædificare cœpit, ut 2. Paral. 13. v. 1. legere eſt. Quare optime Vulg. *ædificari cœpit domus Domino.*

Ibidem v. 37. *Anno quarto fundata eſt domus Domini*, h. e. fundari cœpit, ut reddidit Chald. & ut liquet ex v. 38.

In Novo Teſtamento. Matth. 2. v. 7. *Diligenter didicit* (Herodes) *ab eis* (Magis) *tempus ſtellæ, quæ apparuerat*, h. e. apparere cœperat, ſeu quo tempore primum apparuerat.

II. Verba inchoativa completive intelligenda ſunt.

Accipere, pro acceptum retinere. Gen. 38. v. 23. תִּקַּח *accipiat ſibi*, hoc eſt, acceptum retineat. Vulg. *habeat ſibi.*

Congregare, pro congregatos detinere. 1. Paral. 16. v. 35. *Salva nos Deus, Salvator noſter, & congrega nos, & erue nos de gentibus*, h. e. congregatos contine, ne diſſipemur; nam tunc temporis inter gentes diſperſi non erant Iſraëlitæ.

Aperire, pro apertum tenere. Iſai. 60. v. 11. *Et aperient portas tuas jugiter interdiu & noctu*, &c. h. e. apertas tenebunt miniſtri Eccleſiæ, ut ſingulis horis animas lucrifaciant Chriſto, & intromittant ad Eccleſiam.

Vincire, ſeu *ligare*, pro vinctum retinere. Marc. 5. v. 3. *Et neque catenis jam quiſquam poterat eum* (hominem ſpiritu immundo obſeſſum) *ligare*, h. e. ligatum retinere, ut liquet ex v. 4.

Sic quando verbum *incipiendi* cum altero conjungitur.

Gen. 9. v. 20. וַיָּחֶל *& cœpit Noe vir terræ*, (h. e. agricola,) *& plantavit vineam*, h. e. Noe autem plantavit vineam.

Num. 25. v. 1. *Et cœpit fornicari populus*, h. e. *fornicatus eſt*, Vulg.

Matth. 16. v. 22. *Et aſſumens eum* (Jeſum) *Petrus, cœpit increpare illum*, hoc eſt, increpavit.

Marc. 2. v. 23. *Et diſcipuli ejus cœperunt progredi*, h. e. progreſſi ſunt. Sic cap. 4. v. 1.

Luc. 3. v. 8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere*, &c. h. e. ne dicatis.

Ibid. cap. 15. v. 24. *Et cœperunt epulari*, h. e. epulati ſunt. Sic cap. 5. v. 21. cap. 11. v. 29. cap. 19. vv. 37. 45. cap. 20. v. 9. cap. 21. v. 28. &c.

Act. 1. v. 1. . . . . *quæ cœpit Jeſus facere & docere*, h. e. quæ fecit & docuit. Sic cap. 2. v. 4.

Ibid. cap. 11. v. 15. *Cum autem cœpiſſem loqui*, h. e. cum loquerer. Conf. c. 10. v. 44. ubi verba ἔτι λαλοῦντος τοῦ Πέτρου, *adhuc loquente Petro*, indicant eum per aliquod tempus loquutum, cum Spiritus Sanctus in eos, qui illum audiebant, cecidit.

Hoc idiotiſmo explicant quidam illud Luc. 3. v. 23. αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, *ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta*, h. e. triginta annos natus erat; adverbium enim *quaſi* hîc non dubium, ſed rem certam indicat, ut ejus ſynonymum ὡς Joan. 1. v. 14. *gloriam quaſi unigeniti*, i. vere unigeniti. Alii: Jeſus erat incipiens eſſe triginta circiter annorum, parum aberat quin triginta annos exegiſſet, vel paululum trigeſimo anno exceſſerat. Ex Lege Num. 4. vv. 3. 47. confer 1. Paral. 23. vv. 2. 3. Levitæ functionem ſuam aggrediebantur, cum erant *tricenarii*, quamquam ex alia Lege Num. 8. v. 24. anno vigeſimo quinto exacto miniſterii ſui rudimenta jaciebant. Imo minores quaſdam operas præſtitiſſe videntur ab anno vigeſimo. Vide 1. Paral. 23. vv. 24. 27. 2. Paral. c. 31. v. 17. Eſd. c. 3. v. 8.

CANON IV.

Verbum quandoque de continuatione rei ſignificatæ intelligendum eſt. Sive, res ſæpe fieri dicitur, cum continuatur & augeſcit.

Gen. 15. v. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*, h. e. fides ejus continuata & confirmata eſt; jam enim ante crediderat, teſte Apoſt. Heb. 11. v. 8.

Lev. 6. v. 5. al. 12. *Ignis autem in altari ſemper ardebit*, h. e. perget ardere.

Ibid. cap. 26. v. 11. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri*, h. e. gratioſam habitationem meam continuabo vobiſcum. Conf. v. 12.

Joſue 24. v. 14. *Nunc ergo timete Dominum, & ſervite ei perfecto corde*, &c. h. e. pergite timere Dominum, &c. Conf. vv. 16. 20. 21.

2. Paral. 29. v. 11. *Filii mei nolite errare*, Vulg. *negligere*, h. e. nolite perſeverare in errore, quo cultum Dei omiſiſtis.

Jerem. 7. v. 3. *Bonas facite vias veſtras ....* וְאֲשַׁכְּנָה אֶתְכֶם Lxx. Sym. καὶ κατοικιῶ ὑμᾶς ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ, *& faciam vos habitare in loco iſto*, h. e. conſervabo vos in loco iſto, neque ex illo deportabimini. Sic v. 7. Vulg. *& habitabo vobiſcum in loco iſto*, legebat וְאֶשְׁכְּנָה אֶתְכֶם.

Huc pertinet verbum חִיָּה *vivificare*, Num. 31. v. 15. & alibi, pro in vita conſervare.

Luc. 11. v. 13. *Quanto magis pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe*, h. e. dona Spiritus Sancti augebit; neque enim eo loci agitur de prima eorum collatione, quandoquidem ſine Spiritu Sancto preces Deo gratæ fieri non poſſunt, Zach. 12 v. 10. 1. Cor. 12. v. 13. Præterea loquitur Chriſtus cum Apoſtolis, qui Spiritus Sancti primitias jam tum acceperant.

Joan. 2. v. 11. *Et crediderunt in eum diſcipuli ejus*, i. hoc miraculo in fide confirmati ſunt; jam enim in Chriſtum crediderant, ut liquet ex cap. 1. vv. 41. 42. &c.

Ibid. cap. 14. v. 1. *Creditis in Deum, & in me credite*, h. e. pergite credere. Sic cap. 16. v. 30.

Ibid. v. 29. *Et nunc dixi vobis priuſquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis; non fide nova, ſed aucta*, inquit, S Aug. tract. 79. in Joannem, tom. 3. part. 2. nov. edit. col. 702. B.

Ibid. c. 20. v. 22. *Accipite Spiritum Sanctum*, h. e. donorum Spiritus Sancti incrementa.

Act. 10. v. 34. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus*, h. e. novo iſto miraculo in ſententia confirmatus ſum.

Huc pertinet 1°. Verbum *innovari*, ſeu *renovari*, quod interdum pro incremento novitatis à Spiritu Sancto collatæ accipitur. Vide 2. Cor. 4. v. 16. Epheſ. 4. v. 23. Col. 3. v. 10. &c. 2°. Cum verbum aliquod de *inſtauratione*, vel *confirmatione* rei accipitur.

Gen. 4. v. 26. *Tunc cœptum eſt invocari in nomine Domini*, vel ut Vulg. *Iſte* (Enos) *cœpit invocare nomen Domini*, h. e. cultum Divinum inſtauravit; nam procul dubio primi parentes invocaverant nomen Domini. Lxx. ἤλπισεν, *ſperavit*; pro הוּחַל *cœptum eſt*, legerunt הוּחִל à יָחַל.

Deut. 10. v. 8. *Eo tempore ſeparavit Dominus tribum Levi, ut portaret arcam fœderis*, &c. h. e. jam ante ſeparatam in functione ſua confirmavit.

Joan. 1. v. 17. *Lex per Moyſen data eſt*, &c. h. e. ſolemniter promulgata; nam ante eum data fuerant Sabbathum, Decalogus, circumciſio, &c. Confer Gal. 3. v. 17. ubi in promulgatione ſolemni Lex dicitur γεγονὸς facta.

Ibid. c. 11. v. 53. *Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum* (Jeſum). *Antea quidem cædem ejus meditabantur*, inquit, Theophyl. in h. l. *ſed remiſſius, & quæſtio magis erat quam ſententia: nunc autem perfectum judicium, & firma ſententia.*

Huc pertinet illud 2. Reg. 19. v. 23. *An ignoro hodie me factum regem ſuper Iſraël?* i. me eſſe confirmatum regem ſuper Iſraël.

CANON V.

VERBUM, quod actionem, ſeu effectum notat, de poteſtate, ſeu facultate agendi, non raro intelligendum eſt, & per *poſſum* cum infinitivo exponendum.

Gen. 16. v. 10. *Multiplicans multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine*, h. e. non poterit numerari. Sic 3. Reg. 3. v. 8.

Exod. 9. v. 15. *Quia jam extendi manum meam, & percuſſi te*, &c. hoc eſt, extendere potuiſſem manum meam, & percutere potuiſſem te, &c. Conf. v. 16.

4. Reg. 5. v. 12. *Nonne lavabo me in illis* (fluminibus Damaſci,) *& mundus ero?* h. e. lavare poſſem.

Job. 9. v. 6. *Qui commovet terram de loco ſuo, & columnæ ejus concutiuntur.* v. 7. *Qui præcipit ſoli & non oritur*, &c. h. e. qui poteſt commovere terram, qui poteſt præcipere ſoli, &c.

Digitized by Google

Pſal. 21. Heb. 22. v. 18. אֲסַפֵּר *numerabo omnia oſſa mea*, ſic Hieron. hoc eſt, numerare poſſem præ macie, ſeu diſtractione violenta.

Prov. 20. v. 9. מִי־יֹאמַר *quis dicet, purificavi cor meum, mundus ſum à peccato?* h. e. *Quis dicere poteſt*, ut optime Vulg. Alia exempla vide Zach. 2. v. 4. al. 8. Iſai. 49. v. 15. &c.

Matth. 12. v. 31. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus*, h. e. remitti poteſt. Nam alioqui non omnia peccata ejuſmodi remittuntur actu, impœnitentibus ſcilicet & incredulis. Sequitur: *Spiritus autem blaſphemia*, i. blaſphemia in Spiritum Sanctum, *non remittetur ei*, h. e. difficilius remittetur. Alia exempla vide Matth. 7. v. 16. Rom. 10. v. 14. &c.

CANON VI.

VERBUM, quod actionem, ſeu effectum notat, de jure ac debito quandoque intelligendum eſt, & per *debeo*, ſequente infinitivo, vertendum.

Gen. 20. v. 9. *Opera, quæ non* יֵעָשׂוּ *fient, feciſti mecum*, h. e. quæ fieri non debent. Vulg. *Quæ non debuiſti facere, feciſti nobis.* Sic Lev. 4. vv. 7. 13. 22. 27.

Pſal. 31. Heb. 32. v. 8. *Inſtruam te in via hac, qua gradieris*, h. e. qua gradi debeas.

Ezech. 34. v. 2. *Væ paſtoribus Iſraël*, אֲשֶׁר הָיוּ רֹעִים אוֹתָם *qui paſcunt eos* (Iſraelitas), h. e. qui debebant paſcere. Vulg. *qui paſcebant ſemetipſos*, אוֹתָם reciproce accepit, quod in Hebræo rariſſimum. Vide ſeqq.

Malach. 1. v. 6. *Filius honorat patrem*, &c. h. e. honorare debet.

Ibid. cap. 2. v. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodient*, vel *cuſtodiunt ſcientiam*, i. cuſtodire debent. Vide etiam Exod. 33. v. 5. Neh. 5. v. 8. Confer Levit. 25. v. 47. & ſequentes.

Matth. 2. v. 4. *Sciſcitabatur* (Herodes) *ab eis* (principibus Sacerdotum & Scribis) *ubi Chriſtus* γεννᾶται *naſcitur*, i. naſci deberet, ſecundum oracula Prophetarum. Vulg. *naſceretur.*

Luc. 7. v. 42. *Quis ergo eum plus diligit?* h. e. diligere debet. *Non quærit quid evenire ſoleat, ſed quid ex ratione beneficii evenire deberet*, Salmeron in h. l.

Heb. 5. v. 4. *Nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, h. e. ſumere debet; eo enim tempore, quo hæc epiſtola ſcripta eſt, venalis erat Pontificatus. Alia exempla ſunt, Matth. 18. v. 21. 26. v. 52. Luc. 3. v. 14. &c.

CANON VII.

VERBUM, quod actionem, ſeu effectum notat, de voluntate & voto agendi, non raro intelligitur; & per *volo*, ſeu *opto*, cum infinitivo, exponitur.

Gen. 24. v. 58. הֲתֵלְכִי *num ibis cum homine iſto?* h. e. *vis ire?* Vulg.

Exod. 12. v. 48. *Et ſi peregrinabitur apud te peregrinus*, וְעָשָׂה *& fecerit Paſcha Domini*, &c. h. e. & voluerit facere Paſcha Domini. Vulg. *Quod ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini*, &c.

Ibid. cap. 16. v. 23. *Quod coquetis, coquite*, &c. h. e. quod coquere vultis, ſeu ut Vulg. *quæ coquenda ſunt, coquite.*

1. Reg. 21. v. 9. *Si eum* (gladium) *accipis tibi, accipe*, hoc eſt, ſi vis accipere. Vulg. *ſi iſtum vis tollere, tolle.*

Matth. 13. v. 13. *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt*, i. quia nolunt videre, audire, & intelligere, ut v. 15. exponitur.

Ibid.

Ibid. cap. 23. v. 8. *Vos autem μὴ κληθῆτε, ne vocemini Rabbi*, i. *nolite vocari Rabbi*. Vulg. ne optetis, ne affectetis vocari Rabbi.

Luc. 11. v. 52. *Ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis*, h. e. qui introire volebant.

Ibid. cap. 22. v. 26. *Qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor*, &c. h. e. qui major eſſe deſiderat, qui aliis præeſſe vult, uti explicatio habetur Matth. 20. v. 22. Marc. 10. v. 43.

Act. 7. v. 26. *Et reconciliabat eos dicens*, &c. h. e. reconciliare volebat, cupiebat. Vide etiam Joan. 15. v. 15. 1. Cor. 10. v. 22. Heb. 2. v. 10. &c.

CANON VIII.

VERBUM, quod actionem, aut effectum notat, de conatu agendi quandoque intelligitur, exponiturque per *conor*, &c. cum infinitivo.

Gen. 37. v. 21. *Et audivit Ruben*, וַיַּצִּלֵהוּ *& liberavit eum* (Joſephum) *de manu eorum*, h. e. *nitebatur liberare*, ut optime Vulg. & ut v. 22. exponitur.

Exod. cap. 8. v. 14. al. 18. *& fecerunt ſimiliter* (malefici Pharaonis), h. e. conati ſunt facere ſimiliter, neque enim cyniphes eduxerunt.

Deut. 26. v. 5. *Syrus* אֹבֵד אָבִי *perdidit patrem meum*, h. e. perdere conatus eſt. Vulg. *perſequebatur patrem meum*. Syrus eo loci eſt Laban, qui Gen. 28. v. 5. dicitur אֲרַמִּי *Syrus*. Is dura ſervitute premebat Jacobum, & perſequebatur in patriam redeuntem, uti Gen. 31. v. 23. narratur. Alia exempla vide Pſal. 68. Heb. 69. v. 5. Ezech. 24. v. 13. Amos. 9. v. 3. &c.

Act. 17. v. 15. οἱ δὲ καθιςῶντες τὸν Παῦλον, *qui vero conſtituebant Paulum*, ſupp. in tuto, h. e. qui conſtituere conabantur.

1. Cor. 10. v. 33. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo*, h. e. placere ſtudeo.

Gal. 5. v. 4. *Evacuati eſtis à Chriſto, qui in Lege*, ſeu *per Legem juſtificamini*, h. e. juſtificari conamini. Vel qui putatis juſtificari. Vide quoque Joan. 5. v. 34. c. 41. v. 44. &c.

CANON IX.

VERBUM, quod actionem, ſeu effectum notat, de conſuetudine agendi quandoque intelligendum eſt, & per *ſoleo* cum infinitivo exponendum.

Gen. 6. v. 21. *Tolles igitur tecum, de omni cibo, qui* יֵאָכֵל *comeditur*, h. e. comedi ſolet, vel poteſt, ut Vulg.

Ibid. cap. 29. v. 26. *Et dixit Laban:* לֹא־יֵעָשֶׂה כֵן *non ſic fiet in loco noſtro*, h. e. fieri non ſolet, ſeu *non eſt in loco noſtro conſuetudinis*, ut optime Vulg.

Deut. 1. v. 44. *Perſequuti ſunt vos, ut apes faciunt*, Vulg. *ſicut ſolent apes perſequi.*

1. Reg. 20. v. 2. *Ecce pater meus non facit quidquam grande vel parvum, quod mihi non indicet*, h. e. non ſolet facere.

Ibid. v. 5. *Calendæ*, ſeu *novilunium eſt cras, quo ego ſedendo ſedeo cum Rege ad comedendum*, i. ſedere ſoleo, ſive ut Vulg. *ex more ſedere ſoleo.*

Ibid. c. 23. v. 22. *Dictum eſt enim mihi, quod is* (David) *calliditate agendo, callide agat*, h. e. ſoleat callide agere.

Marc. 15. v. 6. *Per diem autem feſtum ἀπέλυε, dimittebat illis unum ex vinctis*, h. e. *ſolebat dimittere*, Vulg. & uti Matth. 27. v. 15. explicatur. Sic c. 14. v. 12.

Joan. 12. v. 20. *Erant autem quidam Græci ἐκ τῶν ἀναβαινόντων, ex his, qui aſcendebant, ut adorarent in die feſto*, h. e. qui aſcendere ſolebant. Vide etiam Joan. 4. v. 9. 1. Cor. 9. v. 24. &c.

CANON X.

VERBUM, quod actionem, ſive effectum notat, de occaſione ejus quandoque intelligendum eſt, ac per *occaſionem dare*, &c. explicandum.

Gen. 42. v. 38. *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos*, h. e. morti meæ occaſionem præbebitis.

Ibid. c. 43. v. 5. al. 6. *Quare* הֲרֵעֹתֶם *malo affeciſtis me?* h. e. cur occaſionem huic malo meo dediſtis? Vulg. *in meam hoc feciſtis miſeriam.* Sic Exod. 5. v. 22.

2. Reg. 12. v. 14. *Veruntamen, quia blaſphemare feciſti inimicos Domini*, h. e. blaſphemandi anſam tribuiſti, vel ob Uriæ mortem, vel propter adulterium cum uxore illius perpetratum.

3. Reg. 14. v. 16. *Propter peccata Jeroboam, qui peccavit, & peccare fecit Iſraël*, h. e. occaſionem peccati & idololatriæ Iſraëlitis dedit. Sic c. 15. v. 26.

Iſai. 19. v. 11. *Quomodo dicitis Pharaoni: filius ſapientum ego ſum*, &c. h. e. Quomodo occaſionem præbetis Pharaoni dicendi de ſe ipſo, *filius*, &c.

Jerem. 38. v. 23. *Et civitatem hanc* תִּשְׂרֹף *combures igni*, i. occaſionem præbebis illam comburendi. LXX. καὶ ἡ πόλις αὕτη κατακαυθήσεται, *& urbs ipſa comburetur*, legeb. תִּשָּׂרֵף in fut. Niphál.

Alia exempla vide Exod. 23. v. 8. Deut. 1. v. 26. 3. Reg. 18. v. 9. Pſal. 75. Heb. 76. v. 11. Iſai. 43. v. 24. Ezech. 19. v. 7. &c.

Act. 1. v. 18. *Hic* (Judas) *acquiſivit agrum ex mercede iniquitatis*, h. e. occaſio acquirendi exſtitit. Conf. Matth. 27. v. 3.

Rom. 14. v. 15. *Noli cibo tuo illum* (fratrem tuum) *perdere*, &c. h. e. perditioni illius anſam ne præbeas. Vide inſuper 1. Cor. 7. v. 16. 1. Pet. 3. v. 1. &c.

Sic apud Mantuan. lib. 1. Parth. v. 164.

Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos.

Huc pertinent ſequentia, in quibus non ad ſolum verbum, ſed ad totum ſermonem habetur reſpectus.

Act. 5. v. 3. *Anania, cur implevit Satanas cor tuum, ut mentireris Spiritui Sancto*, &c. h. e. cur occaſionem dediſti Satanæ veneno inficiendi cor tuum, & te ad hoc mendacium impellendi. Vulg. *cur tentavit Satanas*, &c. pro ἐπλήρωσεν, *implevit*, legiſſe videtur ἐπείρασεν *tentavit.* Vide D. Mill. pag. 265.

1. Tim. 4. v. 12. *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*, h. e. ne cui occaſionem præbeas adoleſcentiam tuam contemnendi. Vide præterea Rom. 14. v. 16. 2. Cor. 10. v. 2. &c.

CANON XI.

VERBUM, quod actionem, ſeu effectum notat, de permiſſione, ſeu conceſſione, quandoque intelligendum eſt, & per *ſino*, *permitto*, &c. exponendum.

Deut. 2. v. 28. *Cibum pro pecunia* תַּשְׁבִּרֵנִי *comparare me facies*, h. e. comparandi facultatem mihi concedes. Vulg. *alimento pretio vende nobis, ut veſcamur.*

Job. 1. v. 21. *Dominus dedit, Dominus abſtulit*, &c. i. auferri permiſit.

Pſal. 118. Heb. 119. v. 31. *Adhæſi teſtimoniis tuis Domine, noli me confundere*, h. e. noli permittere ut confundar.

Iſai. 63. v. 17. al. 64. v. 3. *Quare errare nos feciſti Domine, de viis tuis, induraſti cor noſtrum*, &c. i. quare permiſiſti, ut erraremus, &c. induraretur cor noſtrum, &c. Vide inſuper Gen. 24. v. 17. cap. 25. v. 30. Jerem. 15. v. 15. &c.

Matth. 6. v. 13. *Et ne nos inducas in tenta-*

Digitized by Google

tionem, h. e. & ne ſinas nos in tentationem induci, aut ea opprimi. Conf. 1. Cor. 10. v. 13.

Joan. 6. v. 39. *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo*, h. e. perire ſinam. Vide inſuper 1. Cor. 6. vv. 7. 12. &c.

In eadem ſignificatione quandoque accipitur,

I. Verbum נָתַן *dare*, Gen. 20. v. 6. *Propterea* לֹא־נְתַתִּיךָ *non dedi te*, vel *tibi*, *ut tangeres eam*, hoc eſt non permiſi, ſive ut Vulg. *non dimiſi.* Vide inſuper Gen. 31. v. 7. Exod. 3. v. 19. cap. 10. v. 25. cap. 12. v. 23. Num. 20. v. 21. cap. 22. v. 13. Jud. 1. v. 34. cap. 3. v. 28. cap. 15. v. 1. 1. Reg. 18. v. 2. 3. Reg. 15. v. 17. Pſal. 15. Heb. 16. v. 10. Confer Act. 2. v. 27.

Apoc. 13. v. 7. καὶ ἐδόθη αὐτῷ, *& datum eſt illi* (beſtiæ), i. permiſſum eſt.

II. חָיָה, vel חִיָּה *vivificare*, pro in vita relinquere, ſeu vivere permittere. Exod. 1. v. 17. *Timuerunt autem obſtetrices Deum* ..... וַתְּחַיֶּיןָ *& vivificarunt mares*, h. e. in vita conſervarunt, vivere permiſerunt. Vide inſuper Deut. 20. v. 16. Joſ. 2. v. 13. cap. 9. vv. 15. 20. 1. Reg. 27. v. 11. 2. Reg. 8. v. 2. &c.

Permiſſio autem negotii alicujus apud Hebræos petitur in futuro rei agendæ. Deut. 2. v. 27. *Tranſibo per terram tuam*, h. e. tranſeam quæſo. Vide Ruth. 2. v. 2. 2. Reg. 16. v. 9. Jerem. 40. v. 15. &c.

CANON XII.

VERBUM poteſtatis non raro pro verbo debiti & juris accipitur, exponiturque per *debeo*, *licet*, &c. cum infinitivo.

In propoſitionibus negantibus magis, quam in affirmantibus, locum habet iſte idiotiſmus.

Gen. 24. v. 50. *A Domino egreſſum eſt verbum iſtud*, i. res iſta; *non poſſumus eloqui tibi malum, aut bonum*, h. e. non debemus.

Ibid. cap. 34. v. 14. *Non poſſumus facere, quod petitis*, h. e. non debemus.

Ibid. c. 43. v. 32. *Quia non poſſunt Ægyptii comedere cum Hebræis*, h. e. non debent, eis non licet. Cujus rei rationem reddit Chald. *Quia pecus, quod Ægyptii colunt, comedunt Hebræi.*

Ibid. c. 44. v. 22. *Non poterit puer relinquere patrem ſuum*; h. e. non convenit, non decet, ut relinquat. Vide etiam v. 26. & Deut. 16. v. 5. c. 17. v. 15. c. 21. v. 16. 2. Reg. 17. v. 17. &c.

Act. 4. v. 20. *Non poſſumus nos, quæ vidimus & audivimus, non loqui*, h. e. non debemus. Vide etiam 1. Cor. 3. v. 11. cap. 10. v. 21. Gal. 4. v. 15. &c.

Interdum verbum *poteſtatis*, pro verbo *difficultatis* ponitur.

Ruth. 4. v. 6. *Non poſſum redimere mihi, ne perdam poſſeſſionem meam*, h. e. difficile mihi eſt, & cum diſpendio rei familiaris conjunctum.

Eſth. 8. v. 6. *Quomodo potero aſpicere illud malum .... & perditionem cognationis meæ?* h. e. ſine inſigni luctu ac moleſtia non potero, &c.

Pſal. 100. Heb. 101. v. 5. *Superbum oculo, & tumentem corde*, לֹא אוּכָל אֹתוֹ *non potero ipſum*, ſupp. ferre, h. e. permoleſtum eſt mihi hujuſmodi hominem tolerare. S. Hieron. *Superbum oculis, & altum corde, cum hoc eſſe non poteram.* LXX. τούτῳ οὐ συνήσθιον, Vulg. Lat. *cum hoc non edebam*, legeb. אִתּוֹ לֹא אוֹכֵל à verbo אָכַל *comedit*, in bénoní qal.

Marc. 6. v. 5. *Et non poterat* (Jeſus) *ibi virtutem ullam facere*, h. e. difficulter miracula ibi patrabat ob eorum incredulitatem.

Luc. 11. v. 7. *Non poſſum ſurgere & dare tibi*, h. e. vix poſſum, grave mihi eſt, &c.

Joan. 6. v. 60. *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire?* h. e. nemo ſine tædio & moleſtia eum audiet. Alii, nemo eum credet.

Ibid. cap. 7. v. 7. *Non poteſt mundus odiſſe vos*, h. e. difficulter vos mundus oderit.

1. Cor. c. 3. v. 1. *Et ego, fratres, non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus*, hoc eſt, vix potui.

Apoc. 2. v. 2. *Non potes ſuſtinere malos*, hoc eſt, ægre admodum ſuſtines.

Digitized by Google

CANON XIII.

VERBUM voluntatis quandoque non de ſimplici & nudo voluntatis arbitrio accipitur, ſed interdum cauſam ſimul & conditionem effectus includit.

Dan. 5. v. 19. *Quos volebat* (Pater tuus Nabuchodonoſor) *interficiebat*, &c. Hic reſpicit Daniel ad cauſam occiſionis, cap. 2. vv. 12. 13. ubi jubentur occidi ſapientes Babylonis, eo quod ſomnium regis interpretari non potuiſſent. Vide etiam cap. 4. v. 14. ubi voces illæ: *Deus cui voluerit, dabit regnum*, explicantur per id, quod ſequitur, *& humillimum hominem conſtituet ſuper illud.*

Rom. 9. v. 18. Deus, *cujus vult miſeretur: & quem vult, indurat.* Prius membrum pœnitentiæ conditionem includit, ut liquet Exod. 33. vv. 4. 5. 19. qui locus hic ab Apoſtolo adducitur. Poſterius includit etiam conditionem pervicaciæ, & in peccatis perſeverantiæ, cujus occaſione Deus peccatorem indurat ſuam ei denegando gratiam, non impertiendo malitiam.

CANON XIV.

VERBA quædam, præter uſitatam ſignificationem, quoddam ejus adjunctum, aut conditionem in genere indicant. Eorum exempla ſunt:

ÆDIFICARI. Ezech. 26. v. 14. de Tyro dicitur: *non ædificaberis amplius*, h. e. ea dignitate & elegantia, qua antea exſtructa eras; poſtea enim inſtaurata eſt hæc civitas. Imo Iſai. 23. vv. 15. 17. ejus inſtauratio poſt 70. annos prænuntiatur.

AUDIRE. Joan. 8. v. 47. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*, &c. quo in loco auditus ille intelligitur, qui Luc. 8. v. 15. deſcribitur, quique cordis converſionem cum bonorum operum fructu conjunctam includit.

CONFITERI. 1. Joan. 4. v. 15. *Confiteri Chriſtum*, non quamvis confeſſionem notat, ſed eam, quæ ex vera fide manat, & quam charitas conſequitur, Rom. 10. vv. 9. 10. Sic & Matth. 10. v. 32.

DICERE, *Poſſe dicere*, pro vere & ex animo dicere poſſe accipitur

Prov. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere: purificavi cor meum?*

1. Cor. 12. v. 3. *Nemo poteſt dicere: Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto*, h. e. nemo poteſt dicere: *Dominus Jeſus*, ratione, quæ ad ſalutem proſit, & ex ſalutari & vivifica cognitione, niſi ſingulari motu, & impulſu Spiritus Sancti. Vel nemo poteſt dicere *Dominum Jeſum*, ut habet Græc. Vulg. hoc eſt, agnoſcere, confiteri, & prædicare, Jeſum eſſe Dominum & Meſſiam, niſi ex Spiritus Sancti gratia.

FACERE. 1. Joan. 3. v. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit*, i. habitu non peccat; quæ interpretatio liquet ex ipſo verbo *facere*, quod habitum notat, ut *medicinam facere* dicitur, qui eam exercet; *mathematicam facere*, in Lampridio, qui ei ſtudet; *aruſpicinam, argentariam, mercaturam facere*, in Cicerone, qui has in artes incumbit. Conf. cap. 1. vv. 8. 10. ubi, qui ex Deo nati ſunt, h. e. filii Dei, peccare dicuntur. Vide etiam cap. 5. v. 18. Joan. c. 8. v. 34.

VELLE, pro ſponte & alacriter aliquid velle & peragere. 2. Cor. 8. v. 10. al. 11. *Qui non ſolum facere, ſed etiam velle cœpiſtis anno ſuperiore.* Item pro cupide optare, Marc. 10. v. 35. c. 12. v. 38.

VIVERE, pro bene & feliciter vivere, incolumem eſſe. 1. Reg. 10. v. 24. 3. Reg. 1. v. 25: יְחִי הַמֶּלֶךְ *vivat rex.* Targ. *felix ſit, proſperetur.* Conf. 1. Reg. 25. v. 6. Pſal. 21. Heb. 22. v. 27. Pſal. 68. Heb. 69. v. 33. Eccle. 6. v. 8. Theſſ. 3. v. 8. &c.

CANON XV.

VERBA, quæ *fieri*, *eſſe*, vel *agere* quid ſignificant, quandoque non tam actum, quam ejus notificationem, & prænuntiationem denotant.

Gen. 27. v. 37. *Dominum illum tuum* (Jacobum) *conſtitui*, &c. h. e. talem eum futurum diſpoſui & ſignificavi.

Ibid. cap. 30. v. 13. *Beatificabunt me filiæ*, i. beatam me prædicabunt. Sic Pſal. 71. Heb. 72. v. 17. Luc. 1. v. 48.

Ibid. cap. 35. v. 12. *Terram dedi Abrahamo & Jacobo*, h. e. daturum me promiſi.

Exod. 13. v. 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum*, h. e. indica meo nomine populo, ut ſanctificet. Conf. vv. 11. 12.

Ibid. cap. 20. v. 7. *Non faciet inſontem*, &c. h. e. non declarabit, ſeu ut Vulg. *non habebit inſontem.*

Levit. 13. v. 3. *Et inſpiciet eum Sacerdos*, וְטִמֵּא אֹתוֹ *& impurabit eum*, h. e. impurum declarabit. Vulg. qui ſenſum non verba reddit, *& ad nutum illius* (Sacerdotis) *ſeparabitur.* Sic vv. 13. 17. טִהַר *mundabit*, h. e. mundum pronuntiabit.

2. Reg. 15. v. 4. *& juſtificem eum*, h. e. juſtum declarem, ſeu abſolvam. Sic Prov. 17. v 15.

Job. 10. v. 2. אַל־תַּרְשִׁיעֵנִי *ne facias me impium*, i. ne me impium pronuncies. Vulg. *noli me condemnare.*

Ibid. cap. 24. v. 25. *Quis mendacem faciet me?* i. *Quis me poteſt arguere eſſe mentitum?* Vulg.

Pſal. 33. Heb. 34. v. 4. *Magnificate Dominum mecum*, h. e. magnum prædicate.

Iſai. 6. v. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videant*, &c. hoc eſt, vaticinare populo huic, fore ut cor ejus excœcandum ſit, aures ejus aggravandæ, & oculi eorum claudendi, adeo ut non videant, &c. idque ſi reſipiſcere noluerint.

Iſai. 29. v. 23. Et *Deum Iſraëlis* יַעֲרִיצוּ *formidabilem*, ſeu *robuſtum*, vel *fortem facient*, h. e. *prædicabunt*, Vulg. Vide inſuper cap. 43. v. 28. *Et contaminavi, & dedi*, &c.

Jerem. 1. v. 10. *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas & deſtruas, & diſperdas & diſſipes, & ædifices & plantes*, h. e. ut aliis ruinam, aliis incolumitatem denunties. In Scripturis enim miniſtri Dei id facere dicuntur, quod Deus verbo ipſorum prædicit & præſtat.

Ibid. c. 4. v. 10. *Decepiſti populum iſtum & Jeruſalem*, h. e. populum iſtum per pſeudoprophetas pacem denuntiantes deceptum oſtendiſti.

Ibid. c. 15. v. 1. *Ejice eos à facie mea*, i. ejiciendos vaticinare. Conf. v. 7.

Ezech. 13. v. 19. *Ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo*, &c. h. e. ut pronuntiarent morituras, vel victuras eſſe.

Ibid. cap. 20. v. 26. *Et pollui eos in muneribus ſuis*, i. pollutos declaravi, ut impollutos habui.

Jon. 1. v. 16. *Et immolaverunt hoſtias Domino*, h. e. immolare ſtatuerunt. Conf. ſeq. Hæc ſufficiant exempla, ad quorum normam alia plurima, quæ brevitatis gratia miſſa facio, explicanda ſunt.

In novo Teſt. Luc. 7. v. 29. *Et omnis populus audiens, & publicani juſtificaverunt Deum*, h. e. juſtum prædicaverunt. Sic verbum iſtud accipitur v. 35. c. 10. v. 29. cap. 16. v. 15.

Act. 10. v. 15. *Quod Deus purificavit, tu ne κοίνε polluas*, Vulg. *commune dixeris.*

1. Tim. 3. v. 16. Græc. *Deus manifeſtatus eſt in carne, juſtificatus eſt in ſpiritu*, &c. h. e. declaratus & confirmatus eſt juſtus per Spiritum Sanctum; vel per divinitatem ſuam, cujus vi miracula fecit, & ſeipſum ex mortuis excitavit. Confer Rom. 1. v. 4.

Heb. 1. v. 6. *Et cum iterum introducit* (Deus)

primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei, h. e. introducendum eum per prophetas ſuos denuntiat. Confer Pſal. 96. Heb. 97. v. 7.

Ibid. cap. 10. v. 5. *Ideo ingrediens mundum dicit: hoſtiam & oblationem noluiſti*, &c. hoc eſt, prænuntians ſe mundum aliquando ingreſſurum. Hoc teſtimonium exſtat Pſal. 39. Heb. 40. vv. 7. 8.

Huc pertinet Rom. 11. v. 32. *Concludit enim Deus omnia*, (Græc. Vulg.) *omnes in incredulitate*, h. e. in verbo ſuo declaravit omnes eſſe concluſos in incredulitate. Gal. 3. v. 22. idem dicitur, ſed *Scripturæ* tribuitur, quod eo loci de *Deo* dicitur.

Huc quoque referuntur alia verba, quæ per declarationem, aut quid aliud exponenda ſunt, ut: חִשְׁבִּית *ceſſare facere*, Iſai. 30. v. 11. pro amovere, ſilere, non loqui de, &c. *Iram operari*, Rom. 4. v. 15. pro iram manifeſtare. Confer cap. 3. v. 20. ubi ex Lege cognitio peccati fieri dicitur, proindeque iræ divinæ, & pœnæ peccato debitæ. נָתַן *docere*, Prov. 9. v. 9. לָקַח *diſcere*, Prov. 1. v. 3. unde לֶקַח *doctrina*, cap. 4. v. 12. & Deut. 32. v. 2. Sic λαμβάνειν, *diſcere*, Joan. 16. v. 14.

CANON XVI.

VERBA, quæ rei appellationem, vel ejus notificationem ſignificant, quandoque pro ipſa rei productione & eſſentia uſurpantur.

I. קָרָא καλεῖν, *vocare*, ſeu *appellare*.

Iſai. 47. v. 1. *Ultra non vocaberis mollis & tenera.* Verſ. 5. *Non vocaberis ultra domina regnorum*, h. e. non eris.

Ibid. cap. 56. v. 7. *Domus mea, domus orationis vocabitur*, hoc eſt, erit. Sic Matth. 21. v. 13.

Matth. 5. v. 9. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, h. e. erunt. Vid. v. 19. Luc. 1. v. 76. 1. Joan. 3. v. 1.

Apud Profanos. Hom. Iliad. δ. vv. 60. 61. οὕνεκα σὴ παράκοιτις κέκλημαι, *quapropter uxor tua vocor*, i. *ſum*, exponente Euſtathio, qui in hunc verſum ſic ſcribit p. 445. edit. Rom. 1542. τὸ κέκλημαι, οὐκ ἐνδοιασμὸν δηλοῖ, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ εἰμὶ κεῖται, vox κέκλημαι, *dubitationem non ſignificat, ſed pro* ſum *ponitur.*

II. *Dicere*, & quæ huic analoga ſunt.

Iſai. 4. v. 3. *Omnis, qui relictus fuerit in Sion .... ſanctus* יֵאָמֵר *dicetur*, h. e. erit. Vide etiam Amos 6. v. 1. &c.

Rom. 7. v. 3. *Igitur vivente viro* (mulier) *adultera* χρηματίσει *vocabitur, ſi fuerit cum alio viro*, h. e. erit adultera. Vide etiam 1. Cor. 5. v. 1.

Hinc דָּבָר, apud Hebræos, ῥῆμα, λόγος, apud Græcos, *verbum, ſermo*, rem ſignificant Gen. 18. v. 14. Exod. 9. v. 4. 1. Reg. 14. v. 12. Amos 3. v. 7. &c. Luc. 2. v. 15. cap. 1. v. 37. Marc. 1. v. 45. Luc. 9. v. 28. Rom. 9. v. 28. &c.

III. *Docere, notum facere, oſtendere.*

1. Reg. 14. v. 12. *Aſcendite ad nos, & oſtendemus vobis verbum*, Vulg. *rem*, i. vobis malum faciemus.

Pſal. 44. Heb. 45. v. 5. *& docebit te mirabilia*, Vulg. *mirabiliter, dextera tua*, h. e. dextera tua mirabilia efficiet.

Pſal. 59. Heb. 60. v. 5. *Oſtendiſti populo tuo dura*, h. e. afflixiſti eum. Vide etiam Pſal. 15. Heb. 16. v. ult. Pſal. 70. Heb. 71. v. 20. &c.

Joan. 5. v. 20. *Pater diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, & majora his demonſtrabit ei opera, ut vos miremini*, h. e. Pater omnia opera ſua per filium, & cum filio operatur, ut vv. 17. 19. 21. declarant. Vide & cap. 10. v. 32. Act. 9. v. 16. 2. Tim. 4. v. 14. Sic in LXX. Gen. 50. v. 17. ὅτι πονηρά σοι ἐνεδείξαντο, *quia mala oſtenderunt tibi*, h. e. intulerunt. Vulg. *exercuerunt*. Heb. גְּמָלוּךָ *rependerunt tibi.*

Sic *benedicere* & *maledicere* paſſim in Scripturis pro bonum conferre, & malum inferre accipiuntur. *Benedicere* etiam ſæpius *multiplicationem* ſignificat. Vide Gen. 1. v. 28. cap. 9. v. 1. cap. 17. v. 20. quam etiam ſignificationem obtinet verbum, εὐχαριστεῖν, *gratias agere*, Joan. 6. v. 23.

Digitized by Google

CANON XVII.

VERBA, quæ *fieri*, *eſſe*, vel *agere* ſignificant, quandoque pro rei cognitione ponuntur.

Job. 5. v. 3. *Ego vidi ſtultum firma radice, & maledixi* נָוֵהוּ *habitaculo ejus ſtatim*, h. e. & ſtatim cognovi habitaculum ejus fore maledictum, ſeu reputavi fore ut domui & familiæ ejus male cederet. Confer ſeqq. Aq. ϰ, κατηρασάμην τὴν εὐπρέπειαν αὐτῶν παραχρῆμα, Vulg. *& maledixi pulchritudini ejus ſtatim.* Lxx. ἀλλ' εὐθέως ἐβρώθη αὐτῶν ἡ δίαιτα, *ſed ſtatim abſumta eſt illorum habitatio.* Heb. נָוָה *habitaculum* & *pulchritudinem*, pro diverſis radicibus, ſignificat.

Pſal. 50. Heb. 51. v. 6. *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis*, h. e. ut juſtus agnoſcaris.

Pſal. 118. Heb. 119. v. 128. *Propterea omnia mandata tua* יִשָּׁרְתִּי, S. Hieron. *direxi*, h. e. recta agnovi ac prædicavi. Lxx. κατωρθούμην, Vulg. Lat. *dirigebar*, legeb. in paſſiva voce יְשֻׁרְתִּי, addebantque ſenſus gratia præpoſitionem πρὸς *ad* omnia mandata tua, &c.

Oſe. 5. v. 15. *Donec* יֶאְשְׁמוּ *rei ſint*, hoc eſt, reos ſe agnoſcant. Vulg. *deficiatis*, enallage perſonæ. Verbum אָשַׁם *deficere* etiam ſignificat.

Matth. 12. v. 33. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum*, h. e. agnoſcite & fatemini arborem illam eſſe bonam, quæ fructum bonum affert; aut cognoſcite arborem malam ex fructu ejus malo.

Joan. 9. v. 41. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum*, hoc eſt, ſi cæcitatem veſtram agnoſceretis, peccatum vobis remitteretur. Patet hæc explicatio ex membro ſeq. *Nunc vero dicitis: videmus*, &c.

Rom. 5. v. 20. *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum*, h. e. ut melius delictum agnoſceretur abundare.

Huc pertinet, quod de Melchiſedecho dicitur, Heb. 7. v. 3. quod fuerit *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia*, &c. h. e. quod parentes ejus in Scriptura non memorentur, nobiſque cogniti non ſint, ut explicat Theophylactus.

CANON XVIII.

VERBA, quæ *eſſe*, vel *facere*, &c. ſignificant, quandoque pro rei opinione ponuntur.

Gen. 42. v. 30. *Loquutus eſt nobis Dominus terræ dure*, וַיִּתֵּן *& dedit*, ſeu *poſuit nos exploratores terræ*, Vulg. *provinciæ*, h. e. *putavit*, ut optime interp. Vulg.

3. Reg. 1. v. 21. *Erimus ego & Salomon filius meus, peccatores*, h. e. reputabimur peccatores.

Prov. 3. v. 7. *Ne ſis ſapiens in oculis tuis*, h. e. ne videaris tibi ipſi ſapiens.

Matth. 10. v. 39. *Qui invenit animam ſuam, perdet illam*, hoc eſt, qui putat vitam ſuam tueri per abnegationem Evangelii, perdet eam.

Ibid. cap. 13. v. 12. *Qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo*, &c. & quod habet, h. e. *quod putat ſe habere*, ut explicatur Luc. 8. v. 18.

Joan. 5. v. 31. *Si ego teſtimonium perhibeo de me, teſtimonium meum non eſt verum*, h. e. falſum à vobis reputatur. Confer c. 8. v. 16.

Ibid. c. 7. v. 28. *Et me ſcitis, & unde ſim ſcitis*, i. ſcire putatis.

Rom. 2. v. 25. *Si autem prævaricator Legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt*, h. e. reputata eſt, ut verſ. ſeq. explicatur. Vide inſuper Philip. 3. v. 7. &c.

Sunt tamen quædam loca, in quibus *opinio* pro *re* ipſa ponatur.

Philip. 2. v. 6. *Qui* (Chriſtus) *cum in forma Dei eſſet*, (i. vere Deus, ut liquet ex verſ.

ſeq. *formam ſervi accipiens*, h. e. re vera ſervus) *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, i. non rapuit, ſeu inſtar rapinæ uſurpavit.

1. Theſſ. 5. v. 13. καὶ ἡγεῖσθαι, *& ut exiſtimetis eos quam maxime charos*, h. e. ut optime reddidit Vulg. *ut habeatis illos abundantius in charitate.* Confer 1. Tim. cap. 6. v. 1.

Heb. 4. v. 1. *Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus*, δοκῇ *exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe*, ſeu *fruſtratus eſſe*, hoc eſt, ne revera fruſtretur. Vide etiam cap. 10. v. 29. Marc. 10. v. 42. 1. Cor. 11. v. 16. cap. 12. v. 22. &c.

CANON XIX.

Verba affirmantia pro contrariis negantibus quandoque ponuntur.

Odisse pro *non curare*, ſeu *poſthabere.*

Gen. 29. v. 31. *Videns autem Dominus, quod* שְׂנוּאָה *exoſa eſſet Lia*, h. e. Racheli poſtpoſita, uti v. 30. exponitur: *Tandemque potitus optatis nuptiis* (Jacob), *amorem ſequentis priori prætulit.*

Luc. 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus*, quod Matth. 10. v. 37. ſic exponitur: *Qui amat patrem, aut matrem, pluſquam me, non eſt dignus.*

Joan. 12. v. 25. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo*, &c. h. e. qui minus diligit vitam, quam Chriſtum. Conf. Matth. 10. v. 39. c. 16. v. 25. Marc. 8. v. 35. Luc. 9. v. 24. c. 17. v. 33. Apoc. 12. v. 11.

Rom. 9. v. 13. *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*, h. e. minus dilexi. Vide Malach. 1. v. 3. unde Apoſtolus hunc contextum deſumſit.

Huc pertinet Job. 2. v. 6. ... *verumtamen animam ejus cuſtodi*, h. e. vitam ei ne adimas.

CANON XX.

Verba negantia pro contrariis affirmantibus ſæpius cum emphaſi uſurpantur.

Exod. 20. v. 7. *Non habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumſerit nomen Domini Dei ſui in vanum*, h. e. maxime ſontem habebit, & graviſſime puniet.

Lev. 10. v. 1. *Obtulerunt coram Domino ignem alienum, quod non præceperat eis*, i. quod ipſis fortiter prohibuerat.

Num. 21. v. 23. *Qui concedere noluit ut tranſiret per fines ſuos*, h. e. qui omni vi adhibita prohibuit. Confer Deut. 20. v. 30. Sic & Gen. 20. v. 6. cap. 31. v. 7. Exod. 3. v. 19.

1. Reg. 12. v. 21. al. 23. *Nolite declinare poſt vana* (idola), *quæ non proderunt vobis*, i. maxime oberunt. Sic Jerem. 2. vv. 8. 11.

Pſal. 77. Heb. 78. v. 50. *Non prohibuit à morte animam eorum*, h. e. morti violentæ tradidit.

Pſal. 83. Heb. 84. v. 12. al. 13. *Non cohibet bonis eos, qui ambulant in innocentia*, i. bona largiſſime confert.

Pſal. 106. Heb. 107. v. 38. *Et jumenta eorum non minoravit*, h. e. auxit plurimum.

Prov. 12. v. 2. al. 3. *Non roborabitur homo ex impietate*, h. e. radicitus eradicabitur.

Ibid. c. 17. v. 21. *Non lætabitur pater ſtulti*, h. e. continuo dolore afficietur.

Iſai. 42. v. 3. & Matth. 12. v. 20. *Calamum quaſſatum non conteret* (Meſſias), i. confirmabit ſolidabitque; *& linum fumigans non exſtinguet*, h. e. accendet & illuminabit.

Zach. 8. v. 17. *Juramentum mendax*, (i. falſum), *ne diligatis*, h. e. odio habetote.

Joan. 14. v. 18. *Non relinquam vos orphanos*, h. e. certo adero vobis, & potenter vos protegam.

Rom. 4. v. 19. *Et non infirmatus eſt fide* (Abraham), h. e. fortiſſimus & conſtantiſſimus

tiſſimus fuit, nec ab ea unquam receſſit.

1. Cor. 10. v. 1. *Nolo vos ignorare*, i. ſcire vos maxime cupio.

Heb. 13. v. 2. *Hoſpitalitatem nolite oblivіſci*, i. omni ſtudio eam ſectamini. Vide inſuper Matth. 12. v. 32. Apoc. 12. v. 11. &c.

§. II.

De ſpeciali Verborum ſignificatione.

SPECIALIS verborum ſignificatio *activum* & *paſſivum* verbum ſeorſim conſiderat. Quæ de utroque dicenda ſunt, ſequentibus quatuor canonibus comprehenduntur.

CANON I.

ACTIVUM verbum quandoque non actionem, ſed habitum denotat.

Gen. 2. v. 17. *In quocunque die comederis ex eo*, מוֹת תָּמוּת *morte morieris*, h. e. ut reddidit Sym. *θνητὸς ἔσῃ mortalis eris.*

Exod. 4. v. 14. *Aaron frater tuus Levites, ſcio, quod* דַּבֵּר יְדַבֵּר *loquens loquetur*, i. eloquens ſit, Vulg.

Levit. 11. v. 3. *Omne, quod dividit ungulam*, h. e. *diviſam habet ungulam*, Vulg. Sic v. 5. &c.

Matth. 23. v. 5. *Dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias*, h. e. latis phylacteriis, & magnificis fimbriis utuntur. Phylacteriorum & fimbriarum deſcriptionem ac figuram vide in lib. III. cap. IX.

2. Pet. 2. v. 8. *Aſpectu enim & auditu juſtus erat* (Lot) *habitans apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus ἐβασάνιζεν, excruciabat*, h. e. cruciatus continuos anima ejus ſentiebat ob iniqua illa Sodomitarum opera. Vulg. *Cruciabant*, legebat ἐβασάνιζον, ut habet mſ. Veleſ. Vide D. Mill. p. 566. quæ lectio commodum ſenſum parit.

CANON II.

VERBA activa interdum tribuuntur illis, quæ non proprie & proxime agunt, ſed certa tantum ratione concurrunt. Tribuuntur itaque

I. Agendi vim ac poteſtatem conferenti.

Matth. 19. v. 5. *Et dixit* (Deus) *propter hoc dimittet homo patrem & matrem*, &c. Hoc immediate non dixit Deus, ſed Adamus, Gen. 2. vv. 23. 24. At Deus per Adamum, organum ſuum, hanc legem promulgavit.

Act. 10. v. 20. Spiritus Sanctus dicitur miſiſſe viros illos, qui Petrum accerſerant, ... *quia ego miſi illos;* cum tamen eos miſerit Cornelius, ut liquet ex v. 8. Verum id Cornelio per angelum mandaverat Spiritus Sanctus, ut dicitur v. 5.

Rom. 8. v. 26. *Spiritus* (Sanctus) *poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, h. e. Spiritu Sancto afflati poſtulamus gemitibus inenarrabilibus. Vel, ut ſcribit pſeudo-Auguſt. in append. tom. 6. nov. edit. col. 10. B. *eo quod nos gementes facit*, efficitque ut poſtulemus gemitibus inenarrabilibus; ita ut verbum illud in ſenſu *Hiphil* Hebræorum accipiatur.

II. Actionem mandanti & procuranti.

Gen. 46. v. 29. *Junxit Joſeph currum ſuum*, h. e. jungi curavit.

2. Reg. 12. v. 9. *Uriam Hethæum percuſſiſti gladio*, h. e. occidi curaſti gladio Ammonitarum.

3. Reg. 19. v. 16. *Jehu filium Namſi* (id eſt, nepotem, 4. Reg. 9. v. 2.) *unges regem ſuper Iſraël.* Elias Jehu non unxit, ſed Eliſei

diſcipulus, 4. Reg. 9. v. 2. Eum itaque ungendum curavit Elias, qui illud injunxit Eliſeo, qui & ipſe diſcipuli ſui miniſterio id præſtitit.

Marc. 10. v. 35. *Et accedunt ad eum* (Jeſum) *Jacobus & Joannes filii Zebedæi, dicentes: Magiſter volumus*, &c. quod Matth. 20. v. 20. matri filiorum Zebedæi, non filiis ejus, tribuitur. At filii, Marc. 10. v. 35. petiiſſe dicuntur, quia matri, ut id faceret, auctores fuere; unde Chriſtus reſpondet, Matth. 20. v. 21. *neſcitis quid petatis.*

Joan. 4. v. 1. *Ut ergo cognovit Jeſus, quia audierunt Phariſæi, quod Jeſus plures diſcipulos facit & baptizat, quam Joannes*, &c. Vide c. 3. v. 22. Chriſtus non baptizabat, ſed ejus diſcipuli, ut conſtat cap. 4. v. 2. Verum baptizabat, & non baptizabat. *Baptizabat, quia ipſe mundabat: non baptizabat, quia non ipſe tingebat.* S. Aug. tract. 15. in Joan. tom. 3. nov. edit. part. 2. col. 408. Alia exempla vide Joan. 19. vv. 1. 19. Act. 3. v. 15. c. 4. v. 10. &c.

III. Conſentienti & actionem approbanti.

Jud. 9. v. 18. *Surrexiſtis contra domum patris mei, & interfeciſtis filios ejus ſeptuaginta viros, ſuper unum lapidem.* Id fecerat Abimelech, uti v. 5. habetur, ſed Sichemitæ factum approbaverant, imo & juverant, ut v. 24. legitur.

2. Reg. 3. v. 30. *Igitur Joab & Abiſai frater ejus, interfecerunt Abner.* Joab interfecerat Abnerum v. 27. Sed Abiſai conſenſerat, quare & ipſi hæc interfectio tribuitur.

IV. Cauſæ organicæ, ſeu inſtrumentali.

Dan. 12. v. 3. מַצְדִּיקֵי הָרַבִּים *qui juſtificant multos*, (erunt) *quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*, h. e. ii, quibus, tanquam inſtrumentis utitur Deus ad juſtificandum multos. Unde Vulg. *qui ad juſtitiam erudiunt multos.*

Luc. 16. v. 9. *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, h. e. ut precibus, quas pro vobis fundent, exoratus Deus recipiat vos in æterna tabernacula.

1. Tim. 4. v. 16. *Attende tibi & doctrinæ; inſta illis; hoc enim faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos, qui te audiunt*, hoc eſt, Deus, ratione habita doctrinæ tuæ, & bonorum operum tuorum, tanquam mediorum ab eo præſtitutorum, te & eos, qui te audiunt, ſalvabit. Vel alios ſalvare dicuntur Verbi Divini miniſtri, quod verbum illud virtus eſt Dei ad ſalutem omni credenti, modo tamen accedant opera bona, quæ ſunt Dei dona, & ſine quibus fides mortua eſt. Vide etiam Jac. 5. v. 20. Rom. 11. v. 14. &c.

Huc pertinent, 1°. Miracula, quæ hominum miniſterio operatur Deus, quæque hominibus tanquam eorum primariis auctoribus tribuuntur, etſi uni omnipotentiæ Divinæ accepta referenda ſint. 2°. Quæ in negotio ſalutis hominibus præſcribuntur, quæque ſoli Deo competunt; & nihil aliud hujuſcemodi phraſibus ſignificatur, quam ut Spiritus Sancti operationi non reſiſtant, vel ut gratiam, qua, quod eis præcipitur, fiat, à Deo poſtulent.

Sic Ezech. 18. v. 31. *Projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, ... & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum*, h. e. nolite reluctari gratiæ Divinæ, qua cor & ſpiritus innovantur. Dei enim eſt, non hominis, cordis renovatio, Pſal. 50. Heb. 51. vv. 12. 13. Ezech. 36. v. 26. cap. 11. v. 19. Jerem. 31. v. 33. Eadem adhortationis Paulinæ ratio eſt Epheſ. 4. vv. 23. 24. &c. Vide inſuper 2. Cor. 7. v. 1. 1. Joan. 3. v. 3. &c.

V. Rei, quæ actionem illam manifeſtat.

Rom. 9. v. 17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: quia in hoc ipſum excitavi te*, &c. h. e. Deus dicit Pharaoni, ſecundum Scripturæ teſtificationem.

Galat. 3. v. 8. *Providens autem Scriptura, quia ex fide juſtificat gentes Deus; prænuntiavit Abrahæ*, &c. h. e. prævidens Deus, quod gentes ex fide juſtificaturus eſſet, prænuntiavit Abrahæ, &c. ſicuti in Scripturas relatum eſt.

VI. Signo cuipiam actionem ſignanti.

Deut. 13. v. 8. *Non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus*, h. e. neque parcas ei. Hic oculis tribuitur, quod perſonæ competit; oculi enim animum ad veniam pronum oſtendunt. Sic Iſai. 3. v. 17. Ezech. 5. v. 11. cap. 7. v. 4. cap. 16. v. 5. &c. In hac

phraſi vox עַיִן *oculus*, quandoque deficit, ut 1. Reg. 24. v. 11. ubi eam recte ſupplevit Vulg. Tribuitur & oculis *ira*, *cupiditas*, & *miſericordia*, quia horumce affectuum indices ſunt.

Eccli. cap. 48. v. 26. *In diebus ipſius* (Ezechiæ) *retro rediit ſol*, *& addidit regi vitam*, h. e. ſignum fuit vitæ regi à Deo conceſſæ. Vide hanc hiſtoriam Iſai. 38.

Huc pertinet Luc. 9. v. 53. *Et non receperunt eum* (Jeſum Samaritani) *ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον εἰς Ἱερουσαλήμ*, *quia facies ejus proficiſcebatur in Jeruſalem*, h. e. quia præ ſe ferebat ſpeciem euntis in Jeruſalem ad diem feſtum; ex quo facile perſpicere potuerunt Samaritani Chriſtum eſſe Judæum; quare eum recipere noluerunt; nullum enim cum Judæis commercium habebant. Vulg. *quia facies ejus erant euntis in Jeruſalem*, legiſſe videtur *πορευομένου*, vel ſenſum duntaxat reddidit, ac per faciem *habitum* intellexit.

VII. Denique verbum activum nonnunquam tribuitur agenti, etſi res præter ejus intentionem accidat.

Prov. 28. v. 8. *Qui coacervat divitias uſuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas*, eventu ſcilicet, & divina ſic diſponente providentia: non improbi illius hominis conſilio.

Math. 10. v. 34. *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* V. 35. *Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum*, &c. Chriſti mens non fuit, ut ſepararet hominem à patre ſuo, &c. ſed hic tantum declaratur fore ut, qui Evangelio crederent, ſegregarent ſe ab incredulis, etiam parentibus & domeſticis. Confer Luc. 12. vv. 51. 52. 53. Hic autem per *gladium* omne genus perſequutionis intelligitur.

Ibid. c. 23. v. 31. *Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum, qui occiderunt prophetas*, h. e. ex veſtra agendi ratione hoc teſtimonium conſequitur.

Act. 13. v. 46. *Sed quoniam repellitis illud* (verbum Dei), *& indignos vos judicatis vitæ æternæ*, &c. Judæi indignos ſe vitæ æternæ non judicabant; ſed ex eorum pertinacia & incredulitate id conſequutum eſt.

Rom. 8. v. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, omnia, non ſolum Dei dona, ſed & *tribulatio*, *anguſtia*, *fames*, *nuditas*, *periculum*, *perſequutio*, *gladius*, v. 35. etſi præter voluntatem & conſilium eorum, qui hujuſcemodi calamitates inferunt.

Verba activa, quæ Deo tribuuntur, & quibus malum aliquod inferre dicitur, ita exponenda ſunt, ut malum iſtud non *poſitive*, ſed *privative*, ut loquuntur, inferat; h. e. non impertiendo malitiam, ſed juſto judicio denegando gratiam, ex cujus privatione homines indurantur, &c. Deus enim peccati auctor non eſt, ſed oſor & vindex, Pſal. 5. vv. 5. 6. 7. Nah. 1. v. 2. Rom. 2. vv. 4. 5. &c.

CANON III.

ACTIVA verba in tertiis perſonis, ſignificationem paſſivorum ſæpius aſſumunt, ſeu paſſive exponuntur.

Gen. 16. v. 14. *Propterea* קָרָא *appellavit puteum illum*, h. e. appellatus eſt. Huic enim nomen non indidit *Agar*, cum verbum ſit maſculinum.

Exod. 10. v. 21. *Sint tenebræ ſuper terram Ægypti* (tam denſæ), וְיָמֵשׁ *ut palpet tenebras*, i. ut palpentur, ſive ut Vulg. *ut palpari queant.*

1. Reg. 23. v. 22. כִּי אָמַר אֵלַי *quia dixit mihi, quod aſtute admodum ſoleat agere*, hoc eſt, quia dictum eſt mihi, quod aſtute, &c.

Neh. ſeu 2. Eſd. 2. v. 7. *Si regi videtur bonum, epiſtolas* יִתְּנוּ לִי *dent mihi*, i. dentur.

Job. 3. v. 2. *pereat .... nox, in qua* אָמַר *dixit*, h. e. *dictum eſt*, Vulg.

Ibid. c. 18. v. 18. *Expellent eum de luce in tenebras, & de orbe transferent eum* (impium), i. expelletur, transferetur.

Ibid. cap. 19. v. 26. *Et poſtquam pellem meam* נִקְּפוּ *confoderint hanc*, &c. h. e. poſt-

quam pellis illa mea confoſſa fuerit.

Ibid. cap. 34. v. 20. *Et auferent violentum abſque manu*, h. e. auferetur violentus.

Pſal. 48. Heb. 49. v. 15. *Et ſicut oves in inferno poſuerunt* eos, h. e. *poſiti ſunt*, Vulg.

Iſai. 9. v. 6. *Parvulus enim natus eſt nobis* .... וַיִּקְרָא *& vocavit*, vel *& vocabit nomen ejus, admirabilis*, &c. h. e. *vocabitur*; unde Lxx. *καλεῖται*, *vocatur*. Aquila, ἐκλήθη, *vocatum eſt nomen ejus*; & in altera verſione ἐκάλεσε, ſic etiam Theod. *vocavit*. Sym. κληθήσεται, Vulg. *vocabitur*. Ex his veterum interpretationibus liquet vocem Hebraïcam ויקרא modo per activam, modo per paſſivam conjugationem hic redditam fuiſſe, ſed eodem ſenſu; ſi enim à quibuſdam active converſa eſt, in ſignificatione paſſiva ab iiſdem accepta fuit.

Iſai. 38. v. 16. *Domine, ſi ſic* חָיוּ *vivunt*, i. *vivitur*, Vulg.

Ezech. 28. v. 3. *Omne ſecretum non abſcondunt tibi*, h. e. *non eſt abſconditum à te*, Vulg.

Oſe. 10. v. 2. *Diviſit cor eorum*, h. e. *diviſum eſt*, Vulg.

Mich. 2. v. 4. *In die illa ſumet ſuper vos parabolam*, i. *ſumetur*, Vulg.

Habacuc 3. v. 17. *Abſcindet de ovili pecudem*, i. *abſcindetur de ovili pecus*, Vulg.

Zach. 13. v. 6. *Et dicet ei*, h. e. *dicetur*, Vulg.

Alia exempla vide in Amos. 4. v. 2. וְנִשָּׂא *& tollet*. Oſe. 12. v. 9. יִמְצְאוּ *invenient*. Eſth. 2. v. 2. יְבַקְשׁוּ *quærant*. Job. 4. v. 19. יְדַכְּאוּם *conterent eos*, &c.

Luc. 12. v. 20. *Animam tuam repetunt à te*, h. e. repetitur, aut potius repetetur.

Joan. 15. v. 6. *Et colligent eum*, i. colligetur; *& in ignem mittent*, h. e. mittetur.

Apoc. 16. v. 15. *Et videant turpitudinem ejus*, h. e. videatur.

Sic etiam verborum quorumdam infinitivus uſurpatur.

Gen. 4. v. 13. *Major eſt iniquitas mea*, מִנְּשֹׂא *à remittendo*, h. e. quam ut remittatur. Vulg. eodem ſenſu, *quam ut veniam merear.*

Exod. 9. v. 16. *Propter* סַפֵּר *enarrare nomen meum*, h. e. *ut enarretur*, Vulg. Vide Rom. 9. v. 27.

3. Reg. 13. v. ult. *Peccavit domus Jeroboam ad evertendum & delendum*, h. e. *everſa eſt & deleta*, Vulg.

Pſal. 41. Heb. 42. v. 4. בֶּאֱמֹר *in dicendo mihi quotidie*, h. e. *dum dicitur mihi quotidie*, Vulg.

Pſal. 65. Heb. 66. v. 10. *Conflaſti nos ſecundum conflare argentum*, h. e. ſicut conflatur, ſeu, ut Vulg. *examinatur argentum.* Vide etiam Pſal. 50. Heb. 51. v. 6. in בְּשָׁפְטֶךָ *cum judicaris.* Prov. 25. v. 7. in אֱמָר־לְךָ *ut dicatur tibi*, &c.

Philip. 1. v. 23. *Deſiderium habens* εἰς τὸ ἀναλῦσαι, *diſſolvere*, h. e. ἀναλύεσθαι, aut ἀναλυθῆναι, *diſſolvi*, Vulg.

CANON IV.

VERBA paſſiva quandoque active, inſtar mediorum apud Græcos, & deponentium apud Latinos, uſurpantur.

Exempla pro Veteri Teſtamento vide ſupra pag. 132. col. 1. In Novo hæc ſuppetunt, quæ, ut plurimum, ex verbis in activa voce inuſitatis deducuntur.

In præterito. Act. 8. v. 14. δέδεκται, *recepit.* cap. 13. v. 47. ἐντέταλται, *præcepit.* c. 17. v. 7. ὑποδέδεκται, *ſuſcepit.* Rom. 4. v. 21. ἐπήγγελται, *promiſit.* 2. Cor. 2. v. 10. κεχάρισμαι, *donavi.* Alia exempla vide Act. c. 23. v. 1. c. 27. v. 24. 2. Cor. c. 7. v. 14. Gal. 3. v. 18. 1. Tim. 5. v. 8. 2. Tim. 3. v. 5. c. 4. v. 7. 1. Petr. 4. v. 1. 2. Petr. 1. v. 4. &c. quibus in locis paſſiva illa quandoque *neutraliter* accipiuntur.

In Aoriſto primo. Act. 18. v. 19. διελέχθη, *diſſeruit, diſputavit.* Rom. 1. v. 25. ἐσεβάσθησαν, *coluerunt.* Heb. 11. v. 27. φοβηθεὶς, *veritus.* Sic v. 23. Jac. 2. v. 4. διεκρίθητε *judicatis.*

Ex profanis. Lucian. ἠράσθης, *amaſti.* Iſoc. ad Dæmonic. πεποίηνται, *fecerunt*, &c.

Verba quædam activa, imo & neutra, duplicem quandoque actionem, inſtar *hiphil* Hebræorum, includunt.

Digitized by Google

Matth. 5. v. 4. ἀνατέλλει, *oritur*, h. e. *oriri facit*, Vulg.

Luc. 11. v. 53. ἀποσοματίζειν, *loqui facere*, ad loquendum allicere. Conf. v. 54.

1. Cor. 3. v. 6. ηὔξανεν, *incrementum dedit*, quod alias ſignificat, *creſcere*, *augeſcere*, Matth. 6. v. 28. Joan. 3. v. 38. &c.

2. Cor. 2. v. 14. θριαμβεύειν, *triumphare facere*, ut quis triumphet efficere.

Heb. 4. v. 8. καταπαύειν, *ceſſare facere*, requiem præſtare. Vide etiam Rom. 8. v. 26. in Can. II. num. I. pag. 529. col. 1.

§. III.

De Verborum conſtructione.

VERBORUM conſtructio vel *generalis* eſt, vel *ſpecialis*, nempe verbi paſſivi, & verbi ſubſtantivi *ſum*. In genere, conſtructio verbi eſt vel cum *nomine*, vel cum *verbo altero.*

CANON I.

VERBA Hebræa crebro & eleganter regunt nomen conjugatum, vel cognatum, quo vel ſignificati emphaſis intenditur, vel effectus & objectum actionis innuitur.

I. Emphaſis ſignificati intenditur, nomenque à Latinis per ablativum vulgo exprimitur in iis, quæ ſequuntur, exemplis.

Gen. 27. v. 33. וַיֶּחֱרַד יִצְחָק חֲרָדָה גְּדֹלָה *& timuit Iſaac timore magno*, h. e. maximo timore perculſus eſt.

Ibid. c. 30. v. 8. *Luctationibus Dei luctata ſum cum ſorore mea*, h. e. vehementi lucta luctata ſum.

2. Reg. 13. v. 36. *Fleverunt fletu magno*, h. e. maximo.

Iſai. 22. v. 17. *Ecce Dominus aſportari te faciet* טַלְטֵלָה גָּבֶר *aſportatione viri*, h. e. virili, vehementi. Vulg. *ſicut aſportatur gallus gallinaceus.* S. Hieron. Comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 200. GEBER *omnes* VIRUM *interpretati ſunt. Hebræus autem, qui nos in veteris inſtrumenti lectione erudivit*, gallum gallinaceum *transtulit. Sicut, inquit, gallus gallinaceus humero portitoris de alio loco transfertur in alium: ſic te Dominus de loco tuo leviter aſportabit.* Rabbi Salomon in h. l. *Et tranſportabit te ſicut gallum gallinaceum, qui tranſportatur de loco uno in alium.* In *Midras Miſle*, h. e. in commentatione allegorica & hiſtorica, vox גֶּבֶר, Prov. 30. v. 19. exponitur etiam *gallus gallinaceus.* Lxx. & alii interpretes Græci vocem גֶּבֶר *virum* reddiderunt, teſte S. Hieron. loco ſuperius laudato. Alia exempla vide Gen. 11. v. 3. ubi ל nomini conjugato præfigitur. 3. Reg. 1. v. 40. 4. Reg. 4. v. 13. Pſal. 52. Heb. 53. v. 6. Iſai. 22. v. 18. Ezech. 37. v. 35. Dan. 11. v. 3. Jon. 1. v. 10. Zach. 1. vv. 2. 14. 15. &c.

In Novo Teſtamento. Luc. 2. v. 9. καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν, *& timuerunt timore magno.* Sic 1. Petr. 3. v. 14. Apoc. 17. v. 6. Et in ablativo caſu, Joan. 3. v. 29. χαρᾷ χαίρει, *gaudio gaudet.* Sic Luc. 22. v. 15. Act. 4. v. 17. c. 5. v. 28. Qui idiotiſmus apud profanos cum Græcos, tum Latinos etiam in uſu eſt.

II. Effectus, ſive objectum actionis innuitur, ac nomen à Latinis per accuſativum fere exprimitur.

Gen. 1. v. 11. *Germinet terra herbam virentem* מַזְרִיעַ זֶרַע *ſementantem ſemen*, h. e. *facientem ſemen*, Vulg.

Ibid. c. 8. v. 21. *Et odoratus eſt Dominus odorem quietis*, h. e. acceptum habuit Noe ſacrificium, quod effecit ut ira ejus quieſceret.

Ibid. c. 27. v. 3. *Venare mihi venationem.* Sic Lxx. θήρευσόν μοι θήραν. Alia exempla

vide Gen. 18. v. 20. cap. 43. v. 16. Exod. 13. v. 5. Num. 25. v. 11. 2. Reg. 12. v. 16. 4. Reg. 13. v. 14. c. 19. v. 7. Pſal. 143. Heb. 144. v. 6. Iſai. 8. v. 12. cap. 66. v. 19. Jerem. 22. v. 16. Thren. 3. v. 59. Ezech. 18. v. 2. cap. 28. v. 2. Mich. 2. v. 4. Nah. 1. v. 10. Hab. 3. v. 2. Zach. 3. vv. 7. 9. Eſd. 4. v. 14. &c.

Quandoque nomen conjugatum deficit. Pſal. 12. Heb. 13. v. 4. *Illumina oculos meos* פֶּן־אִישַׁן הַמָּוֶת *ne dormiam mortis*, ſupp. שְׁנַת *dormitionem*, ſive *ſomnum*. Vide Num. 11. v. 14.

In Novo Teſtam. Coloſſ. 2. v. 19. αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ Θεοῦ, *augeſcit augmentum Dei*, h. e. à Deo profectum.

Sic apud profanos, & quidem Græcos: ἁμαρτάνω ἁμάρτημα, *pecco peccatum*, δουλεύω δουλείαν, *ſervio ſervitutem*, μάχομαι μάχην, *pugno pugnam*, βουλεύομαι βουλὴν, *do conſilium*, ἱδρόω ἱδρῶτα, *ſudo ſudorem*, &c. Latinos: *vitam vivere*, *pugnare pugnam*, &c.

CANON II.

Verba quædam Græca duos accuſativos vel conjugatos, vel cognatos, alterum perſonæ, rei alterum, eleganter regunt.

In hac duorum accuſativorum conſtructione, accuſativus rei, quem Latini per ablativum vulgo exprimunt, præpoſitione regitur.

Matth. 10. v. 42. al. 43. ὃς ἐὰν ποτίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων ποτήριον ψυχροῦ μόνον, *quicunque potaverit unum ex his puſillis, poculo aquæ frigidæ tantum*, &c. ſupp. κατὰ ποτήριον, *ſecundum poculum*. Vide Marc. 9. v. 41. 1. Cor. 3. v. 2.

Eodem modo conſtruuntur μισέω, *odio habeo*, Pſal. 24. Heb. 25. v. 19. apud Lxx. λέω *lovo*, apud Ariſtoph. &c.

In paſſivo accuſativus rei manet, ſubintellecta quoque præpoſitione.

Matth. 16. v. 26. *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur*, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ, ſupp. κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, *ſecundum vero animam ſuam*, Vulg. *animæ vero ſuæ detrimentum patiatur*. Sic βαπτίζομαι, *baptizor*, cap. 20. vv. 22. 23. Luc. 7. v. 29.

In eodem Luca, c. 12. v. 47. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini ſui* .... δαρήσεται πολλάς, ſcilicet πληγὰς, *vapulabit multis*, ſupp. *plagis*.

Sic apud Ariſtot. πλεῖστα ἀδικεῖσθαι, *multis injuriis affici*. Plat. lib. 8. de Leg. μαστιγούσθω πληγὰς ἰσαρίθμους, *flagelletur plagis totidem*, ſeu *numero paribus*.

Huc pertinent verba *faciendi*. Matth. 27. v. 22. τί οὖν ποιήσω Ἰησοῦν, τὸν λεγόμενον Χριστόν; Vulg. *Quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus?* Sic Marc. 15. v. 12. Attamen Matth. 21. v. 40. per dativum nomen perſonæ exprimitur. Item ῥέζω *facio*, apud Demoſth. δράω, *facio*, apud Iſocratem; εὐλογέω, *benedico*, Luc. 2. v. 34. εὐαγγελίζω, ſeu εὐαγγελίζομαι, *evangelizo*, Luc. 3. v. 10. Act. 8. v. 40. Tamen Luc. 1. v. 19. cap. 2. v. 10. c. 4. v. 18. Act. 8. v. 35. &c. poſtremum illud verbum cum dativo etiam conſtruitur.

CANON III.

Ex duobus verbis finitis, & per conjunctionem copulatis, vel etiam ſine copula conjunctis, alterum quandoque in infinitum, ſeu infinitivum reſolvitur.

Gen. 9. v. 20. וַיָּחֶל נֹחַ אִישׁ הָאֲדָמָה וַיִּטַּע כָּרֶם *Et cœpit Noe vir terræ* (i. agricola), *& plantavit vineam*, h. e. cœpit plantare vineam, vel plantavit.

Deut. 2. v. 31. *Incipe, poſſide*, hoc eſt, *incipe poſſidere*, Vulg.

Joſ. 7. v. 7. *Utinam voluiſſemus, & manſiſſemus trans Jordanem*, h. e. voluiſſemus manere.

1. Reg. 2. v. 3. *Ne multiplicetis, ne loqua-*

mini, h. e. *nolite multiplicare loqui*, Vulg.

2. Reg. 7. v. 29. *Velis & benedic domui ſervi tui*, h. e. velis, ſeu placeat tibi benedicere, &c.

Eſth. 8. v. 6. *Quomodo potero, & aſpiciam perditionem cognationis meæ?* hoc eſt, potero aſpicere.

Iſai. 1. v. 19. *Si volueritis & audieritis me*, h. e. ſi volueritis audire me.

Ibid. c. 47. v. 1. *Non perges, vocabunt te mollem & teneram*, i. *ultra non vocaberis mollis & tenera*, Vulg. Præterea tertia perſ. plur. activa *vocabunt*, paſſive accipitur, ut ſup. §. 2. Can. III. pag. 531. Vide etiam Job. 31. v. 22.

Sic in Participiis. Prov. 4. v. 18. *pergens & lucens*, h. e. pergens lucere.

Hic etiam obſervandum, ex duobus verbis finitis ſine copula conjunctis, nonnunquam poſterius importare particulam cauſalem *ut*, ſic: Pſal. 93. Heb. 94. v. 4. *Eructabunt, loquentur vetera*, h. e. ut loquantur vetera. Vide etiam Pſal. 87. Heb. 88. v. 11. Pſal. 101. Heb. 102. v. 14. &c. ubi alii ellipſin copulæ & eſſe volunt, quam Lxx. & Vulg. Lat. ſuppleverunt, præterquam in ultimo exemplo, ubi תָּקוּם per participium reddiderunt: *σὺ ἀναστὰς οἰκτειρήσεις τὴν Σιών, tu exſurgens miſereberis Sion.*

CANON IV.

CUM duo verba ejuſdem temporis conjunguntur, vel copula intercedente, vel ſine ea; tum prius verbum ſæpe per adverbium Latinis exprimitur.

Gen. 24. v. 18. *Et feſtinavit & demiſit hydriam*, h. e. *celeriter demiſit*, Vulg.

Ibid. c. 25. v. 1. *Et addidit Abraham, & accepit uxorem*, h. e. denuo, iterum accepit uxorem. Vulg. *aliam duxit uxorem.*

Ibid. c. 26. v. 18. *Et reverſus eſt Iſaac, & fodit puteos*, h. e. *rurſum fodit*, Vulg.

Ibid. c. 30. v. 31. *Revertar, paſcam, pecora tua cuſtodiam*, h. e. *iterum paſcam & cuſtodiam pecora tua*, Vulg.

Pſal. 77. Heb. 78. v. 41. *Et reverſi ſunt, & tentaverunt Deum*, h. e. rurſus tentaverunt.

Pſal. 101. Heb. 102. v. 3. *Feſtina, exaudi me*, h. e. *velociter exaudi me*, Vulg.

Pſal. 105. Heb. 106. v. 13. *Feſtinarunt, obliti ſunt opera ejus*, h. e. cito obliti ſunt.

1. Reg. 4. v. 14. *At ille feſtinavit & venit*, h. e. feſtinanter venit.

3. Reg. 19. v. 6. *Et reverſus eſt & obdormivit*, h. e. *iterum obdormivit*, Vulg.

1. Paral. 13. v. 2. *Erumpamus, mittamus ad fratres noſtros*, i. huc illuc celeriter amandemus curſores. Metaphora ab aquis inundantibus ſumta.

Neh. ſeu 2. Eſd. 3. v. 20. החרה החזיק *accendit, inſtauravit*, h. e. ardenter inſtauravit. Vulg. *in monte ædificavit.* Pro החרה legebat הָהָרָה *montem verſus*, ab הַר *mons*, & cum ה artic. ab initio, & locali à fine, ההרה.

Iſai. 6. v. 13. וְשָׁבָה וְהָיְתָה *& convertetur, & erit ad flagrandum*, i. iterum flagrabit. Sym. *καὶ πάλιν ἔσται εἰς καταβόσκησιν, & rurſus erit in devaſtationem.* Lxx. *καὶ πάλιν ἔσται εἰς προνομήν, & rurſum erit in deprædationem.* Sic etiam convertit Hieron. commentario in h. locum. Vulg. *& convertetur, & erit in oſtenſionem*, quod in malam partem accipiendum eſt.

Iſai. 64. v. 4. *Occurriſti lætanti & facienti juſtitiam*, hoc eſt, lætanter juſtitiam facienti.

Jerem. 13. v. 18. *Humiliamini, ſedete*, h. e. humillime ſedete.

Oſe. 9. v. 9. *Profundum fecerunt, corruperunt, ſicut in diebus Gabaa*, h. e. profundiſſime corruperunt, ſive, ut Vulg. *profunde peccaverunt.* Gabaonitarum ſcelus quod attinet, vide Jud. capp. 19. & 20.

Act. 15. v. 16. *μετὰ ταῦτα ἀναστρέψω, καὶ οἰκοδομήσω τὴν σκηνὴν Δαυίδ, Poſt hæc revertar, & ædificabo tabernaculum David*, h. e. iterum ædificabo. Conf. Amos. 9. v. 11.

Rom. 10. v. 20. *Iſaias autem audet & dicit*, h. e. audacter & libere dicit.

CANON V.

VERBUM finitum cum infinitivo junctum, quandoque adverbialiter exponendum eſt, & infinitivus in tempus & perſonam finiti convertendus.

Gen. 8. v. 10. וַיֹּסֶף שַׁלַּח *& adjecit* (Noe) *dimittere columbam ex arca*, h. e. *iterum dimiſit*, Vulg. Sic v. 12. Pſal. 77. Heb. 78. v. 17. &c.

Ibid. v. 21. *Non addam maledicere amplius terræ*, h. e. *nequaquam ultra maledicam terræ*, Vulg.

Ibid. cap. 12. v. 11. *Cum appropinquaſſet* (Abram) *ingredi in Ægyptum*; h. e. cum prope veniſſet in Ægyptum; cum jam jam ingreſſurus eſſet in Ægyptum.

1. Reg. 19. v. 8. *Et addidit bellum eſſe*, h. e. *motum eſt rurſum bellum*, Vulg.

Eſd. 9. v. 14. *An reverteremur ad irrita facienda mandata tua?* h. e. an iterum irrita faceremus? Sic Job. 7. v. 7. Pſal. 70. Heb. 71. v. 20.

Pſal. 32. Heb. 33. v. 3. *Benefacite pſallere*, i. *bene pſallite*, Vulg.

Pſal. 77. Heb. 78. v. 38. *Et multiplicavit avertere iram ſuam*, h. e. plurimum avertit.

Pſal. 125. Heb. 126. v. 2. *Magnificavit Dominus facere cum eis*, h. e. magnifice egit. Sic v. 3. 1. Reg. 16. v. 17.

Cum participiis Pſal. 112. Heb. 113. v. 5. *Quis ſicut Dominus Deus noſter*, הַמַּגְבִּיהִי לָשָׁבֶת *qui exaltat habitare*, h. e. qui altiſſime habitat, ſeu ut Vulg. *qui in altis habitat*. V. 6. הַמַּשְׁפִּילִי לִרְאוֹת *& humiliat reſpicere*, h. e. demiſſe reſpicit, ſeu infime demittit ſe reſpiciendo. Participia illa ſunt cum (י), quod vocant paragogicum, ſed quod revera eſt antiqua vocalis *e* ſub ultima litera ſubintellecta. Vide pag. 183. col. 2. in fine.

Pſal. 126. Heb. 127. v. 2. *Fruſtra eſt vobis matutinantibus ſurgere*, h. e. mane ſurgentibus; *& tardantibus ſedere*, h. e. tarde ſedentibus. Senſus eſt: fruſtra mane ſurgitis, & tarde ſedetis, ſeu cubatis, ob vile lucrum; ſicque panem multis curis ac laboribus dilutum comeditis, niſi Dominus laboribus veſtris faveat.

Prov. 30. v. 29. *Tria ſunt benefacientia procedere*, h. e. *quæ bene procedunt*, Vulg. Sic Jerem. 1. v. 12.

Interdum deficit infinitivus. Num. 14. v. 24. וַיְמַלֵּא אַחֲרָי *& implevit poſt me*, ſup. *ire*, h. e. plane ſequutus eſt me. Sic cap. 32. vv. 11. 12. Deut. 1. v. 36. Joſ. 14. v. 8. 3. Reg. 11. v. 6.

1. Reg. 18. v. 27. *Et impleverunt ea* (præputia) *regi*, ſupp. *dare*, h. e. plene dederunt. Vulg. *annumeravit* (David) *ea regi*.

Quandoque etiam infinitivus iſte loco adverbii eſt. 1. Reg. 17. v. 16. *Et appropinquabat Philiſthæus* הַשְׁכֵּם וְהַעֲרֵב *matutinare & veſperaſcere*, h. e. *mane & veſpere*. Vulg.

Ex Novo Teſtamento. Luc. 20. v. 11. *Et addidit alium ſervum mittere*, ſic etiam v. 12. h. e. *& iterum miſit*, explicante Marco c. 12. vv. 4. 5. Ita Joan. 6. v. 21. ἤθελον *volebant*, commode explicatur per ἐθελημῶς *voluntarie*, *ultro*, *cupide*. Conf. Matth. 14. v. 32. & Marc. 6. v. 51. Vide etiam Joan. 5. v. 35.

CANON VI.

VERBUM finitum quodvis regit ſuum infinitivum ad certiorem rei cognitionem, & evidentiam exprimendam.

Hæc verbi cum ſuo infinitivo ſyntaxis, non tantum locum habet in eadem conjugatione, ſed etiam in diverſis. Inſuper infinitivus verbum finitum modo præcedit, modo ſequitur, eadem utrobique emphaſi. Volunt tamen nonnulli, cum infinitivus ſequitur, *continuationem* indicari. Hic autem infinitivus, ſive præcedat, ſive ſequatur tempus finitum,

finitum, explicationis cauſa in *gerundium* convertitur.

Denique Idiotiſmi hujus exempla tam in oratione *affirmativa*, quam in *negativa* reperiuntur.

I. IN ORATIONE AFFIRMATIVA.

Gen. 2. v. 16. *Ex omni ligno paradiſi* אָכֹל תֹּאכֵל *comedendo comedes*, h. e. libere comedere poteris.

Ibid. v. 17. *moriendo morieris*, id eſt, certiſſime morieris, ſeu eris morti obnoxius, ut vidimus ſupra pag. 529. Can. I. col. 1.

Ibidem c. 37. v. 33. טָרֹף טֹרַף *diſcerpendo diſcerptus eſt Joſeph*, i. crudeliter, vel certo certius diſcerptus eſt Joſeph. In hoc exemplo, infinitivus טָרֹף eſt in qàl, præteritum vero טֹרַף in pual.

Exod. 21. v. 19. וְרַפֹּא יְרַפֵּא *Et medicando medicabitur*, h. e. *mercedem curationis reddet*, Chald. Vel *impenſas in medicos reſtituet*, Vulg. qui optime loci hujus ſenſum reddidit.

4. Reg. 8. v. 10. *Vade*, אֱמָר־לֹא חָיֹה תִחְיֶה *dic illi: vivendo vives*, i. certiſſime *ſanaberis*, Vulg. quod ironice dictum eſt. Quidam tamen לֹא ut particulam negativam accipiunt, ac interpretantur *non vivendo vives*; at Maſſorethæ notant לֹא ſcriptum eſſe pro לוֹ, quam ultimam lectionem ſequitur Vulg. MS. Alex. Ald. & Complut. habent etiam *αὐτῷ illi*. Alia exempla vide Exod. 19. vv. 12. 13. Num. 11. v. 32. Joſ. 7. v. 7. cap. 24. v. 10. 1. Reg. 23. v. 22. 2. Reg. 9. v. 11. 4. Reg. 3. v. 23. Pſal. 49. Heb. 50. v. 21. Et ſic ſæpiſſime alibi.

Quandoque diverſi verbi infinitivus ſequitur tempus finitum, quo fere *continuatio* actionis innuitur.

Gen. 8. v. 3. וַיָּשֻׁבוּ .... הָלוֹךְ וָשׁוֹב *Et reverſæ-ſunt aquæ .... eundo & revertendo.* Vulg. *euntes & redeuntes*, i. continuo recedendo.

Ibidem v. 7. וַיֵּצֵא יָצוֹא וָשׁוֹב *Et egrediebatur* (corvus) *egrediendo & revertendo*, h. e. continuo ibat & redibat, ultro citroque circa arcam volitabat, nec tamen intra eam redibat; unde Lxx. ϗ ἐξελθὼν ὐκ ἀνέστρεψεν, Vulg. *& egrediens non revertebatur.* Senſum, non verba, expreſſerunt. Vide etiam c. 12. v. 9. Pſal. 125. Heb. 126. v. 6. Jerem. 29. v. 19.

Pro altero infinitivo, nomen interdum ponitur.

Jud. 4. v. 24. וַתֵּלֶךְ *& ivit manus filiorum Iſraël* הָלוֹךְ וְקָשָׁה *eundo & dura*, h. e. perrexit indeſinenter durior eſſe. Vulg. *qui* (filii Iſraël) *creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan.* Senſum optime reddidit.

Pro infinitivis, quandoque participia ponuntur.

1. Reg. 17. v. 41. *Ibat autem Philiſthæus* הֹלֵךְ וְקָרֵב *incedens & appropinquans adverſum David*, h. e. continenter appropinquabat ad Davidem.

Denique interdum ellipſis eſt infinitivi verbo cognati. 1. Reg. 14. v. 16. Et *ecce multitudo illa colliqueſcebat*, וַיֵּלֶךְ וַהֲלֹם *& ibat contundendo ſe*, pro, וַיֵּלֶךְ הָלוֹךְ וַהֲלֹם *& ibat eundo & contundendo ſe*, i. indeſinenter contundebat ſe.

In Nov. Teſtam. Act. 7. v. 34. ἰδὼν εἶδον (cum participio pro infinitivo) *videns vidi afflictionem populi mei*, cujus loco legitur Exod. 3. v. 7. רָאֹה רָאִיתִי *videndo vidi.* Vide etiam Act. 5. v. 4.

Apud profanos. Lucian. ἰδὼν εἶδον, *videns vidi.* Æſchyl. βλέποντες ἔβλεπον, *videntes videbant.*

II. IN ORATIONE NEGATIVA.

Gen. 3. v. 4. לֹא־מוֹת תְּמֻתוּן *non moriendo moriemini*, h. e. *nequaquam morte moriemini.* Vulg.

Exod. 5. v. 23. וְהַצֵּל לֹא־הִצַּלְתָּ *& liberando non liberaſti*, hoc eſt, omnino, prorſus non liberaſti; quo in exemplo, ſicut & in quibuſdam ſequentibus, negatio verbo & infinitivo interponitur.

Ibid. c. 34. v. 7. וְנַקֵּה לֹא יְנַקֶּה *& mundando non mundabit*, h. e. mundando non mundabitur; illa enim tertia perſona activa, paſſive accipienda eſt. Vide ſupra pag. 531. Can. III. Vulg. *nullusque apud te per ſe innocens eſt.*

Lev. 19. v. 20. וְהָפְדֵּה לֹא נִפְדָּתָה *& redimendo non fuit redemta*, h. e. nullo modo redemta. Præteritum eſt ex niphàl, infinitivus ex hophal. Vide Ezech. 16. v. 4. Dan. 10. v. 3.

Pſal. 48. Heb. 49. v. 8. אָח לֹא־פָדֹה יִפְדֶּה אִישׁ *Fratrem non redimendo redimet quiſquam*, h. e. nullo modo redimet. S. Hieron. *Fratrem redimens non redimet vir.* Lxx. ἀδελφὸς οὐ λυτροῦται, λυτρώσεται ἄνθρωπος, *frater non redimit, redimet homo.* Pro פָּדֹה legeb. פָּדָה *redemit.*

CANON VII.

VERBIS paſſivis nominativus ſubjunctus non raro præcedentem habet particulam אֶת vulgarem accuſativi notam, pleonaſtice quidem, ſed emphatice, & amplioris declarationis gratia.

Gen. 17. v. 5. *Nec ultra vocabitur* אֶת־שִׁמְךָ *nomen tuum Abram.*

Ibid. c. 21. v. 5. בְּהִוָּלֶד־לוֹ *cum natus eſt ei* (Abrahamo) אֵת־יִצְחָק *Iſaac.*

Lev. 13. v. 49. וְהָרְאָה אֶת־הַכֹּהֵן *& videre fiet Sacerdos.* Quidam tamen exiſtimant אֶת־ ibi poſitum eſſe pro אֶל־ *ad*, unde Vulg. *& oſtendetur Sacerdoti.*

Num. 26. v. 55. *Sorte* יֵחָלֵק אֶת־הָאָרֶץ *dividetur terra.* Vide etiam Deut. 20. v. 8. Si puncta mutentur in hujuſmodi verbis paſſivis, facile in activa convertentur, ita tamen ut paſſive accipiantur. Sic v. g. *Nec ultra* יִקְרָא אֶת־שִׁמְךָ *vocabit nomen tuum Abram*, hoc eſt, vocabitur, ut ſupra §. II. Can. III. pag. 531.

CANON VIII.

VERBUM paſſivum *vocandi* cum dativo conſtruitur, quem Latini per alterum nominativum exprimunt.

Gen. 2. v. 23. לְזֹאת יִקָּרֵא אִשָּׁה *huic vocabitur virago*, i. hæc vocabitur. Alia exempla vide Iſai. 1. v. 26. cap. 32. v. 5. cap. 35. v. 8. cap. 62. v. 4. Quandoque etiam alter nominativus exprimitur, ut Iſai. 56. v. 7. כִּי בֵיתִי בֵּית־תְּפִלָּה יִקָּרֵא *quia domus mea, domus orationis vocabitur.*

Idoneus hic eſſet de ſpeciali aliorum quorumdam verborum conſtructione diſſerendi locus. Ex verbis enim, alia caſum ſuum nude & ſimpliciter, alia intercedente aliqua præpoſitione, & id quidem frequentiſſime, regunt. Verum quia hæc in lexico, quod Deo dante, Grammaticam illam excipiet, annotabuntur; ea nunc miſſa facimus, ut ad ſingularem verbi ſubſtantivi *ſum* conſtructionem deveniamus. Interea temporis, præpoſitiones illas negligere ſufficiat.

CANON IX.

VERBUM ſubſtantivum *ſum*, vel expreſſum, vel ſubintellectum, loco poſterioris nominativi, eleganter regit nomen cum præpoſitione.

I. Cum præpoſitione ב *in.*

Jud. 11. v. 35. אַתְּ הָיִית בְּעֹכְרָי *tu es in perturbatoribus meis*, h. e. perturbans me. Lxx. καὶ σὺ ἦς ἐν τῷ ταράχῳ μου, *& tu eras*, vel *es in turbatione mea*, h. e. turbas me.

Pſal. 53. Heb. 54. v. 6. אֲדֹנָי בְּסֹמְכֵי נַפְשִׁי *Dominus* (eſt) *in ſuſtentantibus animam meam*, h. e. ſuſtentans. Vulg. *ſuſceptor animæ meæ.*

Pſal. 117. Heb. 118. v. 7. *Dominus* (eſt) *mihi* בְּעֹזְרָי *in adjutoribus meis*, h. e. ut Lxx. interpretantur, ἐμοὶ βοηθὸς, Vulg. *mihi adjutor.* Vide inſuper Prov. 3. v. 26.

Apud profanos. Euripid. in Hippolyto, κάρτ᾽ ἂν ἐν σοφοῖσιν ἦν, *valde in ſapientibus fuiſſem*, h. e. valde ſapiens. Cicero: *hic in magnis viris non eſt habendus*, h. e. magnus vir, &c.

Interdum tamen illa præpoſitione μετομὸς,

ſeu diviſio & diſtinctio ſignificatur, ut 2. Reg. 15. v. 31. *Achitophel eſt* בַּקֹּשְׁרִים *cum conjuratoribus*, h. e. conjuratorum unus. Vide etiam Prov. 22. v. 26. cap. 23. v. 20.

II. Cum præpoſitione ל *ad*, vel *in*.

Gen. 2. v. 24. *Et erunt* (duo) לְבָשָׂר *in carnem unam, vel in carne una*, h. e. *una caro*, ut explicatur Matth. 19. v. 6. Sic Gen. 20. v. 12. Ruth. 4. v. 13.

Gen. cap. 17. v. 4. *Eriſque* לְאַב *in patrem multarum gentium*, h. e. *pater*, Vulg.

Deut. 28. v. 44. *Ipſe erit* לְרֹאשׁ *in caput*, *& tu eris* לְזָנָב *in caudam*, h. e. caput, cauda; ſuperior, inferior.

Alia exempla vide Pſal. 30. Heb. 31. v. 3. Thren. 1. v. 5. Heb. 8. v. 10.

1. Joan. 5. v. 8. καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν, *& hi tres in unum ſunt*, h. e. *unum*, Vulg.

Quandoque hac phraſi *converſio* innuitur. Exod. 4. v. 4. וַיְהִי לְמַטֶּה *& fuit in virgam*, h. e. *verſa eſt in virgam*, Vulg. Sic v. 9. וְהָיוּ לְדָם *& erunt* (aquæ) *in ſanguinem*, h. e. *vertentur*.

ARTICULUS II.

De Verborum enallage.

VERBORUM enallagen, ſecundum varia eorum accidentia, diſtinguemus. I. Erit modorum. II. Temporum. III. Perſonarum. IV. Numeri. V. Generis.

§. I.

De modorum enallage, & optativo modo.

CANON I.

INFINITIVUS pro præterito vel præſenti, futuro, imperativo, participio, & nomine interdum ponitur.

I. Infinitivus pro præterito, vel præſenti.

Exod. 8. v. 15. al. 11. *Videns autem Pharao, quod data eſſet requies*, וְהַכְבֵּד *& aggravare cor ſuum*, h. e. aggravavit; vel, ut Vulg. *ingravavit*.

2. Paral. 31. v. 10. *Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini*, אָכוֹל וְשָׂבוֹעַ וְהוֹתֵר *comedere, & ſaturari & remanere plurima*, h. e. *comedimus, & ſaturati ſumus, & remanſerunt plurima*, Vulg. Suppleri poſſet verbum *cœpimus*, ſic: *cœpimus comedere*, &c.

Pſal. 21. Heb. 22. v. 9. גֹּל *ſperare in Domino*, h. e. *ſperavit*, Vulg. Lat. Verum poteſt eſſe præteritum formæ hhólem, ut poſuimus ſupra pag. 216. col. 1. initio.

Prov. 12. v. 6. al. 5. *Verba impiorum* אֱרָב־דָּם *inſidiari ſanguini*, h. e. *inſidiantur*, Vulg.

Prov. 15. v. 22. הָפֵר *diſſipare cogitationes in non conſilio*, h. e. *diſſipantur*, Vulg.

Ezech. 1. v. 14. *Et animalia* רָצוֹא וָשׁוֹב *currere & redire*, h. e. currebant, Vulg. *ibant & redibant*. Quidam ſubintelligunt tempus finitum, רָצוּ רָצוֹא *currebant currendo, &* שָׁבוּ שׁוֹב *redibant redeundo*.

Alia exempla videſis Iſai. 38. v. 16. Jerem. cap. 7. v. 9. cap. 10. v. 13. cap. 14. v. 5. cap. 31. v. 2. Amos. 8. v. 4. &c.

II. Infinitivus pro futuro.

Exod. 18. v. 22. וְהָקֵל מֵעָלֶיךָ *& alleviare à te*, h. e. levius erit tibi, ſive, ut eleganter Vulg. *leviuſque ſit tibi, partito in alios onere*.

2. Reg. 3. v. 18. *In manu ſervi mei David* הוֹשִׁיעַ *ſalvare populum meum Iſraël*, pro אוֹשִׁיעַ *ſalvabo*, ut reddidit Vulg.

2. Paral. 18. v. 29. *Dixitque rex Iſraël ad Joſaphat :* הִתְחַפֵּשׂ וָבוֹא *mutare habitum & ad pugnam ire*, h. e. *mutabo habitum, & ſic ad pugnam vadam*, ita optime Vulg. qui tamen 3. Reg. 22. v. 30. ubi eadem verba Hebraica legere eſt, interpretatur : *ſume arma & ingredere prælium*, qui non eſt hujus loci ſenſus, ut liquet ex contextus ſerie. Rex autem Iſraël mutavit habitum, ne à Syris agnoſceretur; ſequitur enim : *Tu autem* (Joſaphat) *induere veſtibus tuis* ſolitis, ubi enim non imminet tantum periculum, quantum mihi primario Syrorum hoſti.

Iſai. 5. v. 5. הָסֵר *removere ſepem ejus* ..... פָּרֹץ *dirumpere maceriam ejus* .... i. removebo, dirumpam. Sive ut Vulg. *auferam, diruam.*

Jerem. 13. v. 16. .... וְשִׂית *& ponere*, h. e. ponet, vel ponat. Quæ enallage in hoc Propheta frequentiſſima eſt.

Ezech. 11. v. 7. *Et vos* הוֹצִיא *educere*, pro אוֹצִיא *educam*, Vulg. qui forte ita legebat.

Zach. 12. v. 10. *Et plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum*, וְהָמֵר, *& amare dolere ſuper eum*, h. e. & amare dolebunt.

III. Infinitivus pro imperativo.

Exod. 20. v. 8. זָכוֹר *recordari diei Sabbathi, ut ſanctifices illum*, h. e. recordare, ſive, ut Vulg. *memento ut diem Sabbathi ſanctifices*, forte legeb. זְכֹר.

Num. 4. v. 2. נָשֹׂא *tollere ſummam filiorum Caath*, &c. h. e. *tolle* (נְשָׂא) ut forte olim legebatur.

Deut. 5. v. 12. שָׁמוֹר *obſervare diem Sabbathi*, &c. id eſt, obſerva. A vero alienum non eſt antiquitus lectum fuiſſe שְׁמֹר *obſerva*, in imperativo, Alia exempla vide Joſ. 1. v. 13. Job. 32. v. 10. Pſal 16. Heb. 17. v. 4. Jerem. 2. v. 2. &c.

Luc. 22. v. 42. *Pater, ſi vis*, παρενεγκεῖν *transferre calicem iſtum à me*, h. e. *transfer*, Vulg. niſi legerit παρένεγκε, in imperat. ut habetur Marc. 14. v. 36. & ut præ ſe ferunt mſſ. quidam codd. quos vide apud D. Mill. pag. 188. col. 2.

Sic apud Greg. Nazian. μὴ σφόδρα θαῤῥεῖν, μηδ᾽ ἀπελπίζειν ἄγαν, *ne aude nimium, nec nimis deſpera.* Phocylid. μαρτυρίην ψευδῆ φεύγειν, τὰ δίκαια ἀγορεύειν, *falſum teſtimonium fuge, juſta loquere.* Virg. 3. Georg. vv. 331. 335.

> *Æſtibus at mediis umbroſam exquirere vallem.*
>
> *Tum tenues dare rurſus aquas, & paſcere rurſus.*

pro, exquire, da, paſce. Sunt tamen, qui in hac loquutione ſupplendum exiſtiment θέλεις *velis*, χρὴ, δεῖ *oportet*, πρέπει, πρέπει *decet, convenit*, &c. Poſſet etiam in Hebræo ſubintelligi tempus finitum, ſic : זָכֹר תִּזְכֹּר *recordando recordaberis.*

IV. Infinitivus pro participio.

Num. 6. v. 5. גַּדֵּל *magnificare*, i. *magnificans*, ſeu *creſcere faciens*, aut *nutriens*, (ut Lxx. τρέφων,) *comam, capillum capitis ſui*, &c.

Joſ. 3. v. 17. *Et Sacerdotes* .... *ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Jordanis*, הָכֵן *accingere ſe*, h. e. *accincti*, Vulg. Aq. Sym. ἕτοιμοι *parati.* Apud Lxx. vacat.

Pſal. 31. Heb. 32. v. 9. *Nolite fieri ſicut equus & mulus*, אֵין הָבִין *non intelligere*, h. e. non intelligentes. Sive, ut Vulg. *quibus non eſt intellectus*; relativum enim אֲשֶׁר ſæpe deficit, & infinitivus pro nomine ſubſtantivo uſurpatur, ut dicemus infra num. V.

Iſai. 49. v. 7. *Hæc dicit Dominus* .... לִבְזֹה *ad contemnere animam*, h. e. ad animam contemnentem ; ſequitur enim in participio : לִמְתָעֵב גּוֹי *ad abominantem gentem.* Lxx. τὸν φαυλίζοντα τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, τὸν βδελυσσόμενον ὑπὸ τῶν ἐθνῶν, *eum, qui deſpicit animam ſuam, qui abominationi eſt gentibus.* Theod. referente Hieron. comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 353. *ei, qui deſpicit animam, qui abominationi eſt genti*, &c. cui interpretationi conſentit Aq. teſte eod. Hieron. qui ibidem Lxx. quod prophetiæ hujus, quam Chriſto applicat, ſenſum mutaverint, & extenuaverint, inſimulat. Vide ejus verba. Vulg. *ad contemtibilem animam, ad abominatam gentem.*

Habac. 2. v. 15. הוֹי מַשְׁקֵה רֵעֵהוּ מְסַפֵּחַ חֲמָתְךָ וְאַף שַׁכֵּר *Væ potum præbenti amico ſuo, adhibenti furorem, vel venenum tuum*, (חמה enim) pro diverſis radicibus utrumque ſignificat) *etiam inebriare*, h. e. inebrianti. Vulg. *Væ*

qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum, & inebrians. Pro חֲמָתְךָ legeb. חֲמָתוֹ *fel*, ſeu *venenum ſuum.* Sic etiam legebat Sym. καὶ ἀφιὼν ἀκρίτως τὸν θυμὸν ἑαυτοῦ, *& emittens abſque judicio furorem*, vel *venenum ſuum.* Aq. vero, V. edit. & Theod. legebant ut Heb. Aq. ἐξ ἐκπέμψεως χόλου σου, *ex emiſſione iræ tuæ.* V. edit. ἐξ ἀπροσδοκήτου ἀναζητήσεως τῆς ὀργῆς σου, *de inſperata ſubverſione iræ tuæ.* Theod. ἀπὸ χύσεως θυμοῦ σου, *de effuſione furoris tui.* Illi inſuper interpretes מ τοῦ מְסַפֵּחַ, ut præpoſitionem ſpectarunt, מְסַפֵּחַ. Hujus porro verſiculi ſenſus eſt: væ illi, qui eodem furore, quo tu, percitus potum dat amico ſuo ad ebrietatem uſque. Vel: væ ei, qui in furore ſuo potum dat amico ſuo, eumque inebriat.

V. Infinitivus pro nomine ſubſtantivo.

3. Reg. 8. v. 52. *Et exaudies eos* בְּכֹל־קָרְאָם *in omni invocare ipſos*, h. e. in omni invocatione, ſeu oratione ipſorum. Vulg. *in univerſis, pro quibus invocaverint te.*

4. Reg. 19. v. 27. *Et ſedere tuum, & egredi tuum, & venire tuum ſcio, & furere tuum contra me*, h. e. ſeſſionem tuam, &c. Vulg. *habitaculum tuum, & egreſſum tuum, & introitum tuum, & viam tuam ego præſcivi .... & furorem tuum contra me.* Per egreſſum autem, ingreſſum, ſeſſionem, &c. quælibet vitæ actiones ſignificantur.

1. Paral. 16. v. 37. *Et dicat omnis populus: amen* וְהַלֵּל *& laudare Domino*, h. e. laudem, ſeu *hymnum*, Vulg.

Pſal. 100. Heb. 101. v. 3. עֲשֹׂה־סֵטִים *facere declinantium odi*, h. e. opus, factum.

Pſal. 131. Heb. 132. v. 1. *Memento Domine David* אֵת כָּל־עֻנּוֹתוֹ *cum omni affligi eum*, vel (&) *omnis affligi eum*, h. e. afflictionis ejus. Aq. κακουχίας αὐτοῦ, *ærumnæ ejus.* Sym. κακώσεως αὐτοῦ, S. Hieron. *afflictionis ejus.* V. edit. ταπεινώσεως αὐτοῦ, *humiliationis ejus.* Lxx. πραότητος αὐτοῦ, *manſuetudinis ejus*, legebant עַנְוֹתוֹ ab עֲנָוָה *manſuetudo, humilitas*, &c. Alia exempla vide Iſai. 4. v. 4. cap. 32. v. 17. c. 38. v. 12. Dan. 10. v. 1. &c.

Luc. 7. v. 21. *& cæcis multis donavit* (Jeſus) τὸ βλέπειν *videre*, h. e. *viſum*, Vulg. Vide etiam Heb. 2. v. 15. &c.

Apud profanos. ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν, *ex videre naſcitur amare*, i. ex viſu naſcitur amor. τὸ μαθεῖν πραΰνει τὰ ἤθη, *eruditio emollit mores*, quod convenit cum illo Latino: *didiciſſe fideliter artes, emollit mores.* Plaut. in Bach. *hic vereri perdidit*, i. verecundiam.

Vice verſa interdum nomen pro infinitivo ponitur.

Deut. 10. v. 12. *Et nunc, Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi* לְיִרְאָה *timorem Dominum Deum tuum*, &c. h. e. ad timendum, ſive *ut timeas*, Vulg. ſequitur enim infinitivus לָלֶכֶת *ad ambulandum.*

Iſai. 7. v. 1. *Et factum eſt in diebus Achaz, filii Joatham .... aſcendit Raſin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ, rex Iſrael in Jeruſalem*, לַמִּלְחָמָה *ad prælium contra eam* (Jeruſalem,) h. e. *ad præliandum*, Vulg.

Huc etiam pertinent nomina, quæ caſum verbi ſui regunt, & de quibus ſupra cap. II. art. II. §. XII. Can. I. pag. 497.

Marc. 12. v. 38. *Et dicebat* (Jeſus) *eis* ἐν τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, *in doctrina ſua*, h. e. ἐν τῷ διδάσκειν, *inter docendum*, vel *docendo.* Sic cap. 4. v. 2.

CANON II.

IMPERATIVUS quandoque pro præterito ſeu præſenti, pro futuro indicativi, & pro ſubjunctivo uſurpatur. Interdum etiam permiſſive exponendus eſt.

I. Imperativus pro præterito, ſeu præſenti.

Pſal. 8. v. 2. *Quoniam* תְּנָה *dediſti*, vel *das*, aut *ponis*, vel *poſuiſti*, ut S. Hieron. *magnificentiam tuam ſuper cælos.* Lxx. ἐπήρθη, Vulg. Lat. *elevata eſt.* Sym. ἔταξας *ordinaſti.* Porro תְּנָה imperativus eſt cum ה parag. ut poſuimus ſupra pag. 208. col. 2. non infinitivus, ut volunt plerique omnes Grammatici.

II. Imperativus pro futuro indicativi.

Gen. 20. v. 7. *Et orabit pro te*, וֶחְיֵה *& vi-*

ve, hoc eſt, *& vives*, Vulg.

Ibid. c. 42. v. 18. *Facite, quæ dixi*, וִחְיוּ *& vivite*, h. e. *& vivetis*, Vulg.

Ibid. c. 45. v. 18. *Et ego dabo vobis omnia bona Ægypti*, וְאִכְלוּ *& comedite*, h. e. & comedetis.

Pſal. 36. Heb. 37. v. 27. *Declina à malo & fac bonum*, וּשְׁכֹן *& inhabita in ſæculum*, i. & inhabitabis.

Alia exempla vide Deut. 32. v. 50. Prov. 3. v. 4. cap. 4. v. 4. Iſai. 54. v. 14. Jerem. 27. v. 17. &c.

Joan. 2. v. 19. λύσατε, *ſolvite templum hoc*, &c. i. ſolvetis.

Ex profanis. Menand. οἶδ' ὅτι ποίησον, pro ποιήσεις, *ſcio, quod facturus ſis.* Virg. Ecl. 7. v. 36. *Si fœtura gregem ſuppleverit, aureus eſto*, i. eris.

Huc pertinet, quod futura à prophetis prænunciantur forma imperandi.

Iſai. 47. v. 1. *Deſcende, ſede in pulvere, virgo filia Babylon*, &c. V. 5. *Sede tacens, & intra in tenebras, filia Chaldæorum*, hoc eſt, deſcendes, ſedebis, &c.

Pſal. 78. Heb. 79. v. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt*, &c. hoc eſt, effundes. V. 12. *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum*, &c. i. reddes. Vide Pſal. 68. Heb. 69. vv. 25. 28. Jerem. cap. 18. v. 21. &c. quod *non optantis eſt, ſed prophetantis: non ut fiat, ſed quia fiet*, ſcribit S. Aug. in Pſal. 78. v. 24. tom. 4. nov. edit. col. 705. Idem in Pſal. 5. v. 11. *Reos illos perage*, vel ut Vulg. *judica, i. condemna illos, Deus, &c. prophetia eſt*, inquit ibid. col. 20. *non maledictio: non enim optat* (Propheta) *ut veniat, ſed cernit quid eventurum ſit.* Pſeudo-Hieron. comm. in cap. 1. Thren. tom. 5. nov. edit. col. 810. in fine. *Quando ſancti viri deprecatorio more contra hoſtes ſuos rogant, non voto malitiæ, ſed ſpiritu prophetiæ, hoc, quod præſciunt, futurum prædicunt.*

III. Imperativus pro ſubjunctivo cum conjunctione *ſi*, vel *quamvis.*

Num. 24. v. 21. *Robuſtum quidem eſt habitaculum tuum*, וְשִׂים *& pone in petra nidum tuum*, h. e. *ſed ſi poſueris*, Vulg.

Pſal. 4. v. 5. *Iraſcimini*, vel *commovemini, & nolite peccare*, h. e. *ſi iraſcimini*, &c.

Nah. 3. v. 15. *Congregare ut bruchus, multiplicare ut locuſta*, h. e. quanvis congregata, ſeu numeroſa fueris ut bruchus, & multiplicaveris te ut locuſta.

Eccli. 30. v. 9. τιθήνησον τέκνον, καὶ ἐκθαμβήσει σε, σύμπαιξον αὐτῷ, καὶ λυπήσει σε, *lacta filium, & terrorem incutiet tibi, lude cum eo, & contriſtabit te*, h. e. ſi lactaveris, &c.

IV. Imperativus quandoque permiſſive exponendus eſt.

2. Reg. 18. v. 23. *Et ait ei: curre*, hoc eſt, curras ſino; antea enim nolebat Joab, ſed efflagitanti Achimaaſo illud permiſit.

3. Reg. 22. v. 22. *Egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus .... egredere & fac ita*, h. e. permitto ut egrediaris, & ita facias; non enim jubet Dominus, ſed permittit.

4. Reg. 2. v. 17. *Coegeruntque eum donec acquieſceret & diceret: mittite*, h. e. ſino ut mittatis.

Matth. 8. v. 32. *Et ait illis* (Dæmonibus) *ite*, h. e. ſino ut eatis; nam Luc. 8. v. 32. pro hoc imperativo legitur, καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς, *& permiſit illis.*

CANON III.

Optativus modus, quo carent Hebræi, variis modis apud ipſos effertur.

I. Per particulam לוּ, vel לוּא *utinam*, junctam cum *præterito*, vel cum *futuro.*

Cum præterito. Num. 20. v. 3. לוּ גָוַעְנוּ *utinam expiraſſemus*, Vulg. *periiſſemus.* Vide etiam Iſai. 64. v. 1. al. 63. v. 19.

Huc pertinet in Novo Teſt. ὄφελον cum aoriſto primo. Vide 1. Cor. 4. v. 8.

Cum futuro. Gen. 17. v. 18. לוּ *utinam Iſmael* יִחְיֶה *vivat coram te.* Sic ὄφελον cum futuro, Gal. 5. v. 12.

Digitized by Google

Interdum etiam uſurpatur participium, ut Pſal. 80. Heb. 81. v. 14. לוּ *utinam populus meus* שֹׁמֵעַ לִי *audiſſet me*, ubi futurum ſequitur.

II. Per futurum ſine particula.

Job. 3. v. 3. יֹאבַד *peribit dies, in qua natus ſum*, h. e. utinam periiſſet, Vulg. *pereat*. Et ſic in ſeqq. verbis.

Cant. 1. v. 2. יִשָּׁקֵנִי *oſculabitur me oſculo oris ſui*, h. e. (utinam) *oſculetur me*, Vulg. Vide etiam Pſal. 69. Heb. 70. vv. 3. 4. 5. Pſal. 121. Heb. 122. vv. 6. 7.

III. Per imperativum. Pſal. 44. Heb. 45. v. 5. *& decore tuo* צְלַח *proſperare*, h. e. utinam proſpereris.

Huc pertinent omnes imperativi *petitorii*, quibus rogatur Deus, ut ſuam nobis gratiam conferat, & prohibeat mala. Illi enim imperativi optandi vim prorſus obtinent.

IV. Per circumſcriptionem מִי יִתֵּן *quis dabit?*

Pſal. 13. Heb. 14. v. 7. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël?* hoc eſt, utinam detur! Sic Exod. 16. v. 3. Num. 11. v. 29. Deut. cap. 28. v. 67. 2. Reg. 19. v. 1. Pſal. 54. Heb. 55. v. 7. Cant. 8. v. 1. Jerem. 9. vv. 1. 2. &c.

Pronomini interrogativo aliud verbum nonnunquam adjungitur.

2. Reg. 23. v. 15. מִי יַשְׁקֵנִי *quis bibere me faciet aquas de ciſterna, quæ eſt in Betblehem?* i. utinam, ſeu, ut Vulg. *ô ſi quis mihi daret potum aquæ*, &c. Vide Pſal. 4. v. 7.

§. II.

De temporum enallage.

CANON I.

Præteritum perfectum quandoque pro pluſquam-perfecto; præſenti, & futuro ponitur.

I. Pro pluſquam perfecto.

Gen. 2. v. 2. וַיְכַל *compleritque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat*, h. e. compleverat. Alioqui, ſi in die ſeptimo compleviſſet, hoc in die laboraſſet, quod Scripturæ ibidem adverſatur. Quare Lxx. pro *die ſeptimo*, tranſtulerunt: τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ, *die ſexto*, contra omnium codicum fidem. In hoc exemplo, & in quibuſdam ſequuturis, futurum quidem eſt, ſed converſum in præteritum ob ו præpoſitum cum pathahh. Vide infra cap. VIII. art. I.

Gen. 36. v. 6. *Tulit autem Eſau uxores ſuas*, &c. h. e. tulerat; jam enim ex terra Chanaan receſſerat. Conf. c. 33. vv. 14. 16.

Exod. cap. 12. v. 35. *Feceruntque filii Iſraël ſicut preceperat Moyſes, & petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea*, &c. ſic v. 36. h. e. fecerant, petierant, ut liquet cap. 11. v. 2.

Jud. 1. v. 8. *Oppugnantes filii Juda Jeruſalem, ceperunt eam*, h. e. ceperant, ut conſtare videtur Joſ. 15. v. 63. Adduxerunt itaque Judæi Adonibezec in Jeruſalem, quæ olim à filiis Juda expugnata fuerat.

Alia exempla vide, Gen. 29. v. 12. *& nuntiavit*, i. nuntiaverat. Conf. v. 10. Exod. 33. v. 5. *& dixit Dominus*, i. dixerat, ut ex contextu patet.

In Novo Teſt. Præterita & aoriſti, qui præteritorum ſignificationem habent, eodem modo accipiuntur.

Matth. 14. v. 3. *Herodes autem tenuit Joannem, & alligavit eum, & poſuit in carcerem*, &c. h. e. tenuerat, alligaverat, poſuerat. Et ſic in tota illa recenſione.

Luc. 19. v. 15. *Juſſit vocari ſervos ſuos, quibus dedit pecuniam*, h. e. dederat.

Joan. 4. v. 44. *Ipſe enim Jeſus teſtimonium perhibuit, quia propheta in ſua patria honorem non habet*, h. e. teſtimonium perhibuerat.

Joan. 5. v. 13. *Jeſus enim declinavit à turba*, h. e. declinaverat. Alia exempla vide, Joan. 18. v. 24. *miſit*, i. miſerat. Apoc. 21. v. 1. *abiit*, h. e. abierat.

II. Pro præſenti, quo caret lingua ſancta.

Gen. 4. v. 1. קָנִיתִי *poſſedi hominem per Deum*, h. e. poſſideo. Ibid. v. 9. *neſcivi*, h. e. *neſcio*, Vulg.

Gen. 32. v. 10. קָטֹנְתִּי *minor fui cunctis miſerationibus tuis*, i. *minor ſum*, Vulg.

2. Reg. 1. v. 5. *Unde ſcivisti, quis mortuus eſt Saul?* h. e. *unde ſcis*, Vulg.

4. Reg. 3. v. 11. *Eſt hic Eliſeus filius Saphat, qui fundebat aquam ſuper manus Eliæ*, i. fundit; adhuc enim in vivis erat Elias, ut ex 2. Paral. 21. v. 12. apparet. Fundere autem aquam ſuper manus alicujus, omne miniſterium ſynecdochice denotat.

Pſal. 1. v. 1. *Beatus vir qui non abiit*, &c. h. e. non abit, &c. Vide inſuper Pſal. 13. Heb. 14. v. 1. Pſal. 24. Heb. 25. v. 2. Pſal. 30. Heb. 31. v. 1. Et ſic alias ſæpiſſime.

Joan. 1. v. 26. *Medius autem veſtrum* ἑστήκει *ſtetit*, h. e. ſtat, *quem vos neſcitis.* Sic præteritum hoc in infinitivo ἑστηκέναι *ſtetiſſe*, pro præſenti uſurpatur, Luc. 8. v. 20. Act. 1. v. 11. Rom. 5. v. 2. &c. & ejus contractum ἑστάναι, Act. 12. v. 14. Imperfectum verbi εἰμὶ *ſum*, quod eſt ἦν *eram*, vel *erat*, ſumitur etiam pro præſenti, Joan. 1. v. 15. οὗτος ἦν, *hic erat*, i. hic eſt, *de quo dixi*, &c.

1. Joan. 3. v. 6. *Omnis, qui peccat non vidit, nec cognovit eum* (Deum), h. e. non videt, nec cognoſcit, quia deſtituitur vera fide & charitate, quæ ſpiritualis Dei viſio eſt & cognitio. Conf. c. 2. v. 4. 3. Joan. v. 11. & alia exempla vide, Joan. 5. v. 45. c. 11. v. 27. c. 16. v. 27. Rom. 5. v. 2. 1. Tim. 4. v. 10.

Apud Profanos. Demoſth. pro corona, ὑπείληφα *exiſtimo*. Lucian. μέμνημαι, apud Lat. *memini*. Sic *odi*, &c.

III. Pro futuro. Iſthæc enallage locum habet præſertim in prophetiis, in quibus futura per præterita vulgo enuntiantur. Unde Rabbi Salomon in c. 42. Iſaiæ: *Omnis lingua prophetica loquitur de futuro tanquam de præterito: & hoc ideo, quia dictum Dei habetur pro facto.* Vide infra in Syntax. fig. tract. 1. c. 3. art. 2. §. 4. ubi de hoc argumento diſputatur, & exempla ex Vet. Teſt. adducuntur.

Joan. 5. v. 24. *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet*, i. habebit *vitam æternam, & in judicium non venit*, i. non veniet, ſeu non condemnabitur, *ſed tranſiit à morte ad vitam*, h. e. tranſibit; unde quædam exemplaria habent μεταβήσεται, in futuro. Vide D. Mill. pag. 210. col. 2.

Huc pertinet præteritum pro imperativo poſitum.

Ezech. 32. v. 19. רְדָה וְהָשְׁכְּבָה *deſcendit* (רְדָה enim, ſecundum hanc enallagen, eſt pro יָרְדָה per aphæreſin) *& dormivit*, vel *proſtrata eſt*, pro *deſcende & dormi*, ut reddidit, Vulg. Sic Jerem. 49. v. 8. נֻסוּ הָפְנוּ *fugerunt, averſi ſunt*, pro *fugite, avertimini*, aut *terga vertite*, Vulg. Vel הָשְׁכְּבָה & הָפְנוּ, quorum cauſa iſtud notatur, imperativi ſunt hophal, ut volunt quidam grammatici, quamvis conjugatio illa, utpote paſſiva, modo, ſeu tempore iſto vulgo careat.

CANON II.

Aoristus Græcorum cum primus, tum ſecundus, præter ordinariam præteriti ſignificationem, etiam pro præſenti & futuro uſurpatur.

I. Pro tempore præſenti uſurpatur.

Matth. 3. v. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo* εὐδόκησα *bene complacui*, i. bene complaceo. Sic Luc. 3. v. 22.

Matth. 23. v. 2. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi*, h. e. ſedent. Qua loquutione docendi poteſtas intelligitur.

Luc. 1. v. 47. *Et exſultavit ſpiritus meus*, &c. i. exſultat. Sic v. 68. *viſitavit*, i. viſitat, *& fecit redemtionem*, h. e. facit. Alia exempla ſunt, Luc. 15. v. 16. Joan. 1. v. 12. 1. Joan. 4. v. 8. &c.

II. Pro tempore futuro ponitur.

Joan. 11. v. 56. *Quid vobis videtur?* ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ, *an non venerit ad diem feſtum?* h. e. venturus ſit. ὅτι hic abundat, & alias ſæpiſſime in Novo Teſtam. Vulg. *Quid putatis, quia non venit ad diem feſtum?* Et ſic plerique

que interpretes præteriti ſignificationem in ἐβλήθη agnoſcunt.

Joan. 15. v. 6. *Si quis in me non manſerit*, ἐβλήθη, *miſſus eſt foras*, καὶ ἐξηράνθη, *& exaruit*, h. e. *mittetur*, *& areſcet*, Vulg.

Rom. 8. v. 30. *Quos autem juſtificavit*, *illos & ἐδόξασε glorificavit*, h. e. glorificabit in vita æterna.

Sic quando aoriſti cum πρὶν, vel πρὸ, *ante*, *priuſquam*, conſtruuntur.

Marc. 14. v. 30. *Amen dico tibi*, *quia tu hodie in nocte hac*, πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, *priuſquam gallus bis vocem dederit*, *ter me es negaturus.*

Joan. 4. v. 49. *Dicit ad eum regulus : Domine*, *deſcende* πρὶν ἀποθανεῖν, *priuſquam moriatur filius meus.*

Joan. 8. v. 58. *Amen amen dico vobis*, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι, *antequam Abraham fieret*, i. naſceretur, *ego ſum.* Non dicit *eram*, quia hoc præſenti Chriſtus æternam ſuam exſiſtentiam, necnon Divinitatem declarat; ſic enim Deus, Exod. 3. v. 4. vocat ſe *ego ſum*, *qui ſum.* Unde Theophylactus in h. l. ὅρα, οὐ εἶπε πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι ἤμην, ἀλλ᾽ εἰμί· αὕτη γὰρ ἡ λέξις, τὸ εἰμὶ, ἐπὶ Θεοῦ κυριωτέρα, ἅτε τοῦ διηνεκῶς ὄντος καὶ ἀεὶ σημαντική .... ἐπὶ δὲ τοῦ Ἀβραὰμ εἶπε τὸ γενέσθαι, εἰκότως ὡς φθαρτοῦ, τὸ γὰρ γεγονὸς καὶ φθείρεται, τὸ δὲ εἰμὶ, πάσης φθορᾶς ἀμεθεξίαν καὶ ἀϊδιότητα θείαν ἐμφαίνει, *vide*, *non dicit antequam Abraham fieret*, *ego eram*, *ſed ſum. Iſtud enim verbum*, *ſum*, *Deo proprie convenit*, *eo quod perpetuus ſit & ſempiternus*, *id quod hoc verbum ſignificat* .... *de Abraham vero dixit*, *fieret*, *merito tanquam de corruptibili ; nam quod factum eſt*, *corrumpitur. Verbum autem ſum*, *Divinam & ab omni corruptione alienam æternitatem ſignificat.*

Joan. 13. v. 19. *Amodo dico vobis*, πρὸ τοῦ γενέσθαι, *priuſquam fiat*, *ut*, *cum factum fuerit*, *credatis*, &c. Alia exempla vide cap. 14. v. 29. &c.

CANON III.

TEMPUS præſens apud Græcos quandoque pro præterito, quandoque pro futuro, vel paulo poſt futuro ponitur.

I. Præſens pro præterito.

Matth. 2. v. 13. *Qui* (Magi) *cum receſſiſſent*, *ecce angelus Domini* φαίνεται, *apparet in ſomnis Joſeph*, &c. h. e. *apparuit*, Vulg.

Marc. 2. v. 4. *Et patefacientes* χαλῶσι, *demittunt grabbatum*, h. e. demiſerunt, ſeu ut Vulg. *ſubmiſerunt.* Et ſic frequentiſſime, etiam apud profanos, in narrationibus hiſtoricis.

Heb. 2. v. 16. *Nuſquam enim angelos* ἐπιλαμβάνεται, *aſſumit*, *ſed ſemen Abrahæ* ἐπιλαμβάνεται, *aſſumit*, h. e. aſſumſit.

II. Præſens pro futuro.

Matth. 2. v. 4. *Sciſcitabatur ab eis*, ποῦ ὁ Χριστὸς γεννᾶται, *ubi Chriſtus naſcitur*, hoc eſt, *naſceretur*, Vulg. ſeu naſciturus eſſet.

Matth. 5. v. 46. *Si enim diligitis eos*, *qui vos diligunt*, *quam mercedem* ἔχετε, *habetis?* h. e. *habebitis*, Vulg.

Matth. 17. v. 11. *Elias quidem* ἔρχεται, *venit*, h. e. *venturus eſt*, Vulg.

Matth. 26. v. 29. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, *uſque in diem illum*, *cum illud* πίνω, *bibo*, h. e. *bibam*, Vulg. *vobiſcum novum in regno patris mei.* Alia exempla vide Matth. 11. v. 3. Luc. 13. v. 32. Joan. 7. vv. 27. 33. cap. 10. vv. 17. 18. c. 16. v. 16. Act. 1. v. 1. 1. Cor. 15. v. 35. c. 16. v. 5. Apoc. 11. v. 5. &c. Sic apud profanos. Eurip. in Hecub. στείχω, & Ariſtoph. in Pluto, εἶμι, *eo.*

III. Præſens pro paulo poſt futuro.

Matth. 26. v. 24. *Væ homini illi*, *per quem filius hominis* παραδίδοται, *traditur*, h. e. jamjam *tradetur*, Vulg. Sic v. 45. Vide etiam Marc. 14. v. 41. Luc. 22. vv. 21. 22. 37. Joan. 13. vv. 3. 11. 27. 33. cap. 14. vv. 3. 18. 19. cap. 17. v. 11. &c.

Luc. 22. v. 19. *Hoc eſt corpus meum*, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, *quod pro vobis datur*, hoc eſt, διδόμενον, *mox dandum.* V. 20. *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo*, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *quod pro vobis funditur*,

h. e. ἐκχυνόμενον, *mox fundendum*, ſeu, ut Vulg. *qui fundetur.* Sic Matth. 26. v. 28. Marc. 14. v. 24. 1. Cor. 11. v. 24.

Luc. 24. v. 49. *Et ecce ego mitto promiſſum patris mei*, h. e. mox miſſurus ſum. Sic Joan. 20. v. 17.

CANON IV.

Futurum tempus interdum pro præterito, interdum pro præſenti, interdum etiam pro imperativo accipitur.

I. Futurum pro præterito.

Exod. 15. v. 5. *Abyſſi* יְכַסְיֻמוּ *operient eos*, h. e. *operuerunt*, Vulg.

Num. 23. v. 13. *Veni, quæſo, mecum in alterum locum*, אֲשֶׁר תִּרְאֶנּוּ מִשָּׁם אֶפֶס קָצֵהוּ תִרְאֶה וְכֻלּוֹ לֹא תִרְאֶה *ex quo videas eum* (totum populum Iſraëliticum): *tantum extremum ejus videbis*, h. e. vidiſti, *& totum ipſum non videbis*, i. non vidiſti. Hæc explicatio patet ex cap. 22. v. 41. ubi Balaam *extremam* tantum *populi partem intuitus* dicitur. Quapropter hæc verba, *tantum extremum ejus vidiſti*, &c. includenda ſunt parentheſi hoc modo: *Veni, quæſo, mecum in alterum locum, ex quo totum Iſraëlem videre poſſis (tantum enim extremum ejus vidiſti, & totum ipſum non vidiſti) & inde maledicito ei.* Confer etiam ſeqq. Exiſtimabat Balac nolle Balaamum populo Iſraëlitico maledicere, eo quod partem tantum ejus proſpexiſſet, ſibique in animum induxiſſet maledictione nequaquam opus eſſe, cum parvas illas copias facile delere poſſent Moabitæ.

Jud. 2. v. 1. אַעֲלֶה *faciam aſcendere vos ex Ægypto*, וָאָבִיא *& introducam in terram*, &c. h. e. aſcendere feci, ſive ut Vulg. *eduxi .... & introduxi.*

2. Reg. 3. v. 33. *Nequaquam ut mori ſolent ignavi*, יָמוּת *morietur*, hoc eſt, *mortuus eſt Abner*, Vulg.

Ibid. c. 12. v. 31. *Populum quoque ejus adducens ſervavit....* וְכֵן יַעֲשֶׂה *& ſic faciet univerſis civitatibus filiorum Ammon*, h. e. *ſic fecit*, Vulg.

Alia exempla ſunt Exod. 15. v. 1. אָז יָשִׁיר *tunc cecinit*, Vulg. hoc enim adverbium, teſte Aben-Eſra comm. in h. l. mutat in lingua ſancta, ſicut & in Arabica, futurum in præteritum. Item Job. 4. vv. 15. 16. Iſai. 41. vv. 2. 3. ubi unicum eſt præt. הֵעִיר *excitavit.*

II. Futurum pro præſenti.

Gen. 2. v. 10. *Et fluvius egrediebatur de Eden*, Vulg. *de paradiſo voluptatis .... qui inde* יִפָּרֵד *dividetur in quatuor capita*; h. e. *dividitur*, Vulg.

Num. 18. v. 7. *Miniſterium doni* אֶתֵּן *dabo Sacerdotium veſtrum*, h. e. do.

Job. 3. v. 19. *Quare* יִתֵּן *dabit* (h. e. dat Deus) *lucem miſero?* Vulg. *quare miſero data eſt lux?* legeb. יֻתַּן in paſſ. & futurum pro præterito accepit. Vel ſequutus eſt idiotiſmum, de quo ſupra pag. 531. Can. III.

Pſal. 1. v. 2. *Et in lege ejus* (Domini) יֶהְגֶּה *meditabitur die ac nocte*, hoc eſt, meditatur, qui non abit in conſilium impiorum, &c. Sic Pſal. 3. v. 7. Pſal. 21. Heb. 22. v. 3. Pſal. 24. Heb. 25. v. 1. Pſal. 30. Heb. 31. v. 6. Oſe. 1. v. 2. &c.

Luc. 23. v. 46. *Pater, in manus tuas* παραθήσομαι, *commendabo ſpiritum meum*, id eſt, *commendo*, Vulg.

Rom. 3. v. 30. *Quoniam quidem unus eſt Deus, qui* δικαιώσει, *juſtificabit circumciſionem ex fide*, h. e. *juſtificat*, Vulg.

Huc pertinent, ſecundum quoſdam grammaticos, futura quædam ſubjunctivi paſſivi, quæ in Novo Teſt. occurrunt, quæque per præſens tempus exponuntur, ut: 1. Pet. 3. v. 1. *Ut, ſi qui non credunt verbo ....* κερδηθήσωνται, *lucrifiant.* Ad idem tempus referunt Matth. 5. v. 25. *& in carcerem* βληθήσῃ, *conjiciaris.* Epheſ. 6. v. 3. *ut bene tibi ſit*, εὖ σοι, *& ſis longævus ſuper terram.*

III. Futurum pro imperativo, quæ enallage perpetua eſt in præceptis, quæ *negativa* appellant; *Præcepta enim negativa non veniunt*, ſcribit Elias Levita in lib. Habbahhur, *niſi in forma futuri*, ut: לֹא תִרְצָח לֹא תִנְאָף

לֹא תִגְנֹב non occides, non mœchaberis, non furtum facies, Exod. 20. vv. 13. 14. 15. &c. *Nec poteris dicere*, לֹא־תִרְצָח, לֹא־תִנְאָף, לֹא־תִגְנֹב, non occide, non mœchare, non furtum fac; *quia nunquam venit imperativus poſt unam harum dictionum* לֹא, אַל *non*, פֶּן *ne*, כִּי *quia*, אִם *ſi*, אֲשֶׁר *quod*, אַף *etiam*, לְמַעַן, בַּעֲבוּר *propter*, *propterea*.

Huc pertinent 1°. Verba *exhortatoria*, Gen. 33. v. 10. *Si inveni gratiam in oculis tuis*, וְלָקַחְתָּ *accipies munuſculum de manibus meis*, h. e. *accipe*, Vulg. Conf. v. 11. ubi eſt imperativus קַח *accipe*. Jud. 5. v. 21. תִּדְרְכִי *conculcabis*, *anima mea*, *robur*, ſive *robuſtos*, h. e. *conculca*, Vulg. 2°. Verba *petitoria*, quorum exempla vide ſupra pag. 523. col. 1. in fine Can. XI.

§. III.

De perſonarum enallage.

CANON I.

Prima perſona quandoque pro tertia ponitur.

Hæc regula libro *Eccleſiaſtis* intelligendo plurimum inſervit; in eo ſiquidem ſæpius in prima perſona referuntur ſententiæ aliquot abſurdæ, imo impiæ, ut cum ſcriptor ejus dicit c. 3. v. 12. ſe deprehendiſſe optimum eſſe lætari & epulari, & v. 19. eandem eſſe ſortem hominum & jumentorum, piorum & impiorum, quæ & ſimilia ex perſona aliena dicuntur. Unde v. 18. legitur: *dixi ego in corde meo* עַל־דִּבְרַת בְּנֵי הָאָדָם *ſecundum rationem filiorum hominum*, h. e. ſecundum rationem humanam & corruptam. Ex qua phraſi conſtat ea, quæ ſequuntur, & alia in hoc libro, μωρὰ eſſe, & in iis hominem mundo addictum loquentem induci.

Huc pertinet, cum in ſermone *increpatorio* & *exhortatorio* loquens, iis ſe admiſcet, ad quos, vel de quibus loquitur; idque leniendæ invidiæ cauſa, dum culpæ partem quandam in ſe recipere videtur.

1. Cor. 10. v. 6. *Hæc autem in figura* (h. e. in exemplo) *facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malorum* .... V. 8. *Neque fornicemur* .... V. 9. *neque tentemus Chriſtum*, &c. Confer vv. 7. 10. ubi in ſecunda perſona ſermo habetur. Vide inſuper cap. 11. vv. 31. 32. Heb. 2. vv. 1. 2. 3. &c.

Item in ſermone *indicativo* & *narrativo*. 1. Theſſ. 4. v. 14. *Nos, qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini*, &c. V. 16. *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aëra*, &c. h. e. ut optime explicat Corn. à lapide in h. l. *nos, qui vivimus*, id eſt, *quicunque vivent, ſive ex nobis, ſive ex poſteris noſtris, quorum perſonam hîc induo & ſubeo.* Vide etiam Eraſmum in 1. Cor. 15. vv. 51. 52.

Huc etiam refert Qimhhi peccatorum confeſſiones à prophetis in prima perſona plurali factas. Jerem. 14. v. 7. *Si iniquitates noſtræ reſponderint nobis*, ſeu teſtimonium dicant contra nos, *Domine, fac propter nomen tuum, quoniam multæ ſunt averſiones noſtræ, tibi peccavimus.* Vide Thren. 3. v. 42. &c.

CANON II.

Secunda perſona quandoque pro tertia uſurpatur.

Pſal. 21. Heb. 22. v. 9. גֹּל *ſpera in Domino, eripiat eum*, pro *ſperavit*, Vulg. Lxx. ἤλπισεν ἐπὶ κύριον, *ſperavit in Domino.* S. Hieron. *confugit ad Dominum.* Chald. etiam in tertia perſona interpretatur. Legebant itaque גָּל *volvit, devolvit ſe.* Aut potius præteritum

eſt ex forma hhólem. Vide ſupra pag. 216. col. 1. initio.

2. Eſd. 4. v. 42. *Ex omnibus locis, quibus* תְּשׁוּבוּ *reverſi fueratis*, i. reverſi fuerant, ſive *venerant*, Vulg.

Jerem. 29. v. 19. *Miſi ad eos ſervos meos prophetas .... וְלֹא שְׁמַעְתֶּם & non audiſtis*, h. e. non audierunt.

Ibid. c. 49. v. 11. *Et viduæ tuæ in me* תִּבְטָחוּ *ſperabitis*, i. *ſperabunt*, Vulg. ubi inſuper eſt enallage maſcul. pro femin. תִּבְטַחְנָה. Sic Ezech. 37. v. 7. וַתִּקְרְבוּ עֲצָמוֹת *& appropinquaſtis oſſa ad oſſa*, h. e. *appropinquaverunt*, Vulg. pro וַתִּקְרַבְנָה, ut videtur Glaſſio. Verum עֶצֶם communis eſt generis, ac proinde ſola perſonarum enallage, non ſimul generis, hoc in exemplo ſpectari poteſt.

Huc etiam referunt illud Job. 19. v. 15. *Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ ſicut alienum* תַּחְשְׁבֻנִי *reputaſtis me.* At תַּחְשְׁבֻנִי eſt tertia perſona plural. fem. fut. qál, quæ ſumit affixa more tertiæ plur. maſc. nempe in forma ו, quod ibi mutatur in (ֻ) euphonicum; tuncque non eſt enallage perſonæ, nec generis, quia refertur ad nomen proximum *ancillæ meæ*, quod femininum eſt.

CANON III.

Tertia perſona quandoque pro prima, vel ſecunda, uſurpatur.

Pſal. 6. v. 3. *Miſerere mei, Domine, quoniam* אֻמְלַל *languet ego*, h. e. quoniam langueo, ſeu, ut Vulg. *infirmus ſum.* Unde quidam volunt אֻמְלַל eſſe participium *puál*, ſed anomalum, nimirum cum (ֻ) loco (ְ).

Iſai. 1. v. 29. כִּי יֵבֹשׁוּ *confundentur enim propter idola*, ſeu *lucos, quos deſideraſtis*, pro תֵּבֹשׁוּ *confundemini*; orationis enim ſeries ſecundam perſonam hîc poſtulat.

Iſai. 54. v. 1. *Lauda ſterilis, quæ non* יָלָדָה *parit: decanta laudem .... quæ non* חָלָה *parturit*, h. e. quæ non paris, quæ non parturis. Si punctis & accentibus vel leviſſime mutatis legas יֹלֵדָה & חֹלָה erunt participia feminina, quæ per ſecundam perſonam facile explicabuntur, nempe *quæ non* (es) *pariens*, *quæ non* (es) *parturiens.*

Thren. 3. v. 1. *Ego vir* רָאָה *vidit paupertatem meam*, h. e. vidi. Vulg. *videns*, legiſſe videtur רֹאֶה in participio. Alia exempla vide Mich. 7. v. 18. Mal. 2. v. 15. & infra in Synt. fig. tract. 1. cap. III. §. III.

§. IV.

De numeri enallage.

CANON I.

Verbum pluralis numeri, quandoque pro ſingulari ponitur.

I. In ſecunda perſona. Job. 18. v. 2. *Quouſque* תְּשִׂימוּן *imponetis finem ſermonibus? Quouſque* תָּבִינוּ *inſtruetis*, &c. h. e. impones, inſtrues, ſolum enim Jobum alloquitur Baldad.

II. In tertia perſona. Gen. 34. v. 27. *Et depopulati ſunt urbem*, אֲשֶׁר טִמְּאוּ *quia polluerant ſororem eorum*, h. e. polluerat Sichem. Tertia illa perſona activa, paſſive etiam accipi poteſt, *polluta fuerat.* Vide ſupra pag. 531. Can. III.

Ezech. 46. v. 10. *Princeps autem in medio eorum cum ingredientibus* יָבוֹא *ingredietur, & cum egredientibus* יֵצֵאוּ *egredientur*, h. e. egredietur; de ſolo enim principe ſermo eſt.

Matth. 2. v. 20. *Defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri*, h. e. qui quærebat, nempe Herodes.

Rabbini quidam recentiores cum Socinianis, volunt enallagen iſtam in prima etiam perſona locum habere; ac in exemplum proferunt Gen. 1. v. 26. נַעֲשֶׂה *faciamus hominem*

ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Verum hoc teſtimonio Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium innui aſſerunt SS. Patres cum Græci, tum Latini, maxime poſt concilium Nicænum. Imo concilium Sirmienſe eos, qui aliter hæc verba expoſuerint, anathemate percellit. Vide S. Barnabæ epiſt. Tertul. de reſurrect. l. 5. c. 6. Clem. Alex. Strom. l. 5. c. 6. Iren. l. 4. c. 37. Baſil. homil. 9. in Gen. Chryſoſt. homil. 8. in Gen. Aug. de Civit. l. 16. c. 6. &c. Præſertim vero Theodoret. quæſt. 19. tom. 1. pagg. 15. 16. edit. Pariſ. 1642. Alia, quæ afferunt exempla, ſunt:

Gen. 29. v. 27. *Imple hebdomadam* ..... וְנִתְּנָה *& dabimus tibi etiam iſtam.* Sed נִתְּנָה, teſte Aben-Eſra, poteſt eſſe tertia perſ. ſing. fem. præt. niphal converſi in futurum ob ו præpoſitum, *& dabitur.* Nec obſtat articulus אֶת־ vulgaris accuſativi nota, quandoquidem cum verbis etiam paſſivis conſtruitur. Vide ſupra pag. 538. Can. VII. Vel Laban ſuo, & parentum cognatorumque ſuorum nomine loquitur. Confer cap. 24. vv. 50. 57. 58. &c.

Num. 22. v. 6. *Veni igitur & maledic populo huic* .... אוּלַי אוּכַל נַכֶּה־בּוֹ *fortaſſis prævalebo, percutiemus eum*, &c. h. e. percutiam. Reſpondet Aben-Eſra hîc intelligi Balac cum exercitu ſuo. Vel נַכֵּה eſſe infinitivum piël cum (ֶ) pro (ֵ) ob ſequens maqqaph, quanvis dictio deſinat in literam quieſcentem. In hoc ſenſu interpretati ſunt Lxx. ἐὰν δυνώμεθα (melius Ald. δυνήσομαι) πατάξαι ἐξ αὐτῶν, *ſi poſſimus*, Ald. *ſi poſſim percutere ex eis*, &c. Vulg. *ſi quomodo poſſim percutere eum, & ejicere eum de terra mea.*

2. Reg. 16. v. 20. *Dixit autem Abſalom ad Achitophel: inite conſilium* (tu & alii conſiliarii) *quid agere debeamus*, h. e. ego & alii duces, qui mecum ſunt.

Job. 18. v. 2. *Intelligite prius, & ſic loquamur, quare reputati ſumus ut jumenta, & ſorduimus in oculis veſtris?* At non ſolum de ſe ipſo, verum etiam de ſociis ſuis loquitur Baldad.

Cant. 1. v. 4. *Trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum* .... *exſultabimus & lætabimur in te*, &c. h. e. ego & puellæ meæ curremus, &c. Sponſa enim ſola non eſt, ſed comites habet filias. Confer cap. 2. v. 2. Præterea cum nomine ſponſæ ſignificetur Eccleſia, merito pluralis numerus adhibetur.

Dan. 2. v. 36. *Interpretationem quoque ejus* (ſomnii) *dicemus coram rege.* In plurali loquitur Daniel, quia & ſibi & ſociis interpretationem illam attribuit, qui & conjunctis precibus à Deo illam obtinuerant. Vide vv. 17. 18. 23.

Alia Veteris Teſtamenti loca, quæ affert Schmalzius contra Schopperum, quæque ſunt 3. Reg. 12. v. 9. (Confer 2. Paral. 10. v. 9.) Item 3. Reg. 22. v. 3. eodem plane modo, quo præcedentia, explicanda ſunt; in priori enim Roboam ſuo & conſiliariorum ſuorum nomine loquitur. Ita in poſteriori Achab duces ſuos ſecum loquentes inducit.

Marc. 4. v. 30. *Cui aſſimilabimus regnum Dei, aut cui comparabimus illud?* Hic, inquiunt, Chriſtus de ſe, & ſolus loquitur in prima perſona plurali. Verum hallucinantur Sociniani: Chriſtus quidem de ſe loquitur, ſed auditorum etiam, quos compellat, perſonam induit.

Joan. 3. v. 11. *Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur.* Fruſtra hunc contextum proferunt adverſarii ad pſeudocanonem ſuum ſtabiliendum; hoc enim teſtimonio adſtruitur SS. Trinitatis myſterium, ac explicari debet per illud 1. Joan. 5. v. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Confer Joan. 8. vv. 16. 17. 18. Luc. 4. v. 18. Heb. 1. v. 1. &c. Is itaque verſiculus eodem modo intelligendus eſt, quo Joan. 14. v. 23. *Pater meus diliget eum*, (qui me diligit) *& ad eum veniemus* (Ego, & Pater, & Spiritus Sanctus) *& manſionem apud eum faciemus.*

Joan. 21. v. 24. *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium ejus*, h. e. ſcio ego, inquiunt regulæ hujus aſſertores. Sed facilis eſt reſponſio; nam prima illa perſona pluralis non ad ſolum Joannem, ſed ad Eccleſiam ejuſque membra pertinet,

quorum perſonam induit S. Evangeliſta, qui cum ſolus loquitur, in tertia perſona ſingulari loquitur: *hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc.* Deinde in ſua, & aliorum perſona: *& ſcimus, quia verum eſt teſtimonium ejus*, non *meum*, aut *noſtrum*, quia tertiam perſonam ſingul. reſumit. Vide 1. Joan. 5. vv. 18. 19. 20. &c.

Rom. 1. v. 5. *Per quem* (Jeſum Chriſtum) *accepimus gratiam & apoſtolatum.* Accepimus, ego ſcilicet & ceteri Apoſtoli. Conf. 2. Cor. 2. v. 15. ſeqq. cap. 3. v. 1. ſeqq. &c.

Hæc ſunt loca, quæ ex utroque Teſtamento proferunt cum Judæi quidam recentiores, tum Socini aſſeclæ; quæque, ut ex dictis manifeſtum eſt, ad ſtabiliendam eorum opinionem infirmi ſunt roboris. Imo quædam ex illis Aben-Eſra rejicit, aſſeritque in cap. 1. Gen. v. 26. quod עֵדֵי שֶׁקֶר הֵם *teſtes falſi ſunt*, h. e. teſtimonia ad id, quod volunt, probandum nequaquam idonea. Denique etiamſi nonnulla aliter explicari non poſſent, quam regula ab Antitrinitariis illis ſtatuta, non inde tamen ſequeretur contextum illum *faciamus hominem*, &c. ad eam referendum; aliud enim eſt, ut jam diximus, Scripturæ locum ſic explicari poſſe, aliud ſic explicari debere. Eccleſia autem ſola ſcripturarum interpres, hunc verſiculum *faciamus hominem*, &c. de SS. Trinitate exponit. Præpoſtere igitur Judæi, & eorum ſequaces Sociniani, eum aliter exponendum eſſutiunt.

CANON II.

Verbum ſingularis numeri quandoque jungitur cum nomine, vel participio plurali, quo ſæpius diſtributio innuitur.

Gen. 35. v. 26. *Hi ſunt filii Jacob, qui* יֻלַּד *natus eſt ei in Meſopotamia*, hoc eſt, quorum unuſquiſque natus eſt ei, &c. Vulg. *qui nati ſunt ei*, ſenſum, non numerum, reddidit.

Exod. 17. v. 12. וַיְהִי יָדָיו *& fuit manus* (plur.) *ejus* (Moyſi) *firma*, h. e. utraque manus ejus. Vulg. *Et factum eſt ut manus ejus non laſſarentur.* וַיְהִי impersonaliter accepit. Lxx. *καὶ ἐγένοντο αἱ χεῖρες Μωυσῆ ἐστηριγμέναι*, *& factæ ſunt manus Moyſi firmæ*, ſenſum recte expreſſerunt.

Ibid. c. 31. v. 14. מְחַלְלֶיהָ מוֹת יוּמָת *profanantes illud* (Sabbathum), *morte morietur*, h. e. quiſque profanantium. Vulg. *qui polluerit illud, morte morietur.*

Num. 32. v. 25. וַיֹּאמֶר בְּנֵי־גָד *& dixit filii Gad*, h. e. quiſque filiorum. Quidam ſic ſupplent: *Et dixit* (tribus) *filiorum Gad.*

Jerem. 35. v. 14. הוּקַם אֶת־דִּבְרֵי *firmatum eſt verba Jonadab*, h. e. quodlibet verbum.

Alia exempla vide 1. Reg. 16. v. 4. al. 5. Eſth. 9. v. 23. Job. 12. v. 7. Jerem. 36. v. 28. Pſal. 72. Heb. 73. v. 7. Hæc enallage in participiis etiam locum habet, ut Pſal. 86. Heb. 87. v. 3. Prov. 3. v. 18.

Huc referri poteſt Helleniſmus, quo neutro plurali jungitur verbum ſingulare, ut Rom. 1. v. 20. *τὰ ἀόρατα καθορᾶται*, *inviſibilia enim conſpicitur*, i. *conſpiciuntur*, Vulg. Et ſic ſæpius in N. Teſt.

Apud profanos. Diodor. *τῷ ἀργυρίῳ ὑπακούονται πάντα*, *pecuniæ obedit*, h. e. *obediunt omnia*, &c. Quod ad Atticum dicendi genus referunt.

CANON III.

Vice verſa, verbum pluralis numeri conſtruitur interdum cum nomine ſingulari.

I. Cum nomine ſingulari *collectivo*, quia pluralitatem comprehendit.

Gen. 33. v. 13. וָמֵתוּ כָּל־הַצֹּאן *morientur omnis grex*, hoc eſt, morietur. Vulg. *morientur cuncti greges.*

Ibid. c. 41. v. 57. וְכָל־הָאָרֶץ בָּאוּ *& omnis*

terra veniebant, hoc eſt, veniebat. Vulg. *omneſque provinciæ veniebant.*

Alia exempla vide Num. 10. v. 3. 3. Reg. 1. v. 40. 1. Paral. 10. v. 6. Eſd. 10. v. 12. Pſal. 67. Heb. 68. v. 11. Iſai. 25. v. 3. cap. 34. v. 10. Et in N. T. Marc. 3. vv. 7. 8.

Apud Profanos. Herod. *ἐς Πόντον νέμονται τὸ Ταυρικὸν ἔθνος, ad Pontum uſque habitant Taurica gens*, &c. Ovid. *Quo ruitis generoſa domus?* &c.

II. Cum nomine ſingulari etiam non collectivo, quo partitionem denotari volunt.

Exod. 1. v. 10. *Cum* תִקְרֶאנָה מִלְחָמָה *evenerint bellum*, id eſt, evenerit, ſeu, ut Vulg. *ingruerit* (quodque) *bellum.* Vel ſingula bella ingruerint.

Pſal. 118. Heb. 119. v. 103. *Quam dulcia* (ſunt) *faucibus meis eloquium tuum!* hoc eſt, quam dulcia ſunt ſingula eloquia tua!

Prov. 28. v. 1. נָסוּ *fugiunt nemine perſequente* רָשָׁע *impius*, h. e. *fugit*, Vulg. Vel fugiunt ſinguli improbi.

1. Tim. 2. v. 15. *Salvabitur autem* (mulier) *ἐὰν μείνωσιν, ſi permanſerint in fide*, h. e. *permanſerit*, Vulg. Vel *mulier* eo loci ſpectatur, ut nomen collectivum, quod totum ſexum femineum denotat. Vide ſimilem enallagen Iſai. 49. v. 15.

CANON IV.

Quando duo nomina ſubſtantiva, quorum alterum altero regitur, conjuncta ſunt, verbum quandoque numero reſpondet poſteriori nomini, cum deberet priori reſpondere.

Exod. 15. v. 4. וּמִבְחַר שָׁלִשָׁיו טֻבְּעוּ *& electio principum*, ſeu *tribunorum ejus ſubmerſi ſunt*, h. e. ſubmerſa eſt. Vel cum hypallage, principes electionis ejus, h. e. principes ejus electi, præſtantiſſimi, ſubmerſi ſunt.

2. Reg. 10. v. 9. *Videns igitur Joab*, כִּי הָיְתָה אֵלָיו פְּנֵי הַמִּלְחָמָה *quod eſſet contra ſe facies* (plur.) *belli*, &c. pro הָיוּ *eſſent*; verbum enim conſtrui deberet cum פְּנֵי, convenit autem cum altero nomine מִלְחָמָה, quaſi voces ſic ordinarentur: כִּי פְּנֵי הַמִּלְחָמָה הָיְתָה אֵלָיו *quod facies belli eſſet contra ſe.* Vulg. *quod præparatum eſſet adverſum ſe prælium.*

Job. 15. v. 20. מִסְפַּר שָׁנִים נִצְפְּנוּ *numerus annorum abſconditi ſunt*, h. e. abſconditus eſt, ſive ut Vulg. *incertus eſt.*

Cap. 29. v. 10. קוֹל־נְגִידִים נֶחְבָּאוּ *vox principum abſcondebant ſe*, hoc eſt, abſcondebatur. Senſus eſt: vel ipſi principes coram me tacebant.

Agg. 2. v. 7. וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם *& venient deſiderium cunctarum gentium*, h. e. veniet deſiderium, nempe Meſſias. Hæc autem ſic ordinanda ſunt: חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם בָּאוּ *& deſiderium cunctarum gentium venient.* Vulg. *Et veniet deſideratus cunctis gentibus.*

§. V.

De generis enallage.

Qua ratione concilianda ſit generis diſcrepantia, quæ intercedit verbum inter & nomen ipſi præpoſitum, docebimus in Synt. figurata. Duo tantum loca hic expendemus, quæ ad præcedentem canonem aliquo modo pertinent, & in quibus verbum, genus quod attinet, reſpondet nomini poſteriori, cum reſpondere deberet priori.

Levit. 13. v. 9. נֶגַע צָרַעַת כִּי תִהְיֶה בְּאָדָם *plaga lepræ cum fuerit in homine*, verbum תִהְיֶה, quod femininum eſt, pertinet ad נֶגַע maſculinum, ſed conſtruitur cum צָרַעַת feminino. Niſi antiquitus נֶגַע communis fuerit generis.

Jerem. 10. v. 22. קוֹל שְׁמוּעָה הִנֵּה בָאָה *vox auditionis ecce venit.* Verbum בָּאָה conſtruitur cum שְׁמוּעָה, quanvis pertineat ad קוֹל, quæ vox forte etiam olim utroque genere

Digitized by Google

gaudebat. Cum enim unicus ſuperſit liber Hebraice ſcriptus, ſicut is vocum omnia ſignificata non includit; ita etiam forte nec genera.

ARTICULUS III.

De verborum ellipſi.

MONOCANON.

Verbum quandoque in oratione deeſt, commoda ratione ſupplendum.

I. Verbum finitum deficit.

2. Reg. 18. v. 12. *Obſervate* (ne) *quis in puerum iſtum Abſalom*, ſupp. mittat manum, ſeu interficiat. Lxx. φυλάξατέ μοι τὸ παιδάριον τὸν Ἀβεσσαλώμ, Vulg. *cuſtodite mihi puerum Abſalom.*

Ibid. c. 23. v. 17. *Num ſanguinem iſtorum hominum* .... ſupp. cum Lxx. πίομαι, Vulg. *bibam*, quæ vox ſuppletur 1. Paral. 11. v. 19.

3. Reg. 11. v. 25. *Et hoc eſt malum, quod Adad*, adde cum Lxx. ἐποίησεν, Chald. דַּעֲבַד *fecerat.* Vulg. *Et hoc eſt malum Adad*, pronomen אֲשֶׁר ut pleonaſticum neglexit.

Ibid. c. 22. v. 36. *Unuſquiſque in civitatem ſuam, & in terram ſuam*, ſupp. cum mſ. Alexand. ἀποστρεφέτω, Vulg. *revertatur.*

Pſal. 24. Heb. 25. v. 15. *Oculi mei ſemper ad Dominum*, ſupp. reſpiciunt.

Pſal. 119. Heb. 120. v. 7. ſecundum Maſſoretharum diſtinctionem, אֲנִי־שָׁלוֹם וְכִי אֲדַבֵּר הֵמָּה לַמִּלְחָמָה *Ego pacem*, ſupp. diligo, *& cum loquebar, illi ad bellum*, ſupp. clamabant. S. Hieron. eleganter: *Ego pacifica loquebar, illi bellantia.* Lxx. aliter diſtinguentes: v. 6. *Multum incola fuit anima mea, cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* V. 7. *Cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Vocem δωρεάν, *gratis* ſenſus gratia addiderunt. Aq. ὅταν ἐλάλουν αὐτοῖς, εἰς πόλεμον, *cum loquebar illis, ad bellum*, ſupp. ut ſupra, clamabant. Sym. ὅτι ἐλάλουν αὐτοῖς, πολεμικῶς, cum loquebar illis, *hoſtiliter*, ſupp. agebant. Theod. ὅταν ἐλάλουν αὐτοῖς, ἐπολέμουν με, *cum loquebar illis, impugnabant me.* Hi omnes הֵמָּה interpretantur αὐτοῖς *illis*, forte legebant לָהֶמָּה; vel ל iſtud ſubintelligendum exiſtimabant.

Prov. 14. v. 14. *Viis ſuis replebitur ſtultus, & ab eo vir bonus*, ſupp. recedet, cavebit ſibi, &c.

Eccle. 8. v. 2. אֲנִי פִּי־מֶלֶךְ שְׁמֹר *Ego os regis* (i. mandatum) *obſervare*, ſupp. moneo obſervandum. Lxx. στόμα βασιλέως φύλαξον, *os regis obſerva*, neglexerunt pronomen אֲנִי, & שְׁמֹר ut imperat. ſpectarunt. Vulg. *os regis obſervo*, legiſſe videtur שֹׁמֵר *obſervans* (ſum.)

Iſai. 5. v. 9. *In auribus meis Dominus exercituum*, ſupp. dixit.

Oſe. 8. v. 1. *Sicut aquila in domum Domini*, ſuppl. involat, nimirum hoſtis.

Rom. 8. v. 3. *Nam, quod impoſſibile erat legi* .... *Deus filium ſuum mittens*, &c. ſupp. præſtitit.

Apoc. 19. v. 10. ὅρα μή, *vide, ne* ſupp. *feceris*, Vulg.

II. Verbum infinitum deeſt.

Pſal. 20. Heb. 21. v. 12. *Cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt*, ſupp. *ſtabilire*, Vulg. ſeu perficere.

Pſal. 100. Heb. 101. v. 5. *Elatum oculis, & tumentem corde*, אֹתוֹ לֹא אוּכָל *ipſum non poſſum*, ſupp. ferre. Vide Jerem. 44. v. 22. ubi completur infinitivus ille לָשֵׂאת *ferre.* Lxx. τούτῳ οὐ συνήσθιον, Vulg. Lat. *cum hoc non edebam.* Pro אוּכָל, legebant אוֹכֵל in bénoni qal verbi אָכַל *edit, comedit.* S. Hieron. *Cum hoc eſſe non poteram*, ſupplebat verbum *ſum.*

Pſal. 138. Heb. 139. v. 6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex*, vel *præ me, confortata eſt*, vel *elevata eſt, & non potero ad eam*, ſupp. pertingere.

Iſai.

Iſai. 1. v. 13. *Non poſſum iniquitatem & cœtum*, ſupp. ferre. Alia exempla vide Oſe. 8. v. 5. Luc. 13. v. 33. ubi ſubintelligendum verbum *operari*, quod ſupplet Syrus. 1. Cor. 3. v. 2. &c.

III. Verbum ſubſtantivum deeſt quam ſæpiſſime.

Gen. 1. v. 2. *Et tenebræ* (erant) *ſuper faciem Abyſſi.*

Ibid. cap. 3. v. 6. *Vidit igitur mulier, quod bonum* (eſſet) *lignum*, ſeu *arbor ad veſcendum*, i. fructus ligni, ſive arboris. Alia exempla ſunt c. 4. v. 13. c. 5. v. 1. 4. Reg. 6. v. 33. Pſal. 32. Heb. 33. v. 4. Eccle. 7. v. 12. Iſai. 44. v. 6. In Novo Teſtamento, Luc. 2. v. 14. c. 22. vv. 20. 21. Joan. 4. v. 24. Epheſ. 3. v. 1. 2. Tim. 3. v. 16. &c.

Sic in profanis. Menand. πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακὸν, *avaritia* (eſt) *maximum mortalibus malum*, &c.

ARTICULUS IV.

De Verborum pleonaſmo.

MONOCANON.

VERBUM ſubſtantivum *ſum* in præterito ſæpius, in futuro rarius redundat.

Gen. 41. v. 13. וַיְהִי *Et fuit, ſicut interpretatus eſt nobis, ſic fuit*, vel *evenit*. Prius *fuit* pleonaſticum eſt. Et ſic alias ſæpiſſime, præſertim in initiis librorum & pericoparum; ut Ruth. 1. v. 1. Eſth. 1. v. 1. &c.

Matth. 7. v. 28. *Et factum eſt, cum conſummaſſet Jeſus verba hæc, admirabantur turbæ.* Vide c. 11. v. 1. c. 13. v. 53. c. 19. v. 1. c. 26. v. 1. &c.

In futuro. Act. 2. v. 21. καὶ ἔσται, *& erit, omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Vide etiam c. 3. v. 22. Sic in Heb. Deut. 18. v. 19. וְהָיָה *& erit*, &c.

CAPUT V.

De Participio.

TRIA in participiis conſideranda ſunt. I. Eorum natura. II. Enallage. III. Peculiaris conſtructio. Participiorum naturam expendimus ſupra lib. I. c. VIII. art. VI. pag. 144. & ſeqq. Superſunt igitur excutiendæ enallage, & conſtructio ſingularis.

Enallage locum habet 1°. Cum participium uſurpatur pro nomine 2°. Quando cum verbo *ſum* expreſſo vel ſubintellecto junctum, pro variis verbi hujus temporibus, ſumitur pro præſenti, præterito, futuro, &c. 4°. Cum apud Græcos pro infinitivo, ponitur.

Singularis participiorum conſtructio referri etiam poteſt ad enallagen cum numeri, tum generis. Quæ omnia in duobus ſequentibus articulis eorumque canonibus expendentur.

ARTICULUS I.

De Participiorum enallage.

CANON I.

Participia cum activa tum paſſiva ſæpius loco noninum uſurpantur, ſeu in nomina degenerant.

Activa. רֹעֶה *paſcens* & *paſtor*, Jerem. 23. v. 2. שֹׁמֵר *cuſtodiens* & *cuſtos*, Pſal. 129. Heb. 130. v. 6. אוֹהֵב *amans* & *amicus*, Prov. 14. v. 20. רֹפֵא *ſanans* & *medicus*, Job. 13. v. 4. מוֹשֵׁל *dominans* & *dominator*, Mich. 5. v. 1. סֹחֵר *negotians* & *negotiator*, Gen. 23. v. 16. גּוֹאֵל *redimens* & *redemtor*, *propinquus*, Job. 19. v. 25. Ruth. 3. vv. 12. 13. חוֹזֶה *videns* & *propheta*, 1. Reg. 9. v. 9. &c.

In Piël, מְמַשֵּׁל *parabolarum artifex*, q. d. proverbificator, Ezech. c. 21. v. 5.

In Hiphil, מַלִּין *murmurans* & *murmurator*, Num. 14. v. 27.

In Novo Teſtamento. ὁ πειράζων, *tentans* & *tentator*, Matth. 4. v. 3. 1. Theſſ. 3. v. 5. ὁ βαπτίζων, *baptizans* & *baptiſta*, Marc. 6. v. 14. ὁ ἀπολλύων, *perdens* & *perditor*, Apoc. 9. v. 11.

Paſſiva. רָצוּץ *confractus*, hoc eſt, fragilis, 4. Reg. 18. v. 21.

Soph. 2. v. 1. *Gens* לֹא נִכְסָף *non deſiderata*, i. non deſiderabilis, ſive ut Vulg. *non amabilis*.

Pſal. 17. Heb. 18. v. 4. מְהֻלָּל, S. Hieron. *laudatum invocabo Dominum*, h. e. laudabilem. Lxx. αἰνῶν ἐπικαλέσομαι κύριον, Vulg. Lat. *laudans invocabo Dominum*, legebant מְהַלֵּל in activa voce. At 2. Reg. c. 22. v. 4. ubi idem pſalmus legitur, Lxx. interpretantur, αἰνετὸν ἐπικαλέσομαι κύριον, Vulg. *laudabilem invocabo Dominum*.

Prov. 21. v. 20. *Theſaurus* נֶחְמָד *deſideratus*, h. e. *deſiderabilis*, Vulg.

Pſal. 38. Heb. 39. v. 12. *Et tabeſcere feciſti ſicut araneam* חֲמוּדוֹ *deſideratum ejus*, h. e. deſiderabile. Sym. καὶ διαλύεις ὡς σῆτα τὸ ἐπιθυμητὸν αὐτοῦ, *& diſſolvis ſicut cariem deſiderabile ejus*. S. Hieron. *& poſuiſti quaſi tineam deſiderabilia ejus*. Lxx *& tabeſcere feciſti ſicut araneam*, τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, *animam ejus*, ſenſum non verbum reddiderunt, h. e. tabeſcere feciſti ſicut araneam ea, quæ ſicut animam ſuam diligebat homo.

Gal. 2. v. 11. κατεγνωσμένος, *reprehenſus*, h. e. *reprehenſibilis*, Vulg.

Heb. 12. v. 18. ψηλαφώμενος, *tractatus*, i. *tractabilis*, Vulg.

Ibid. v. 27. σαλευόμενος *motus*, h. e. *mobilis*, Vulg.

Sic apud Latinos. *invictus*, *indomitus*, *immotus*, &c. pro invincibilis, indomabilis, immobilis. Et apud Ciceronem, *damnatior* pro damnabilior.

Non ſolum autem participium in nominis adjectivi naturam tranſit, verum etiam ſubſtantivi interdum ſignificationem & naturam induit, ut צָפוּן *abſconditum*, ſignificat etiam *theſaurum*, ſeu *opes*, quæ recondi ſolent, Pſal. 16. Heb. 17. v. 14. בָּחוּר *electus*, item *juvenis*, Ezech. 9. v. 6. cap. 23. v. 6. &c. פְּרֻדוֹת *ſeparata*, h. e. grana, Joel. 1. v. 17. Sic οἰκουμένη *habitata*, ſumitur pro *orbe* terræ habitabilis, Heb. 1. v. 6. Apoc. 12. v. 9. Item pro futuro beatorum ſæculo, Heb. 2. v. 5. Perinde ut & adjectiva quædam pro ſubſtantivis uſurpantur, ut יַבָּשָׁה *arida*, h. e. terra, Gen. 1. vv. 9. 10. &c. לְבָנָה *alba*, h. e. *luna*, Vulg. Iſai. 24. v. 23. Poſſunt tamen illa nomina ut adjectiva conſiderari, quorum ſubſtantiva ſubintelliguntur.

Participium paſſivum *paohl*, cum pro nomine accipitur, interdum active ſignificat, ut יָקוּשׁ *auceps*, Prov. 6. v. 5. שְׁכֻנִים *habitatores*, Jud. 8. v. 11. מוֹשִׁיעַ σώζων, *ſalvator*, Zach. 9. v. 9. &c.

CANON II.

PARTICIPIA, quæ natura ſua tempus præſens ſignificant, ſi verbo ſubſtantivo היה *fuit*, jungantur, notant etiam præteritum, futurum, vel imperativum, ſi verbum ſubſtantivum ſit in præterito, vel futuro, aut imperativo.

Gen. 1. v. 6. ויהי מבדיל *& erit* (expanſum, ſeu firmamentum) *dividens*, h. e. dividet, vel divido, aut *dividat*, Vulg.

Deut. 9. v. 24. ממרים הייתם *rebellantes fuiſtis*, h. e. rebellaſtis. Sic v. 22.

2. Reg. 3. v. 6. *Abner* היה מתחזק *erat roborans ſe in domo Saülis*, h. e. roborabat ſe, potens erat, Lxx. ἦν κρατῶν, Vulg. *regebat domum Saül.*

Alia exempla vide 2. Paral. 24. v. 14. Neh. ſeu 2. Eſd. 1. v. 4. c. 2. vv. 13. 15. Jerem. 26. v. 18. &c.

In Novo Teſt. Marc. 1. v. 4. ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας, *fuit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans regnum pœnitentiæ*, h. e. baptizabat & prædicabat. Vide inſuper Luc. 11. v. 14. cap. 15. v. 1. Act. 8. v. 9. 2. Cor. 1. v. 9. cap. 5. v. 19. &c. Et geminato verbo ſubſtantivo, ſeu juncto προϋπάρχω, cum εἰμὶ, Luc. 23. v. 12. προϋπῆρχον γὰρ ἐν ἔχθρᾳ ὄντες πρὸς ἑαυτοὺς, *antea enim inimici erant inter ſe.*

Apud Profanos. Sophocl. χάρις χάριν ἐστὶν ἡ τίκτουσ᾽ ἀεὶ, *beneficium ſemper eſt pariens beneficium*, h. e. ſemper parit. Et ſic ſæpiſſime in elegantioribus ſcriptoribus cum Græcis, tum Latinis. Ovid. *Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo*, h. e. pendent, &c.

Interdum deficit participium.

1. Paral. 17. v. 5. *Et fui* מאהל אל־אהל *de tabernaculo* (Moſaico) *in tabernaculum* (Davidicum), ſupple מתהלך *itans.* Frequentiſſima vero eſt ellipſis verbi ſubſtantivi, ut in canone ſequenti videbimus.

CANON III.

PARTICIPIUM pro præſenti, quo carent verba Hebræa, præterito perfecto, vel imperfecto, & futuro, quanvis verbum ſubſtantivum deficiat, ſæpius uſurpatur.

I. Pro præſenti ponitur participium.

Exod. 2. v. 14. *An ad occidendum me tu* אמר *loquens?* hoc eſt, loqueris, ſeu cogitas, Vulg. *Num occidere me tu vis?* Vide etiam cap. 23. v. 19. Joſ. 1. v. 2.

Jud. 17. v. 9. ואנכי הלך *ego autem vadens ad peregrinandum*, ſeu *habitandum*, hoc eſt, *vado*, Vulg.

Eccle. 1. v. 7. *Omnia flumina* הלכים *euntia in mare*, h. e. eunt, Vulg. *intrant.* Alia exempla vide c. 4. v. 5. Iſai. 1. v. 7. &c.

Interdum etiam participium per ablativum, quem vocant abſolutum, exponitur, ut 3. Reg. 1. v. 42 עודנו מדבר *adhuc eo loquente.*

Alia hujus ablativi exempla vide Gen. 18. v. 22. c. 29. v. 9. Job. 2. v. 9. Eſth. 6. v. 14. &c.

In Novo Teſt. Rom. 5. v. 11. καυχώμενοι, *gloriantes in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, h. e. *gloriamur*, Vulg. Vide Act. 26. v. 20.

2. Cor. 10. v. 5. λογισμοὺς καθαιροῦντες, *conſilia deſtruentes*, i. deſtruimus ..... καὶ αἰχμαλωτίζοντες, *& in captivitatem redigentes*, h. e. redigimus.

Synonymum יש quandoque pro præſenti verbi ſubſtantivi ponitur.

Gen. 24. v. 42. אם־ישך־נא מצליח דרכי, *ſi es tu nunc ſecundans viam meam*, h. e. ſi ſecundas. Vide v. 49. & cap. 43. v. 4.

II. Pro præterito perfecto, vel imperfecto; tuncque ſubintelligitur verbum ſubſtantivum in præterito.

Gen. 42. v. 23. *Neſciebant autem, quod* שׁוֹמֵעַ *intelligens Joſeph*, ſupp. הָיָה *eſſet*, Vulg. *intelligeret.*

Exod. 10. v. 11. *Hoc vos* מְבַקְשִׁים *requirentes*, ſupp. הֱיִיתֶם *fuiſtis.* Vulg. *petiſtis.* Vide c. 13. v. 21. c. 14. v. 8. Deut. 4. v. 3. &c.

In N. Teſt. Matth. 3. v. 17. *Et ecce vox de cœlis* λέγουσα, *dicens*, h. e. dixit.

Act. 24. v. 5. εὑρόντες, *invenientes hunc hominem peſtiferum*, hoc eſt, *invenimus*, Vulg. Vide 1. Theſſ. 2. vv. 11. 12.

III. Pro futuro participium ponitur, & tunc ſubintelligendum eſt verbum ſubſtantivum in futuro.

Gen. 6. v. 17. *Ecce ego* מֵבִיא *adducens*, ſupp. אֶהְיֶה *ero.* Vulg. *adducam.*

Deut. 2. v. 4. אַתֶּם עֹבְרִים *vos tranſeuntes* (ſupp. תִּהְיוּ *eritis*), *per terminos fratrum veſtrorum.* Vulg. *tranſibitis.* Alia exempla ſunt Gen. 19. v. 13. cap. 20. v. 3. 4. Reg. 4. v. 16. Nah. 1. v. 9. Agg. 2. v. 6. &c. Pro N. Teſtam. vide ſup. cap. IV. art. II. §. II. Can. III. pag. 545. col. 2. Ex his porro exemplis quædam tempus paulo poſt futurum reſpiciunt, ut Gen. 19. v. 13. c. 20. v. 3. Luc. 22. v. 19. &c. & infra Can. V.

CANON IV.

PARTICIPIUM eleganter apud Græcos pro infinitivo ponitur.

Matth. 11. v. 1. *Et factum eſt, cum conſummaſſet Jeſus* διατάσσων, *præcipiens duodecim diſcipulis ſuis*, h. e. διατάσσειν, *præcipere.*

Epheſ. 1. v. 16. οὐ παύομαι εὐχαριστῶν ὑπὲρ ὑμῶν, *non ceſſo gratias agens pro vobis*, h. e. gratias agere. Sic Coloſſ. 1. v. 9. Alia exempla vide Luc. 5. v. 4. c. 7. v. 45. Act. 5. v. 42. cap. 6. v. 13. c. 13. v. 10. c. 20. v. 31. c. 21. v. 32. Heb. 10. v. 2. &c. Iſque Helleniſmus ſæpiſſime occurrit, apud præſtantiſſimos quoſque auctores cum ſacros, cum profanos, maxime poſt verba, *videndi*, *audiendi*, *cognoſcendi*, *recordandi*, *exiſtimandi*, *oſtendendi*, *convincendi*, *perſeverandi*, *deſiſtendi*, &c.

CANON V.

PARTICIPIUM præſens pro participio futuro, aut mox futuro ponitur.

Exod. 11. v. 5. *A primogenito Pharaonis* הַיֹּשֵׁב *ſedente ſuper ſolio ejus*, h. e. ſeſſuro.

Pſal. 77. Heb. 78. v. 4. Heb. *Non celabimus filios eorum* (patrum), *generationem alteram*, מְסַפְּרִים *narrantes laudes Domini*, h. e. narraturos. Conf. v. 6.

Eccle. 2. v. 16. Heb. 17. הַיָּמִים הַבָּאִים *dies venientes*, h. e. venturi. Vulg. *futura tempora.*

Jon. 1. v. 3. *Et invenit navem* בָּאָה *euntem in Tharſis*, hoc eſt, mox ituram. Vide etiam Jerem. 21. v. 9.

Matth. 11. v. 3. *Tu es* ὁ ἐρχόμενος, *veniens*, h. e. *venturus*, Vulg. Sic Apoc. 1. v. 8. *Qui eſt, & qui erat*, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *& qui venturus eſt*, pro ὁ ἐλευσόμενος. Vide inſuper 2. Pet. 3. v. 11. Heb. 11. v. 21.

ARTICULUS II.

De ſingulari participiorum conſtructione.

SINGULARIS participiorum conſtructio eſt vel cum *nomine*, vel cum *verbo.* De conſtructione cum nomine, in §. I, cum verbo, in §. II. differemus.

§. I.

De peculiari participiorum conſtructione cum nomine.

NOMEN vel præcedit, vel ſequitur. Cum præcedit; interdum eſt enallage numeri vel generis, de qua in Canonibus I. & II. Cum ſequitur, quandoque participia nominum conſtructorum formam imitantur. Qua de re in Canone III.

CANON I.

NOMINI collectivo ſingulari reſpondet participium plurale.

2. Reg. 3. v. 1. וּבֵית שָׁאוּל הֹלְכִים וְדַלִּים *&* *domus* (ſing.) *Saülis euntes* (erant) *& tenues*, h. e. magis magiſque attenuebatur. Vulg. *domus autem Saül* (erat) *decreſcens quotidie.*

3. Reg. 1. v. 40. *Et populus canentes* (erant) *tibiis*, h. e. canebat. Sic Thren. 1. v. 11.

Oſe. 11. v. 7. *Populus autem meus ſuſpenſi* (ſunt), hoc eſt, ſuſpenſus, nempe animo.

CANON II.

PARTICIPIUM nonnunquam genere diſcrepat à nomine quocum convenire debet.

Gen. 4. v. 7. הֲלוֹא אִם־תֵּיטִיב שְׂאֵת וְאִם לֹא תֵיטִיב לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ *Nonne ſi bene egeris, recipies; ſin autem male, ſtatim ad fores peccatum* (fem.) *cubans* eſt (maſc.)? Hæc generis anomalia tollitur ſupplendò aliud nomen ſynonymum maſc. in locum חַטָּאת, nempe חֵטְא, vel עָוֹן maſc. generis. Lxx. οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον, *Nonne ſi recte obtuleris, non autem recte diviſeris, peccaſti? quieſce.* Vocem תֵּיטִיב adverbialiter, ut interdum fit, accepere, *nonne ſi bene feceris offerre*, ſeu *offerendo*, h. e. nonne ſi bene obtuleris, &c. Pro לַפֶּתַח *ad oſtium*, legerunt לִפְתֹּחַ *ad dividendum; ſed ſi non benefeceris ad dividendum*, h. e. ſi male diviſeris. Denique pro חַטָּאת legebant חָטָאתָ *peccaſti*, & pro רֹבֵץ *cubans*, רְבָץ *cuba, quieſce.* Sym. ἀλλ' ἐὰν ἀγαθύνῃς, ἀφήσω· ἐὰν δὲ μὴ ἀγαθύνῃς, παρὰ θύραις ἁμαρτία ἐγκάθηται, *ſed ſi bene feceris, dimittam* (ad verbum שְׂאֵת *remiſſio* erit) *ſi vero non bene feceris, ad januam peccatum jacet.* Theod. οὐκ ἂν ἀγαθῶς ποιῇς, δεκτόν; καὶ ἂν μὴ ἀγαθῶς ποιῇς, ἐπὶ θύραις ἁμαρτία ἐγκάθηται; *nonne ſi bene feceris, acceptabile* (erit?) *& ſi non bene feceris, ſuper januam peccatum inſidet?*

Jerem. 4. v. 30. וְאַתְּ שָׁדוּד מַה־תַּעֲשִׂי *tu autem vaſtata quid facies?* Pronomen & verbum feminina ſunt, participium vero maſculinum; *quia*, ſcribit Qimhhi, *Scriptura de ſynagoga Iſraëlis quandoque genere maſculino loquitur, & quandoque genere feminino; & utrumque rectum eſt*, nam ſi uſurpetur maſculinum genus, ad *populum* refertur; ſi femininum, ad *ſynagogam* pertinet. Forte etiam antiquitus legebatur שְׁדוּדָה *vaſtata*, & ה librariorum incuria excidit, ſicuti in aliis quibuſdam nominibus, puta נַעֲרָה *puella*, cujus ה in toto Pentateucho, ſi Deut. 22. v. 19. exceperis, excidit.

Jerem. 44. v. 19. *Quod ſi nos* מְקַטְּרִים *ſacrificantes ſumus reginæ cœli*, &c. participium maſculinum eſt, licet ſermo ſit de mulieribus, quia conſciis & permittentibus maritis, incenſum iſtud obtulerant; adeo ut mariti ipſi id feciſſe cenſerentur. Unde ſequitur: *Nunquid ſine viris noſtris fecimus ei placentas ad colendum eam, & libandum ei libanina?*

Digitized by Google

CANON III.

PARTICIPIA, maxime paſſiva, more & forma nominum regunt genitivum, qui Latine vel per caſum verbi, cujus eſt participium, exponendus eſt; vel participium ut nomen conſideratur, & genitivus remanet.

Gen. 4. v. 2. רֹעֵה צֹאן *paſcens oves*, vel *paſtor ovium.*

Ibid. c. 23. v. 10. לְכֹל־בָּאֵי שַׁעַר עִירוֹ *cunctis ingredientibus portam civitatis ſuæ*, vel *cunctis ingreſſoribus portæ civitatis ſuæ.*

Exod. 1. v. 5. יֹצְאֵי יֶרֶךְ *egreſſi femore*, vel *egreſſores femoris.*

Alia exempla ſunt 4. Reg. 11. vv. 5. 7. 9. Eſth. 1. v. 14. Pſal. 77. Heb. 78. v. 9. Pſal. 98. Heb. 99. v. 6. Thren. 1. vv. 4. 12. &c.

§. II.

De peculiari participii cum verbo conſtructione.

MONOCANON.

PARTICIPIUM cum verbo conſtructum quandoque per infinitivum; quandoque per adverbium exponitur. Interdum etiam nominis ellipſin includit.

I. Participium per infinitivum exponitur.

Oſe. 7. verſ. 4. *Omnes ipſi adulterantur* (æſtuantes) *ſicut clibanus ſuccenſus à piſtore*, (quando) *ceſſat* מֵעִיר *vigilans*, (h. e. vigilare) *& depſere maſſam, donec tota fermentetur*; tunc enim clibanum piſtor ſolet accendere & dormire, donec calefactus fuerit. Alii alias expoſitiones afferunt, quas vide apud interpretes. Aliis tamen מֵעִיר infinitivus eſt hiphil, abjecta characteriſtica, pro מֵהָעִיר. Vide ſupra pag. 259. coll. 1. 2. initio.

Iſthæc enallage participii pro infinitivo frequens eſt apud Græcos, ut diximus ſupra art. I. Can. IV. pag. 556. col. 2. idque peculiare habet cum λανθάνω compoſitum, quod in cauſa ſit cur verbum iſtud vel per nomen, vel per participium vertendum ſit, ut Heb. 13. v. 2. *Hoſpitalitatem nolite oblivviſci; per hanc enim* ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους, pro λαθόντες ἐξένισαν, *inſcii hoſpitio exceperunt angelos*, ut Lot Gen. 19. ad cujus etiam nomen hîc reſpexiſſe epiſtolæ hujus auctorem volunt nonnulli ſubtiliter magis quam ſolide, ex eo quod לוֹט derivetur à לוּט *abſcondere*, unde λάθω & λανθάνω, quo utitur Scriptor ſacer. Hac loquutione nihil frequentius in profanis, apud quos verbum λανθάνω per adverbium interdum etiam exponendum eſt, ut Ariſt. in problem. λανθάνει ἐκπίπτων, *latenter excidit.* Hom. Iliad. Ω. v. 477. Τοὺς δ' ἔλαθ' εἰσελθὼν Πρίαμος, *clam autem illis ingreſſus Priamus*, &c.

II. Participium verbi *mitto* ſæpe includit ellipſin nominis ratione ſententiæ ſupplendi.

Matth. 2. v. 16. *Tunc Herodes .... iratus eſt valde*, καὶ ἀποστείλας, ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας, *& mittens* (milites, ſatellites, carnifices, &c.) *occidit omnes pueros*, &c.

Ibid. cap. 14. v. 10. καὶ πέμψας, ἀπεκεφάλισε τὸν Ἰωάννην ἐν τῇ φυλακῇ, *& mittens* (ſupp. σπεκουλάτωρα, ſpiculatorem, ut ſuppler S. Marcus cap. 6. v. 27.) *decollavit Joannem in carcere.*

Apud profanos. Strabo, Ἀθηναῖοι δὲ πέμψαντες, ὕβριν κατέσφαξαν τοὺς πλείστους, *Athenienſes autem mittentes petulanter jugularunt multos.*

Eadem ellipſis in Veteri Teſtamento,

quandoque etiam cernitur, ſed cum tempore, ſeu modo diverſo à participio.

Gen. 41. v. 14. *Et miſit Pharao* (nuntium) *& vocavit Joſeph.*

Pſal. 56. Heb. 57. v. 4. *Miſit de cælo* (angelum) *& liberavit me.* Vide etiam 3. Reg. 2. v. 25. & confer Apoc. 1. v. 1. ubi ellipſis illa cum participio completur.

CAPUT VI.

De Adverbio.

ADVERBIUM eo loci cum *in genere*, tum *in ſpecie* conſiderabimus.

ARTICULUS I.

De Adverbio in genere conſiderato.

IN adverbio generatim ſpectato occurrit I. Ejus circumſcriptio. II. Repetitio. III. Singularis conſtructio.

CANON I.

ADVERBIUM quandoque aliarum vocum poſitione circumſcribitur, & conſtituitur.

I. Nomen ſubſtantivum cum præpoſitione, vel ſine præpoſitione, cum verbo conjunctum, adverbii loco interdum ponitur.

Cum præpoſitione.

Gen. 34. v. 13. *Reſponderunt filii Jacob Sichem & patri ejus* בְּמִרְמָה *in dolo*, h. e. doloſe. Sic בְּפָרֶךְ Exod. 1. v. 14. in *ſævitia*, ſeu *duritie*, h. e. dure. בְּצֶדֶק בְּמֵישָׁרִים *in juſtitia*, *in rectitudinibus*, Pſal. 9 v. 9. hoc eſt, juſte, rectiſſime. לָבֶטַח *ad ſecuritatem*, Jud. 18. v. 7. Lev. 25. v. 18. Oſe. 2. v. 20. Pſal. 4. v. 9. h. e. ſecure. לְמַכְבִּיר *ad multiplicitatem*, Job. 36. v. 31. h. e. multipliciter, abunde, &c.

Matth. 22. v. 16. *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei* ἐν ἀληθείᾳ, *in veritate doces*, h. e. vere, recte.

Marc. 12. v. 32. ἐπ' ἀληθείας, *in veritate dixiſti*, i. vere.

Act. 26. v. 7. ἐν ἐκτενείᾳ, *in extenſione*, ſive *aſſiduitate*, hoc eſt, aſſidue.

2. Cor. 9. v. 6. *Qui parce ſeminat parce & metet, & qui ſeminat in* vel *de benedictionibus*, h. e. copioſe & abundanter, *in benedictionibus & metet*, i. copioſe & liberaliter, uti oppoſitio cum priori membro oſtendit. Alia exempla vide Heb. 12. v. 1. Apoc. 18. v. 2. &c.

Sine præpoſitione.

Pſal. 74. Heb. 75. v. 3. *Cum accepero tempus, ego* מֵישָׁרִים *rectitudinibus judicabo*, h. e. in rectitudinibus, ſive rectiſſime. Præpoſitio בְּ *in*, quæ hîc ſubintelligitur, cum hoc nomine exprimitur Pſal. 95. Heb. 96. v. 10. Pſal. 97. Heb. 98. v. 9. Lxx. εὐθύτητας, *rectitudines*, Vulg. *juſtitias judicabo*, ſubintelligi poteſt præpoſitio לְפִי, *ſecundum rectitudines*, i. rectiſſime.

Pſal. 138. Heb. 139. v. 14. *Confitebor tibi, quo-*

nium נוֹרָאוֹת נִפְלֵיתִי *terribilibus magnificatus ſum*, h. e. *terribiliter*, Vulg. ſtupendum in modum, mirabiliter. Lxx. *quoniam* φοβερῶς ἐθαυμαστώθης, *terribiliter mirificatus es*, in ſecunda perſona, quia legebant נִפְלֵיתָ. Vel librariorum oſcitantia mendoſe irrepſit ς pro ν, nimirum ἐθαυμαστώθης pro ἐθαυμαστώθην.

Prov. 31. v. 9. *Aperi os tuum*, שְׁפָט־צֶדֶק *judica juſtitiam*, hoc eſt, juſte. Vulg. *decerne quod juſtum eſt.* Alia exempla vide Iſai. 21. v. 7. Thren. 1. v. 9. &c.

Marc. 7. v. 3. *Phariſæi enim, & omnes Judæi, niſi* πυγμῇ, *crebro laverint manus, non manducant.* Hanc eſſe ſignificationem vocis πυγμῇ liquet ex vicino vocabulo πύξ, quod apud Suidam exponitur ἀντὶ πυκνῶ, *crebro, diligenter*, & *aſſidue*. Alii, niſi ad carpum, vel cubitum uſque laverint manus; πυγμὴ enim utrumque ſignificat. Sic παῤῥησίᾳ, *palam, libere, aperte*, Marc. 8. v. 32. Joan. 7. vv. 13. 26. cap. 10. v. 24. c. 11. v. 14. c. 16. vv. 25. 29. c. 18. v. 20. &c. δημοσίᾳ *publice*, Act. 16. v. 37. ἰδίᾳ *ſigillatim*, 1. Cor. 12. v. 11.

Apud profanos. σπουδῇ *celeriter*, σιγῇ, σιωπῇ *tacite*, &c. quæ omnia adverbia ſubſtantiva ſunt in ablativo caſu, quibuſcum ſubintelligitur præpoſitio ἐν *in*.

II. Cum duo verba ejuſdem temporis conjunguntur, prius ſæpe adverbii naturam induit. Vide ſupra cap. IV. art. I. §. III. Can. IV. pag. 535.

III. Verbum finitum cum infinitivo junctum, quandoque pro adverbio ponitur. Vide exempla ibidem, pag. 536.

CANON II.

Adverbium idem repetitum, vel cum ſynonymo ſuo conjunctum, emphaſin ſignificationis importat.

I. Si repetatur, ſuperlativam fere loquutionem indicat.

Exod. 23. v. 30. מְעַט מְעַט *parum parum expellam eos a facie tua*, &c. hoc eſt, ſenſim admodum & paulatim.

Deut. 28. v. 43. *Advena, qui tecum verſabitur in terra, aſcendet ſuper te* מַעְלָה מָּעְלָה *ſupra, ſupra*, h. e. perquam ſupreme, *tu autem deſcendes* מַטָּה מָּטָּה *infra, infra*, id eſt, perquam infime.

4. Reg. 10. v. 4. *Et timuerunt* מְאֹד מְאֹד *valde, valde*, i. maxime, vehementiſſime. Priori מְאֹד interdum additur præpoſitio ב in, Gen. 17. v. 6. *Faciamque te creſcere* בִּמְאֹד מְאֹד *in valde valde*, hoc eſt, *vehementiſſime*, Vulg.

Exod. 1. v. 7. *Filii Iſraël creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati ſunt* בִּמְאֹד מְאֹד *in valde valde*, i. *nimis*, Vulg. Vide etiam Ezech. 16. v. 13.

Ezech. 42. v. 15. *Et menſus eſt eam* (portam) סָבִיב סָבִיב *circum, circum*, h. e. circumquaque, ab omnibus partibus.

Interdum etiam hac repetitione diſtributio ſignificatur. Levit. 6. v. 5. al. 12. *Et accendet ſuper eo* (altari) *Sacerdos ligna* בַּבֹּקֶר בַּבֹּקֶר *mane, mane*, i. ſingulis matutinis. Vulg. *mane per ſingulos dies.*

II. Si jungatur adverbium cum ſuo ſynonymo, emphaſis denotatur.

Num. 12. v. 2. הֲרַק אַךְ *an ſolum tantummodo per Moyſen loquutus eſt Dominus?* hoc eſt, an omnino ſolum per Moyſen loquutus eſt Dominus, ceteris omnibus excluſis? Vulg. *Num per ſolum Moyſen*, &c.

Iſai. 30. v. 13. פִּתְאֹם לְפֶתַע *repente, momento veniet contritio ejus*, h. e. maxime ſubito & repente. Vulg. *ſubito dum non ſperatur.*

Iſai. 5. v. 26. Joel. 3. v. 4. al. cap. 4. v. 4. קַל מְהֵרָה & מְהֵרָה קַל, quæ ſunt nomina ſubſtantiva pro adverbiis poſita, *cito velociter reddam viciſſitudinem* ſeu *ultionem vobis ſuper caput veſtrum*, hoc eſt, velociſſime. Alia exempla ſunt: הֲמִבְּלִי אֵין *an ne non?* Exod. 14. v. 11. הַאִם *an num?* Job. 6. v. 13. כְּמוֹ־כֵן *ſimiliter ſic*, Iſai. 51. v. 6. &c.

Apud profanos. Plaut. Milit. *abripuit repente ſeſe ſubito.* Terent. Heautont. *una mecum ſimul.* Cicero Verr. 1. *repente è veſtigio*, &c.

CANON

CANON III.

ADVERBIUM Græcum, quód affectionem animi, vel corporis denotat, cum verbo ἔχω conſtructum, ut nomen cum verbo ſubſtantivo quandoque exponendum eſt.

Marc. 5. v. 23. *filia mea* ἐσχάτως ἔχει, *extreme habet*, h. e. *in extremis eſt*, Vulg. morti vicina eſt; mors enim ultima linea rerum eſt. Sic Act. 21. v. 13. ἑτοίμως ἔχειν, *paratè habere*, i. paratum eſſe. Ita 2. Cor. 12. v. 14. 1. Pet. 4. v. 5.

Interdum etiam Latinus ſermo Græco ex aſſe reſpondet. Marc. 6. v. 55. κακῶς ἔχειν, *malè ſe habere*, i. ægrotare. Joan. 4. v. 52. κομψότερον ἔχειν, *melius ſe habere*, ſeu convaleſcere.

Hujus etiam idiotiſmi elegantiſſimi, apud profanos frequentia ſunt exempla. Iſoc. ἡγεμονικῶς ἔχειν, *imperium appetere*. δυσπείστως ἔχειν, *imperſuaſibilem eſſe*. ἡδέως ἔχειν, *jucundum eſſe*. μαλακῶς ἔχειν, *infirmum eſſe*, &c.

ARTICULUS II.

De Adverbio in ſpecie conſiderato.

ADVERBIA in ſpecie conſiderata notant, vel *circumſtantiam*, vel *actionem*, vel *qualitatem*.

Circumſtantiam exprimunt adverbia 1°. Loci. 2°. Temporis. 3°. Numeri.

Actionem notant adverbia 1°. Demonſtrationis. 2°. Confirmationis. 3°. Negationis. 4°. Dubitationis. 5°. Excluſionis.

Qualitatem deſignant adverbia 1°. Similitudinis. 2°. Limitationis.

§. I.

Adverbia Loci.

MONOCANON.

ADVERBIUM loci repetitum, intercedente conjunctione copulativa; aut alia voce, loci diverſitatem ſignificat.

Exod. 2. v. 12. *Cumque circumſpexiſſet* (Moyſes) כֹּה וָכֹה *huc & huc*, h. e. *huc atque illuc*, Vulg.

Joſ. 8. v. 20. *Et non potuerunt fugere* הֵנָּה וָהֵנָּה *huc & huc*, h. e. *huc illucque*, Vulg. Sic 4. Reg. 2. v. 8. Vide inſuper Joſ. 8. v. 33. 3. Reg. 2. vv. 36. 42. 4. Reg. 4. v. 35. Ezech. 40. v. 49.

Pro adverbio loci interdum uſurpatur pronomen, ut: οὗ *ubi*, Matth. 2. v. 9. Act. 2. v. 2. c. 7. v. 29. c. 20. v. 8. &c. Significat etiam motum ad locum, 1. Cor. 16. v. 6. αὐτοῦ pro ἐκεῖ, hîc Matth. 26. v. 36. Act. 18. v. 19. c. 21. v. 4. Sic ταύτῃ, *hac* vel *iſthac*, ἐκείνῃ, *illac*, ἑτέρᾳ, *aliorſum*, &c. ſubintellecto ſubſtantivo ὁδῷ, *via*.

Quandoque etiam adverbium *quietis* pro *motus* adverbio uſurpatur, ut Matth. 2. v. 22. *ἐκεῖ*, *ibi* pro *eò*, *illuc*; quod etiam apud profanos inſolens non eſt.

Denique adverbium *loci* pro adverbio temporis nonnunquam ponitur.

Oſe. 2. v. 15. מִשָּׁם *ex ibi*, pro ex eo tempore, ſtatim. Vulg. tamen interpretatur *ex eodem loco*.

Sunt etiam, qui Pſal. 13. Heb. 14. v. 5. Pſal. 35. Heb. 36. v. 13. Eccle. 3. v. 17. שָׁם interpretentur *tunc*.

§. II.

Adverbia temporis.

CANON I.

ADVERBIA temporis certi & determinati, nonnunquam indeterminate & indefinite ſumuntur.

I. HERI pro quolibet tempore præterito.

2. Reg. 15. v. 20. תְּמוֹל *heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi?* h. e. nupertrime veniſti. Alia exempla ſunt 4. Reg. 9. v. 26. Job. 8. v. 9. Iſai. 30. v. 33. (Conf. Matth. 25. v. 41.) Mich. 2. v. 8. Sic *heri, nudius tertius*, Gen. 31. vv. 2. 5. Exod. 21. vv. 29. 36. 2. Reg. 3. v. 17.

II. HODIE pro præſenti tempore.

Deut. 27. v. 9. *Hodie factus es populus Domini Dei tui*, i. hoc tempore.

Pſal. 94. Heb. 95. v. 7. *Hodie ſi vocem ejus audieritis*, &c. i. hoc tempore, quo verbum Divinæ gratiæ vobis prædicatur. Conf. Heb. 3. vv. 8. 13. 2. Cor. 6. v. 2. Vide inſuper Iſai. 58. v. 4. Oſe. 4. v. 5.

Longe alia ratione accipitur *hodie*, Pſal. 2. v. 7. *Dominus dixit ad me* (loquitur æternus Dei filius) *filius meus es tu, ego hodie genui te*, h. e. ab æterno. *In æternitate enim nec præteritum quicquam eſt, quaſi eſſe deſierit; nec futurum, quaſi nondum ſit, ſed præſens tantum.* S. Aug. comm. in h. l. tom. 4. nov. edit. col. 5.

III. CRAS pro futuro tempore indeterminato.

Gen. 30. v. 33. *Reſpondebitque mihi*, ſeu *pro me* מָחָר *cras juſtitia mea*, h. e. poſthac.

Exod. 13. v. 14. *Cumque interrogaverit te filius tuus cras*, i. ut LXX. μετὰ ταῦτα, *poſthac*. Alia exempla ſunt Deut. 6. v. 20. Joſ. 4. vv. 6. 21. c. 22. v. 24. Prov. 27. v. 1. Iſai. 22. v. 13. c. 56. v. 12. Matth. 6. v. 34. 1. Cor. 15. v. 32. Jacob. 4. vv. 13. 14. *Hodie & cras, ac tertia die*, Luc. 13. v. 32. pro exiguo tempore dicitur.

CANON II.

ADVERBIUM temporis *ſemper*, ſeu *jugiter*, per *ſæpe*, vel *frequenter*, aut quid aliud, interdum exponendum eſt.

Exod. 27. v. 20. *Præcipe filiis Iſraël, ut afferant tibi oleum .... ut ardeat lucerna ſemper in Tabernaculo teſtimonii*, &c. ſemper, i. à veſpere ad mane, uti conſtat ex v. 21. cap. 30. v. 8. Lev. 24. v. 3. 1. Reg. 3. v. 3.

Ibid. 28. v. 30. *Et geſtabit* (Aaron) *judicium filiorum Iſraël in pectore ſuo, in conſpectu Domini ſemper*, ſcilicet quoties ingreditur Tabernaculum. Confer v. 29.

3. Reg. 10. v. 8. *Beati viri tui .... qui ſtant coram te ſemper*, h. e. frequenter.

Luc. 18. v. 1. *Quoniam oportet ſemper orare*, &c. h. e. ſæpiſſime.

Ibid. cap. 24. v. 53. *Et erant ſemper in Templo, laudantes & benedicentes Deum*, hoc eſt, frequentiſſime. Vide inſuper Joan. 18. v. 20. 1. Cor. 1. v. 4. &c. Sic *εἰς τέλος in finem*, Luc. 18. v. 5.

Digitized by Google

CANON III.

ADVERBIA temporis diſtributiva *quotannis, in dies*, elegantibus ſermonis floſculis exprimuntur.

Exod. 13. v. 10. *Cuſtodies hujuſcemodi cultum ſtatuto tempore*, מִיָּמִים יָמִימָה *a diebus in dies*, ſeu ab anno in annum, h. e. quotannis; pluralis enim יָמִים hîc, & ſæpe alibi, pro anno ſumitur. Sic 1. Reg. 1. v. 3.

Deut. 15. v. 20. שָׁנָה בְשָׁנָה *anno in annum*, h. e. *per ſingulos annos*, Vulg. Sic 1. Reg. 7. v. 16. 4. Reg. 17. v. 4.

1. Paral. 12. v. 22. יוֹם בְּיוֹם *die in diem*, h. e. ſingulis diebus, quotidie. Pro ב ante nomen alterum adhibetur ל, Eſth. 3. v. 7. & עַל 2. Paral. 21. v. 15.

Heb. 9. v. 7. τοῦ ἐνιαυτοῦ, *anni*, tanquam adverbium ponitur, ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, *ſemel annuatim*, ſeu in anno. Alias etiam nomina temporis per genitivum apud Græcos efferuntur, *νυκτὸς*, *noctu*, Joan. 3. v. 2. ὄρθρου, *diluculo*, c. 8. v. 2. *ἡμέρας καὶ νυκτὸς*, *die ac nocte*, Pſal. 1. v. 2. ſed ſubintelligitur præpoſitio *διὰ*, *per*.

Apud Hebræos vero per accuſativum exprimuntur; item per ablativum cum præpoſitione, vel ſine præpoſitione.

Per accuſativum. Gen. 29. v. 14. *Et manſit apud eum* חֹדֶשׁ יָמִים *menſem dierum*, hypallage, pro *dies menſis*, hoc eſt, menſem integrum. Sic Deut. 21. v. 13. Vide inſuper Gen. 8. v. 10. cap. 29. v. 18. Exod. 2. v. 2. Jud. 19. v. 2. &c.

Per ablativum cum præpoſitione. Gen. 7. v. 11. בִּשְׁנַת שֵׁשׁ־מֵאוֹת *In anno ſexcenteſimo vitæ Noe, in menſe ſecundo, in ſeptimo decimo die menſis, in die ipſo*, &c. Vide Prov. 7. v. 9. Interdum uſurpatur ל, ut: Gen. 8. v. 11. *Reverſaque eſt ad eum columba* לְעֵת עֶרֶב *ad tempus veſperæ*, h. e. veſpertino tempore. Vide etiam c. 7. v. 10.

Per ablativum ſine præpoſitione. 2. Eſd. 2. v. 12. וָאָקוּם לַיְלָה *& ſurrexi nocte*. Vide Exod. 33. v. 5. 1. Reg. 30. v. 12.

CANON IV.

ADVERBIUM temporis indeterminati *cum*, vel *quum*, *quando*, per conjunctionem כִּי *quia*, non raro exprimitur.

Gen. 4. v. 12. כִּי *Cum operatus fueris terram, non dabit vim ſuam*, hoc eſt, *fructus ſuos*, ut optime reddidit Vulg.

Num. 22. v. 22. *Et iratus eſt Deus* כִּי *quando abiit ipſe* (Balaam); profectio enim iſta, quam præceperat Deus v. 20. non cauſa fuit iræ Divinæ, ſed malus Balaami proficiſcentis animus. Non enim iraſcitur Deus, quia ſolum proficiſcitur Balaam, ſed quia proficiſcitur cum animo maledicendi populo Dei, (ut liquet v. 32. *quia*, ait illi angelus, *declinat hæc via in conſpectu meo*, ſive ut interp. Vulg. *quia perverſa eſt via tua, mihique contraria*), quod prohibuerat Deus v. 12.

Alia exempla vide Gen. 31. v. 37. Exod. 7. v. 9. c. 30. v. 12. Lev. 1. v. 2. c. 2. v. 1. Deut. 21. v. 22. Jud. 21. v. 22. 1. Reg. 3. v. 21. 2. Reg. 7. v. 1. (Conf. 1. Paral. 17. v. 1. ubi pro כִּי habetur כַּאֲשֶׁר *quando*) Prov. 23. v. 22. &c.

In N. Teſt. idem adverbium *cum*, quandoque exprimitur per conjunctionem cauſalem ὅπως, ὡς, ἵνα, *ut*.

Act. 3. v. 19. *Reſipiſcite*, Vulg. *pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*. V. 20. ὅπως ἂν, *cum venerint tempora refrigerii*, &c. ubi ὅπως ἂν eſt pro ἐπειδὰν, quæ ſignificatio in profanis etiam auctoribus reperitur, puta Herodot. Sophocl. &c.

Rom. 15. v. 24. ὡς ἐὰν, *cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero*, &c. Vide 1. Cor. 11. v. 34.

Joan. 16. v. 2. *Venit hora*, ἵνα *cum omnis, qui interficit vos*, &c. Sic v. 32. 3. Joan. v. 4. &c.

CANON V.

Adverbium temporis *ſtatim*, *cito*, interdum moram includit.

Pſal. 36. Heb. 37. v. 2. *Quoniam tanquam fœnum* מְהֵרָה *velociter areſcent*, ſeu *ſuccidentur* (impii), h. e. poſt aliquod tempus, confer vv. 10. 35. 36. Pſal. 72. Heb. 73. vv. 17. 18. 19.

Matth. 13. v. 5. Marc. 4. v. 5. *Alia autem* (ſemina) *ceciderunt in petroſa*, καὶ εὐθέως ἐξανέτειλε, *& continuo exorta ſunt*, h. e. poſt breve tempus. Sic Marc. 1. v. 21. Jacob. 1. v. 24. 3. Joan. v. 14. Et præſertim Marcus ſæpiſſime hac voce utitur, qua ſequentia præcedentibus connectit.

Matth. 24. v. 29. *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum*, (h. e. poſt urbis Jeroſolymæ per Titum expugnationem) *ſol obſcurabitur*, &c. adverbium *ſtatim* expendendum non eſt ad noſtram numerandi rationem, ſed Dei, in cujus oculis mille anni ſunt tanquam dies heſterna, quæ præteriit. Ad hæc Chriſtus eo loci ſequitur conſuetudinem prophetarum, qui tum de peculiari judicio, tum de univerſali ſic loquuntur, ac ſi eſſent in propinquo. Vide Deut. 32. v. 35. Iſai. 5. v. 26. Soph. 1. vv. 14. 15. &c. Idem & Apoſtoli Domini ſequuti ſunt, qui totum illud tempus, quod à primo Chriſti adventu, ad ſecundum uſque intercedit, vocant *ultimum* (tempus), *noviſſimam horam*, Act. 2. v. 17. 1. Cor. 10. v. 11. Philip. 4. v. 5. Heb. 1. v. 1. cap. 9. v. 26. c. 10. vv. 25. 37. Jac. 5. v. 8. 1. Pet. 4. v. 7. 1. Joan. 2. v. 18. Imo S. Paulus de extremo die ita loquitur, ac ſi ipſe cum iis, ad quos ſcribit, ad eum uſque ſuperſtes in vita manſurus eſſet, 1. Theſſ. 4. v. 15. idque cum ad excutiendam hominibus ſecuritatem, & vigilantiam ſuadendam; Matth. 24. v. 47. 1. Theſſ. 5. vv. 1. 2. 3. 4. tum ad occurrendum curioſitati eorum, qui dies ac tempora temere ſcrutantur, Act. 1. v. 7. &c.

Eodem modo explicandum eſt illud Apoc. c. 1. v. 1. *quæ oportet fieri* ἐν τάχει, *cito*, h. e. ſequuturis temporibus uſque ad conſummationem ſæculi.

CANON VI.

Adverbium temporis οὐκ ἔτι, οὐκέτι, μηκέτι, *non amplius*, interdum ad antecedens tempus nullum reſpectum habet, ſed ſimpliciter pro *non* ponitur.

Act. 13. v. 34. *Quod autem ſuſcitavit* (Deus Pater) *eum* (Jeſum) *à mortuis*, μηκέτι, *non amplius reverſurum in corruptionem*, h. e. non reverſurum, vel potius non perventurum; Chriſtus enim nunquam corruptioni fuit obnoxius, ſecundum illud Pſal. 15. Heb. 16. v. 10. *non dabis ſanctum tuum videre* (i. experiri) *corruptionem*, quæ verba Chriſto applicat Paulus ibidem v. 35. Vide etiam v. 37. ubi pro ὑποστρέφειν, *reverti*, legere eſt ἰδεῖν, *videre*.

Rom. 6. v. 9. *Chriſtus reſurgens ex mortuis non amplius moritur, mors illi* οὐκέτι, *non amplius dominabitur*, h. e. non dominabitur; neque enim prius mors dominata erat Chriſto, cum Act. 2. v. 24. de eo dicatur, quod *impoſſibile erat* κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ (ſup. θανάτου, ut legitur in eodem verſu) *teneri*, Vulg. vel potius *ſuperari*, *vinci eum ab ipſa* morte; id enim verbum κρατεῖν, proprie ſignificat. Heb. 2. v. 14. Chriſtus *per mortem deſtruxit eum qui habebat mortis imperium*, *id eſt*, *Diabolum.* Non fuit igitur ſub dominio & imperio mortis. Vide etiam Joan. 14. v. 30. ubi Chriſtus aſſerit principem hujus mundi in ſe non habere quicquam. Princeps autem hujus mundi Diabolus eſt, qui per mortem dominatur.

Alia exempla οὐκέτι, in hoc ſenſu accepti vide Joan. 15. v. 15. ubi Chriſtus diſcipulos

ſuos alloquens dicit : οὐκέτι, *non amplius dicam vos ſervos*, &c. h. e. non dicam, quatenus videlicet nomen iſtud amicis opponitur, & timoris ſervilis, ac dominationis ſtatum includit; Chriſtus enim, ut amicus, amiciſſime cum diſcipulis ſuis converſatus eſt, conf. Luc. 12. v. 4. neque illos eo nomine unquam vocavit. At miniſterii & obſequii debiti ratione, Chriſtus diſcipulos ſuos ſervos appellaverat Matth. 10. vv. 24. 25. Joan. 13. v. 16. & poſtea eo nomine vocavit eos Joan. 15. v. 20. Vide etiam Rom. 7. vv. 17. 20. Gal. 3. v. 18. &c. Sunt tamen, qui his in locis οὐκέτι interpretentur, *non jam*, ſive, ut Vulg. *jam non.*

CANON VII.

ADVERBIA temporis *donec* & *uſque*, non ſemper tempus præteritum determinant & futurum excludunt: ſed ſæpius indeterminate accipiuntur, ita ut ſequens tempus omne includatur; ac proinde per *ſemper*, vel *nunquam* oratio exponenda ſit.

Hæc adverbia in propoſitionibus tum affirmantibus, tum negantibus reperiuntur. In propoſitionibus affirmantibus, *donec* & *uſque*, per τὸ *ſemper* exponenda ſunt.

Pſal. 109. Heb. 110. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo : ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, hoc eſt, ſede in perpetuum ad dexteram meam, & mecum regna, etiam dum ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

Pſal. 122. Heb. 123. v. 2. *Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri*, &c. h. e. oculi noſtri ſemper in Dominum intenti erunt, non ſolum donec miſereatur noſtri, verum etiam poſtquam miſertus fuerit. Vide inſuper Iſai. 46. v. 4.

Matth. 28. v. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum .... uſque ad conſummationem ſæculi*, h. e. in æternum, etiam dum variis ærumnis ac calamitatibus obruemini, ac præſentia mea in dubium vocari poſſe videbitur. Quin autem poſt conſummationem ſæculi Chriſtus cum ſua Eccleſia futurus ſit, nullus eſt ambigendi locus.

Act. 3. v. 21. *Quem* (Chriſtum) *oportet cœlum ſuſcipere, uſque in tempora reſtitutionis omnium*, hoc eſt, in cœlo dominari uſque ad illud tempus, quo omnia inſtaurabuntur, i. cœlum novum & terra nova creabuntur, ac perfecte glorificabuntur electi. Exinde autem non ſequitur, poſtquam omnia inſtaurata fuerint, Chriſtum in cœlo non regnaturum. Confer 1. Cor. 15. v. 25.

1. Tim. 4. v. 23. ἕως ἔρχομαι, *donec venio, attende lectioni*, &c. h. e. donec veniam, & poſtquam venero intentus eſto lectioni; mens enim Apoſtoli non eſt, ut poſt adventum ſuum Timotheus à legendo, exhortando, & docendo abſtineat. Vide etiam Rom. 5. v. 13.

In propoſitionibus negantibus adverbia temporis *donec* & *uſque*, per *nunquam* ſæpius exponenda ſunt.

Gen. 8. v. 7. ex verſione Vulg. *Corvus non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ*, hoc eſt, nunquam reverſus eſt.

Ibid. c. 28. v. 15. *Nec dimittam te, donec perfecero id, quod loquutus ſum tibi*, i. nunquam dimittam te. Simile exemplum vide Pſal. 111. Heb. 112. v. 8.

Deut. 34. v. 6. *Non cognovit homo ſepulchrum ejus* (Moyſi) *uſque in præſentem diem*, adde : neque etiam in futurum cognoſcet, niſi Deus illud revelaverit.

1. Reg. 15. v. 35. *Et non vidit Samuël ultra Saul uſque in diem mortis ſuæ*, h. e. nunquam vidit. Alia exempla vide 2. Reg. 6. v. 23. Iſai. 22. v. 14. c. 42. v. 4.

Matth. 1. v. 25. *Et non cognoſcebat eam* (Joſephus Mariam) *donec peperit filium ſuum primogenitum*, h. e. nunquam cognovit. Male ex hoc loco & v. 18. *antequam convenirent*, &c. colligebat Helvidius Joſephum Mariam poſt partum cognoviſſe. Vide ejus confutationem apud S. Hieron. tom. 4. nov. edit. part. 2. col. 131. & ſeqq.

Digitized by Google

Ad hunc canonem referuntur à nonnullis loquendi formulæ, quibus æternitas innuitur per particulas *donec*, *uſque*, creaturis additas. Vide Gen. 49. v. 26. Pſal. 71. Heb. 72. v. 7. ubi phraſes *ad finem collium ſæculi*, *donec auferatur luna*, ſignificant *in perpetuum.*

CANON VIII.

ADVERBIUM *non amplius*, *non ultra*, non ſemper omne tempus removet, ſed pro aliquo temporis ſpatio nonnunquam ſumitur.

1. Reg. 7. v. 12. al. 13. *Et humiliati ſunt Philiſthiim, nec appoſuerunt ultra ut venirent in terminos Iſraël*, nempe temporibus Samuelis, ſeu quo tempore Samuel Iſraëlem Judicavit, ut ibidem narratur; nam Saüle imperante Philiſthinorum incurſiones in terram Iſraël memorantur cap. 13. & ſeqq.

4. Reg. 24. v. 7. *Et ultra non addidit rex Ægypti, ut egrederetur de terra ſua*, ſcilicet uſque ad ultimos annos Sedeciæ. Confer Jerem. 37. v. 5.

Iſai. 23. v. 12. *Non adjicies ultra ut glorieris ....virgo filia Sidonis*, (h. e. ô Tyre à Sidoniis condita, ut eſt apud Juſtinum lib. 18. c. 3.) Hic non omne futurum tempus excluditur; nam poſt 70. annos *ipſi futurum erat quaſi canticum meretricis*, v. 15. ſeqq. Vide inſuper Oſe. 1. v. 6. &c.

Denique hunc paragraphum claudat particula *νῦν nunc*, quæ interdum adverbium temporis non eſt, ſed quaſi conjunctio vel adverſativa, vel ratiocinativa, argumentorum ſeriem connectens.

1. Cor. 12. v. 18. *νῦν nunc autem poſuit Deus membra unumquodque eorum in corpore, ſicut voluit*, &c. h. e. ſed Deus poſuit membra, &c. vide v. 20. cap. 7. v. 14. Heb. 11. v. 16. Sic etiam à Demoſthene uſurpari aiunt. Quandoque etiam eſt particula expletiva Luc. 11. v. 39.

§. III.

Adverbia numeri.

MONOCANON.

ADVERBIA quædam numeri, præter vulgarem ſuam ſignificationem, quandoque alia ſpeciali donantur.

I. SEMEL,

Nonnunquam idem eſt ac *prorſus*, *omnino*, *certe*, *immutabiliter*, *perfecte*, &c.

Pſal. 88. Heb. 89. v. 36. אחת *ſemel juravi per ſanctitatem meam*, Vulg. *in ſancto meo*, h. e. irrevocabiliter, immutabiliter juravi. Confer vv. 34. 35. & Pſal. 61. Heb. 62. v. 12. Eſth. 4. v. 11.

Judæ v. 3. *Deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei*, h. e. certo & immutabiliter traditæ. Vide inſuper 1. Petr. 3. v. 20. Heb. 6. v. 4. &c.

II. PRIMUM,

Quandoque *inprimis*, *præſertim*, &c. ſignificat, neque ſemper reſpicit *ſecundum.*

Rom. 1. v. 8. πρῶτον, *primum quidem gratias ago Deo meo*, &c. h. e. inprimis, ante omnia. Sic cap. 3. v. 2. Sic πρῶτος, *præcipuum* etiam ſignificat, Luc. 15. v. 22. &c.

Primum etiam pro *prius* uſurpatur per graduum comparationis enallagen.

Matth. 17. v. 10. *Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire?* hoc eſt, prius. Vide etiam Joan. 19. v. 39. 2. Theſſ. 2. v. 3.

III. SECUNDO,

Speciali ratione accipitur in exemplis ſeqq.

Joſue 5. v. 2. *Fac tibi cultros lapideos, &*

circumcide ſecundo filios Iſraël, h. e. circumciſionem intermiſſam in deſerto ob frequentem caſtrorum motionem fieri præcipe, non in eodem homine, ut nugantur Rabbini, ſed in eodem populo, *qui per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis incircumciſus fuit*, Vulg. v. 6. Vide etiam v. 7.

Adverbium *ſecundo* interdum ſupponit membrum primum, quod deficit.

Eſth. 2. v. 19. *Cumque ſecundo quærerentur virgines & congregarentur*, h. e. ſecundo quærerentur pro celebratione nuptiarum Regis cum Eſther, ſicuti primo quaſitæ fuerant pro nuptiis Vaſthi, quod membrum ſubintelligitur.

Denique *ſecundo* pro *poſtea* accipitur Jud. v. 5. *Scientes ſemel* (i. omnino) *omnia, quoniam Jeſus populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundo* (i. poſtea) *eos, qui non crediderunt, perdidit.* Vel adverbium *primo* ſubintelligendum eſt ante hæc verba: *quoniam Jeſus populum de terra Ægypti ſalvans*, vel *ſalvavit*, &c.

IV. ITERUM, RURSUS,

Non ſunt ſemper particulæ iterationem ſignificantes rei jam factæ, aut ſermonis jam dicti; ſed interdum oppoſitionem denotant, ac per *è diverſo, è contrario*, explicari debent.

1. Joan. 2. v. 7. *Non mandatum novum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus* .... V. 8. *Iterum*, h. e. è contrario, imo, *mandatum novum ſcribo vobis*, &c.

Quandoque idem eſt ac *præterea*, Matth. 18. v. 19. *Iterum dico vobis*, hoc eſt, præterea dico, &c.

Interdum quoque ſignificat *etiam*, Matth. 4. v. 7. *rurſum ſcriptum eſt*, i. etiam. Cap. 5. v. 33. *Iterum audiſtis*, &c. i. audiſtis etiam, &c.

Gal. 4. v. 9. *Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa*, &c. h. e. ad ceremonias legales, quæ non poſſunt ſalvare hominem, neque magis utiles ſunt, quam idola, quibus ante converſionem veſtram ſerviebatis; Galatæ enim gentiles erant, ut patet v. 8. Adverbium itaque πάλιν *rurſus*, non rem eandem, ſed ſimilem, ibi ſignificat, ac proinde reddendum eſt *etiam*.

Huc pertinet Hebræum עוֹד *adhuc, amplius*, quod non modo actum continuatum, ſed etiam novum ei ſimilem ſignificat, ac per *iterum, rurſus*, exponendum eſt. Gen. 8. v. 21. *Non adjiciam maledicere* עוֹד *adhuc terræ*, &c. h. e. ut Vulg. *nequaquam ultra*, vel rurſus, *maledicam terræ*, &c. Vide ſeq. & Oſe. 3. v. 1.

V. TER,

Pro multifariam accipitur Prov. 22. v. 20. *Ecce deſcripſi eam* (doctrinam) *tibi* שָׁלִישִׁים, Lxx. τρισσῶς, Vulg. *tripliciter*, h. e. multifariam & multoties, cum in hoc libro, tum in aliis à me conſcriptis. Hic itaque numerus determinatus pro indeterminato ponitur. Chald. עַל תְּלָתָא זִמְנִין *tribus temporibus*, vel *vicibus*. Aben-Eſra *nudius tertius*, quia ſcribitur שלשם cum ו pro (י). R. Salomon *tria*, vel *triplicia*, nempe Legem, Prophetas, & Hagiographa. Alii ſubintellecta voce דִּבְרֵי *verba principum*, h. e. honorabilia, ſeu nobilia & egregia interpretantur; nam שָׁלִישִׁים cum (·) in antepen. ſignificat *principes, duces, tribunos*, &c. Vide Gramm. p. 58. col. 1. & Lexic.

Huc etiam refertur 2. Cor. 12. v. 8. *Ter Dominum rogavi*, &c. pro *aliquoties*, ſicuti *ſepties* pro *ſæpe*, ſumitur Pſal. 11. Heb. 12. v. 7. &c.

§. IV.

Adverbia demonſtrandi.

MONOCANON.

ADVERBIA demonſtrandi *En*, *Ecce*, ſæpius emphaſin important, & ad attentionem excitandam adhibentur. Eorum autem uſus eſt,

I. In mirandæ, novæ, expetitæque rei enarratione. Iſai. 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet*, &c. Vide Zach. 9. v. 9. Matth. 21. v. 5. cap. 25. v. 6. &c.

Digitized by Google

II. In rei præſentis demonſtratione. Gen. 29. v. 2. *Cumque circumſpiceret, ecce puteus in quodam agro, & ecce ibi tres greges pecudum*, &c. Vide v. 15. Joan. 1. v. 29. Act. 1. v. 10. &c.

III. In certæ & exploratæ rei aſſeveratione. Gen. 1. v. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam .... & univerſa ligna, ut ſint vobis in eſcam.* Vide v. 31. cap. 12. v. 11. cap. 16. v. 2. cap. 28. v. 15. &c.

IV. In celeritatis ad obſequendum, aut benefaciendum declaratione. Pſal. 39. Heb. 40. v. 8. *Tunc dixi: ecce venio*, &c. confer Heb. 10. v. 7. & ſeqq. Luc. 1. v. 38. *Ecce ancilla Domini*, &c. Sic cum affixo הִנְנִי aut הִנֵּנִי *ecce ego*, Gen. 31. v. 11. 1. Reg. 3. vv. 4. 8. Iſai. 6. v. 8. cap. 58. v. 9. c. 65. v. 1. In his duobus ultimis locis, Dei in exaudiendo & benefaciendo celeritatem indicat.

Pro adverbio demonſtrandi *Ecce*, interdum adhibetur 1°. Imperativus רְאֵה *vide.* 2. Reg. 7. v. 2. רְאֵה נָא *vide, quæſo, quod ego habitem in domo cedrina*, &c. pro quo 1. Paral. 17. v. 1. legitur הִנֵּה *ecce.* Vide inſuper Gen. 27. v. 27. Sic ἴδε, *vide* pro ἰδὲ *ecce* ponitur Matth. 25. vv. 20. 22. 25. Marc. 2. v. 24. c. 3. v. 34. c. 11. v. 21. &c. 2°. Pronomen demonſtrativum; quod enim Exod. 24. v. 8. ſic exprimitur: הִנֵּה *Ecce ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum*, id Heb. 9. v. 20. ubi eadem verba referuntur, ſic effertur: τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ θεὸς, *hic ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Cum autem eadem verba à Chriſto recitata fuerint in SS. Euchariſtiæ inſtitutione, in qua novum fœdus ſanxit, ad antiquum illud procul dubio reſpexit. Et quemadmodum Exod. 24. v. 8. adverbium *Ecce*, & Heb. 9. v. 20. pronomen demonſtrativum *hic*, rem ipſam, videlicet ſanguinem monſtrant adeſſe, nec figuras, umbras, aut metonymias admittunt: ſic in N. Teſt. hæc verba: *hic eſt ſanguis meus*, &c. aperte demonſtrant præſentiam ſanguinis Chriſti in Euchariſtico poculo. Idem dicendum de his verbis: *hoc eſt corpus meum.*

§. V.

Adverbia confirmandi.

MONOCANON.

INTER adverbia confirmandi, primas tenet dictio *amen*, de qua hæc annotare ſufficiat.

AMEN *in genere* vox eſt confirmatoria. Confirmat autem vel qui *proponit*, vel qui *rei propoſitæ* aſſentitur.

Si voce *amen* utatur, qui proponit; tunc adverbium iſtud ſignificat *vere, certo, profecto*, &c. unde Chriſtus ſæpe utitur hac loquendi formula: *amen dico vobis*, h. e. vere, certe dico vobis.

Matth. 16. v. 28. Quod Chriſtus ait: ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *amen dico vobis*, id Lucas 9. v. 27. ita exprimit: λέγω ὑμῖν ἀληθῶς, *dico vobis vere.* Conf. Marc. 12. v. 43. cum Luc. 21. v. 3.

Cum geminatur dictio *amen*, ſuperlativus gradus innuitur, *amen, amen dico vobis*, h. e. certiſſimum eſt, quod dico.

Quod ſpectat ad eum, qui rei propoſitæ aſſentitur, vel illa res eſt *benedictio*, vel *maledictio.* Si benedictio, adverbium *amen* particula optantis eſt, qua, qui aſſentitur, deſiderat rem ita fieri ſicuti proponitur. Jerem. 11. v. 5. poſt propoſita Dei promiſſa magnifica reſpondet Jeremias: *amen Domine.* Huc pertinet *amen*, quod in fine precum reſpondetur, Matth. 6. v. 13. Rom. 15. v. 33. Et ſic ſæpiſſime in D. Pauli Epiſtolis, & in Eccleſiæ Catholicæ liturgia. Quando vero maledictionibus in Lege propoſitis, Dei mandato reſpondebatur *amen*, id *dictum erat per modum receptionis*, inquit Qimhhi, *qua in ſe, & ſuper ſe recipiebant* (qui ita reſpondebant)

debant), *illas imprecationes, ſi tranſgreſſi eſſent.*

Præter dictionem *amen*, ſunt & alia aſſeverationis & confirmationis adverbia, cum apud Hebræos, quæ in Lexico annotabimus; tum apud Græcos, quorum ſequentia tantum hic obſervaſſe ſufficiat.

I. τὴν ἀρχὴν. Joan. 8. v. 25. *Dicebant ergo ei: tu quis es? Dixit eis Jeſus:* τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, *omnino* (ſum id) *quod & loquor vobis*, nempe *lux mundi*, v. 12. Sic Demoſth. contra Androt. περὶ ὧν γ᾽ ἀμὴ κεῖνται νόμοι, οὐδὲ χάριν τὴν ἀρχὴν προσήκει, *de quibus leges non ponuntur, ea ſcribere omnino non licet.* Soph. in Antigone: ἀρχὴν θηρᾷν οὐ πρέπει τὰ ἀμήχανα, *omnino tentanda non ſunt impoſſibilia.* Sic etiam τὴν ἀρχὴν, uſurpant Plato, Pauſanias, Xenophon, &c. Porro τὴν ἀρχὴν eſt pro κατὰ τὴν ἀρχὴν, ab ἀρχῇ *principium.*

II. ἀλλά. Joan. 16. v. 2. *Abſque ſynagogis facient vos,* ἀλλ᾽ ἔρχεται ὥρα, *quin imo; ſane venit hora*, &c. Sic LXX. אָכֵן *certe*, Job. 32. v. 8. per ἀλλὰ interpretantur.

III. γάρ. Act. 16. v. 37. *Et nunc occulte nos ejiciunt?* οὐ γὰρ *non certe*, Vulg. *non ita, ſed veniant* ipſi, &c.

§. VI.

Adverbia negandi.

IN adverbiis negandi conſiderabimus I. Conſtructionem. II. Significationem. III. Permutationem, ſive enallagen. IV. Metatheſin. V. Pleonaſmum.

CANON I.

ADVERBIA negandi non promiſcue, ſed cum diſtinctione in Syntaxi uſurpantur.

Hebræis ſeptem ſunt negandi adverbia, אֵין & אַיִן, אַל, בַּל, בְּלִי, בִּלְתִּי, לֹא, פֶּן, quæ in Syntaxi ita ſe habent.

I. אַיִן non jungitur verbis, niſi verbo ſubſtantivo ſubintellecto. Si interdum conſtruatur cum infinitivo, ut Pſal. 31. Heb. 32. v. 9. tunc infinitivus loco nominis ponitur. Vide ſupra cap. IV. art. II. §. I. Can. I. num. V. pag. 541. col. I. Videtur tamen jungi cum futuro, Jerem. 38. v. 5. כִּי אֵין הַמֶּלֶךְ יוּכַל אֶתְכֶם דָּבָר *quia rex non poterit contra vos quidquam.* Vulg. *Nec enim fas eſt regem vobis quidquam negare.* Sed poſt אַיִן ſubintelligitur verbum ſubſtantivum *eſt*, (ut fit Prov. 21. v. 30. Jerem. 8. v. 13.) hoc modo: non eſt rex, qui poſſit contra vos quidquam facere. Relativum etiam ſæpe ſubintelligitur. אַיִן itaque jungitur tantum nominibus, participiis, quæ more nominum ſeſe habent, & particulis, ac de tota ſpecie negat.

Exod. 5. v. 16. *Palea* אֵין נִתָּן *non* (eſt) *data ſervis tuis*, hoc eſt, nulla palea datur. Vide 1. Reg. 26. v. 12.

Dan. c. 9. v. 26. *Poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus*, וְאֵין לוֹ *& non ei*, ſupp. erit quidquam, i. putabitur plane exciſus, ita ut nihil ejus ſuperſit. Conf. Jerem. 11. v. 19. Aq. καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ, *& non eſt ei.* Sym. καὶ οὐχ ὑπάρξει αὐτῷ, *& non ſubſiſtet ei.* Theod. καὶ κρίμα οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ, *& judicium non eſt in eo.* Vocem *judicium* ſupplevit ſenſus gratia. Vulg. *& non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt*, verba, *populus qui eum negaturus eſt*, ad ſententiam complendam addidiſſe videtur. Quidam, nec male, exiſtimant וְאֵין לוֹ poſitum eſſe pro וְאֵינֶנּוּ *& non ipſe*, ſupple erit ſuperſtes. Quæ loquutio uſurpatur de Henocho, Gen. 5. v. 24. de Joſepho, ibid. c. 42. v. 36. & de Rachelis liberis, Jerem. 31. v. 15.

Ceterum אַיִן quaſi formam nominis conſtructi imitatur, hujus abſoluta forma eſt

אָיִן, quæ adhibetur in fine alicujus membri ſententiæ, & ab antecedentibus ſemper dependet, nunquam autem cum ſequentibus conjungitur. Exod. 17. v. 7. *Eſtne Dominus nobiſcum* אִם אָיִן *an non?* Vide Gen. 30. v. 1. Job. 3. v. 8. cap. 33. v. 33. &c. אַיִן vero alibi uſurpatur.

Quidam etiam volunt per apocopen dici אִי pro אַיִן, quod ſic legitur 1. Reg. 21. v. 9. ubi mendum eſſe videtur pro אִים aut אִם; ſed exempla, quæ adducuntur, ejuſmodi apocopen non probant; nam primum locum quod attinet, Prov. 31. v. 4. אִי redditur à Vulg. *ubi*, legebat proculdubio אֵי. Alter locus eſt Job. 22. v. 30. יְמַלֵּט אִי־נָקִי *eruet* (Deus) *non innocentem*, Lxx. Theod. *ῥύσεται ἀθῷον*, *eruet innocentem.* Vulg. *ſalvabitur innocens.* Hi interpretes neglexerunt אִי, pro quo forte legebant אֶת־. Tertium locum profert Glaſſ. 1. Reg. 4. v. 21. ubi Heli nepos vocatur à matre אִי כָבוֹד *Ichabod*, h. e. ut interpretatur, *non gloria.* Verum verti etiam poteſt אִי *ubi eſt gloria?* quæ interrogatio æquivalet negationi *non eſt gloria.* Non conſtat igitur אִי per apocopen poſitum fuiſſe pro אַיִן, vel אָיִן.

II. אַל tantum futuro convenit, & deprecantis, aut dehortantis particula eſt. Prov. 23. v. 4. אַל תִּיגַע *ne labores ut diteſcas*, &c. Vulg. *noli laborare ut diteris.* Rariſſime negat, vide v. 13. c. 3. v. 25. 4. Reg. 6. v. 27. &c. Qimhhi vult iſtud adverbium etiam negantis eſſe, Gen. 49. v. 6. Exod. 12. v. 9. Pſal. 120. Heb. 121. v. 3. Jerem. 14. v. 17. ſed hæc loca facile explicari poſſunt per particulam dehortantem.

Speciale eſt אַל־פְּשַׁטְתֶּם *quo irruiſtis hodie?* 1. Reg. 27. v. 10. ubi אַל eſt pro אָן *quo*, ſecundum Paraph. Chald. qui vertit לְאָן *quo.* Vel potius ſubintelligitur מִי *quis*, & pro אַל, legendum אֶל־ *ad*, loco עַל *contra*, ſic: אֶל־מִי pro עַל־מִי *contra quem irruiſtis hodie?* Ita Lxx. *ἐπὶ τίνα*, Vulg. *in quem irruiſti hodie?* Quod de ſolo Davide intellexit; vel ſphalma graphicum eſt pro *irruiſtis.*

III. בַּל jungitur præterito & futuro.

Præterito. Prov. 9. v. 13. וּבַל־יָדְעָה־מָּה *& neſcit quidquam* (mulier ſtulta & clamoſa.) Vide c. 23. v. 35.

Futuro. Prov. 22. v. 29. בַּל יִתְיַצֵּב *non ſtabit* (vir in opere ſuo velox) *ante ignobiles.* Vide Iſai. 26. v. 11. Oſe. 7. v. 2. &c. Reperitur & cum infinitivo, ſed anomalos, Pſal. 31. Heb. 32. v. 9. בַּל קְרוֹב אֵלֶיךָ *non appropinquare ad te*, pro שֶׁלֹּא קְרוֹב *ut non appropinquet*, quomodo Rabbini paſſim loquuntur.

IV. בְּלִי Præterito & futuro jungitur, negatque abſolute.

Præterito. Gen. 31. v. 20. *Et furatus eſt Jacob cor Labanis Syri*, עַל־בְּלִי הִגִּיד לוֹ *eo quod non indicaſſet ei, quod fugeret.* Vulg. *noluitque Jacob confiteri ſocero ſuo, quod fugeret.* Hebraiſmum *furari cor* ad linguæ Latinæ indolem eleganter accommodavit. Vide Pſal. 18. Heb. 19. v. 4. Iſai. 14. v. 6.

Futuro. Iſai. 32. v. 10. *Collectio* בְּלִי יָבוֹא *non veniet.* Vide Oſe. 8. v. 7. Jungitur quoque participio, Oſe. 7. v. 8.

V. בִּלְתִּי conſtruitur cum præterito & participio.

Cum Præterito. Num. 21. v. 35. *Percuſſerunt igitur & hunc* (Og regem Baſan) *cum filiis ſuis* ..... עַד־בִּלְתִּי הִשְׁאִיר־לוֹ שָׂרִיד *adeo ut non relinqueret* (Moyſes) *ei ſuperſtitem.* Breviter & eleganter Vulg. *uſque ad internecionem.*

Cum Participio. מַכַּת בִּלְתִּי סָרָה *plaga non recedens*, Iſai. 14. v. 6. Sæpiſſime בִּלְתִּי לְ præponitur ל, conſtruiturque 1°. cum infinitivo, & exponitur *ut non.* Deut. 17. v. 20. לְבִלְתִּי רוּם *ut non elevetur cor ejus* (Regis) *ſuper fratres ſuos*, וּלְבִלְתִּי סוּר *& ut non declinet à præcepto illo, ad dexteram vel ſiniſtram.* 2°. Cum præterito. Jerem. 23. v. 14. לְבִלְתִּי שָׁבוּ *ut non revertantur.* Vide cap. 27. v. 18. Ezech. 13. v. 3. 3°. Cum futuro. Exod. 20. v. 20. לְבִלְתִּי תֶחֱטָאוּ *ut non peccetis.*

VI. לֹא omnibus temporibus convenit, excepto imperativo, cui nulla particula negans præponitur, quique per futurum, præpoſita negatione, exponitur. Vide Decalog. Cum participio conjunctum, de certo quodam & individuo negat, ut: Soph. 3. v. 5. לֹא יוֹדֵעַ עַוָּל בֹּשֶׁת *non* (eſt) *ſciens*, i. neſcit *iniquus confuſionem*, nempe populus Judaïcus, de quo loquitur Propheta.

VII. פֶּן cum futuro conſtruitur. Gen. 3.

Digitized by Google

v. 21. פֶּן־יִשְׁלַח *ne extendas*. Sic Prov. 5. v. 6. Malach. 4. v. ultimo. Semel jungitur cum præterito loco futuri poſito, 2. Reg. 20. v. 6. פֶּן־מָצָא *ne inveniat*, pro פֶּן־יִמְצָא. Sic & Chald. per futurum vertit, דִּלְמָא יַשְׁכַּח *ne inveniat*, &c.

CANON II.

PARTICULA negativa אַיִן, לֹא, בִּלְתִּי, & præpoſito ל, לְבִלְתִּי, univerſali כָּל־ *omnis* addita, univerſalem negationem indicat, ita ut *non omnis* idem ſit, quod *nullus*.

Gen. 4. v. 15. *Poſuitque Dominus Cain ſignum*, לְבִלְתִּי *ut non interficeret eum* כָּל־ *omnis qui inveniſſet eum*, h. e. nemo, nullus.

Ibid. c. 39. v. 23. אֵין *non præfectus carceris inſpiciebat* אֶת־כָּל־ *omne quidquam*, i. nihil quidquam, rem plane nullam. Sic 2. Reg. 12. v. 3. Eccle. 1. v. 9.

Deut. 8. v. 9. *Non indigebis omni in ea* (terra), i. nulla re indigebis. Sic Pſal. 48. Heb. 49. v. 18. Jerem. 13. v. 7. Dan. 11. v. 37.

Pſal. 142. Heb. 143. v. 2. *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, h. e. nullus vivens juſtificabitur ante te, ſi cum eo ſummo jure agas.

Matth. 24. v. 22. *Et niſi abbreviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro*, hoc eſt, nulla caro.

Luc. 1. v. 37. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*, i. nihil omnino erit impoſſibile.

Rom. 3. v. 20. *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro*, hoc eſt, nulla caro. Vide Joan. 6. v. 39. Epheſ. 4. v. 29. 1. Joan. 2. v. 21. cap. 3. vv. 6. 15. 2. Petr. 1. v. 20.

In his exemplis negatio afficit *verbum*, non particulam univerſalem. Quod ſi in eam cadat, tunc particularis eſt negatio.

Matth. 7. v. 21. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*, hoc eſt, aliquis intrabit, & aliquis non intrabit.

Cum particula negativa præponitur voculis עַד־מְאֹד *uſque valde, uſquequaque*, non ſolum negat ſummum gradum & inferiorem admittit; ſed univerſalis eſt, ac eandem rationem obtinet, atque *non omnis*, h. e. nullus. Pſal. 118. Heb. 119. v. 8. *Non me derelinquas* עַד־מְאֹד *uſquequaque*, i. nequaquam, ne in minimo quidem derelinquas me. Vide Ibid. v. 43. Sic in negatione implicita, Iſai. 64. v. ult. *Nunquid Domine ..... affliges nos uſquequaque?* h. e. non affliges nos ullo modo; interrogatio enim hîc negationi æquipollet.

CANON III.

ADVERBIA *negandi* cum verbis & nominibus compoſita, nonnunquam ſpeciali quædam ratione ſignificant.

I. Contrarium affirmatum cum emphaſi denotant. Exempla verborum vide cap. 4 art. I. §. I. Can. XX. pag. 528.

Pſal. 42. Heb. 43. v. 1. מִגּוֹי לֹא־חָסִיד *de gente non ſancta*, id eſt, impia, maligna & crudeli.

Oſe. 13. v. 13. *Ipſe* (Ephraim eſt) *filius non ſapiens*, h. e. ſtultiſſimus.

Prov. 18. v. 5. *Accipere perſonam impii* לֹא־טוֹב *bonum non* (eſt), i. peſſimum eſt.

Matth. 2. v. 6. *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es*, &c. h. e. maxima es.

Apoc. 18. v. 7. *Vidua non ſum*, h. e. ſum populoſiſſima.

II. Adverbia negandi nominibus præpoſita, habent interdum vim *privativam*, ut α apud Græcos, & *in* apud Latinos.

1. Reg. 20. v. 26. בִּלְתִּי טָהוֹר *non mundus*, h. e. immundus.

Prov. 12. v. 28. *In ſemita juſtitiæ, vita* (eſt):

וְדֶרֶךְ נְתִיבָה אַל־מָוֶת *& via ſemitæ ejus non mors*, h. e. immortalis eſt. Vulg. *iter autem devium ducit ad mortem*, pro אַל *non* legebat אֶל־ *ad*. Sic etiam legerunt Lxx. & Chald. quorum illi εἰς θάνατον, hic vero לְמוֹתָא *in mortem* interpretati ſunt.

Ibid. cap. 30. v. 25. *Formicæ* (ſunt) *populus* לֹא־עָז *non firmus*, h. e. *infirmus*, Vulg.

Alia exempla ſunt Pſal. 35. Heb. 36. v. 5. Iſai. 5. v. 14. Jerem. 8. v. 6. Oſe. 13. v. 13. &c.

III. Duæ negationes apud Græcos fortius negant.

Luc. 21. v. 33. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea* οὐ μὴ, *non tranſibunt.* Sic apud Lat. Plaut. Mil. 5. 1. *Jura te non nociturum eſſe homini de hac re nemini.* Vide eundem Epid. 5. 1. Bacch. 4. 9.

Sic οὐ vel οὐκ, & οὐδεὶς *nullus*, vel οὐδὲν *nihil*, conjunguntur; tuncque nomina illa negativa per *quiſquam*, vel *quidquam* exponuntur.

Luc. 20. v. 40. *Et amplius non audebant eum interrogare* οὐδὲν *nihil*, h. e. *quidquam*, Vulg. Sic Joan. 5. v. 30. c. 12. v. 19. c. 15. v. 5. c. 16. v. 24.

Joan. 19. v. 41. *Et in horto erat monumentum novum, in quo* οὐδέπω οὐδεὶς ἐτέθη, *in quo nondum quiſquam poſitus erat.*

Interdum etiam triplicantur & quadruplicantur negationes apud Græcos. Marc. 14. v. 25. οὐκέτι οὐ μὴ πίω, *non amplius bibam*, &c. Vide Matth. 24. v. 21.

Luc. 10. v. 19. καὶ οὐδὲν ὑμᾶς οὐ μὴ ἀδικήσει, *& nihil omnino vobis nocebit.* Vide etiam cap. 23. v. 53.

Apud profanos. Plato: οὐ δύναται οὐδέποτε οὐδὲν τούτων πράττειν, *non poteſt quicquam horum facere.*

Demoſth. οὐδέποτε οὐδὲν οὐ μὴ γένηται τῶν δεόντων, *nunquam quidquam fiet eorum, quæ oportet.*

Aliquando tamen duæ vel plures negationes apud Græcos, perinde ut apud Latinos, affirmant.

Act. 4. v. 20. οὐ δυνάμεθα γὰρ ἡμεῖς, ἃ εἴδομεν καὶ ἠκούσαμεν, μὴ λαλεῖν, *non poſſumus enim nos, quæ vidimus & audivimus, non loqui*, h. e. oportet nos ea loqui.

Xenoph. οὐ δύναμαι μὴ μεμνῆσθαι αὐτοῦ, *non poſſum ejus non meminiſſe*, h. e. cogor ejus meminiſſe. Idem: οὐ δύναμαι μὴ οὐκ ἐπαινεῖν, *non poſſum non laudare*, &c.

CANON IV.

PRO negativo adverbio quandoque comparativa particula adhibetur.

Pſal. 117. Heb. 118. v. 8. *Bonum* (melius) *eſt confidere in Domino, quam confidere in homine*, h. e. bonum eſt confidere in Domino, non vero in homine. Vide v. 9. & confer Pſal. 145. Heb. 146. v. 3. Jerem. 17. v. 5. Exempla ſimilia vide Prov. 25. v. 7. Jon. 4. v. 3. Heb. 2. v. 15. Matth. 18. v. 8.

Oſe. 6. v. 6. *Quia miſericordiam volui & non ſacrificium, & ſcientiam Dei, pluſquam holocauſta*, h. e. ſcientiam Dei, non holocauſta, ut patet ex membro præced. Confer Matth. 9. v. 13. Hic holocauſta ſine fide & cum hypocryſi oblata intelliguntur, quæ non vult Deus, Iſai. 1. v. 11. c. 66. v. 3. Prov. 15. v. 8. c. 21. v. 27. Jerem. 7. vv. 9. 10. &c.

Luc. 18. v. 14. *Deſcendit hic* (Publicanus) *in domum ſuam* (magis) *juſtificatus*, ἢ *quam ille* (Phariſæus), ſive, ut Vulg. *juſtificatus ab illo*, h. e. deſcendit hic juſtificatus, ille vero condemnatus, vel non Juſtificatus, ita ut ἢ poſitum ſit pro οὐ *non*. Sic veteres expoſuerunt illud Homeri, Il. A. v. 117.

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.
Volo ego populum ſervari, non vero perire.

Vide inſuper 1. Cor. 7. v. 9. 1. Petr. 3. v. 17.

Hunc inprimis idiotiſmum efficit particula μᾶλλον *magis*, quæ non eſt ſemper comparationis nota, ſed ſæpius *correctionis* & *oppoſitionis*; h. e. non ſemper ita comparat, ut aliquid utrique tribuatur, uni vero magis quam alteri: ſed ſæpius ſimpliciter rem totam transfert in unum, & alterum ei contradictorie opponit.

Joan. 3. v. 19. *Lux venit in mundum, &*

dilexerunt homines μᾶλλον τὸ σκότος, ἢ τὸ φῶς, magis tenebras, quam lucem, h. e. dilexerunt tantum tenebras, non vero lucem. Confer vv. 20. & 21. c. 1. v. 15.

Joan. 12. v. 43. *Dilexerunt gloriam hominum μᾶλλον ἤπερ, magis quam gloriam Dei*, hoc eſt, nequaquam dilexerunt gloriam Dei. Vide Act. 4. v. 19. c. 5. v. 29. 1. Tim. 1. v. 4. 2. Tim. 3. v. 4. (conf. v. 5. Tit. 1. v. 16.) Heb. 11. v. 25.

Sic cum ſimpliciter μᾶλλον ponitur, & tamen oppoſitio tacite fit. Marc. 15. v. 11. *Pontifices autem concitaverunt turbam, ut μᾶλλον magis Barabbam dimitteret eis*, ſupp. quam Jeſum, hoc eſt, ut Barabbam, non Jeſum dimitteret eis. Vide Matth. 25. v. 9. 1. Cor. 5. v. 2. c. 6. v. 7. 2. Pet. 1. v. 10.

Denique cum μᾶλλον particulæ negativæ poſtponitur, ut: Matth. 10. vv. 5. 6. *In viam gentium ne abieritis*, &c. *Ite autem μᾶλλον potius ad oves, quæ perierunt, domus Iſraël*, h. e. in viam gentium ne abieritis, ſed ite ad oves, &c. Sic v. 28. Luc. 10. v. 20. Rom. 14. v. 13. Epheſ. 4. v. 28. c. 5. v. 4.

Huc pertinet, cum adverbia comparativa non occurrunt quidem, ſed tamen comparatio inſtitui videtur.

Matth. 21. v. 31. *Publicani & meretrices* (i. qui tales ante converſionem exſtiterunt) *præcedent vos in regnum Dei*, hoc eſt, in regnum Dei intromittentur, vos autem excludemini.

Eadem ratione *primi* dicuntur reſpectu regni cœlorum, qui ejus fiunt participes; *ultimi* vero, qui eo excluduntur, Matth. 19. v. ult. Luc. 13. v. 30. Sic *maximus* in regno cœlorum is eſt, qui illud ingreditur, Matth. 18. v. 4. *minimus* vero, qui ejus poſſeſſione excidit, Matth. 5. v. 19.

CANON V.

VICE verſa quandoque adverbium negans pro comparativa particula ponitur.

Gen. 45. v. 8. *Nequaquam vos miſiſtis me huc, ſed Deus ipſe*, h. e. non tam vos, quam ipſe Deus.

Exod. 16. v. 8. *Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum*, i. ſed potius contra Dominum. Vel non tam contra nos eſt, quam contra Dominum.

Prov. 8. v. 10. *Accipite diſciplinam*, ſeu *eruditionem meam, & non pecuniam*, hoc eſt, potius quam pecuniam; ſequitur enim: *& doctrinam, magis quam aurum eligite.*

Ibid. c. 17. v. 12. *Occurrat urſa orba in virum, & non ſtultus in ſtultitia ſua*, h. e. ut optime reddidit Vulg. *Expedit magis urſæ occurrere, raptis fœtibus; quam fatuo confidenti ſibi in ſtultitia ſua.* Vide Jerem. 7. v. 22. Joel 2. v. 13.

Luc. 14. v. 12. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos....*, V. 13. *ſed voca pauperes, debiles, claudos*, i. potius hos quam illos voca.

Joan. 5. v. 45. *Nolite putare, quod ego accuſaturus ſim vos apud patrem; eſt, qui accuſat vos, Moyſes*, &c. h. e. potius accuſabit vos Moyſes quam ego, cum ipſi de me teſtanti non credatis. Vide etiam Joan. 6. v. 27. 1. Cor. 1. v. 17. quo in ultimo loco Paulus dicit ſe à Chriſto non miſſum fuiſſe ad baptizandum, ſed ad evangelizandum, cum tamen baptizaverit, vv. 14. 16.

Huc pertinet idiotiſmus, quo adverbium *ſolum* poſt particulam negativam ſubintelligitur, ac *non* per *non ſolum* explicandum eſt. Qua ſignificatione pleraque ex præcedentibus accipi poſſunt, & viciſſim multa exempla ex iis, quæ allaturi ſumus, cum præcedentibus coincidunt.

Gen. 32. v. 28. *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël*, hoc eſt, non ſolum Jacob appellaberis, ſed etiam Iſraël, nam utroque nomine poſtea indiſcriminatim vocatur Jacob.

1. Reg. 8. v. 7. *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*, h. e. non ſolum te, ſed me abjecerunt.

Ezech. 16. v. 47. *Et non in viis earum ambulaſti...., tanquam parvum faſtidio fuit hoc,*

& corruptionem adhibuiſti majorem eis, in omnibus viis tuis, i. non ſolum in viis earum ambulaſti, ſed longe deterior eis facta es.

Matth. 10. v. 20. Marc. 13. v. 11. *Non vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Sanctus*, &c. h. e. non tam vos, quam Spiritus Sanctus, ſeu, quod idem eſt, non ſolum vos, ſed Spiritus Sanctus. Vide & Matth. 18. v. 22.

Act. 5. v. 4. *Non eſt mentitus hominibus, ſed Deo*, hoc eſt, non ſolum hominibus, ſed etiam Deo.

Alia exempla ſunt Marc. 9. v. 36. Græc. 37. Joan. 5. v. 30. cap. 12. v. 44. Epheſ. 6. v. 12. 1. Theſſ. 4. v. 8. &c.

CANON VI.

ADVERBIUM negandi quandoque extra locum ſuum ponitur.

Eccle. 10. v. 10. *Si retuſum fuerit ferrum* (ſecuris) וְהוּא לֹא־פָנִים קִלְקַל *& ipſe* (ſcindens, de quo v. præced.) *non aciem acuerit*, pro *aciem non acuerit, tunc vires roborabit*, i. majoribus viribus ipſi ad cædendum opus erit, *præſtantia autem dirigendi eſt ſapientia*, h. e. ſapientia autem præſtantiſſima eſt actionum directrix, efficitque ut nihil cum medus, ſeu inſtrumentis minime aptis aggrediamur. Vulg. obſcurum hunc verſum ſic interpretatur: *Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non ut prius* (acutum fuerit) *ſed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & poſt induſtriam ſequetur ſapientia.* Vocem פָּנִים ut adverbium *prius* accepit.

Joan. 6. v. 32. *Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo*, id eſt, cœleſtem, pro *Moyſes non dedit vobis*, &c. Hic enim non quæritur quis manna dederit, Moyſes an Deus? ſed quid datum fuerit, an verus cœleſtiſque panis, an alius corporalis tantum? Probat Chriſtus manna non fuiſſe vere cœleſtem panem, ſe vero cœleſtem eſſe panem à Deo patre datum.

Rom. 1. v. 21. *Cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*, pro *ſicut Deum non glorificaverunt*; poſſet enim quis putare, quod aliter eum nihilominus glorificaverint. Vide ſimile exemplum 1. Cor. 10. v. 5.

Rom. 3. v. 9. *Quid ergo? præcellimus eos?* οὐ πάντως, *non omnino*, Vulg. optime *nequaquam*; nam οὐ πάντως hîc eſt pro πάντως οὐ, *omnino non*; neque enim οὐ ita determinat vocem πάντως, ut *non omnino* ſit pro *aliquatenus*; ſed τὸ *omnino* particulam negativam intendit, ut fortior ſit negatio.

Huc pertinet, quando adverbium negans priori propoſitionis connexæ membro præponitur, cum pertineat ad poſteriorem; & in priori eſt ellipſis particulæ conditionalis *ſi*.

Exod. 33. v. 20. לֹא *non videbit me homo & vivet*, h. e. ſi viderit me homo, non vivet. Non poteſt me videre ullus homo, dum vivit. Vide alia exempla Deut. 22. vv. 1. & 4.

CANON VII.

VERBIS negativis & prohibitivis particula negativa interdum adjicitur, quæ videtur abundare.

Luc. 20. v. 27. *Acceſſerunt autem quidam Sadducæorum*, οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι, *contradicentes reſurrectionem non eſſe*, h. e. ut interp. Vulg. *qui negant eſſe reſurrectionem.* Alii ἀντιλέγοντες, pro ſimplici λέγοντες poſitum eſſe volunt.

Luc. 22. v. 34. *Non cantabit hodie gallus*, πρὶν ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ μὴ εἰδέναι με, *priuſquam ter neges te non noſſe me*, hoc eſt, *donec ter abneges noſſe me*, Vulg.

1. Joan. 2. v. 22. al. 23. *Quis eſt mendax niſi is*, ὁ ἀρνούμενος ὅτι Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν ὁ Χριστὸς, *qui negat quoniam Jeſus non eſt Chriſtus?* hoc eſt, *quoniam Jeſus eſt Chriſtus.* Vulg.

Apud profanos. Demoſth. μὴ πέμπειν ἀποψηφίζομαι, *non mittere meo calculo veto*, h. e.

Digitized by Google

mittere veto. Idem, *ἀπιςῶ μὴ δυνήσεσθαι*, *diffido me non poſſe*, h. e. diffido me poſſe. Lucian. οὐκ ἂν ἔξαρνΘ γένοιο, μὴ οὐκ ἐμὸς υἱὸς εἶ), *negare haud queas, te meum non eſſe filium*, h. e. te meum eſſe filium. Vide eandem loquutionem apud Thucyd. &c.

§. VII.

Adverbia dubitandi.

MONOCANON.

DUBITANDI adverbia non ſemper rem incertam denotant; ſed ejus difficultatem interdum innuunt, aut alia de cauſa emphatice adhibentur.

I. אוּלַי *fortaſſe*, non ſemper particula dubitantis eſt, ſed interdum confidentis & bene ſperantis ominantiſque.

Exod. 32. v. 30. *Aſcendam ad Dominum*, אוּלַי *ſi quomodo quivero eum deprecari pro ſcelere veſtro*, ſic Vulg. At Lxx. ἵνα ἐξιλάσωμαι, *ut expiationem faciam pro ſcelere veſtro.*

Jerem. 26. v. 3. אוּלַי *ſi forte audiant, & convertantur unuſquiſque à via ſua mala*, Vulg. Hæc verba per ἀνθρωποπάθειαν Deo tribuuntur; quibus non dubium, ſed liberum hominis arbitrium ſignificatur. Unde Hieron. comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 653. *Verbum ambiguum*, forſitan, *Majeſtati Divinæ non poteſt convenire; ſed noſtro loquitur affectu, ut liberum hominis ſervetur arbitrium, ne ex præſcientia ejus, quaſi neceſſitate, vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo, quod Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus novit, quaſi præſcius futurorum.*

Thren. 3. v. 29. *Ponet in pulvere os ſuum, ſi forte ſit ſpes.* Particula *ſi forte* hîc dubitantis non eſt, ſed potius affirmantis; ex humilitate enim & patientia concipitur ſpes, quæ non confundit. Senſus itaque eſt: *ponet in pulvere os ſuum*, hoc eſt, humiliabit ſe, quia ſpem habet.

Alia exempla vide Joſ. 14. v. 12. (& confer v. 9.) 1. Reg. 14. v. 6. 2. Reg. 16. v. 12. 4. Reg. 19. v. 4. Amos 5. v. 15.

II. פֶּן *ne forte*, dubitationem non ſemper importat, ſed interdum rem certo futuram exprimit.

Gen. 3. v. 3. *De fructu vero arboris, quæ eſt in medio Paradiſi, præcepit Dominus* (dicens) *non comedetis ex eo, & non tangetis eum*, פֶּן־תְּמֻתוּן *ne moriamini.* Vulg. commutatis perſonis, *ne forte moriamur.* Sed dubium hîc non eſt, quare Lxx. recte interpretati ſunt, ἵνα μὴ ἀποθάνητε, *ut non moriamini.*

Ibid. c. 38. v. 23. *Habeat ſibi* (Thamar pignora) פֶּן נִהְיֶה לָבוּז *ne ſimus contemtui*, ſi diutius inquiramus. פֶּן itaque eo loci prohibentis eſt adverbium, non dubitantis; neque enim ignorabat Judas infamem eſſe ſcortationem. Vulg. פֶּן affirmative interpretatur: *certe mendacii arguere nos non poteſt*, quandoquidem ſtetimus promiſſis. Judæ ſermonis ſenſum, non textus verba ſtricte reddidit.

III. Particula ἂν, quam Vulgata noſtra verſio ſæpius *dubitative* exponit, plerumque expletiva eſt, vel ſumitur pro *ſane*, *utique*, *certe*, &c.

Joan. 5. v. 46. *Si crederetis Moyſi, crederetis* ἂν *utique mihi.* Vulg. *crederetis forſitan & mihi.*

Cap. 8. v. 19. *Si me ſciretis*, ἂν *certe & patrem meum ſciretis.* Vulg. *forſitan & patrem meum ſciretis.* Vide inſuper Matth. 11. v. 21. ubi particula ἂν à Vulg. reddita non eſt, quia eam ut expletivam ſpectavit. V. 23. ubi per *forte* exprimitur. Joan. 4. v. 10. ubi *forſitan* transfertur. Quibus in locis hæc particula affirmat, dubium vero nequaquam innuit. Imo Vulg. Pſal. 50. Heb. 51. v. 18. & Heb. 8. v. 7. particulam ἂν per *utique* exprimit; & Matth. 12. v. 7. οὐκ ἂν *nequaquam* interpretatur.

§. VIII.

Adverbia excludendi.

MONOCANON.

ADVERBIUM excludendi *præterquam*, *niſi*, non raro pro conjunctione adverſativa *ſed* ponitur.

4. Reg. 5. v. 17. *Non faciet ultra ſervus tuus holocauſtum, aut victimam Diis alienis, niſi Domino*, h. e. ſed Domino.

Math. 12. v. 3. *Non legiſtis quid fecerit David.... V. 4. quomodo panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus*, h. e. ſed ſolis ſacerdotibus.

Luc. 4. v. 27. *Multi leproſi erant in Iſraël ſub Eliſeo propheta, & nemo eorum mundatus eſt; niſi Naaman Syrus*, h. e. ſed Naaman, qui ex leproſorum in Iſraël numero non excipitur, ſed iis opponitur.

Joan. 5. v. 19. *Non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit patrem facientem*, h. e. ſed quod viderit patrem facientem, hoc & ipſe ſimiliter facit, quia ſcientia filii à patre eſt, non per doctrinam, ſed per generationem; nam idem eſt Deo ſcire & eſſe, & proinde idem eſt filio accipere ſapientiam, ſive doctrinam, & accipere eſſentiam.

Gal. 2. v. 16. *Scientes autem, quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti*, h. e. ſed per fidem Jeſu Chriſti, quæ operibus legis opponitur; unde ſubdit Apoſtolus: *& nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis.* Bona tamen opera tanquam media à Deo præſtituta & data non excluduntur, imo requiruntur. Vide præterea 1. Cor. 7. v. 17. Apoc. 9. v. 4. cap. 21. v. ult. &c.

E contrario, *ſed* pro *niſi* adhibetur, Marc. 9. v. 7. al. 8. *Neminem amplius viderunt*, ἀλλὰ *ſed*, h. e. εἰ μὴ *niſi Jeſum tantum ſecum.*

§. IX.

Adverbia comparandi.

QUATUOR in adverbiis comparandi obſervari poſſunt. I. Eorum ſignificatio. II. Enallage, ſeu permutatio. III. Ellipſis, ſive defectus. IV. Pleonaſmus, ſeu redundantia.

CANON I.

ADVERBIA comparandi ὡς, ὥσπερ, καθὼς, οὕτως, non ſemper omnimodam ſimilitudinem, aut æqualitatem denotant, ſed de aliqua interdum convenientia intelligenda ſunt.

Math. 5. v. 48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Non injungitur à Chriſto perfectionis noſtræ cum perfectione Divina æqualitas, quæ quidem impoſſibilis eſt, ſed perfectionis ejus, de qua loquitur, neceſſitas. Quemadmodum v. g. pater cœleſtis bonis & malis benefacit: ita & nos amicos & inimicos diligamus, iiſque benefaciamus oportet.

Luc. 6. v. 36. *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Hoc exemplum ut præcedens, explicandum eſt.

Joan.

Joan. 17. v. 21. *Ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint....* V. 22. *ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.* Non vult Chriſtus hac comparatione, ut fideles unum ſint inter ſe eadem ratione, qua & ipſe unum eſt cum patre; hæc enim unitas patris cum filio in ὁμουσίᾳ, *conſubſtantialitate* poſita eſt; fidelium vero in ὁμονοίᾳ, *animorum conſenſu*, Act. 4. v. 32. conſiſtit. Unitas inter Patrem & Filium *eſſentialis* eſt, Joan. 10. v. 30. c. 14. vv. 9. 10. 1. Joan. 5. vv. 7. 9. Unitas autem fidelium inter ſe & cum Chriſto, *ſpiritualis* & *myſtica*, Rom. 12. v. 5. Epheſ. 4. v. 3.

Alia exempla vide Matth. 6. vv. 10. 11. 12. (conf. Luc. 11. v. 4.) Joan. 6. v. 57. cap. 10. vv. 14. 15. cap. 15. v. 10. cap. 17. vv. 16. 18. 23. cap. 20. v. 21. &c.

CANON II.

SIMILITUDINIS particula quandoque non ſimilitudo, ſed res ipſa notatur.

Gen. 25. v. 33. *Jura mihi* כַּיּוֹם *ſicut hodie*, h. e. hodie, ut Lxx. interpretantur, ὄμοσόν μοι σήμερον, *jura mihi hodie.* Caph iſtud ſimilitudinis vocatur à Qimhhi *Caph veritatis*, ideoque ab interpretibus negligitur; vel ſi exprimatur, abundat.

Num. 11. v. 1. *Fuit autem populus* כְּמִתְאֹנְנִים *ſicut quiritantes*, h. e. quiritantes. Lxx. καὶ ἦν ὁ λαὸς γογγύζων, *erat autem populus murmurans*, ſine particula ſimilitudinis.

2. Eſdræ 7. v. 2. *Ipſe enim* (Hananias) כְּאִישׁ *quaſi vir veritatis.... plus ceteris videbatur*, h. e. *erat vir veritatis.* Mſ. Alex. ἦν ἀνὴρ, *erat vir*, ſine particula comparativa.

Job. 24. v. 14. *Mane primo conſurgit homicida, & interficit egenum & pauperem, per noctem vero erit* כַּגַּנָּב *quaſi fur*, h. e. erit fur. Ald. ὁ κλέπτης.

Pſal. 121. Heb. 122. v. 3. *Jeruſalem, quæ ædificatur* כְּעִיר *ut civitas*, h. e. civitas.

Alia exempla ſunt Iſai. 1. v. 7. cap. 13. v. 6. Oſe. 4. v. 4. apud quem frequentiſſimæ ſunt ſimilitudines. Abd. v. 11. &c.

Matth. 14. v. 5. *Quia ſicut prophetam eum* (Joannem) *habebant*, h. e. pro vero propheta eum habebant.

Luc. 22. v. 44. *Et factus eſt ſudor ejus* (Chriſti) *ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*, h. e. guttæ ſanguinis.

Joan. 1. v. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam* ὡς μονογενοῦς, *quaſi unigeniti à Patre*, h. e. vere unigeniti à Patre; illa enim particula ὡς eſt βεβαιώσεως καὶ ἀναμφισβητήτου διορισμοῦ, *confirmationis & indubitatæ definitionis*, S. Chryſoſt. hom. 11. in Joan. tom. 2. ed. Pariſ. 1636. p. 76.

Rom. 9. v. 32. *Quare? quia non ex fide, ſed* ὡς *quaſi*, ſeu *tanquam ex operibus*, i. ex operibus juſtificari voluerunt.

Alia exempla vide 1. Cor. 4. v. 1. 2. Cor. 2. v. 17. c. 3. v. 18. Philip. 2. v. 12. Philem. v. 9. 1. Pet. 1. v. 19. &c. quibus in locis ὡς & καθάπερ redundant.

CANON III.

ADVERBIUM comparandi οὕτως *ſic*, non in comparatione ſolum, ſed in aliis etiam loquutionibus uſurpatur.

I. Rei qualitatem, ſive adjuncta exprimit. Matth. 1. v. 18. *Chriſti autem generatio ſic erat*, &c. i. hac ratione ſe habebat. Sic cap. 3. v. 15. cap. 5. vv. 19. 47. & alias ſæpiſſime.

II. Rei magnitudinem ac præſtantiam indicat. Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*, q. d. tantus tamque ardens fuit Dei amor erga homines, ut &c. Vide etiam c. 7. v. 46.

III. Pro conjunctione concluſiva *itaque* adhibetur. Apoc. 3. v. 16. οὕτως *itaque, quia tepidus es*, &c. Vulg. *ſed quia tepidus es*, &c.

IV. Notanda eſt ſignificatio, quæ Joan. 4. v. 6. occurrit, ubi de Chriſto dicitur: *Erat autem ibi fons Jacob. Jeſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat* οὕτως *ſic ſupra fontem*, i. ſimpliciter, neglectim, &, ut Græci loquuntur, ὡς ἔτυχε, *ut res dabat.*

V. Hebræum adverbium כֵּן *ſic*, quandoque intendendi ſignificationem habet. Exod. 1. v. 12. *Et ſicut affligebant eum* (populum Iſraëliticum) כֵּן *ſic multiplicabatur*, וְכֵן *& ſic creſcebat.* Vulg. eleganter: *Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & creſcebant.* Vide etiam Oſe. 4. v. 7. cap. 11. v. 2. &c.

Denique אַחֲרֵי־כֵן *poſt ſic*, ſæpiſſime ponitur pro *poſt hæc*, *poſtea*, ita ut adverbium iſtud naturam pronominis induat, ut: 2. Reg. 2. v. 1. *Et factum eſt* אַחֲרֵי־כֵן *poſt ſic, conſuluit David Dominum*, &c. Vulg. *Igitur poſt hæc conſuluit David Dominum.*

CANON IV.

PRO particula comparativa quandoque aliæ particulæ uſurpantur.

I. Copulativa ו *&*. 1. Reg. 12. v. 15. *Tunc erit manus Domini ſuper*, ſeu *contra vos*, וּבַאֲבוֹתֵיכֶם *ut* (fuit) *ſuper patres veſtros.* Sic Paraph. Chald.

Prov. 10. v. 25. *Sicut tranſit turbo*: וְאֵין *ſic non eſt impius.* Sic c. 17. v. 3. c. 25. vv. 23. 25. 26. &c.

Iſai. 53. v. 7. *Et ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcet*: וְלֹא *ſic non aperiet os ſuum* Chriſtus Meſſias. Quod Act. 8. v. 32. optime redditur: οὕτως οὐκ ἀνοίγει τὸ στόμα αὐτοῦ, *ſic non aperuit os ſuum*, ita Vulg. qui pro ἀνοίγει videtur legiſſe ἤνοιξε, ut habent mſſ. quidam codd. Vide D. Mill. p. 275. & Amos 8. v. 7.

Matth. 6. v. 10. *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*, h. e. ſic in terra. Vide inſuper Act. 7. v. 51. &c.

II. Præfixum ל *ad.* Iſai. 1. v. 31. *Et erit fortis* לִנְעֹרֶת *ſicut ſtupa, & opus ejus* לְנִיצוֹץ *ſicut ſcintilla.* Vulg. *ut favilla ſtupæ .... quaſi ſcintilla.*

Abd. v. 18. *Et erit domus Jacob ignis, & domus Joſeph flamma, domus autem Eſau* לְקַשׁ *ſicut ſtipula*, quæ ab igne conſumitur.

III. Præpoſitio עִם *cum.* Job. 9. v. 26. *Dies mei tranſierunt* עִם אֳנִיּוֹת אֵבֶה *cum navibus deſiderii*, h. e. ſicut naves deſiderii; ſequitur enim: *ſicut aquila volans ad eſcam.* Naves autem deſiderii dicuntur naves deſideratiſſimæ, ſeu præſtantiſſimæ, velociſſimæ: quare Sym. interpretatur, ὥσπερ ναῦς σπευδούσας, *quemadmodum naves feſtinantes.* Paraph. Chald. tranſtulit *naves optimis fructibus onuſtas*, quæ celerrime feruntur, cum ne fructus putreſcant, tum etiam ut citius divendantur. Hunc ſequutus eſt Vulg. *quaſi naves poma portantes.* אֵבֶה deducebant ab אֵב *fructus recens.* Recte autem cum navibus & avibus, quæ in aëre vel in mari nullam ſui notam relinquunt, conferuntur decurrentis ævi ſpatia, tum ob celeritatem, tum quia temporis ſemel elapſi nullum remanet veſtigium.

Pſal. 119. Heb. 120. v. 4. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus juniperorum*, ſic S. Hier. h. e. ſicut ſagittæ potentis acutæ, ſicut carbones juniperorum es, ó lingua doloſa! Pſaltes hic commemorat carbones juniperorum, qui ceteris vehementius adurunt, & diutius ignem fovent. Retineri tamen poteſt ſignificatio *cum*, ſicuti retinuerunt Aquila, σὺν ἄνθραξιν ἀρκευθίναις, *cum carbonibus juniperinis.* Sym. Theod. μετ᾽ ἀνθράκων ἐσωρευμένων, *cum carbonibus congeſtis*, (רְתָם unde רֹתֶם *juniperus*, *congerere* ſignificat) Lxx. σὺν τοῖς ἄνθραξι τοῖς ἐρημικοῖς, *cum carbonibus ſolitariis*, quia carbones arborum, quæ in deſertis naſcuntur, ardentiores ſunt ob materiæ denſitatem. Vulg. *cum carbonibus deſolatoriis*, ipſe & Lxx. ſenſum, non verbum reddiderunt.

Huc etiam refert Glaſſ. v. 5. *habitavi*, vel *habito, cum habitantibus Cedar*, h. e. ut habitatores Arabiæ deſertæ & petrææ (dicti *Cedareni* Lampridio, à Cedar Iſmaëlis filio) certas & fixas ſedes non habent, ſed huc illuc vagantur, ac in tentoriis degunt: ſic & ego locum continuo mutare cogor. Alii ro-

tinent *cum* : habito cum hominibus feris ac barbaris, quales ſunt habitantes Cedar; neque enim apud Arabes David manſiſſe legitur, ſi tamen illius eſt iſte pſalmus. Sic Gallice dicimus : *j'aimerois mieux demeurer avec un Arabe.*

CANON V.

COMPARANDI particulæ non raro in oratione deſunt.

I. In ſimilitudine contracta.

Gen. 16. v. 12. *Hic* (Iſmaël) *erit onager homo*, h. e. ut onager. Vulg. *ferus homo.*

Exod. 19. v. 4. *Vos vidiſtis .... quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum*, h. e. quaſi ſuper alas aquilarum, quæ pullos ſuos transferunt non unguibus, aut pedibus, ut reliquæ aves, ſed ſuper alas & dorſum. Hac loquutione indicatur celeritas, qua Deus Iſraëlitas ex Ægypto eduxit.

Pſal. 10. Heb. 11. v. 1. *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ* (i. e. mihi) *fuge* (tu & qui tecum ſunt, unde ſecundum literas legitur נוּדוּ *fugite*) הַרְכֶם צִפּוֹר *in montem, vel è monte veſtro paſſer ?* ſupple : ſicut paſſer. Lxx. μεταναστεύου ἐπὶ τὰ ὄρη ὡς στρουθίον, *tranſmigra in montes* (Vulg. *montem*) *ſicut paſſer.* Aq. ἀνάστατε εἰς τὰ ὄρη ὡς στρουθίον, *abſcede in montes ſicut paſſer.* S. Hieron. *tranſvola in montem ut avis.* Chald. ut Vulg. Lat. Hi omnes legeb. הַר כְּמוֹ צִפּוֹר, ſicque particula ſimilitudinis exprimitur, nec ſubintelligitur.

Vide inſuper Pſal. 11. Heb. 12. v. 7. *argentum*, ſupple ſicut argentum. Iſai. 9. v. 18. *ſuperbia fumi*, ſeu *elevatio fumi* ; ſupple ſicut ſuperbia. Ibid. cap. 21. v. 8. *Et clamavit leo*, ſup. ſicut leo, &c.

II. In ſimilitudine explicata, ubi quandoque prioris membri particula comparandi deficit, poſterioris vero per conjunctionem copulativam loco comparativæ exprimitur.

Pſal. 124. Heb. 125. v. 2. *Jeruſalem, montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi ſui*, i. Jeruſalem quod attinet, quemadmodum montes ſunt in circuitu ejus, qui eam contra hoſtes tuentur : ita Dominus eſt in circuitu populi ſui, eumque in æternum proteget.

Prov. 26. v. 9. *Spina venit in manu ebrii, & parabola in ore ſtultorum*, ſupp. cum. Vulg. *Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti : ſic parabola in ore ſtultorum eſt*, h. e. quemadmodum male ſpina in manu ebrii eſt, quia & ſe & alios ea lædit : ſic parabola ſeu ſententia ſtultum non decet ; is enim dum male vivit & bene loquitur, gravius judicium ſibi ipſe accerſit ; dum vero parabolam aliis intempeſtive applicat, eorum in ſe concinat odium.

Joan. 5. v. 17. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor*, i. quemadmodum pater meus operatur : ita & ego operor, quæ facit, ſimiliter facio. Vide v. 19.

Ibid. c. 14. v. 1. *Creditis in Deum, & in me credite*, h. e. ſicut in Deum creditis, ita & in me credite. Ibid. v. 19. *Ego vivo & vos vivetis*, i. ſicut ego vivo, ſic vos vivetis.

Interdum prioris membri, quod πρότασις dicitur, particula deeſt, quæ in poſteriori, quod ἀπόδοσιν vocant, occurrit.

Jac. 1. v. 11. *Exortus eſt enim ſol cum ardore, & areſecit fœnum .... οὕτω καὶ, ſic & dives in itineribus ſuis*, (i. in actionibus ſuis) *marceſcet*, h. e. ſicut exortus eſt ſol, &c.

Quandoque poſterioris membri ſive ἀποδόσεως particula deeſt.

Abd. v. 15. *Sicut feciſti, fiet tibi*, ſup. ſic fiet tibi.

Interdum utraque & προτάσεως & ἀποδόσεως particula deſideratur.

Job. 24. v. 19. *Siccitas & æſtus rapiunt* (i. citiſſime abſumunt) *aquas nivis : ſepulchrum* (eos, qui) *peccaverunt*, i. quemadmodum ſiccitas & æſtus, &c. ſic ſepulchrum rapit eos, &c.

Eccle. 10. v. 1. *Muſcarum mortis* (id eſt, mortuarum una) *fœtere facit & vaporare*, ſeu *exhalare* (tetrum odorem) *unguentum aromatarii : quod pretioſum eſt ob ſapientiam & gloriam, parum ſtultitiæ* (perdit & cor-

rumpit), hoc eſt, quemadmodum vel una muſca mortua unguentum pigmentarii fœtidum reddit: ita parum ſtultitiæ hominem alias ob ſapientiam & gloriam illuſtrem dedecorat. Vide etiam Prov. 11. v. 12.

Jerem. 17. v. 11. *Perdix fovit* (ova) *quæ non peperit: ferit divitias & non in judicio*, &c. h. e, ſicut perdix fovet ova aliena, neque ea excludit: ita, qui comparat opes injuſtas *in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas.* Id genus ellipſeos in Jobi & proverbiorum libris frequenter occurrit.

CANON VI.

VICISSIM, adverbium comparationis interdum abundat.

I. Cum non ſimilitudo, ſed rei veritas indicatur. Vide ſupra Can. II. pag. 577.

II. Cum verbum ipſum comparationis adeſt, & tamen adverbium ſimilitudinis ponitur, quod in Heb. pro ל eſt.

Job. 30. v. 19. הֹרָנִי לַחֹמֶר וָאֶתְמַשֵּׁל כֶּעָפָר וָאֵפֶר *projecit me*, vel *projectus ſum in lutum*, *& aſſimilatus ſum ſicut pulvis & cinis*, hoc eſt, pulveri & cineri.

Pſal. 48. Heb. 49. v. 13. וְאָדָם בִּיקָר בַּל־יָלִין נִמְשַׁל כַּבְּהֵמוֹת נִדְמוּ *Et homo in honore non pernoctabit*, ſeu *permanebit*, *comparatus eſt ſicut jumenta*, (h. e. jumentis, quæ) *exſcinduntur*, ſeu *intereunt*. LXX. Καὶ ἄνθρωπος ἐν τιμῇ ὢν οὐ συνῆκε, παρασυνεβλήθη τοῖς κτήνεσι ἀνοήτοις, καὶ ὡμοιώθη αὐτοῖς, Vulg. Lat. *Et homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pro יָלִין *pernoctabit*, *commorabitur*, & poſito futuro pro præterito, ut ſupra pag. 546. col. 1. *pernoctavit*, *commoratus eſt*, legebant יָבִין, ut infra v. 21. *intelliget*, vel *intellexit*; & vocem ultimam נִדְמוּ quam retulerunt ad ἄνθρωπον, quod nomen utpote collectivum cum plurali numero conſtrui poteſt, in ſenſu *aſſimilandi* interpretati ſunt, & ſententiæ complendæ gratia, voces ἀνοήτοις & αὐτοῖς addiderunt. Vel duplex vocis hujus נִדְמוּ in hoc hemiſtichio interpretatio eſt, quod in Pſalmis interdum contingit; altera, qua redditur per ἀνοήτοις, *inſipientibus*, q. d. jumentis, quæ ſilent; verbum enim דָּמָה & *aſſimilare*, & *ſilere* ſignificat: altera, qua vulgaris ejus ſignificatio retinetur, nempe ὡμοιώθη, *aſſimilatus eſt*, *ſimilis factus eſt*, αὐτοῖς *ipſis*, quæ ultima dictio ad ſenſum perficiendum adjicitur. S. Hieron. *Et homo in honore non commorabitur*, *aſſimilatus eſt jumentis*, *& exæquatus eſt.* Pro *commorabitur*, quod habent mſſ. noſtri Sangermanenſes 1. & 9. mendoſe in Bibliotheca Divina edidit *Martianæus* noſter *commovebitur.*

Marc. 4. v. 31. *Cui aſſimilabimus regnum Dei*.... V. 31. ὡς κόκκῳ, *ut grano ſinapis*, hoc eſt, grano ſinapis aſſimilabimus illud. Vulg. *ſicut granum ſinapis*, &c. pro κόκκῳ legeb. κόκκος, ut habent non pauci codd. mſſ.

Rom. 9. v. 29. *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen*.... ὡς Γόμοῤῥα ἂν ὡμοιώθημεν, *ſicut Gomorrhæ ſimiles fuiſſemus*, h. e. ut in Heb. habetur Iſai. 1. v. 9. לַעֲמֹרָה דָּמִינוּ *Gomorrhæ ſimiles fuiſſemus.*

§. X.

Adverbia limitandi.

MONOCANON.

ADVERBIUM limitandi, ſeu reſtringendi, *quatenus*, quo caret lingua Hebraïca, aliis particulis exprimitur.

Gen. 39. v. 9. *Nec quidquam eſt*, *quod non in mea ſit poteſtate*... *præter te*, בַּאֲשֶׁר *in quo*, h. e. *quatenus uxor ejus es*; in ceteris enim Joſephi curæ etiam commiſſa erat.

Matth. 10. v. 41. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ*, h. e. quatenus prophetam. Sic mox *in nomine juſti*, v. 42. *in nomine diſcipuli.*

Joan. 5. v. 27. *Et poteſtatem dedit ei* (Chriſto Deus pater) *etiam judicium facere*, ὅτι *quatenus filius hominis eſt*, h. e. quatenus homo, quatenus enim Deus eſt, habet illam poteſtatem eſſentialiter & ab æterno.

Rom. 1. v. 3. *De filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David*, κτ̃ σάρκα *ſecundum carnem*, h. e. quatenus homo eſt; caro enim hîc ſynecdochice pro toto homine ſumitur.

Cap. 11. v. 13. ἐφ' ὅσον, *quatenus quidem ego ſum Gentium Apoſtolus.* Vulg. *quamdiu*, nec male.

CAPUT VII.

De Præpoſitionibus.

PRÆPOSITIONES apud Hebræos ſunt vel conjunctæ, ſeu *inſeparabiles*, vel disjunctæ, aut ſeparatæ, ſeu *ſeparabiles*, ut diximus ſupra pag. 378. In hoc capite agemus I. De præpoſitionibus quibuſdam disjunctis, ſeu ſeparatis, quarum tum conſtructionem, tum ſignificationem expendemus. II. Præpoſitiones conjunctas, ſeu inſeparabiles, diſcutiemus.

ARTICULUS I.

De Præpoſitionum ſeparabilium conſtructione.

MONOCANON.

QUÆDAM præpoſitiones junguntur infinitivo, illæque per verbum finitum & conjunctionem exponuntur.

Gen. 5. v. 4. *Et facti ſunt dies Adam* אחרי הולידו *poſt gignere eum*, i. *poſtquam genuit*, Vulg.

Gen. 18. v. 12. אחרי בלתי *poſt conſeneſcere me*, i. *poſtquam conſenui*, Vulg.

Ibid. v. 19. למען הביא *propter adducere Dominum Abrahamo*, h. e. *ut adducat Dominus*, Vulg.

Exod. 9. v. 16. *Ideo autem poſui te*, בעבור הראתך *propter oſtendere tibi potentiam meam*, h. e. ut oſtendam, &c. ולמען ספר *& propter narrare nomen meum*, i. ut enarres, vel, ut Vulg. *narretur.* Vide etiam c. 20. v. 20. Num. 9. v. 17. Ezech. 13. v. 8. Jon. 4. v. 2. &c.

Matth. 24. v. 12. διὰ τὸ πληθυνθῆναι τ̃ ἀνομίαν, *propter abundare iniquitatem*, h. e. quia abundabit iniquitas. Vulg. *quoniam abundavit iniquitas.*

Luc. 22. v. 20. *Similiter & calicem* μετὰ τὸ δειπνῆσαι, *poſt cœnare*, h. e. poſtquam cœnaviſſent, vel *poſtquam cœnavit*, Vulg.

Ibid. cap. 23. v. 8. διὰ τὸ ἀκούειν πολλὰ περὶ αὐτοῦ, *propter audire multa de eo*, h. e. *eo quod audierat multa de eo*, Vulg.

Jac. 4. v. 15. ἀντὶ τ̃ λέγειν ὑμᾶς, *pro dicere vos*, h. e. *pro eo, ut dicatis*, Vulg.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De præpoſitionum quarumdam ſeparabilium ſignificatione.

OMNES Hebræorum præpoſitiones vocem, quæ ab eis regitur, antecedunt. Specialem quarumdam ſignificationem, quæ in enallage præſertim ſita eſt, hoc in articulo operæ pretium eſt expendere.

§. I.

De præpoſitione אֶל, *vel* אֶל־ ad.

CANON I.

PRÆPOSITIO אֶל *ad*, ex earum numero eſt, quibus motus ad locum exprimitur.

Gen. 6. v. 19. *Ex cunctis animantibus univerſæ carnis bina introduces* אֶל־הַתֵּבָה *ad*, vel *in arcam.* Vide Iſai. 2. v. 2. &c.

Pro אֶל, vel alia præpoſitione motum ad locum denotante, non raro uſurpatur ה, præcedente (ָ) & rariſſime (ֶ), quod ה ad finem dictionis adjicitur. Vide ſupra pag. 102.

Gen. 19. v. 1. *Veneruntque duo illi angeli* סְדֹמָה *Sodomam veſpere.*

Ibid. 33. v. 14. *Donec veniam ad Dominum meum* שֵׂעִירָה *in Seir.*

Ibid. 46. v. 4. *Deſcendam tecum* מִצְרַיְמָה *in Ægyptum.*

Alia exempla vide Gen. 10. v. 19. cap. 12. v. 5. Deut. 1. v. 47. c. 2. v. 2. 1. Reg. 9. v. 22. 3. Reg. 18. v. 46. c. 19. v. 15. Jerem. 29. v. 15. Ezech. 47. v. 17. Jon. 1. v. 3. &c.

Speciale eſt מִדְבָּרָה *verſus deſertum*, 3. Reg. 19. v. 15. cum (ַ) ſub ב loco (ָ) ob ſtatum conſtructum, ut obſervant Maſſorethæ & Qimhhi, qui eandem anomaliam in eadem voce eſſe Joſ. 18. v. 12. teſtantur. At in Bibliis noſtris etiam emendatioribus (ָ) non (ַ) τῷ ב ſubjicitur.

Quandoque nomini proprio loci compoſito per tmeſin diviſo, ה locale interponitur, ut Gen. 46. v. 1. בְּאֵרָה שָׁבַע *in Berſabee.* Lxx. ἐπὶ τὸ φρέαρ τῦ ὅρκυ, Vulg. *ad puteum juramenti*, nomen proprium ut appellativum interpretati ſunt.

Interdum pleonaſtice ל ſynonymum τῷ אֶל à fronte præponitur, & ה in fine adjungitur. 1. Paral. 26. v. 17. לַצָּפוֹנָה *ad ſeptentrionem*, לַנֶּגְבָּה *ad meridiem.* Pſal. 9. v. 18. לִשְׁאוֹלָה *ad ſepulchrum.*

Loco (ָ) ante ה rariſſime uſurpatur (ֶ), ut: נֹבֶה *Nobam verſus*, 1. Reg. 21. v. 1. דְּדָנֶה *& Dedanem verſus*, Ezech. 25. v. 13. &c. In his autem exemplis (ֶ) poſitum eſſe pro (ָ) oſtendit accentus in penultima.

Sæpe ה, aut אֶל deficiunt, ſed ſupplentur; nam apud Hebræos cum nominibus propriis urbium & locorum præpoſitio vel exprimitur, vel ſubintelligitur.

3. Reg. 3. v. 15. *Cumque veniſſet* (Salomon) יְרוּשָׁלַםִ in *Jeruſalem*, pro יְרוּשָׁלַיְמָה, vel אֶל־יְרוּשָׁלַםִ, aut לִירוּשָׁלַםִ. Vide etiam c. 19. v. 3. Deut. 28. v. 68. 3. Reg. 2. v. 41. 2. Paral. 34. v. 30. Pſal. 5. v. 8. Jon. 1. v. 3. &c.

Motum ex loco ſignificare volunt ה Gen. 13. v. 1. ubi הַנֶּגְבָּה explicari videtur v. 3. per מִנֶּגֶב *à meridie*, ſive *à meridiano tractu.*

Denique ה ponitur pro *in*, vel *ad*, quanvis de loco ſermo non habeatur. 1. Reg. 1. v. 3. יָמִימָה *in dies.* Pſal. 43. Heb. 44. v. 27. עֶזְרָתָה *in*, vel *ad auxilium*, &c.

Digitized by Google

CANON II.

SÆPE præpoſitiones אֶל & εἰς *ad*, pro בְּ & ἐν *in*, ſive de loco ſermo ſit, ſive de alia re, ponuntur. Seu Præpoſitiones motum ſignificantes pro Præpoſitionibus quietem exprimentibus interdum uſurpantur.

I. De loco.

Gen. 49. v. 29. *Sepelite me cum patribus meis*, אֶל־הַמְּעָרָה *ad ſpeluncam duplicem*, pro בְּ *in ſpelunca duplici*, Vulg.

3. Reg. 8. v. 30. *Et exaudies* אֶל־מְקוֹם *ad locum tabernaculi tui*, &c. h. e. *in loco*, Vulg. vel *de loco*, adeo ut אֶל־ ponatur pro מִן, quod legitur 2. Paral. 6. v. 21. Vide etiam 1. Reg. 10. v. 22.

Matth. 2. v. 23. *Et veniens* (Joſeph) *habitavit* εἰς πόλιν, *ad civitatem*, h. e. *in civitate, quæ vocatur Nazareth*, Vulg.

Marc. 1. v. 9. *Venit Jeſus a Nazareth Galilææ, & baptizatus eſt a Joanne* εἰς τὸν Ἰορδάνην, *ad Jordanem*, hoc eſt, ἐν τῷ Ἰορδάνῃ, *in Jordane*, Vulg.

Alia exempla vide v. 39. cap. 2. v. 1. c. 13. v. 16. cap. 14. v. 9. Luc. 9. v. 61. cap. 11. v. 7. Joan. 1. v. 18. cap. 8. v. 26. Act. 2. v. 31. &c.

In profanis. Diodorus: εἰς ἑσπέραν αὐτὸν εἰς τὴν ὑστεραίαν εἰς Συρακούσας δειπνήσειν, *qui dixerat eum poſtridie in Syracuſas cœnaturum*, h. e. Syracuſis.

II. De alia re.

Gen. 6. v. 6. *Et doluit* (Deus) אֶל־לִבּוֹ *ad cor ſuum*, h. e. in corde ſuo.

Cap. 8. v. 21. *Et dixit Dominus* אֶל־לִבּוֹ *ad cor ſuum*, i. in corde ſuo, intra ſe.

Cap. 24. v. 45. *Ego antequam finirem loqui* אֶל־לִבִּי *ad cor meum*, hoc eſt, in corde meo. Vulg. *Dumque tacitus hæc mecum volverem.*

Matth. 12. v. 18. *Ecce .... dilectus meus* εἰς ὃν εὐδόκησεν, *in quem bene complacuit animæ meæ*, h. e. ἐν ᾧ *in quo*, uti cap. 3. v. ultimo legitur.

Ibid. c. 12. v. 41. *Quia pœnitentiam egerunt* (Ninivitæ) εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ, *ad prædicationem Jonæ*, hoc eſt, *in prædicatione Jonæ*, Vulg.

Marc. 5. v. 34. ὕπαγε εἰς εἰρήνην, *vade in pacem*, hoc eſt, in pace. Sic Luc. 7. v. 10. cap. 8. v. 48. Sic apud Heb. לֵךְ לְשָׁלוֹם Exod. 4. v. 18. pro לֵךְ בְּשָׁלוֹם 2. Reg. 15. v. 9. Vide inſuper Luc. 16. v. 8. Act. 7. v. 53. cap. 8. v. 13.

Act. 13. v. 42. Ἐξιόντων δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν Ἰουδαίων, παρεκάλουν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα. *exeuntibus autem ex ſynagoga Judæorum, rogabant gentes ut in ſequens Sabbathum loquerentur ſibi verba hæc*, h. e. ἐν τῷ μεταξὺ σαββάτῳ, *in ſequenti Sabbatho.* Eam eſſe quoque vocis μεταξὺ ſignificationem liquet ex Joſeph. de bello Jud. l. 6. c. 6. Δαυίδου τε καὶ Σολομῶντος, ἔτι δὲ τῶν μεταξὺ τούτων βασιλέων, *Davidis & Salomonis, & eorum, qui hos ſequuti ſunt reges*; nulli enim inter Davidem & Salomonem reges fuerunt. Vide etiam S. Clementem in Epiſt. ad Corinth. Pro μεταξὺ in hoc Act. loco quidam codd. mſſ. legunt ἐσόμενον *futurum*, quidam ἑξῆς *ſequens*. Vulg. Lat. *Exeuntibus autem illis, rogabant ut ſequenti Sabbatho loquerentur ſibi verba hæc.* Legebat αὐτῶν cum quibuſdam mſſ. pro ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν Ἰουδαίων, quæ in pluribus codd. mſſ. deſiderantur. Non legebat τὰ ἔθνη, quas voces non agnoſcunt pariter codd. nonnulli. Vide D. Mill. pag. 228. col. 2. & confer v. 44. *Sequenti vero Sabbatho*, &c.

Fruſtra ſunt igitur, qui per εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον, intelligunt ſextriduum inter duo Sabbatha, quod Hebræis חוֹל appellatur.

Eadem enallage reperitur etiam apud LXX. Gen. 21. v. 2. εἰς τὸ γῆρας, *in ſenectutem*, pro ἐν τῷ γήρει, *in ſenectute*, quod legitur v. 7.

Apud profanos ſumitur etiam εἰς pro ἐν. Demoſth. pro cor. τοσούτῳ ἀμείνων πολίτης γέγονα εἰς αὐτά, ἃ λέγω, *tanto in his rebus, quas dico, præſtantior civis fui.*

Euripid. in Rheſo: εἰς καιρὸν ἦλθες, *in tempore opportuno veniſti*, &c.

Digitized by Google

CANON III.

VICISSIM, ב *in* pro אֶל *ad*, & apud Græcos ἐν pro εἰς interdum veniunt, ſive de loco, ſive de qualibet alia re ſermo habeatur. Seu præpoſitiones quietis loco præpoſitionum motus quandoque adhibentur.

I. De loco.

Levit. 16. v. 22. *Et emittet hircum illum* בַּמִּדְבָּר *in deſerto*, pro אֶל־הַמִּדְבָּר *in deſertum*, Vulg.

Luc. 7. v. 17. *Et exiit hic ſermo* ἐν ὅλῃ τῇ Ἰουδαίᾳ, *in univerſa Judæa*, h. e. *in univerſam Judæam*, Vulg. καὶ ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ, *& in omni circa regione*, h. e. *& in omnem circa regionem*, Vulg. pro εἰς ὅλην τὴν Ἰουδαίαν, εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον. Vide c. 10. v. 30. c. 21. v. 23.

Apud profanos. Xenoph. ἔλθοι ἐν ἑλλάδι, pro εἰς ἑλλάδα, *veniret in Græciam*. Homer. κάππεσον ἐν Λήμνῳ, pro εἰς Λῆμνον, *decidi in Lemnum*.

II. De qualibet alia re.

Luc. 1. v. 17. *Ut convertat corda patrum in filios, & incredulos* ἐν φρονήσει, *in prudentia juſtorum*, pro εἰς φρόνησιν, *in prudentiam*. Confer Malach. 3. v. 24. al. 4. v. 6.

Alia exempla vide Rom. 1. vv. 23. 24. 25. (confer v. 26. cum v. 24.) 1. Theſſ. 4. v. 7. 1. Joan. 4. v. 9. Heb. 4. v. 11. &c.

CANON IV.

PRÆTER ſignificata ſuperius recenſita, præpoſitio אֶל *ad*, *in*, aliis etiam quandoque inſignitur. Ac ſignificat quidem

I. DE. Job. 42. v. 7. *Non eſtis loquuti rectum* אֵלַי *ad me*, h. e. de me, *ſicut ſervus meus Job.*

Jerem. 40. v. 16. אֶל־יִשְׁמָעֵאל *de Iſmaël.*

Ezech. 21. v. 28. al. 33. *Hæc dicit Dominus Deus* אֶל־ *ad filios Ammon*, וְאֶל־ *& ad opprobrium eorum*, h. e. de filiis Ammon, & de opprobrio eorum. Vide etiam Pſal. 2. v. 7. Pſal. 68. Heb. 69. v. 27. &c.

Luc. 19. v. 9. *Ait Jeſus ad eum* (Zachæum), *quia hodie ſalus domui huic facta eſt*, &c. id eſt, ait de ipſo; non enim ſermo ad Zachæum, ſed ad circumſtantes dirigitur, ut & verba ipſa declarant. Inſuper particula ὅτι *quia*, hîc ut & alias ſæpiſſime in N. Teſtam. abundat.

Act. 2. v. 25. *David enim dicit* εἰς αὐτὸν, *in eum* (Jeſum), h. e. περὶ αὐτοῦ *de eo*. Alii, *in eum*, ſupple reſpiciens.

Heb. 1. v. 7. *Et ad angelos quidem dicit*, &c. hoc eſt, de angelis; afferuntur enim ab Apoſtolo verba Pſal. 103. Heb. 104. v. 4. Vide etiam Epheſ. 5. v. 32. & Heb. 4. v. 13.

II. SUPER; tuncque אֶל pro עַל ponitur.

Levit. 14. v. 50. *Et immolabit paſſerem unum* אֶל־ *ad vas fictile*, i. ſuper vas fictile, in quo erat aqua viva; ſequitur enim: עַל *ſuper aquas vivas.*

2. Reg. 2. v. 9. *Et conſtituit eum* (Iſboſethum) אֶל־ *ad Galaad*, h. e. *ſuper Galaad*, Vulg. unde mox ſequitur: וְעַל־אֶפְרַיִם *& ſuper Ephraim.*

III. PROPTER; tumque אֶל itidem pro עַל uſurpatur.

1. Reg. 1. v. 27. אֶל־ *ad puerum iſtum oravi*, hoc eſt, propter puerum iſtum, ſive, ut Vulg. *pro puero iſto.*

1. Reg. 4. v. 21. *Et vocavit puerum Ichabod, dicens: tranſlata eſt gloria de Iſraël*, אֶל־הִלָּקַח *propter capi arcam Dei*, h. e. propterea quod capta eſſet arca Dei; וְאֶל־ *& propter ſocerum ſuum, & propter virum ſuum*, ſive, ut Vulg. *pro ſocero ſuo, & pro viro ſuo.*

2. Reg. 21. v. 1. *Dixitque Dominus:* אֶל־ *propter Saülem*, וְאֶל־ *& propter domum ejus ſanguinum*, i. ſanguinariam.

IV.

Digitized by Google

IV. CONTRA. אֶל pariter pro עַל, & *πρὸς* pro *κατὰ* adhibetur.

Iſai. 32. v. 6. *Ad loquendum errorem* אֶל־יְהוָה *ad Dominum*, h. e. contra Dominum.

Ezech. 13. v. 9. *Et erit manus mea* אֶל־ *contra prophetas iſtos*, &c. Vulg. *ſuper*, eodem ſenſu. Sic v. 20.

Ita *πρὸς* pro *κατὰ*.

Marc. 12. v. 12. *Cognoverunt enim, quoniam πρὸς αὐτοὺς, ad eos*, vel *ad ſe*, (h. e. contra eos) *parabolam hanc dixerit.* Vide etiam Luc. 20. v. 19.

Joan. 10. v. 35. *Si illos dixit Deos, πρὸς οὓς ad quos ſermo Dei factus eſt*, i. contra quos, in hoc enim pſalmo 81. Heb. 82. vv. 2. 5. 7. iniqui judices ob neglectum officium à Deo graviter objungantur.

Alia exempla vide Act. 9. v. 5. Rom. 10. v. 21. (conf. c. 11. v. 2.) Epheſ. 6. vv. 11. 12.

Sic *εἰς in* pro *contra, adverſus*, Luc. 7. v. 30. cap. 12. v. 10. (confer Matth. 12. v. 32.) 1. Cor. 8. v. 12. &c.

Eadem præpoſitio uſurpatur etiam loco *πρὸς ad.* Act. 16. v. 40...... *introierunt εἰς τὴν Λυδίαν, in Lydiam*, i. *ad Lydiam*, Vulg. Sic Matth. 15. v. 24. Joan. 11. vv. 31. 32. Et apud profanos. Appian. *εἰς Σύλλαν ad Syllam.* Demoſth. *εἰς ὑμᾶς ad vos.* Hom. *ἐς δέσποιναν ad heram*, &c.

V. CUM. אֶל pro עִם.

Thren. 3. v. 41. *Levemus corda noſtra* אֶל־ *ad manus*, i. *cum manibus ad Dominum*, Vulg.

Ezech. 16. v. 26. *Et fornicata es* אֶל־ *cum filiis Ægypti.*

VI. אֶל pro אֶת־ articulo accuſandi caſus uſurpatur Pſal. 2. v. 7. אֲסַפְּרָה אֶל־חֹק *narrabo decretum.* Vide Jud. 7. v. 25. Iſai. 38. v. 19. Jerem. 4. v. 23. 2. Paral. 6. v. 27. cum quo confer 3. Reg. 8. v. 36.

VII. אֶל cum aliis quibuſdam præpoſitionibus, in quarum naturam tranſit, conjungitur. אֶל־מוּל *è regione.* אֶל־מִחוּץ *extra.* אֶל־הַחוּץ *foris.* אֶל־תַּחַת *ſub, pro, in locum*, ſive *loco.* אֶל־נֹכַח *coram*, ſeu *è regione.* אֶל־עֵבֶר *trans.* אֶל־מִבֵּית *extra.* אֶל־אַחֲרֵי *poſt.* Et cum adverbio, אֶל־חִנָּם *fruſtra.*

VIII. Præpoſitio אֶל & *εἰς ad, in*, interdum deficit. Exempla τοῦ אֶל, vide ſup. Can. I. p. 582. col. 2. Pro *εἰς* hæc afferuntur:

Act. 5. v. 3. *Cur implevit Satanas cor tuum, ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; ut mentireris*, ſupp. *εἰς in Spiritum Sanctum?* ut habent mſſ. quidam codd. Vide D. Mill. pag. 265. col. 2.

2. Pet. 3. v. 12. *Exſpectantes & properantes*, ſup. *εἰς, in adventum diei Domini*, ſicuti Vulg. ſupplevit. Sic Thucyd. *σπεύδω τὴν ἡγεμονίαν*, ſupp. *εἰς, ad principatum propero.* Pind. *βίον ἀθάνατον σπεύδει, ad vitam immortalem propera.*

§. II.

De Præpoſitione אַחַר, *vel* אַחֲרֵי poſt.

MONOCANON.

PRÆPOSITIO אַחַר, ſive אַחֲרֵי, & ejus ſynonyma מִקֵּץ, מִקְצֵה, & Græc. *μετ' poſt*, cum locum, tum tempus interdum ratione ſpeciali denotant.

I. אַחַר *poſt*, ſi de loco accipiatur, nonnunquam pro nomine ſumitur.

3. Reg. 14. v. 10. *Et removebo* אַחֲרֵי *poſt domum Jeroboam*, h. e. aſſeclas domus Jeroboam. Vulg. *reliquias*, hoc eſt, poſteritatem. Sic cap. 16. v. 3. ubi Vulg. *poſteriora.* Quidam ſupplent participium *euntes* poſt domum Jeroboami.

Oſe. 5. v. 8. *Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama: ululate in Bethaven* אַחֲרֶיךָ *poſt te, Benjamin*, h. e. poſteriori te, Benjamin. Hieron. comm. in h. l. *Pulchre dixit, quod Bethaven poſt tergum ſit Benjamin: ubi enim tribus finitur Benjamin, haud procul in tribu Ephraim hæc urbs condita eſt.* Aliter Glaſſius poſt Junium; ſenſus eſt, inquit, Juda quo-

que ad bellicas clades perferendas ſeipſum compararet, qui *poſterior te* eſt, ô Benjamin, ſeu, qui poſt regionem tuam habitat. Quamobrem Iſraëlis mentio fit v. 9. & Judæ v. 10.

II. Præpoſitio *poſt*, ſi de tempore accipiatur, non ſemper ultimam temporis partem exactam ac præteritam denotat, ſed interdum pro *intra* ſumitur, ac interjectum & adhuc vigens tempus ſignificat.

Deut. 14. v. 28. מִקְצֵה *à fine trium annorum*, Lxx. μετὰ τρία ἔτη, *poſt tres annos ſeparabis omnes decimas*, &c. i. *anno tertio*, Vulg. Vide c. 26. v. 12. ubi legere eſt בַּשָּׁנָה הַשְּׁלִישִׁת Lxx. ἐν τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ, *in anno tertio.*

Deut. 31. v. 10. מִקֵּץ *à fine ſeptem annorum*, Lxx. μετὰ ἑπτὰ ἔτη, Vulg. *poſt ſeptem annos*, h. e. ſeptimo anno, qui *annus remiſſionis* eſt, ut ibidem exponitur. Aliter hic ſentiunt Rabbini interpretes, qui annum octavum, atque ita primum ſequentis hebdomadis annalis intelligunt.

Joſue 9. v. 16. *Et fuit* מִקְצֵה *à fine trium dierum*, Lxx. μετὰ τρεῖς ἡμέρας, Vulg. *poſt tres dies*, i. die tertio, ut v. 17. explicatur.

4. Reg. 18. v. 10. *Et ceperunt eam* (Samariam) מִקְצֵה *à fine trium annorum*, Lxx. Vatic. ἀπὸ τέλους, Complut. εἰς τέλος τριῶν ἐτῶν, *in fine trium annorum*, Vulg. *poſt tres annos*, h. e. tertio anno; nam anno Oſee 7°. obſederunt eam, v. 9. & nono ejuſdem anno expugnaverunt, ut v. 10. & cap. 17. v. 6. narratur.

Jerem. 34. v. 14. מִקֵּץ *à fine ſeptem annorum*, Vulg. *cum completi fuerint ſeptem anni, dimittat unuſquiſque fratrem ſuum Hebræum*, &c. hoc eſt, ſeptimo anno, ut liquet Exod. 21. v. 2. Deut. 15. v. 12. nempe poſtquam ſex anni exacti fuerint; quare Lxx. reddiderunt: ὅταν πληρωθῇ ἓξ ἔτη, *cum impleti fuerint ſex anni*, quæ explicatio ſtatim ſequitur: *ſerviet tibi ſex annis, & dimittes eum à te liberum*, nempe anno ſeptimo.

Matth. 1. v. 12. Μετὰ δὲ τὴν μετοικεσίαν Βαβυλῶνος, *Poſt tranſmigrationem autem Babylonis*, &c. h. e. per, intra eam tranſmigrationem, toto captivitatis tempore. Vel ſi μετὰ transferatur *poſt*, tunc μετοικεσία ſumitur pro μετοικισμῷ, ipſa tranſmigratione, ſeu actione, qua in Babyloniam tranſlati ſunt Judæi.

Cap. 27. v. 63. μετὰ τρεῖς ἡμέρας, *poſt tres dies reſurgam*, h. e. tertia die, ut v. 64. explicatio ſequitur. Sic quod Marc. 8. v. 31. Chriſtus dicit μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι, *poſt tres dies reſurgere:* hoc Matth. 16. v. 21. per τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι, *tertia die reſurgere* exprimitur.

Sic apud Hom. Ὀδ. χ. μετὰ δαῖτα, *in prandio.* Euripid. Βακχ. μεθ' ἡμέραν, *interdiu*, cui ibidem opponitur νύκτωρ *noctu.*

Huc pertinet oratio, quæ completum tempus interdum ſignificare videtur, cum tamen de incompleto intelligenda ſit.

Jerem. 25. v. 12. כִּמְלֹאות *cum impleti fuerint ſeptuaginta anni*, &c. h. e. initio ſeptuageſimi, quo liberati ſunt Iſraëlitæ. Vide cap. 29. v. 10. & Uſſerium in Annalibus pag. 82. edit. Pariſ. 1673.

Luc. 2. v. 21. καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ, *& poſtquam conſummati ſunt dies octo*, &c. hoc eſt, cum exactis ſeptem diebus, octavus adveniſſet, quo die circumciſio fiebat, Lev. 12. v. 3. Luc. 1. v. 59. Alia exempla ſunt Luc. 9. v. 51. Act. 2. v. 1.

§. III.

De Præpoſitionibus אֶת־, עִם, עִמָּד, cum.

MONOCANON.

Præpositio *cum* variis vocibus ſpeciali ſignificatione gaudentibus exprimitur.

I. אֶת־, & ſine maqqaph, אֵת. Illa præpoſitio cum affixis mutat (-) in hhiriq qatón ſequente daghéſch in ת, ut אִתִּי *mecum*, &c. Interdum tamen (-) mutatur in ו, ſicuti cum pronominis vice fungitur, ut וַיִּשְׁכַּב אוֹתָהּ *& dormivit cum illa*, Gen. 34. v. 2.

אותי *mecum*, Joſ. 14. v. 12. אותו *cum illo*, 4. Reg. 3. v. 12. אותם *cum illis*, Iſai. 59. v. 11. &c. Vide ſupra 383. col. 1. Atque ita punctata hæc vox, interdum ſignificat *ex.* Exod. 1. v. 7. וַתִּמָּלֵא הָאָרֶץ אֹתָם Aq. Theod. ἐπληρώθη ἡ γῆ ἐξ αὐτῶν, *repleta eſt autem terra ex eis.* Vide etiam Joel 2. v. 19.

Præterea אֵת *cum*, ſignificat 1°. Comitatum & conjunctionem. Exod. 1. v. 1. *Hæc ſunt nomina filiorum Iſraël, qui ingreſſi ſunt in Ægyptum* אֶת־ *cum Jacob.* Sic Gen. 34. v. 10. Cant. 4. v. 8. Iſai. 40. v. 14. &c. 2°. Intimam conjunctionem, ſeu potius identitatem perſonarum SS. Trinitatis in agendo. Agg. 2. v. 5. *Et nunc confortare, Zorobabel .... & omnis populus terræ .... & facite, quoniam ego vobiſcum ſum, dicit Dominus exercituum.* V. 6. אֶת־הַדָּבָר *cum* VERBO, *quo pepigi vobiſcum* (fœdus), *cum egrederemini de terra Ægypti, &* (cum) SPIRITU *meo ſtante in vobis*, &c. VERBUM Dei, quo pepigit fœdus cum Iſraëlitis, vocatur *angelus fœderis*, ſeu *teſtamenti*, Malach. 3. v. 1. Confer Iſai. 63. vv. 9. 10. 3°. Propinquitatem. Eſth. 1. v. 10. *Itaque die ſeptimo .... præcepit rex .... ſeptem eunuchis, qui miniſtrabant* אֶת־פְּנֵי *coram facie regis.* 4°. Auxilium. 4. Reg. 9. v. 32. מִי־אִתִּי *quis mecum eſt?* h. e. quis mihi auxiliaturus eſt? 5°. *De*, poniturque pro מ, vel מִן. Num. 35. v. 6. וְאֵת הֶעָרִים, &c. Vulg. *de ipſis autem opidis, quæ Levitis dabitis*, &c. 6°. *Præter.* 3. Reg. 11. v. 1. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas*, וְאֶת־ *idque præter filiam Pharaonis.* Vide 2. Paral. 11. v. 18. &c. Alia ſignificata τῦ אֵת facilia ſunt, ut v. g. cum uſurpatur pro *contra, adverſus*, 1. Paral. 20. v. 5. Ezech. 21. v. 20. &c.

II. עִם *cum*, eadem fere ſignificata obtinet ac præcedens אֵת, quare denotat, 1°. Conjunctionem. Gen. 39. v. 7. עִמִּי *mecum.* Sic Cant. 4. vv. 13. 14. Et in genere quanvis analogiam, ſive convenientiam, ut Pſal. 105. Heb. 106. v. 6. *Peccavimus* עִם *cum patribus noſtris*, i. perinde ut patres noſtri, videlicet eorum peccata imitando. Vide Job. 9. v. 26. &c. 2°. Propinquitatem, ſive vicinitatem. Gen. 25. v. 11. *Et habitavit Iſaac* עִם *cum*, hoc eſt, *juxta puteum*, &c. Vulg. Sic cap. 35. v. 4. Joſ. 7. v. 2. al. 3. cap. 18. v. 22. cap. 19. v. 11. 2. Reg. 19. v. 37. &c. 3°. Præſens auxilium, Gen. 26. v. 3. *Et ero* עִמְּךָ *tecum, & benedicam tibi.* Sic Joſ. 1. vv. 5. 17. 3. Reg. 1. v. 8. &c. Huc pertinet nomen עִמָּנוּאֵל *Immanuel*, ſive, ut legunt Lxx. & Vulg. *Emmanuel*, i. *nobiſcum Deus*, quod Chald. Iſai. 8. v. 10. interpretatur *in auxilio noſtro Deus.* 4°. Durationem reſpectu temporis. Pſal. 71. Heb. 72. v. 5. יִירָאוּךָ עִם־שָׁמֶשׁ וְלִפְנֵי יָרֵחַ דּוֹר דּוֹרִים *timebunt te cum ſole, & ante lunam;* (in) *generationem generationum.* Vel *timebunt te* (plur. ob nomen collectivum) *cum ſole & ante lunam generatio generationum*, h. e. ut optime reddidit S. Hieron. *& timebunt te quandiu erit ſol, & ultra lunam, in generatione generationum.* Sym. καὶ φοβηθήσονταί σε ἐφ᾽ ὅσον ὁ ἥλιος, καὶ ἔμπροσθεν τῆς σελήνης, *& timebunt te quandiu* (erit) *ſol, & ante lunam*, i. quandiu ſol & luna permanebunt. Lxx. καὶ συμπαραμενεῖ τῷ ἡλίῳ, καὶ πρὸ τῆς σελήνης, Vulg. Lat. *& permanebit cum ſole & ante lunam.* Pro יִירָאוּךָ legiſſe videntur יַאֲרִיךְ *prolongabitur, permanebit*, א tranſpoſito.

III. עִמָּד *cum*, iſthæc præpoſitio jungitur tantum cum affixo primæ perſonæ, ut עִמָּדִי *mecum*, Gen. 3. v. 12. Pſal. 22. Heb. 23. v. 4. Job. 9. v. 35. &c.

IV. Præpoſitio *cum*, Hebræis quandoque per copulativam & in oratione negativa, vel negativæ æquipollente exprimitur.

Joſ. 22. v. 24. מַה־לָּכֶם וְלַיהוָה *Quid vobis & Domino Deo Iſrael?* h. e. cum Domino Deo Iſraël? non eſt vobis quidquam cum Domino Deo Iſraëlis. Alia exempla vide Jud. 11. v. 12. 2. Reg. 16. v. 10. 3. Reg. 17. v. 18. 4. Reg. 3. v. 13. &c. Eſd. 4. v. 3. לֹא לָכֶם וָלָנוּ *non vobis & nobis*, h. e. nihil eſt vobis nobiſcum. Alii, non eſt veſtrum nobiſcum ædificare domum Deo noſtro, idem ſenſus. Vide Oſe. 14. v. 9. & Joel 3. v. 9. al. 4. v. 4.

Joan. 2. v. 4. τί ἐμοὶ καὶ σοί, γύναι, *quid mihi & tibi, mulier?* hoc eſt, quid mihi tecum eſt? Alii ſupplent κοινὸν *commune*, vel πρᾶγμα *negotium.* Vide etiam Matth. 8. v. 29. cap. 28. v. 19.

Apud profan. Anacr. τί γὰρ μάχαισι κἀμοί; *quid enim mihi cum bellis?* Ariſt. τί κοινὸν

κυνὶ καὶ βαλανείῳ; *quid cani commune cum balneo?* Demoſth. οὐδὲν ἐστιν ἐμοὶ καὶ σοὶ πρᾶγμα, *nihil mihi tecum eſt negotii.*

Denique præpoſitiones אֶת & עִם interdum pleonaſtice cum alia præpoſitione conjunguntur. Vide infra in præfixo מ in fine. E contrario aliquando deſunt. Levit. 26. v. 42. *Et recordabor fœderis mei Jacob, & fœderis mihi Iſaac, & fœderis mei Abraham.* ſupple *cum* Jacob, &c. Vulg. *quod pepigi cum Jacob*, &c. Vide etiam Deut. 22. v. 43. & conf. Rom. 15. v. 10.

Apoc. 8. v. 3. *Et data ſunt illi* (Angelo) *incenſa multa*, ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων, *ut daret*, ſeu *offerret*, ſupple σὺν *cum precibus ſanctorum.* Vide etiam v. 4.

§. IV.

De Præpoſitione עֵבֶר trans.

MONOCANON.

PRÆPOSITIO Hebræa עֵבֶר, Græca πέραν, *trans*, non ſemper ulteriorem partem loci ſignificat, ſed & citeriorem; adeoque etiam vicina & proxima citerioris partis loca.

Deut. 1. v. 1. *Hæc ſunt verba, quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael*, בְּעֵבֶר *trans Jordanem, in ſolitudine campeſtri*, &c. h. e. cis, ſecundum Jordanem, quem Moſes nunquam tranſiit. Sic Joſ. 1. v. 14.

Iſai. 9. v. 1. *Primo tempore alleviata eſt terra Zabulon, & terra Nephthali ..... via maris* עֵבֶר *trans Jordanem.* Sic Matth. 4. v. 15. h. e. juxta Jordanem; Zabulon enim, Nephthali, & utraque Galilæa ſunt cis Jordanem ratione Judææ.

Matth. 14. v. 22. *Et ſtatim compulit Jeſus diſcipulos aſcendere in naviculam, & præcedere eum* εἰς τὸ πέραν, Vulg. *trans fretum*, h. e. ad remotiorem citerioris partis locum, nempe *Bethſaïdam*, ut exprimitur Marc. 6. v. 45. Eremus autem, Bethſaïda, & urbs Capharnaum ad idem latus citerius maris Tiberiadis ſitæ ſunt. τὸ πέραν igitur eo loci non *trans* ſignificat, ſed *ultra, longius, remotius*, idque ex eadem ripa. Confer v. 34. ubi διαπεράσαντες, *transfretantes*, ſumitur pro διαπλεύσαντες, *pernavigantes, enavigantes*; Geneſareth enim, quo Chriſtus cum diſcipulis ſuis Bethſaida venit, juxta eandem ripam eſt, atque Bethſaida.

Marc. 10. v. 1. *Et inde exſurgens* (Jeſus) *venit in fines Judææ*, διὰ τοῦ πέραν Ἰορδάνου, h. e. *iter faciens ſecundum Jordanem*; Capharnaum enim, unde veniebat Jeſus, & Judæa ſitæ ſunt cis Jordanem.

Joan. 1. v. 28. *Hæc in Bethania facta ſunt* πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *penes Jordanem, ubi erat Joannes baptizans*; Bethania enim non eſt *trans*, ſed *cis* Jordanem. Pro ἐν Βηθανίᾳ *in Bethania*, quam lectionem exhibent Vulg. Syrus, Perſ. Arab. Æthiop. Copt. Heracleon. Euthym. & innumeri pene mſſ. codd. à D. *Mill.* laudati; editi cum quibuſdam mſſ. habent ἐν Βηθαβαρᾷ, *in Bethabara.* Hanc lectionem priori anteponendam & amplectendam docent Suidas, Theophilact. ac inprimis Chryſoſtomus, qui homil. 16. in cap. 1. Joan. ſic ſcribit: ὅσα τῶν ἀντιγράφων ἀκριβέστερον ἔχει ἐν Βηθαβαρᾷ φησιν· ἡ γὰρ Βηθανία οὐχὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, οὐδὲ ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἀλλ' ἐγγύς που τῶν Ἱεροσολύμων, *exemplaria quædam accuratiora habent in Bethabara; neque enim Bethania trans Jordanem eſt, neque in deſerto; ſed prope Jeruſalem.* Prima Chryſoſtomi ratio ſolida non eſt; πέραν enim non ſemper *trans* ſignificat, ut vidimus ſupra. Multo adhuc luculentius Origenes in Joan. tom. 2. pag. 130. edit. Huet. ἐπιδημήσαντες μὴ δεῖν Βηθανίᾳ ἀναγινώσκειν, ἀλλὰ Βηθαβαρᾷ, γενόμενοι ἐν τοῖς τόποις, ἐπὶ ἱστορίαν τῶν ἰχνῶν Ἰησοῦ, καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ τῶν προφητῶν. Βηθανία γὰρ, ὡς αὐτὸς ὁ εὐαγγελιστὴς φησιν, ἡ πατρὶς Λαζάρου, καὶ Μάρθας, καὶ

Μαρίας, ἀπέχει τῶν Ἱεροσολύμων σταδίους δεκαπέντε· ἧς πόρρω Ἰορδάνης ποταμὸς, ὡς ἀπὸ σταδίων πλατεῖ λόγῳ ρπ΄. ἀλλ' οὐδὲ ὁμώνυμός τις Βηθανίᾳ τόπος ἐστὶ περὶ τὸν Ἰορδάνην. Δείκνυσθαι δὲ λέγουσι παρὰ τῇ ὄχθῃ τοῦ Ἰορδάνου τὰ Βηθαβαρᾶ, ἔνθα ἱστοροῦσι τὸν Ἰωάννην βεβαπτικέναι, *ſed perſuaſi ſumus non Bethania, ſed Bethabara legere, cum ad loca perveniſſemus, ut Jeſu diſcipulorumque ejus ac prophetarum veſtigia inſpiceremus. Bethania namque, ut ipſe inquit Evangeliſta, patria Lazari, & Marthæ, & Mariæ, quindecim ſtadiis à Jeroſolymis diſtat, qua* (Bethania) *Jordanes fluvius, lato computo abeſt ſtadiis circiter octoginta ſupra centum. Sed neque locus eſt circa Jordanem, qui nomen commune habeat cum Bethania. Dicunt autem oſtendi circa ripam Jordanis Bethabara, ubi hiſtoriæ dicunt Joannem Baptizaſſe.* Recte Origenes in aſſignando intervallo, quod intercedit Bethaniam inter & Jordanem, addidit πλατεῖ λόγῳ, *lato computo*; nam Joſephus, quocum itinerarium vetus Jeroſolymitanum convenit, centum & quinquaginta ſtadia ponit inter Jeroſolymas & Jerichuntem; & à Jerichunte ad Jordanem, ſexaginta. Vide Doctiſſ. Reland. in Palæſt. ſua ſacra tom. 1. pag. 509. Bethabara autem collocatur vulgo ad oram Jordanis orientalem, in tribu Ruben. Secundum hanc lectionem & ſitum, præpoſitio πέραν *trans*, in hoc Joannis contextu, nativa ſua ſignificatione gaudebit.

§. V.

De Præpoſitione עַל ſuper.

MONOCANON.

Præpositio עַל *ſuper*, præter communem ſignificationem; alias obtinet, quarum præcipuas operæ pretium eſt recenſere. Significat itaque

I. Juxta. Gen. 16. v. 7. *Et invenit eam* (Agarem) *angelus Domini* עַל־עֵין *juxta fontem*, Vulg. Alia exempla vide Exod. 14. v. 9. Pſal. 1. v. 3. &c.

II. Versus. Gen. 19. v. 28. *Et reſpexit* (Abraham).... עַל *verſus univerſam terram regionis illius.* Vide etiam Exod. 9. v. 22. cap. 10. vv. 12. 22. &c.

III. Ad. Gen. 38. v. 12. *Et aſcendit* (Judas) עַל *ad tonſores ovium ſuarum*, &c. Vide Exod. 20. v. 26. Pſal. 17. Heb. 18. v. 41. &c.

IV. Coram, maxime ſi jungatur cum פָּנִים *facies.* Exod. 20. v. 3. *Non habebis Deos alienos* עַל־פָּנָי *coram me*, Vulg. Vide Deut. 21. v. 15. Pſal. 9. v. 20. Zach. 4. v. ult.

V. In. 2. Paral. 1. v. 1. *Confortatus eſt ergo Salomon*..... עַל *in regno ſuo.* Vide Pſal. 21. Heb. 22. v. 11. Iſai. 38. v. 20. Ezech. 36. v. 11. Jon. 4. v. 12. &c.

VI. Ex. Exod. 23. v. 13. *Nomen Deorum alienorum non recordabimini, non audietur* עַל *ex ore tuo.* Vide Jerem. 7. v. 31. Ezech. 29. v. 32. c. 38. v. 10. &c.

VII. Erga. Gen. 19. v. 16. *In clementia Domini* עָלָיו *erga eum.* Eleganter Vulg. *eo quod parceret Dominus illi.* Sic 1. Reg. 20. v. 8.

Pſal. 4. v. 7. נְסָה עָלֵינוּ אוֹר פָּנֶיךָ יְהוָה, Aq. ἔπαρον *attolle*, S. Hieron. *leva ſuper nos*, i. erga nos *lumen vultus tui, Domine.* Lxx. ἐσημειώθη *ſignatum eſt*, &c. legeb. נִסָּה à נָסָה *attollere*, quod & ipſum formatum eſt à נָשָׂא, vide ſupra p. 272. col. 1. & ob affinitatem, quam habet cum נָסַס, ſignificare etiam poteſt *vexillum, ſignum erigere.* Sym. ἐπίσημον ποίησον, *inſigne fac*, legeb. נְסָה in imperat. qàl. Eadem ferme loquutio occurrit Num. 6. v. 26. ubi pro עַל ponitur אֶל *ad, in, erga.*

VIII. Contra. Num. 14. v. 2. *Et murmuraverunt* עַל־מֹשֶׁה וְעַל־אַהֲרֹן *contra Moyſen & contra Aaronem.* Vide Pſal. 2. v. 2. Pſal. 3. v. 2. Iſai. 2. v. 12. &c. Sic fere accipitur, cum peccatum ac pœna peccati dicitur eſſe

Digitized by Google

ſuper aliquem ; tunc enim maledictio, quam lex Divina vibrat, innuitur. Ezech. 33. v. 10. *Iniquitates & peccata noſtra* עָלֵינוּ *ſuper nos ſunt*, h. e. contra nos, pœnam peccatorum & iniquitatum noſtrarum luimus. Vide Gen. 27. v. 13. Jon. 1. v. 14.

IX. Propter. Gen. 26. v. 7. *Ne occidant me viri loci illius* עַל *propter Rebeccam*, &c. Sic cap. 37. v. 8. 2. Reg. 1. v. 26. Pſal. 7. v. 8. &c.

X. Pro. Levit. 4. v. 3. *Offeret* עַל *pro peccato ſuo vitulum*, &c. Neh. ſeu 2. Eſd. 4. v. 8. *& pugnate* עַל *pro fratribus veſtris.*

XI. De. Gen. 41. v. 15. *Ego audivi* עָלֶיךָ, Lxx. *περὶ σοῦ*, *de te.* Vide inſuper Iſai. 2. v. 1. Zach. 12. v. 1. & ſic ſæpe in prophetis. Tale eſt illud Virg. Æneid. I. v. 774.

Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.

XII. Cum. Exod. 35. v. 22. *Et venerunt viri* עַל *cum mulieribus*, &c. Vide Levit. 2. v. 2. cap. 3. v. 4. cap. 4. v. 11. cap. 19. v. 26. 1. Reg. 14. v. 35. Iſai. 7. v. 2. Ezech. 25. v. 10. Mich. 7. v. 13. &c.

Antequam huic parag. finem imponamus, quædam notanda ſunt. 1°. עַל ſcribitur pro אַל, Ezech. 9. v. 5. עַל־תָּחוֹס *non parcat oculus veſter*, וְאַל־ *neque miſereamini*, Vulg. quod etiam notarunt Maſſorethæ. E contrario, אַל ponitur pro עַל 1. Reg. 27. v. 10. עַל־, ſupple מִי *contra quem irruiſtis*, diffudiſtis vos hodie? Vide ſupra pag. 570. col. 1. 2°. עַל cum præfixo מ conjunctum abundat. 4. Reg. 15. v. 18. *Non*, receſſit מֵעַל *à peccatis Jeroboam.* Sic 1. Reg. 6. v. 5. 3°. Vice verſa, עַל quandoque deeſt. Pſal. 3. v. 8. *Quoniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi* לֶחִי, pro עַל־לֶחִי, *ſuper maxillam*, vel *in maxilla.* Vulg. *ſine cauſa*, cujus interpretationis rationem vide infra in Synt. fig. in Proverbio. In hac loquutione præpoſitio עַל exprimitur 2. Paral. 18. v. 23. Mich. 4. v. 14. al. c. 5. v. 1.

Ezech. 12. v. 10. *Sic dicit Dominus* הַנָּשִׂיא pro עַל־הַנָּשִׂיא *ſuper ducem* ..... וְכָל־ pro וְעַל־כָּל־ *& ſuper omnem domum Iſraël*, Vulg. Hanc præpoſitionem deficientem ſupplet quoque Chald. Paraphraſtes.

§. VI.

De Præpoſitione תַּחַת, ſub, ſubter.

MONOCANON.

Præpositio תַּחַת *ſub*, *ſubter*, præter communem hanc notionem, ſignificat etiam

I. Locum. Exod. 16. v. 29. *Maneat unuſquiſque* תַּחְתָּיו *ſub ſe*, h. e. in loco ſuo. Vulg. *apud ſemetipſum.*

Joſ. 5. v. 8. *Et manſerunt* תַּחְתָּם *in locis ſuis*, Vulg. *in eodem caſtrorum loco.* Vide etiam c. 6. v. 4. al. 5. Iſai. 25. v. 10. al. 12. Jerem. 38. v. 9. &c.

II. Pro, Loco, Vice. Gen. 4. v. 25. *Poſuit mihi Deus ſemen aliud* תַּחַת *pro Abel*, *quem occidit Cain.*

Ibid. c. 30. v. 2. *Et iratus eſt Jacob contra Rachelem, & dixit :* הֲתַחַת *nunquid pro Deo ego ſum ?*

Exod. 21. v. 23. *Et dabis animam* תַּחַת *pro anima.* Vide vv. 24. 25. 26. Gen. 30. v. 2. c. 50. v. 19. Joſ. 5. v. 7. Pſal. 44. Heb. 45. v. 17. &c.

III. Propter, Eo quod. Prov. 30. v. 21. תַּחַת שָׁלוֹשׁ *propter tria contremiſcit*, vel *movetur terra*, &c. hoc eſt, terræ incolæ.

Ibid. v. 22. תַּחַת *propter ſervum*, *cum regnaverit*, & (propter) *ſtultum*, *cum ſaturatus fuerit pane.*

Ibid. v. 23. תַּחַת *propter odioſam mulierem*, *cum in matrimonium fuerit aſſumta*, & (propter) *ancillam*, *cum fuerit hæres dominæ ſuæ.*

Iſai. 60. v. 15. תַּחַת הֱיוֹתֵךְ *pro eo quod fuiſti derelicta.*

Interdum adjicitur אֲשֶׁר, Iſai. 53. v. 12. תַּחַת אֲשֶׁר *pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam*, &c. Sic Deut. 28. v. 47.

ARTICULUS III.

De præpoſitionum inſeparabilium conſtructione & ſignificatione.

PRÆPOSITIONES Hebræorum conjunctæ, ſive *inſeparabiles*, quatuor ſunt, nempe : ב , כ , ל , מ , quæ idcirco dicuntur *inſeparabiles*, quod cum aliis vocibus componi debeant, ut certa ipſis conſtet ſignificatio. Componuntur autem ab initio, unde & *præfixæ* vocantur.

§. I.

De præpoſitione præfixa ב.

Præpoſitionis hujus ſignificatio primaria eſt IN cum ablativo, notatque *vel* locum & ſubjectum in quo, ut : בַּבַּיִת *in domo*, Gen. 39. v. 5. בְּעַמֶּךָ *in populo tuo*, Exod. 22. v. 28. *Vel* tempus, ut : בְּרֵאשִׁית *in principio*, Gen. 1. v. 1. *Vel* qualitatem, aut rem quancumque, ut : בֶּאֱמוּנָה Pſal. 32. Heb. 33. v. 4. *in veritate*, ſive *conſtantia*, h. e. verum & conſtans, ſicque periphraſin efficit *adjectivi*, vide ſupra pag. 463. can. IV. & *adverbii*, ut : בְּמִרְמָה Gen. 34. v. 13. *in dolo*, h. e. doloſe, vide pag. 559. can. I. Præterea ב ſignificat

I. INTER. Pſal. 67. Heb. 68. v. 19. *Accepiſti dona* בָּאָדָם *inter homines* diſtribuenda. Confer Epheſ. 4. v. 8. Vide etiam Pſal. 59. Heb. 60. v. 12. &c. & ſupra pag. 517. col. 1.

II. AD, vel IN cum accuſativo, notatque *vel* cauſam finalem, Eccle. 10. verſ. 17. בִּגְבוּרָה וְלֹא בַשְּׁתִי *ad robur, & non ad compotationem*, Vulg. *ad reficiendum*, &c. *Vel* motum ad locum, aut ſubjectum, Gen. 11. v. 4. *Faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat* בַשָּׁמַיִם *ad cœlum.* Job. 5. v. 19. *Non pertinget* בְּךָ *ad te malum.* Vide etiam Levit. 16. v. 22. 1. Reg. 8. v. 2. Pſal. 18. Heb. 19. v. 5. (confer Rom. 10. v. 18.) Prov. 30. v. 19. Iſai. 10. v. 22. &c. Uſurpatur etiam de tempore. 1. Reg. 1. v. 7. שָׁנָה בְשָׁנָה *anno in annum*, hoc eſt, quotannis. Vide etiam Iſai. 66. v. 23.

III. CONTRA. Gen. 16. v. 12. *Manus ejus* (Eſau) בַּכֹּל *contra omnes, & manus omnium* בּוֹ *contra eum.* Vide Exod. 14. v. 25. Num. 12. v. 1. cap. 21. v. 5. 3. Reg. 2. v. 23. Jerem. 31. v. 20. Mich. 1. v. 2. Pſal. 104. Heb. 105. v. 27. Iſai. 21. v. 13. &c.

IV. EX, DE ; atque ita innuit 1°. Cauſam materialem, Exod. 35. v. 32. *Ad faciendum opus* בַּזָּהָב *ex auro, & argento, & ære, & ferro.* Vide c. 38. v. 8. 2. Paral. 16. v. 16. &c. 2°. Subjectum cujuſcunque actionis, Exod. 12. v. 43. *Omnis alienigena non comedet* בּוֹ *ex eo* (agno paſchali.) Vide Lev. 8. v. 32. c. 26. v. 36. Deut. 6. v. 7. cap. 11. v. 19. &c. 3°. Modum actionis & rei, Deut. 6. v. 5. *Diliges Dominum Deum tuum* בְּכָל־לְבָבְךָ *ex toto corde tuo*, &c. Marc. 12. v. 30. Luc. 10. v. 27. ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου. Vide Habac. 2. v. 4. & confer Rom. 1. v. 17. Gal. 3. v. 11.

V. PRO, eoque innuitur 1°. Commodum, 1. Reg. 19. v. 3. *loquar* בְּךָ *pro te ad patrem.* Sic v. 4. Vel incommodum, Joſ. 6. v. 26. בִּבְכֹרוֹ *contra primogenitum ſuum fundamenta illius* (Jericho) *jaciat*, &c. 2°. Pretium cum verbis *mercandi* ; & quantitas, cum verbis *æſtimandi*, Deut. 2. v. 6. *Cibum emetis ab eis* בַּכֶּסֶף *pro pecunia.* Iſai. 2. v. 22. *Nam* בַּמֶּה *pro quo æſtimatur ipſe*, h. e. quanti. Vide inſuper Gen. 37. v. 28. Exod. 22. v. 3. 1. Paral. 21. v. 24. Iſai. 52. v. 3. Thren. 4. v. 2. cap. 5. v. 4. &c.

VI. PROPTER. Gen. 18. v. 28. *An delebis* בַּחֲמִשָּׁה *propter quinque* (ex quinquaginta deficientes) *univerſam urbem* ? Vide Prov. 27.

Digitized by Google

v. 1. ubi etiam verti poteſt *de*, Pſal. 149. Heb. 150. vv. 1. 2. Jerem. 17. v. 3. c. 18. v. 18. Jon. 1. v. 4. &c.

VII. PER. Num. 12. v. 2. *Num* בְּמֹשֶׁה *per ſolum Moyſen loquutus eſt Deus?* Sic 2. Reg. 23. v. 2. Heb. 1. v. 1. Vide præterea Deut. 32. v. 21. &c. In juramento quandoque adhibetur, Iſai. 45. v. 23. בִּי *per me juravi.*

VIII. CUM, idque *vel* de cauſa inſtrumentali, aut modo actionis, Gen. 48. v. 22. *Do tibi partem unam .... quam tuli de manu Amorrhæi*, בְּחַרְבִּי וּבְקַשְׁתִּי *cum gladio meo, & cum arcu meo*, h. e. gladio meo & arcu meo; Latini enim hanc præpoſitionem negligunt. Vide Pſal. 2. v. 9. Prov. 24. v. 3. ubi modus actionis innuitur. Interdum ב ſubintelligitur, Pſal. 43. Heb. 44. v. 3. יָדְךָ *manu tua gentes expuliſti.* Sic Pſal. 59. Heb. 60. v. 7. Pſal. 137. Heb. 138. v. 7. Iſai. 1. v. 20. *Vel* de cauſa principali, cujus auxilium indicatur. Pſal. 17. Heb. 18. v. 30. בְּךָ *in te*, hoc eſt, tecum, tua ope, tuo auxilio, אָרֻץ *tranſgrediar turmam*, hoſtium cuneos perrumpam, וּבֵאלֹהַי *& cum Deo meo tranſiliam murum.* Vide Pſal. 59. Heb. 60. v. 14. *Vel* denique de conjunctione & comitatu, Gen. 32. v. 10. בְּמַקְלִי *cum baculo meo tranſivi Jordanem iſtum*, h. e. præter baculum meum nihil mecum habebam cum Jordanem hunc tranſii. Vide quoque Exod. 10. v. 9. 1. Reg. 1. v. 24. Jerem. 11. v. 19. Oſe. 5. v. 6. &c.

IX. SIVE, vel *tam, quam*, cum repetitur, & diſtributive accipitur. Exod. 12. v. 19. *Peribit anima illa de cœtu Iſraël*, בַּגֵּר וּבְאֶזְרַח *tam de advenis, quam de indigenis terræ*, Vulg. Vel ſive ſit peregrinus, ſive indigena. Vide Oſe. 4. v. 3. &c.

X. CUM, vel QUUM, POSTQUAM, ſi infinitivo addatur, & gerundium in *do* conſtituat. Vide ſupra pagg. 147. 148. 149.

Lev. 12. v. 6. בִּמְלֹאת *cum expleti fuerint dies purificationis ſuæ*, Vulg. Vide Deut. 4. v. 46. Pſal. 4. v. 2. &c.

XI. Præfixa ב ſæpius venit poſt verba, & modo *dativo*, modo *accuſativo* exprimendo inſervit, prout verbum Latinum Hebræo reſpondens poſtulat.

Dativo, Exod. 14. v. 31. *Et crediderunt* (Iſraëlitæ) בַּיהוָה וּבְמֹשֶׁה *Domino & Moyſi ſervo ejus.* Sic Deut. 28. v. 66. 1. Reg. 27. v. 12. 2. Paral. 20. v. 20. &c.

Accuſativo, Gen. 31. v. 7. *Sed & pater veſter* הֵתֶל בִּי *circumvenit me.* Vide c. 34. v. 1. c. 37. v. 2. Exod. 4. v. 4. Prov. 9. v. 5. Pſal. 71. Heb. 72. v. 3. &c. Sic Matth. 10. v. 32. *Qui confitebitur* ἐν ἐμοὶ *in me*, hoc eſt, *me*, *coram hominibus*, *confitebor & ego* ἐν αὐτῷ *in eo*, h. e. eum, *coram patre meo*, Vulg.

XII. Quandoque *deficit*, quandoque *redundat* ב.

DEFICIT. Prov. 8. v. 22. *Dominus poſſedit me* רֵאשִׁית *principium*, pro בְּרֵאשִׁית *in principio*, ſive, ut Vulg. *in initio viarum ſuarum*; quæ expoſitio confirmatur textu ſeq. *antequam quidquam faceret à principio.* Alii ellipſin hîc non agnoſcunt, vertuntque: *Dominus poſſedit me principium viarum ſuarum*, h. e. operationum ſuarum; principium, inquam, per quod omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil. Sic fere antiqui interpretes Græci. Aq. κύριος ἐκτήσατό με κεφ. ὁδῶν αὐτοῦ, ἀρχῆθεν κατεργασμάτων αὐτοῦ, *Dominus poſſedit me capitulum viarum ſuarum, à principio operum ſuorum.* Sym. κύριος ἐκτήσατό με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, πρὸ τῆς ἐργασίας αὐτοῦ, *Dominus poſſedit me principium viarum ſuarum ante operationem ſuam.* Theod. κύριος ἐκτήσατό με ἀρχὴν ὁδοῦ αὐτοῦ, πρὸ τῆς ἐργασίας αὐτοῦ ἀπὸ τότε, *Dominus poſſedit me principium viæ ſuæ, ante operationem ſuam ex tunc.* Lxx. κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ, *Dominus creavit me principium viarum ſuarum, in opera ſua.* Vero ſimile eſt amanuenſium incuria irrepſiſſe in Lxx. verſionem ἔκτισέ με, *creavit me*, pro ἔκτησέ με, *poſſedit me*, à κτάω, quod licet in hac forma activa uſitatum non ſit, potuit tamen ab illis interpretibus uſurpari, qui non ſemper purioris græcitatis vocibus utuntur. Vel ſi tranſtulerunt ἔκτισε, forte ipſi affinxerunt ſignificatum τοῦ ἐγέννησε *genuit*, ſicuti verbum iſtud קָנָה reddiderunt, Zach. 13. v. 5. unde Latini dicunt *creare & procreare liberos*, pro *gignere*. Præterea Gen. 4. v. 1. קָנִיתִי *poſſedi hominem cum Deo*, nihil aliud eſt quam *genui* hominem. Æterna itaque ſapientia à Deo poſſeſſa eſt in initio viarum, i. operationum

tionum ſuarum, hoc eſt, ab æterno; vel Deus *genuit* eam ab æterno, quod eodem recidit.

Iſai. 41. v. 2. *Quis ſuſcitavit ab oriente juſtum* (Abrahamum)…. *dabit* (h. e. dedit) *in conſpectu ejus* (in poteſtatem ejus) *gentes*, וּמְלָכִים יַרְדְּ pro וּבִמְלָכִים *& in reges dominari fecit?* Vulg. *& reges obtinebit*, h. e. obtinuit. Vide Gen. 14. Aliis tamen juſtus ille eſt *Meſſias*, aliis *Cyrus*. Alia exempla τοῦ ב deficientis, vide Gen. 45. v. 16. *& vox audita eſt* בֵּית *domo*, pro בְּבֵית *in domo Pharaonis.* Num. 12. v. 8. מַרְאֶה pro בְּמַרְאֶה *in viſione*, Vulg. *palam.* Jerem. 36. vv. 7. 8. 9. בֵּית יְהוָה pro בְּבֵית *in domo Domini*, &c.

Interdum ex præcedenti membro ב repetendum eſt. Exod. 6. v. 3. *Ego Dominus apparui Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo*, בְּאֵל שַׁדָּי *in Deo omnipotente*, וּשְׁמִי יְהוָה לֹא נוֹדַעְתִּי לָהֶם ſupp. ב, וּבִשְׁמִי *& in nomine meo* יְהוָה *non innotui eis.* Vulg. *& nomen meum* ADONAI *non indicavi eis*; niphal enim interdum active ſignificat, vide ſupra pag. 132. col. 1. Secundum hanc interpretationem non eſt ellipſis τοῦ ב. Senſus autem hujus loci non eſt, quod Abraham, Iſaac, & Jacob nomen יְהוָה ignoraverint; contrarium enim evincitur ex Gen. 14. v. 22. c. 15. vv. 2. 7. c. 26. v. 25. c. 27. v. 20. &c. ſed innuit Deus illuſtriorem ſui, ſuarumque perfectionum cognitionem factam fuiſſe Moyſi, quam Patriarchis illis, quibus facie ad faciem, ſicut Moyſi, non apparuit. Vide Exod. 33. v. 11. Num. 12. v. 8. Alii ad *αὐτουσίας à ſe exiſtentiæ* (quæ eſt genuina vocis יְהוָה ſignificatio) attributa quædam attendentes, puta veritatem, & in exſequendis promiſſis fidelitatem, hunc locum ſic exponunt: apparui quidem Abrahamo …. in Deo omnipotente, h. e. quatenus Deus omnipotens, atque ita docui poſſe me præſtare promiſſionem terræ Chanaan: at in nomine יְהוָה non innotui illis, h. e. nondum præſtiti, quod promiſi. Nunc autem cognoſcetis vim hujus nominis, & quod promiſi Abrahamo, jam exſequar. Huic ſententiæ adſtipulatur R. Salomo comm. in h. l. Denique exiſtimant nonnulli nomen יְהוָה primis Patriarchis ignotum fuiſſe, ac Moyſi primo revelatum. Ad loca autem Geneſeos mox laudata, quod attinet: reſpondent nomen iſtud loco aliorum Dei nominum, quibus Patriarchis innotuerat, à Moyſe ſcriptum fuiſſe, utpote quod perfectiorem eſſentiæ Divinæ cognitionem in ſuo conceptu includeret. Sic, qui linguam Hebraïcam mundi coævam negant, argumentum ex nominum propriorum etymologia petitum ſolvunt, aiuntque originationem à Moſe in lingua, qua ſcribebat, ſervatam fuiſſe, antiquam vero minime expreſſam; ut v. g. ſi quis Hebræa in linguam Latinam vertens ſcriberet Hevæ primogenitum vocatum fuiſſe *poſſeſſionem*, quia Heva dixit: *poſſedi* hominem per Deum, ſeu Dei auxilio. Vide argumentum iſtud fuſius explicatum in præfat. pagg. xxiv. xxv.

Job. 12. v. 12. בִּישִׁישִׁים חָכְמָה וְאֹרֶךְ יָמִים תְּבוּנָה *in antiquis eſt ſapientia, &* (in) *longitudine dierum intelligentia.* Vulg. *& in multo tempore prudentia.* Recte præpoſitionem *in* ſupplevit. Alia exempla ſunt Iſai. 48. v. 14. Jerem. 27. v. 18. &c.

REDUNDAT ב. Job. 16. v. 10. al. 11. *Aperuerunt contra me* בְּפִיהֶם *in ore ſuo*, hoc eſt, *os ſuum.* Vulg. *ora ſua.*

Prov. 9. v. 5. *Venite, comedite* בְּלַחְמִי *panem meum, & bibite* בְּיַיִן *vinum, quod miſcui vobis.* Vide Thren. 1. v. 17. &c. Sæpius enim ב iſtud poſt verba pleonaſticum eſt.

In aliquibus ſententiis ב iſtud repetitum ἀντίστροφον efficit. 1. Paral. 7. v. 23. כִּי בְרָעָה הָיְתָה בְּבֵיתוֹ *quia malum fuit in domo ejus*, vel *quia in malo fuit domus ejus.* Duo alia exempla vide Job. 18. v. 8. Oſe. 13. v. 8. al. 9.

Denique ב cum vocibus indeclinabilibus interdum jungitur, idque ſæpius pleonaſtice, ſed eleganter, ut: בְּאֵין מֵבִין *in non intelligente*, h. e. nemine advertente. בִּבְלִי־דַעַת *in non ſcientia*, i. ſine ſcientia, vel ſtudio. בְּלֹא כֶסֶף *in non argento*, h. e. ſine argento. בְּבֵין *in inter*, hoc eſt, inter. בְּטֶרֶם *in antequam*, i. antequam. בְּכֵן, בְּכֹה *in ſic*, hoc eſt, ſic. בִּמְאֹד *in valde*, i. valde. בְּעֵבֶר *in trans*, i. trans. בְּעַד *in uſque, in propter*, id eſt, pro, propter, per. בְּעוֹד *in adhuc*, hoc eſt, adhuc, dum, בְּיוֹמָם *in interdiu*, hoc eſt, interdiu, &c.

Digitized by Google

§. II.

De præpoſitione præfixa כ.

Primaria ejus ſignificatio eſt *ſicut*, *tanquam*. Pſal. 1. v. 3. *Et erit* כְּעֵץ *ſicut*, Vulg. *tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Vide Pſal. 43. Heb. 44. v. 23. Pſal. 142. Heb. 143. v. 6. &c.

Cum geminatur כ, ſignificat rerum inter ſe ex æquo comparationem, ita ut prius *πρότυπον*, poſterius *ἀπόδοσιν* ſimilitudinis denotet. Gen. 18. v. 25. *Et erit* כַּצַּדִּיק כָּרָשָׁע *ſicut juſtus, ſic impius*, concile pro & erit juſtus ſicut impius, & impius ſicut juſtus. Vide cap. 44. v. 18. 3. Reg. 22. v. 4. Iſai. 24. v. 2. quo in ultimo loco כ duodecies geminatur. Quandoque tamen כ repetitum *tum*, vel *tam*, *quam* redditur, Zach. 9. v. 15.

Præterea כ ſignificat

I. CIRCITER, PROPE, notatque *numeri*, *menſuræ*, aut *temporis* conjecturam.

Numeri. Exod. 12. v. 37. *Profectique ſunt filii Iſraël....* כְּשֵׁשׁ *circiter ſexcenta millia virorum.* Vide 1. Reg. 14. v. 14.

Menſuræ. Ruth. 2. v. 17. *Quæ collegerat* (Ruth) *virga cædens & excutiens, invenit hordei* כְּאֵיפָה *circiter*, Vulg. *quaſi Ephi menſuram.* Vide Joſ. 3. v. 4.

Temporis. Gen. 18. v. 10. *Revertens veniam ad te* כָּעֵת חַיָּה *circa hoc tempus vitæ.* Vulg. *tempore iſto, vita comite*, i. in quo vita ſupererit vobis, ut fere Chald. interpretatur. R. Salomo, *circa tempus hoc in anno ſequuturo.* Vide Ruth. 1. v. 4.

Huc pertinet כִּמְעַט *circiter parum*, hoc eſt, ferme, parum abfuit. Vide Prov. 5. v. 14.

II. JUXTA, SECUNDUM, ita ut normam vel exemplar reſpiciat.

Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem*... כִּדְמוּתֵנוּ *ſecundum ſimilitudinem noſtram.* Alia exempla vide Iſai. 44. v. 13. 1. Reg. 13. v. 14. (confer Pſal. 88. Heb. 89. vv. 19. 20. Act. 13. v. 22.) Pſal. 50. Heb. 51. v. 3. Prov. 24. v. 12. Jerem. 31. v. 32.

III. QUOMODO, QUA RATIONE. Eccle. 11. v. 5. *Quomodo ignoras, quæ ſit via ſpiritus*, h. e. quomodo anima creetur infundendo in corpus, & creando infundatur, & בַּעֲצָמִים *qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis: ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium.*

IV. QUUM, vel CUM, POSTQUAM, & fere tempus præteritum notat, ſi videlicet infinitivis præponatur. Vide ſupra pagg. 147. 148. 149.

Gen. 27. v. 34. כִּשְׁמֹעַ *Cum audiſſet Eſau verba patris ſui*, Lxx. *ἡνίκα ἤκουσεν Ἡσαῦ*, *cum audivit Eſau*, Vulg. *auditis Eſau ſermonibus patris.* Vide inſuper Deut. 20. v. 9. Jud. 2. v. 4. Jerem. 36. v. 23.

Pſal. 11. Heb. 12. v. 9. *In circuitu impii ambulant* (bonis nocendi cauſa) כְּרֻם זֻלּוּת לִבְנֵי אָדָם *cum exaltatur vilitas*, ſeu *cum exaltantur vilitates* (quædam enim exemplaria habent זוּלוּת) *filiorum hominum*, h. e. ut optime reddidit Hieron. *cum exaltati fuerint viliſſimi hominum.* Sym. *ὅταν ὑψωθῶσιν οἱ εὐτελεῖς τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων*, *cum exaltati fuerint viles filiorum hominum.* Lxx. *κατὰ τὸ ὕψος σου ἐπολυώρησας τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων*, *ſecundum altitudinem tuam multa cura dignatus es*, vel *laute excepiſti filios hominum*, quod recidir cum Vulg. Lat. *multiplicaſti*, bonorum enim abundantia homines multiplicantur. Porro Lxx. legiſſe videntur זַלּוֹתָ à זָלַל inuſitato, unde זוֹלֵל *epulo.* VI. Edit. *ἐξουθένωσας contemſiſti*, legebat quoque זַלּוֹתָ, ſed vocem hanc deducebat à זוּל *vilipendere*, quod flectebat ut זָלַל; duæ enim illæ verborum ſpecies formas interdum commutant, ut diximus ſupra pag. 210. in fine.

Sic cum participio, Gen. 38. v. 29. *Et fuit* כְּמֵשִׁיב *cum retraxiſſet manum ſuam*, &c.

Interdum etiam כ cum infinitivo per ſimilitudinem explicatur. 1. Reg. 15. v. 22. *Numquid vult Dominus holocauſta & victimas,* כִּשְׁמֹעַ *ſicut quum quis obtemperat voci Domini?* Vulg. *& non potius ut obediatur voci Domini?* idem ſenſus. Vide Ezech. 35. vv. 14. 15.

Denique כ & שֶׁ conjuncta ſimilitudinem denotant. Eccle. 12. v. 7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam*, כְּשֶׁהָיָה *ſicut fuerat*. Vulg. *unde erat*. Item *cum*, *quandoquidem*. Eccle. 9. v. 12. כְּשֶׁתִּפּוֹל *cum eis extemplo ſupervenerit*.

V. כ interdum *deficit*, interdum *redundat*.

DEFICIT. Gen. 49. v. 9. *Catulus leonis Juda*, h. e. ſicut catulus leonis. Sic Deut. 33. v. 21.

2. Paral. 3. v. 16. *Fecit quoque* (Salomon) *catenulas in oraculo*, h. e. ſicut catenulas, ſeu catenulas ſimiles eis, quæ erant in oraculo. Vulg. *quaſi catenulas in oraculo*; trajectio verborum, pro catenulas quaſi in oraculo. Vide Prov. 25. vv. 11. 12. 14. c. 17. v. 22. Et ſic ſæpe in hoc libro.

Ezech. 4. v. 12. וְעֻגַת *& placentam hordeaceam comedes illud* (nempe mixtum ex frumento, hordeo, faba, lente, milio, & vicia, v. 9.) hoc eſt, quaſi placentam, Vulg. *quaſi ſubcinericium hordeaceum*, &c.

Sic apud Horatium in Art. poët. v. 133.

Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres, h. e. ſicut fidus interpres.

REDUNDAT. Vide ſupra cap. VI. art. II. §. IX. Can. VI. pag. 580.

§. III.

De præpoſitione præfixa ל.

Significatio primaria eſt AD, vel IN cum accuſativo, notatque 1°. *Motum* ad aliquid. Pſal. 67. Heb. 68. v. 19. *Aſcendiſti* לַמָּרוֹם, *εἰς ὕψος*, Epheſ. 4. v. 8. *in altum*. Vide Iſai. 53. v. 7. (conf. Act. 8. v. 32.) Deut. 32. v. 46. &c.

2°. *Eſſentiam* rei, vel *conditionem*, & *ſtatum*. Eſſentiam, Gen. 2. v. 7. *Et factus eſt homo* לְנֶפֶשׁ *in animam viventem*, conf. 1. Cor. 15. v. 45. Vide inſuper Gen. 2. v. 22. Jud. 8. v. 27. &c. Conditionem & ſtatum, Gen. 20. v. 12. *Et fuit mihi* לְאִשָּׁה *in uxorem*. Vide 2. Reg. 8. v. 3. & Act. 7. v. 21. ubi *εἰς* in eodem ſignificatu accipitur.

3°. *Adjectivi periphraſin*. Vide ſupra in nominibus adjectivis, cap. II. art. II. §. II. can. IV. pag. 464. col. 1. num. 2.

4°. *Cauſam finalem*. Iſai. 58. v. 4. *Ecce* לְרִיב *ad litem & contentionem jejunatis*, hoc eſt, ut ad litigandum otium habeatis. Sic quando jungitur infinitivo, Jud. 6. v. 11. לְהָנִיס *ut fugeret à facie Madian*. Vide etiam cap. 9. v. 24.

Præterea ל ſignificat

I. IN. 1°. De loco & ſubjecto. Pſal. 9. v. 5. *ſediſti* לְכִסֵּא *in*, vel *ſuper ſolium*, eſtque pro ב, vel עַל. Vide Pſal. 15. Heb. 16. v. 10. (confer Act. 2. v. 27.) Oſe. 7. v. 2. &c. 2°. De inſtrumento, poniturque pro ב. Levit. 26. v. 7. *Corruent coram vobis* (inimici veſtri) לֶחָרֶב *in gladio*, i. per gladium. 3°. De tempore. Gen. 3. v. 8. *Et cum audiiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo*, לְרוּחַ הַיּוֹם *in aura diei*, h. e. ſub veſperam, quo tempore zephyrus ſeſe attollere, & aſpirare ſolet. Vulg. *ad auram poſt meridiem*. S. Hieron. quæſt. in Gen. tom. 2. nov. edit. col. 510. *In pleriſque codicibus Latinorum, pro eo quod hîc poſuimus* AD VESPERAM, poſt meridem *habet: quia τὸ δειλινὸν Græcum ſermonem ad verbum transferre non poſſumus: pro quo in Hebræo ſcriptum eſt* LARUE AIOM, *quod Aquila interpretatus eſt ἐν τῷ ἀνέμῳ τῆς ἡμέρας, id eſt*, in vento diei. *Symmachus vero διὰ πνεύματος ἡμέρας, id eſt*, per ſpiritum diei. *Porro Theodotion manifeſtius ἐν τῷ πνεύματι πρὸς καταψύξιν τῆς ἡμέρας*, [in ſpiritu ad refrigerium diei] *ut meridiano calore tranſacto, refrigerium auræ ſpirantis oſtenderet*. Vide inſuper Pſal. 72. Heb. 73. v. 14. Iſai. 27. v. 3. Pſal. 21. Heb. 22. v. 31. quibus in locis ל diſtributionem indicat.

II. INTER. Exod. 12. v. 2. *Menſis iſte .... primus erit* לְחָדְשֵׁי *inter menſes anni*. Vulg. *in menſibus anni*.

III. JUXTA. Gen. 49. v. 13. *Zabulon* לְחוֹף *juxta litus*, Vulg. *in litore maris habitabit*.

IV. ERGA. 2. Reg. 18. v. 5. *Leniter mihi* לַנַּעַר לְאַבְשָׁלוֹם *erga puerum iſtum, erga Abſalom*, ſupp. agite. Vulg. eleganter: *ſervate mihi puerum Abſalom*.

V. SECUNDUM. Gen. 1. v. 21. לְמִינֵהוּ *ſe-*

Digitized by Google

cundum ſpeciem ſuam. Sic vv. 24. 25.

VI. CONTRA. Prov. 1. v. 11. *Abſcondamus nos* לְנָקִי *contra inſontem fruſtra*, i. ſine cauſa. Vulg. *abſcondamus tendiculas*, &c. vocem tendiculas ſenſus complendi gratia adjecit. Lxx. aliam ſuppleverunt: *abſcondamus eis* γῆν *in terra*, &c.

VII. DE. Gen. 20. v. 13. אִמְרִי־לִי *dic de me: frater meus eſt.* Vide cap. 26. v. 7. c. 44. v. 20. Exod. 14. v. 3. 2. Reg. 11. v. 7. Eſth. 3. v. 2. Pſal. 3. v. 3. Pſal. 44. Heb. 45. v. 2. Pſal. 90. Heb. 91. v. 11. (confer Matth. 4. v. 6.) Prov. 30. v. 1. Vide etiam Jun. & Tremel. ad Iſai. 41. v. 7. Jon. 1. v. 6. Habac. 2. v. 6.

VIII. A, vel AB. 2. Paral. 1. v. 13. *Venit ergo Salomon* לַבָּמָה *ab excelſo Gabaon in Jeruſalem.* Vide etiam Exod. 12. v. 13. Prov. 24. v. 23.

IX. PRÆ, PROPTER, SUPER. Num. 16. v. 34. *At vero omnis Iſraël .... fugit* לְקֹלָם *præ voce*, vel *propter vocem eorum.* Vulg. recte, *ad clamorem pereuntium.* Vide Iſai. 36. v. 9. Oſe. 10. v. 5. c. 11. v. 7. &c.

Lev. 21. v. 11. Sacerdos magnus לְאָבִיו וּלְאִמּוֹ *ſuper patre ſuo, aut matre ſua non polluetur.*

X. PRO, notatque 1°. Commodum. Exod. 14. v. 25. *Dominus enim pugnat* לָהֶם *pro eis contra nos.* Vide Num. 25. v. 13. Jud. 6. v. 31. Mich. 2. v. 11. 2°. *loco*, ſeu *vice* ſignificat. Gen. 11. v. 3. *Habueruntque lateres* לְאָבֶן *pro ſaxis.* Vide c. 16. v. 3. Exod. 4. v. 16. &c.

XI. CUM. 1°. De auxilio. Gen. 31. v. 42. *Niſi Deus patris mei Abraham ....* הָיָה לִי *fuiſſet mecum.* Vulg. *adfuiſſet mihi.*

Pſal. 117. Heb. 118. v. 6. יְהוָה לִי *Dominus mecum* (eſt), *non timebo quid faciat mihi homo.* Confer v. ſeq. Lxx. ſuppleverunt vocem βοηθὸς *adjutor*, ſic: *Dominus mihi adjutor*, &c.

Pſal. 123. Heb. 124. v. 1. *Niſi quia Dominus erat* לָנוּ *nobiſcum*, &c. Vulg. *in nobis.*

2°. De conjunctione vel comitatu. Gen. 46. v. 26. *Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt* לְיַעֲקֹב *cum Jacob in Ægyptum.* Sic etiam Vulg.

XII. SICUT. Exempla vide ſupra in adverbiis comparandi cap. VI. §. IX. can. IV. num. II. pag. 578. col. 1.

XIII. QUOAD, QUOD ATTINET. Prov. 25. v. 3. *Ut cœlo* לָרוּם *quoad altitudinem, & terra* לָעֹמֶק *quoad profunditatem: ita animo regis non eſt pervestigatio.*

XIV. Quamvis ל dativi caſus proprie articulus ſit, aliis tamen caſibus interdum inſervit. Etquidem 1°. Nominativo, quando cum verbo ſubſtantivo conſtruitur. Ezech. 37. v. 27. *Ero eis* לֵאלֹהִים *Deus, & ipſe erunt mihi* לְעָם *populus*, Vulg. Sic v. 23. Levit. 26. v. 17. (confer 2. Cor. 6. v. 16.) Vide etiam ſupra in verbo ſubſtantivo *ſum*, pag. 539. col. 1. 2°. Genitivo, cum rei alicujus auctor vel poſſeſſor memoratur. Auctor, ut Pſal. 3. v. 1. מִזְמוֹר לְדָוִד *Pſalmus Davidis.* Et ſic ſæpe in Pſalmis. Poſſeſſor, Gen. 32. v. 18. לְעַבְדְּךָ לְיַעֲקֹב *ſervi tui Jacobi* ſunt ea, &c. Pſal. 23. Heb. 24. v. 1. לַיהוָה *Domini eſt terra & plenitudo ejus*, &c. ל iſtud cum pronominibus affixis in eo caſu conjunctum, ea interdum ex demonſtrativis, ſeu perſonalibus, efficit poſſeſſiva, ut Pſal. 49. Heb. 50. v. 10. לִי *mea eſt omnis beſtia ſylvæ.* Pſal. 118. Heb. 119. v. 94. לְךָ *tuus ſum ego*, &c. Hab. 2. v. 6. *væ ei, qui multiplicat* לֹא־לוֹ *non ſua.* Denique cum quævis alia relatio notatur, ut Gen. 7. v. 11. *Anno ſexcenteſimo* לְחַיֵּי *vitæ Noe.* Pſal. 120. Heb. 121. v. 1. *Canticum* לַמַּעֲלוֹת *graduum*, quod Pſal. 119. Heb. 120. v. 1. & ſeqq. ſcribitur הַמַּעֲלוֹת. Ezech. 10. v. 3. *à dextris* לַבַּיִת *domus.* Mich. 4. v. 8. *Regnum* לְבַת *filiæ Jeruſalem.* 3°. Dativo, idque communiter. Gen. 21. v. 7. *Quis dixiſſet* לְאַבְרָהָם *Abrahamo*, &c. Vide etiam Deut. 9. v. 5. Pſal. 109. Heb. 110. v. 1. &c. Huc pertinet *vel* cum officium & debitum notatur, 2. Paral. 20. v. 17. לֹא לָכֶם *non veſtrum erit pugnare*, &c. Vulg. *non eritis vos, qui pugnabitis.* Mich. 3. v. 1. *Nunquid non* לָכֶם *veſtrum eſt ſcire judicium?* Vulg. Prov. 31. v. 4. אַל לַמְּלָכִים לְמוֹאֵל אַל לַמְּלָכִים שְׁתוֹ־יָיִן וּלְרוֹזְנִים אוֹ שֵׁכָר *regum non eſt, Lemoel, regum non eſt bibere vinum: & potentum* (non eſt) *deſiderium vini*, ſive potus inebriantis, h. e. potentes vinum appetere non debent. Vulg. *Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas.* Prioris hemiſtichii ſenſum, non omnia verba, reddidit; at in poſteriori, pro וּלְרוֹזְנִים videtur legiſſe וְלֹו רֹזְנִים diviſim & trajecto ו, quod ibi eſt pro א, ut fit interdum, nempe וְלוֹ pro וְלֹא *non enim* (ſunt) *ſecreta*, vel

poſito ſingulari pro plurali, *non enim*, vel *quis nullum eſt ſecretum*, ſumta voce רָזִים in ſenſu alterius, quæ ab eadem radice רָזָה deducitur, nempe רָזִי, aut ſine affixo רָז, quam Iſai. 24. v. 16. Chald. Syr. Arab. Ox. & ipſe Vulgat. interpretantur *ſecretum*, quam etiam ſignificationem habet in Chald. Syr. & Samaritana dialecto. Præterea loco אֵי legebat אֵי *ubi*, cum (י) pro ו, ut ibi legendum monent Maſſorethæ. Denique שֵׁכָר *ebrietatem* interpretatur, per metonymiam effectus pro cauſa. *Vel* cum rei cauſa innuitur, Pſal. 3. v. 9. לַיהוָה *Domino eſt ſalus*, h. e. Dominus ſalutis auctor eſt. Sic Jon. 2. v. 10. Apoc. 7. v. 10. *Salus τῷ Θεῷ ἡμῶν Deo noſtro*, non enim ſalutem Deo precantur, ſed Deum ſalutis auctorem agnoſcunt & prædicant. 4°. Accuſativo, quando videlicet cum verbis hunc caſum in lingua Latina regentibus conſtruitur. 2. Reg. 3. v. 30. *Igitur Joab & Abiſai frater ejus occiderunt* לְאַבְנֵר *Abnerum*. Vide etiam Pſal. 103. Heb. 104. v. 32. Jerem. 40. v. 2. Oſe. 1. v. 6. &c.

XV. ל infinitivo præpoſitum diverſimode exponitur. 1°. Per gerundium in *di*, vide ſupra pagg. 147. 148. 149. 2°. Per gerundium in *dum*, vide ibid. 3°. Per gerundium in *do*, 2. Reg. 13. v. 2. *Et angebatur Amnon* לְהִתְחַלּוֹת *conficiendo ſe morbo propter Thamar ſororem ſuam*. Vulg. *ita ut propter amorem ejus ægrotaret*. 4°. Per infinitivum; tuncque ſupervacaneum eſt ל. Vide ſup. pag. 149. coll. 1. 2. In hac loquutione verbum finitum quandoque deficit. Jud. 1. v. 19. *nec* לְהוֹרִישׁ *expellere*, ſeu *delere habitatores vallis*, ſupple *potuit*. Vide Amos 8. v. 4. ubi ante לְהַשְׁבִּית ſupplendum eſt cum Chald. *putatis*, aut quid ſimile. Thren. 3. v. 34. לְדַכֵּא *conterere ſub pedibus ſuis omnes vinctos terræ*. v. 35. לְהַטּוֹת *declinare judicium viri*, &c. v. 36. לְעַוֵּת *pervertere hominem in judicio ſuo*, in his tribus infinitivis ל abundat, & reguntur à verbo finito ſequente: *Dominus ignoravit*, h. e. neſcit conterere, &c. 5°. Per participium, Joſ. 2. v. 5. *Et erat porta* לִסְגּוֹר *claudenda*, Vulg. *cumque porta clauderetur*. 2. Reg. 18. v. 3. *melius eſt ut ſis nobis in*, vel *ex urbe* לַעְזוֹר *opitulans*, Vulg. *præſidio*. 6°. Per nomen, vide ſupra pag. 149. col. 2.

7°. Per adverbium, Mich. 7. v. 3. עַל הָרַע כַּפַּיִם לְהֵיטִיב *ad male faciendum manibus egregie* proni, ſeu intenti ſunt. In hac phraſi ל interdum deficit, Deut. 9. v. 21. *Et contrivi illum* (vitulum aureum) טָחוֹן הֵיטֵב *molendo benefacere*, h. e. bene, valde, omni ſtudio & opera molendo. Cap. 17. v. 4. *Audienſque inquiſieris* הֵיטֵב *diligenter*, Vulg. Alia exempla vide Deut. c. 19. v. 18. c. 27. v. 8. 4. Reg. 11. v. 18. Huc refert Qimhhi Jon. 4. v. 4. הַהֵיטֵב *an benefaciendo ira eſt tibi?* h. e. an ita valde iratus es? vox enim illa (הֵיטֵב), ſecundum eundem Qimhhi, ad augendam ſignificationem adhibetur. Vide etiam v. 9.

XVI. ל quandoque *deficit*, quandoque *redundat*.

DEFICIT. 2. Reg. 15. v. 31. וְדָוִד pro וּלְדָוִד *Davidi autem nuntiatum eſt*. Pſal. 44. Heb. 45. v. 7. *Sedes tua, ô Deus*, עוֹלָם *in ſæculum*, pro לְעוֹלָם, ut v. 3. exprimitur. Pſal. 118. Heb. 119. v. 33. *& exquiram eam* (legem) עֵקֶב pro לְעֵקֶב *in finem*. Lxx. διὰ παντὸς, Vulg. Lat. *ſemper*. Sic v. 112. Eccle. 12. v. 13. *Deum time, & mandata ejus obſerva, quia hoc* כָּל־הָאָדָם pro לְכָל־ *omni homini* convenit; vel omnis hominis officium eſt. Jerem. 23. v. 17. וְכָל pro וּלְכָל *& omni*. Oſe. 7. v. 16. *Revertuntur* לֹא עָל pro לֹא לְעָל *non ad excelſum*, h. e. Deum verum. Vulg. *Reverſi ſunt ut eſſent abſque jugo*, pro עָל legeb. עֹל. Sic Symm. ἀπεστράφησαν εἰς τὸ μὴ ἔχειν ζυγὸν, *reverſi ſunt ut non haberent jugum*. V. edit. ἀπέστησαν ἵνα διάγωσιν ἄνευ ζυγοῦ, *defecerunt ut viverent ſine jugo*. Lxx. ἀπεστράφησαν εἰς οὐδὲν, *converſi ſunt in nihilum*, pro עָל legiſſe videntur אַל *non, nihil*; vel inter vertendum ע cum א commutandum exiſtimaverunt. Alia exempla vide 1. Reg. 5. v. 8. cap. 16. v. 16. &c.

Interdum ל ex præcedenti membro repetendum eſt. Gen. 41. v. 12. *Interpretatus eſt* (Joſeph) לָנוּ *nobis ſomnia noſtra*, אִישׁ pro לְאִישׁ *cuilibet ſecundum ſomnium ſuum*. Vide Deut. 33. v. 4. ubi eſt קְהִלַּת pro לִקְהִלַּת *congregationi*, ſeu *multitudini Jacob*.

REDUNDAT. 1°. Quando nomini præfigitur, & nominativus ſimpliciter intelligitur. 1. Paral. 3. v. 1. *Hi ſunt autem Davidis filii....* v. 2. *tertius* לְאַבְשָׁלוֹם *Abſalom*. Conf. 2. Reg.

Digitized by Google

3. v. 3. ubi ſine ל eſt. 1. Paral. c. 5. v. 2. *Judas erat fortiſſimus inter fratres ſuos, & de ſtirpe ejus* לְנָגִיד *princeps*, Vulg. *principes germinati ſunt.* Quidam per *principem* illum Meſſiam intelligunt, qui ex tribu Juda venturus erat. Alia exempla vide 1. Paral. 28. v. 21. in vocibus לְכָל־נָדִיב *omnis ſpontaneus.* Cap. 29. v. 5. in לַזָּהָב *aurum*, לַכֶּסֶף *argentum*, pro הַזָּהָב & הַכֶּסֶף, ut v. 2. legitur. Iſai. 32. v. 1. in לְשָׂרִים *principes.* Cap. 63. v. 2. in לִלְבוּשֶׁךָ *veſtimentum tuum.* Jerem. 30. v. 12. in לְשִׁבְרֵךְ *confractio tua.* Prov. 14. v. 34. in לְעֶבֶד *ſervus*, &c. 2°. Quando præpoſitionibus emphatice ſubjungitur, ut Gen. 1. v. 6. *Et dividat* (firmamentum, ſeu expanſum, aut aër) בֵּין מַיִם לָמָיִם *inter aquas ad aquas*, id eſt, inter aquas & aquas. Videlicet inter aquas ſuperiores, quæ ſunt nubes; & aquas inferiores, puta flumina, lacus, maria. Deut. 17. v. 8. בֵּין־דָּם לְדָם בֵּין־דִּין לְדִין וּבֵין נֶגַע לָנֶגַע *inter ſanguinem & ſanguinem, inter judicium & judicium, & inter plagam & plagam*, ubi ל eſt pro ו quod in hac loquutione locum non habet, niſi repetatur præpoſitio, ut Gen. 1. v. 4. בֵּין הָאוֹר וּבֵין הַחֹשֶׁךְ *inter lucem, & inter tenebras.* Vide Levit. 11. v. 47. Alia exempla τοῦ ל poſt præpoſitiones pleonaſtice adjuncti vide Gen. 1. v. 7. c. 19. v. 16. c. 22. v. 9. c. 35. v. 21. Levit. 4. v. 12. Num. 1. vv. 50. 53. c. 18. v. 7. c. 32. v. 19. Deut. 23. v. 10. c. 30. v. 13. 2. Paral. 33. v. 15. Pſal. 33. Heb. 34. v. 8. Eccle. 3. v. 21. Cant. 4. v. 1. cap. 2. v. 6. Ezech. 1. v. 26. &c. 3°. Quando vocibus indeclinabilibus præfigitur, ut לְאֵין, לִבְלִי, לִבְלְתִּי, לְלֹא *ad non*, h. e. abſque, לְאָחוֹר *retrorſum*, לְאַל *ad non*, h. e. in nihilum, לְבַעֲבוּר *ad propter*, i. propter, ut, לַחוּץ *ad extra*, i. foras, לְיַחַד *ad ſimul*, i. unum, una, לָכֵן *ad ſic*, id eſt, quamobrem, idcirco, propterea, לְמַטָּה *ad infra*, i. deorſum, inferne, לְמַעְלָה *ad ſupra*, id eſt, ſurſum, ſuperne, לְמִן, לְמִנִּי *ad ab*, i. inde ab, לְמִבָּרִאשׁוֹנָה *inde a principio*, ubi מ anomalos afficitur (-) pro hhiriq qatón, לְמִבָּרִאשׁוֹנָה. Sic: לְמֵרָחוֹק *à longinquo*, לִמְעַט *parum.* לְמָתַי *quando*, לְנֶגֶד, לְנֹכַח, לְעֻמַּת *coram.* In quibus omnibus ל pleonaſticum eſt. Denique ל cum duobus præfixis ב & כ, ſumit ſyllabam מו, non adſignificantem aliquid, ſed expletivam tantum; idque maxime in libris poëticis, ut Pſal. 10. Heb. 11. v. 2. בְּמוֹ־אֹפֶל *in caligine.* Exod. 15. v. 5. כְּמוֹ אָבֶן *ſicut lapis.* Job. 27. v. 14. לְמוֹ־חָרֶב *ad gladium.* Vide ſupra pag. 376. col. 2. 378. in cap. 12. 380. coll. 1. 2. ubi etiam particularum expletivarum זוּ & פִּי cum his præpoſitionibus conjunctarum afferuntur exempla.

§. IV.

De Præpoſitione præfixa מ.

Præpoſitionis hujus ſignificatio primaria eſt 1°. A vel ab. 2°. De vel ex. 3°. Præ. I. A vel ab, notatque 1°. Cauſam efficientem, Pſal. 117. Heb. 118. v. 23. מֵאֵת יְהוָה *à Domino factum eſt iſtud.* Vide Gen. 49. v. 25. Oſe. 7. v. 4. &c. 2°. Temporis circumſtantiam, Iſai. 64. v. 3. וּמֵעוֹלָם *& à ſæculo non audierunt*, &c. Vide 1. Paral. 15. v. 13. Jerem. 7. v. 7. &c. 3°. Loci circumſtantiam, Job. 39. v. 22. לְמֵרָחוֹק *à*, Vulg. *de longe oculi ejus* (Aquilæ) *proſpiciunt.* 4°. Negationem, aut privationem; idque *vel* ante verbum infinitum, cujus conſtituit gerundium in *do*, fereque explicatur per *ne, ut non.* Vide ſupra pagg. 147. 149. ubi præter exempla allata, vide Gen. 31. v. 29. 1. Reg. 15. v. 26. c. 8. v. 7. Job. 33. v. 28. Pſal. 68. Heb. 69. v. 24. (conf. Rom. 11. v. 10.) Iſai. 5. v. 6. cap. 8. v. 11. c. 17. v. 1. c. 23. v. 1. c. 33. vv. 15. 19. c. 54. v. 9. &c. Sic præpoſitio integra מִן cum futuro, Deut. 33. v. 11. *& qui oderunt eum* (Levi) מִן־יְקוּמוּן *non conſurgant*, ſeu *non conſiſtant.* Interdum מ deficit, Exod. 19. v. 12. *cavete* עֲלוֹת, pro מֵעֲלוֹת *ne aſcendatis in montem.* Sic Iſai. 58. v. 13. *Vel* ante nomina, ubi negationem pariter aut privationem innuit. 1. Reg. 15. v. 23. *abjecit te Dominus* מִמֶּלֶךְ *à rege*, h. e. *ne ſis rex.* Vulg. Vide c. 16. v. 1. ubi pro nomine infinitivus eſt מִמְּלֹךְ *à regnando, ne regnes.* 3. Reg. 15. v. 13. *Inſuper & Maacham matrem ſuam*

Digitized by Google

amovit (Aſa) מִגְּבִירָה *à Domina*, h. e. ne eſſet Domina, Vulg. *princeps in ſacris Priapi.* Vide Iſai. 23. v. 1. Jerem. c. 48. v. 2. Oſe. 9. v. 12. Mich. 3. v. 6. Job. 33. v. 21. *Tabeſcet caro ejus* מֵרֹאִי *à viſu*, h. e. ita ut non videatur, non appareat ob maciem.

Huc pertinet quando מ cum אַחֲרֵי *poſt* conjungitur. 2. Reg. 20. v. 2. *Et aſcendit omnis vir Iſraelis* מֵאַחֲרֵי דָוִד *à poſt Davidem*, hoc eſt, ne deinceps ſequeretur Davidem. Sic c. 7. v. 8. Pſal. 77. Heb. 78. v. 71. Oſe. 1. v. 2. Soph. 1. v. 6. Ita etiam מֵעַל, Gen. 40. v. 18. *Tres adhuc dies ſunt*, v. 19. *poſt quos* יִשָּׂא פַרְעֹה אֶת־רֹאשְׁךָ מֵעָלֶיךָ *tollet*, ſeu *auferet Pharao caput tuum à te*, i. recenſebit te, ita ut non ſit deinceps de te recenſio, neque inter miniſtros ejus habearis; hac enim loquutione *auferet*, ſeu *tollet caput tuum*, non innuitur caput piſtorum principi amputandum; is ſiquidem in cruce ſuſpenſus eſt, ut ibidem legitur & v. 22. Præterea eadem phraſis occurrit v. 13. de præpoſito pincernarum, quam eleganter ad ſenſum reddidit Vulgatus: *recordabitur Pharao miniſterii tui*, h. e. inter miniſtros ſuos recenſebit te, *& reſtituet te in gradum priſtinum*; quod factum narratur v. 21. Iſthæc autem loquendi ratio: *tollere*, vel *auferre caput*, pro *recenſere*, frequens eſt in Scriptura. Vide Exod. 30. v. 12. Num. 1. vv. 2. 49. c. 4. vv. 2. 22. c. 31. v. 26. 4. Reg. 25. v. 27. Jerem. 52. v. 31. unde Rabbi Salomoni *ſignificatio numerandi & computandi eſt.* Quandoque tamen illa præpoſitio non plane negat, ſed comparationem tantum innuit, ut Joſ. 19. v. 47. *Et exiit terminus* (ſeu ſors, vel hæreditas) *filiorum Danis* מֵהֶם *ab eis*, h. e. minor quam illis ob eorum numerum ſufficeret. Hinc explicandus verſus primus 18. capitis Judicum, ubi tribus Dan uſque ad illum diem inter ceteras ſortem non accepiſſe dicitur. 5°. Diſtributionem, ſi cum ſequente עַד *uſque*, *ad* jungatur. Gen. 31. v. 24. *Cave tibi ne loquaris cum Jacob* מִטּוֹב עַד־רָע *à bono ad malum*, hoc eſt, ſive bonum, ſive malum, quo eum à propoſito ſuo deterreas. Sic 2. Reg. 13. v. 22. Vide etiam Exod. 22. v. 4. Num. 6. v. 4. Jon. 3. v. 5. Illud autem Pſal. 89. Heb. 90. v. 2. מֵעוֹלָם עַד־עוֹלָם *à ſeculo uſque ad ſeculum*, abſolutam æternitatem denotat. Sic Pſal. 102. Heb. 103. v. 17.

II. Ex, vel DE, ac indicat 1°. Cauſam materialem, Cant. 3. v. 9. *Ferculum*, ſive *lecticam fecit ſibi rex Salomon* מֵעֲצֵי *de lignis Libani*, &c. 2°. Motum ex loco, Oſe. 11. v. 1. מִמִּצְרַיִם *ex Ægypto vocavi filium meum*, &c. 3°. Subjectum ex vel de quo, Gen. 15. v. 4. *Qui egredietur* מִמֵּעֶיךָ *ex utero tuo, ipſum habebis hæredem*, h. e. qui ex te naſcetur. Vide Pſal. 21. Heb. 22. v. 11. Eaque ratione interdum adjectivi periphraſin efficit. Vide ſupra pag. 464. col. 2. Item quod præſtantiſſimum eſt, denotat. Vide art. ſeq. num. VI. in præpoſitione בְּ vel בִּ. Præterea continuationem & incrementum innuit, ſi cum ſequente אֶל jungatur. Pſal. 83. Heb. 84. v. 8. *Ibunt* מֵחַיִל אֶל־חָיִל *de virtute in virtutem*, ſeu *de victoria in victoriam*, i. magis magiſque vincent. Vide Jerem. 9. v. 3. Rom. 1. v. 17. 2. Cor. 3. v. 18. &c. Sic apud Hom. Il. 19. v. 290. ὥς μοι δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεὶ, *ut mihi ſemper malum ex malo ſuccedit.* Denique diſtributionem & partem aliquam ſignificat, 1. Paral. 9. v. 3. *commorati ſunt in Jeruſalem* מִבְּנֵי *de filiis Juda*, &c. hoc eſt, aliquot de filiis Juda. Vide c. 12. v. 20. c. 27. v. 18. 2. Paral. 32. v. 21. &c. 4°. Aliam quamlibet circumſtantiam, Job. 23. v. 12. *A mandatis labiorum ejus* (Dei) *non receſſi*, מֵחֻקִּי *ex inſtituto meo* (i. more meo) *abſcondi verba oris ejus*, h. e. abſcondita, recondita apud me ſervavi. Lxx. ἐν δὲ κόλπῳ μου, Vulg. *& in ſinu meo*, &c. legeb. בְּחֵקִי ab חֵיק *ſinus*, quod interdum etiam ſcribitur ſine (¹).

III. PRÆ, atque in hac ſignificatione notat 1°. Cauſam, Pſal. 6. v. 8. *Contabeſcit* מִכַּעַס *præ indignatione oculus meus*, hoc eſt, propter indignationem. In hac loquutione rei defectus ſæpe innuitur, ut Pſal. 108. Heb. 109. v. 24. *Caro mea emaciatur* מִשָּׁמֶן *præ defectu pinguedinis.* Vulg. *propter oleum*, i. defectum olei; שֶׁמֶן & *pinguedinem* & *oleum* ſignificat. Sym. ἡ σάρξ μου ἠλλοιώθη ἀπὸ ἀναλειψίας, *caro mea immutata eſt à defectu unctionis.* Jerem. 48. v. 45. *In umbra Heſebon ſteterunt*, מִכֹּחַ *præ defectu roboris, fugientes.* Theod. ἀπὸ παγίδος φεύγοντες, Vulg. *de laqueo fugientes*, pro מִפַּח

legebant מִפַּח, à פַּח *laqueus*. Deeſt apud Lxx. Vide etiam Thren. 4. v. 9. ubi Vulg. מִתְּנוּבֹת שָׂדָי *præ fructibus*, ſeu *proventibus terræ*, eleganter reddidit *à ſterilitate terræ*. 2°. Comparationem, *tum* in nominibus, vide ſup. pag. 469. §. III. Infinitivus loco nominis in hac phraſi interdum etiam adhibetur, vide ſupra pag. 572. can. IV. *Tum* in verbis, iiſque tam *neutris*, quam *activis*. Neutris, 2. Reg. 1. v. 23. *Saul & Jonathas....* מִנְּשָׁרִים קַלּוּ מֵאֲרָיוֹת גָּבֵרוּ *præ aquilis veloces, præ leonibus fortes fuere*, hoc eſt, *aquilis velociores, leonibus fortiores*, Vulg. Vide alia exempla Jerem. 15. v. 8. Thren. 4. v. 7. Activis, Pſal. 8. v. 6. *Minuiſti eum paulo* מֵאֱלֹהִים *præ angelis*, hoc eſt, paulo minorem angelis reddidiſti. Vide inſuper Pſal. 44. Heb. 45. v. 8. Jerem. 48. v. 32. Eccle. 23. v. 11. &c.

Præter ſignificata ſuperius allata, מ ſignificat etiam

I. Propter, eo quod, & cauſam moventem ac finalem denotat. Deut. 7. v. 8. מֵאַהֲבַת *propter amorem Domini erga vos*, וּמִשָּׁמְרוֹ *& propter cuſtodire eum juramentum ſuum*, &c. Vulg. *quia dilexit vos Dominus*, &c. Vide Pſal. 11. Heb. 12. v. 6. Pſal. 67. Heb. 68. v. 30. Prov. 20. v. 4. Iſai. 1. v. 29. cap. 21. v. 3. c. 53. vv. 5. 8. Jerem. 22. v. 22. Zach. 9. v. 8. &c.

Huc pertinet Jerem. 10. v. 6. מֵאֵין כָּמוֹךָ יְהוָה *propter non* (eſſe) *ſicut tu, Domine*, h. e. quia *non eſt ſimilis tui, Domine*, Vulg.

II. Ante, de tempore. Pſal. 92. Heb. 93. v. 3. *Parata ſedes tua* מֵאָז *ante tunc*, h. e. ante ullum certum ac finitum tempus, de quo vox *tunc* ab homine enuntiari poſſit, unde ſequitur: *à ſæculo tu es.*

Prov. 8. v. 23. מֵעוֹלָם *ante ſæculum ordinata ſum*, מֵרֹאשׁ *ante principium*, מִקַּדְמֵי־אָרֶץ *ante primordia terræ*, h. e. *antequam terra fieret*, Vulg. Ita loquitur Sapientia æterna.

Iſai. 43. v. 13. מיום *ante diem ego ipſe* (ſum), h. e. antequam eſſet dies. Vulg. *ab initio.*

Mich. 5. v. 2. *Egreſſus ejus* (Meſſiæ) מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם *ante principium, ante dies ſæculi*, Vulg. *æternitatis*; qua loquutione æterna Chriſti filii Dei nativitas demonſtratur.

In N. Teſtam. 2. Theſſ. 2. v. 12. al. 13. *Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quod elegerit vos Deus* ἀπ' ἀρχῆς, *ante initium*, Vulg. *primitias*, legebat ἀπαρχὴν, vel ἀπαρχὰς, ut habent mſſ. quidam codd. Vide D. Mill. p. 484.

Apoc. 13. v. 8. *Et adoraverunt eam* (beſtiam) *omnes, qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt* ἀπὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου, *ante conſtitutionem mundi*, hoc eſt, qui decretus eſt occidi; vel ut Vulg. *qui occiſus eſt ab origine mundi*, nam quotquot ante Chriſti adventum ſalvi facti ſunt, per virtutem ſanguinis ejus quondam effundendi ſalvati ſunt. Quidam hyperbaton hîc agnoſcunt hoc modo: *quorum non ſunt ſcripta nomina ante conſtitutionem mundi, in libro vitæ agni, qui occiſus eſt.* Conf. c. 17. v. 8. Quod autem hîc dicitur ἀπὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου, id Epheſ. 1. v. 4. per πρὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου, *ante conſtitutionem mundi* exprimitur. Sic 1. Joan. 1. v. 1. *Quod fuit* ἀπ' ἀρχῆς *ab initio*, hoc eſt, ante initium, proindeque ab æterno. Vide etiam art. ſeq. in præpoſitione ἀπό.

III. Post. Gen. 2. v. 2. *Et requievit* (Deus) *die ſeptimo*, מִכָּל־מְלַאכְתּוֹ *poſt omne opus ſuum, quod fecerat.*

Gen. 4. v. 3. *Factum eſt autem* מִקֵּץ *poſt finem dierum*, h. e. *poſt multos dies*, &c. Vulg. Oſe. 6. v. 4. *Vivificabit nos* מִיֹּמָיִם *poſt duos dies.* Vulg.

IV. Ad, versus, cum motum ad locum denotat.

Gen. 13. v. 11. *Et receſſit* (Lot) מִקֶּדֶם *ad orientem*; Jordanis enim verſus quem profectus eſt Lot, fluit ad orientem Bethel & Hai, unde veniebat.

2. Reg. 6. v. 2. *Surrexitque David & abiit, & univerſus populus, qui erat cum eo*, מִבַּעֲלֵי יְהוּדָה *ad Baalim Juda*, &c. In loco parallelo 1. Paral. 13. v. 6. legitur בַּעֲלָתָה cum ה locali. Baalim autem, ſive Baala, urbs erat dicta etiam *Cariathiarim*, Joſ. 15. v. 9. & *Cariathbaal*, v. 60. Lxx. Vulg. & plurimi alii interpretes vocem מִבַּעֲלֵי, ut appellativam accipiunt. Lxx. ἀπὸ τῶν ἀρχόντων Ἰούδα, *de principibus Juda*. Vulg. *de viris Juda*. Sed adverbium loci מִשָּׁם, *inde*, quod ſequitur, *ut addu-*

adducerent inde arcam Dei, nomen eſſe civitatis indicat.

Iſai. 17. v. 13. *Et fugiet* מִמֶּרְחָק *ad longinquum*, Vulg. *procul.*

V. APUD, cum vel locus, vel aliud ſubjectum denotatur. Exod. 33. v. 6. *Depoſuerunt ergo filii Iſraël ornatum ſuum* מֵהַר *apud montem Horeb.*

Num. 32. v. 22. *Et eritis innocentes* מֵיְהוָה וּמִיִּשְׂרָאֵל *apud Dominum, & apud Iſraël.*

Pſal. 30. Heb. 31 v. 12. מִכָּל־צֹרְרַי הָיִיתִי חֶרְפָּה *apud omnes inimicos meos factus ſum opprobrium.* Lxx. παρὰ πάντας τοὺς ἐχθρούς μου, Vulg. *ſuper omnes inimicos meos*, &c. Sed præpoſitio παρὰ hîc explicanda eſt *Apud*, quam ſignificationem cum accuſandi caſu conſtructa apud profanos etiam obtinet.

VI. IN, vel de tempore, vel de loco. Exod. 25. v. 18. *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies* מִשְּׁנֵי *in duabus extremitatibus propitiatorii.* Verſ. 19. *Cherub unus ſit* מִקָּצָה מִזֶּה *in latere inde*, h. e. *uno*, &c.

Exod. 32. v. 30. *Et fuit* מִמָּחֳרָת *in craſtino die.* Vulg. *facto autem altero die.*

Pſal. 71. Heb. 72. v. 16. *Et florebunt* מֵעִיר *in civitate ſicut fœnum terræ.*

Ezech. 48. v. 29. *Hæc eſt civitas, quam dividetis* מִנַּחֲלָה *in hereditatem*, Lxx. ἐν κλήρῳ, *in ſorte filiis*, ſeu *tribubus Iſraël.*

VII. CONTRA. Jerem. 3. v. 20. *Sicut perfide agit mulier* מֵרֵעָהּ *contra ſocium ſuum: ſic perfide agit* בִּי *contra me domus Iſraël.* Vide Levit. 4. v. 2. ubi מ ſignificat *contra*, vel *præter.*

VIII. CUM. Deut. 33. v. 2. *Et venit* (Dominus) מֵרִבְבֹת Lxx. σὺν μυριάσι, *cum decem millibus ſanctorum.*

Denique מ interdum *deficit*, interdum *redundat.*

DEFICIT. Gen. 18. v. 28. *Si forſitan defuerint* חֲמִשִּׁים pro מֵחֲמִשִּׁים *de quinquaginta juſtis, quinque*, &c.

Joſ. 10. v. 13. *Donec ulciſceretur ſe gens* אֹיְבָיו pro מֵאֹיְבָיו *de inimicis ſuis.*

2. Reg. 23. v. 24. *Elhhanan filius* דֹּדוֹ (Lxx. πατραδέλφου αὐτοῦ, Vulg. *filius patrui ejus*, quidam, *filius Dodonis*,) מִבֵּית לָחֶם pro בֵּית לֶחֶם, Lxx. Vatic. ἐν *in*, mſ. Alex. Ald. ἐκ Βηθλεέμ, Vulg. *de Bethlehem*, hoc eſt, Bethlehemita.

Ibid. v. 32. בְּנֵי יָשֵׁן pro מִבְּנֵי *de filiis Jaſen.* Lxx. υἱοὶ Ἀσάν, *filii Aſan.* Vulg. *filii Jaſſen.*

Iſai. 52. v. 2. הִתְפַּתְּחִי מוֹסְרֵי צַוָּארֵךְ *ſolve te vinculis colli tui*, pro מִמּוֹסְרֵי *de vinculis.* Vulg. *ſolve vincula colli tui*, recte; ibi enim neceſſaria non videtur præpoſitio.

3. Reg. 8. v. 32. *Tu exaudies* הַשָּׁמַיִם pro מֵהַשָּׁמַיִם *de cœlis*; unde Lxx. ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *de cœlo.* Vulg. *in cœlo.* Vide vv. 34. 36. 39. 43. 45. 49. ubi eadem præpoſitio deficit ante eandem vocem הַשָּׁמַיִם.

Methatheſis τοῦ מ, vel מִן, videtur eſſe in illo Gen. 2. v. 7. *Formavit igitur Dominus Deus* אֶת־הָאָדָם עָפָר מִן־הָאֲדָמָה *hominem pulverem de terra*, pro מֵעֲפַר הָאֲדָמָה *de pulvere*, ſeu, ut Vulg. *de limo terræ.* Veteres tamen interpretes hanc trajectionem retinent. Aq. καὶ ἔπλασε κύριος ὁ θεὸς σὺν τὸν ἄνθρωπον χοῦν ἀπὸ τῆς χθονὸς, *& formavit Dominus Deus hominem humum ab humo*, hic interpres אֶת־ vulgo reddit σὺν *cum*, ut jam monuimus pag. 421. coll. 1. 2. quia vox illa primum ſignificat *cum*, neque Aquila diſtinguit loca in quibus eſt præpoſitio vel articulus. Sym. & Theod. καὶ ἔπλασε κύριος ὁ θεὸς τὸν Ἀδὰμ χοῦν ἀπὸ τῆς Ἀδαμα, *& formavit Dominus Deus Adam pulverem ab Adama*, voces Hebraicas אָדָם & אֲדָמָה retinuerunt. Lxx. καὶ ἔπλασεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς, *& formavit Deus hominem pulverem de terra.*

REDUNDAT מ in illis vocibus, quibuſcum jungitur, ut מִקֶּדֶם *ab ante*, h. e. ante, priuſquam. מִתַּחַת *de ſub*, hoc eſt, ſub, ſubter. מֵעַל *de ſuper*, h. e. ſuper, ſupra. מִלְמַטָּה *de infra*, h. e. infra. מִלִּפְנֵי *de ante*, h. e. ante. מִלְּעֻמַּת *de coram*, h. e. coram, in quibus ל & מ concurrunt. מִנֶּגֶד *de coram*, h. e. coram. מֵעֵבֶר *de trans*, h. e. trans. מֵעִם *de cum*, hoc eſt, cum, vel à, aut ab. Sic מֵאֵת idem. מֵעַתָּה *à nunc*, ut & Græci dicunt ἀπὸ τοῦ νῦν. מִשָּׁם *de illic*, i. inde. מִחוּץ *de extra*, i. extra. מֵאֵין *à non*, hoc eſt, *non*, Jerem. 10. vv. 6. 7. Et ſic plura alia, quorum uſus & ſtructura in ſermone Hebræo elegans eſt. Talia quædam apud Latinos occurrunt, ut *de repente*, Cic. *de procul*, Plaut. *de ſubito*, idem. *à foris*, Plin. &c.

ARTICULUS IV.

De ſpeciali Græcarum quarumdam præpoſitionum ſignificatione.

PRÆPOSITIONIBUS Hebræis Græcas aliquot, ob earum peculiarem in Novo Teſtamento poteſtatem, hîc non ab re fuerit ſubjicere. Quanvis enim Novum illud Fœdus Græcis vulgo ſcriptum ſit vocabulis, ejus tamen loquutio, ſeu phraſis, plerumque Hebraïca eſt, aut Syriaca; neque voces eodem plane ſenſu, quo apud profanos auctores, in eo ſemper accipiendæ ſunt; ſed ſæpius ex Hebræarum, quibus reſpondent, ſignificatione explicandæ. Quod non ſolum in Novo Teſtamento, verum etiam in Veteri Græce à LXX. reddito faciendum. Illarum itaque præpoſitionum vulgari ſenſu duntaxat indicato, illius exempla afferemus, qui, vel ex Hebræo idiomate pendet, vel ſaltem in profanis auctoribus non ita frequens deprehenditur.

I. Ἀνά.

I. Iſta præpoſitio diſtributionem æqualem exprimit, & per nomina numeralia diſtributiva explicatur.

Matth. 20. vv. 19. 20. *Acceperunt* ἀνὰ δηνάριον, *ſinguli denarium.*

Luc. 9. v. 3. μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν, *neque duas tunicas habere.*

Joan. 2. v. 6. *Hydriæ capientes* ἀνὰ μετρητὰς δύο, ἢ τρεῖς, *ſingulæ metretas binas, aut ternas.*

Alia exempla vide Marc. 6. v. 40. Luc. 9. v. 14. cap. 10. v. 1. Apoc. 4. v. 8. cap. 21. v. 21. &c.

II. Diſtributionem per vices ſignificat.

1. Cor. 14. v. 27. *Sive lingua quis loquitur, ſecundum duos, aut ut multum tres,* καὶ ἀνὰ μέρος, *& viciſſim*, ſeu *per vices.* Gallice, *l'un après l'autre.*

III. Cum μέσον conſtructa, *intermedium* denotat tum ratione loci, Matth. 13. v. 25. *Seminavit autem zizania* ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, *in medio tritici.* Vide etiam Marc. 7. v. 31. Tum ratione perſonarum, 1. Cor. 6. v. 5. *Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare* ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, *inter fratrem ſuum?*

IV. In compoſitione iterationem exprimit, ut ἀναγγέλλω *renuntio.* Sæpe tamen ſimpliciter *nuntiare* ſignificat. Item *ſurſum*, ab ἄνω. Vide Matth. 17. v. 1. Luc. 24. v. 51. 1. Pet. 2. v. 24. &c.

II. Ἀντί.

Illa præpoſitio ſignificat

I. PRO, LOCO, VICE. Joan. 1. v. 16. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος, *& gratiam pro gratia*, hoc eſt, gratiam Novi Teſtam. pro gratia Veteris, ut explicat Chryſoſtomus, ἀντὶ τῆς παλαιᾶς τὴν νέαν, *pro antiqua* (gratia) *novam* accepimus; ubi gratiæ veteris nomine, Legem Moſaicam; novæ autem, Evangelium intelligit. Conf. v. 17.

II. Permutationem, Matth. 5. v. 35. ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, *oculum pro oculo.* Vide etiam cap. 2. v. 22. Luc. 11. v. 11. Rom. 12. v. 17. Heb. 12. vv. 2. 16. Jac. 4. v. 15. 1. Pet. 3. v. 9. &c.

III. Commodum, vel utilitatem. Matth. 20. v. 28. *Filius hominis venit .... ut daret animam ſuam* ἀντὶ πολλῶν, *pro multis*, hoc eſt, in ſalutem multorum. Vide inſuper cap. 17. v. 27. Marc. 10. v. 45. &c.

IV. Cauſam finalem. 1. Cor. 11. v. 15...., ὅτι ἡ κόμη ἀντὶ περιβολαίου δέδοται αὐτῇ, *quoniam*

capilli pro velamine dati ſunt ei (mulieri), h. e. ut eſſent velamen.

V. Rationem quancunque, aut cauſam. Luc. 1. v. 20. ἀνθ' ὧν, *pro eo quod, propterea quod non credidiſti*, &c. Vide c. 12. v. 3. (ubi ſignificat *igitur*) c. 19. v. 44. Act. 12. v. 23. Epheſ. 5. v. 31. 2. Theſſ. 2. v. 10. &c.

VI. CONTRA, ſeu ADVERSUS; idque tantum in compoſitione, ut ἀντίδικος *adverſarius*, Matth. 5. v. 25. ἀνθύπατος *proconſul*, Act. 13. v. 7. &c. ἀντιλέγω *contradico*, Luc. 2. v. 34. ἀντιπέραν *oppoſita ripa*, Luc. 8. v. 26.

III. Ἀπό.

I. A, vel AB, Matth. 2. v. 1. &c. DE, vel EX, Matth. 3. v. 4. &c.

II. PER. Apoc. 14. v. 20. *Et exivit ſanguis de lacu..... ἀπὸ σταδίων, per ſtadia mille ſexcenta.*

III. ANTE. Matth. 25. v. 34. *Poſſidete paratum vobis regnum ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, ante conſtitutionem mundi*, h. e. ab æterno. Vide etiam 2. Theſſ. 2. v. 13. Apoc. 13. v. 8. Conf. Epheſ. 1. v. 4. 2. Tim. 1. v. 9.

IV. POST. Luc. 2. v. 36. *Vixerat cum viro ſuo annis ſeptem, ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς, poſt virginitatem ſuam.*

V. PRÆ, vel PROPTER. Matth. 13. v. 44. καὶ ἀπὸ τῆς χαρᾶς αὐτοῦ ὑπάγει, *& præ gaudio illius vadit*, &c. Rom. 9. v. 3. *Optabam* (melius optarem) *enim ego ipſe anathema eſſe ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, propter Chriſtum, pro fratribus meis*, &c. hoc eſt, optarem eſſe ab hominibus deſpectus, exoſus, diris devotus, &c. modo fratres meos Chriſto lucrifacerem. Ibi enim ἀπὸ reſpondet Hebrææ præpoſitioni מִן, quæ etiam *propter* ſignificat. Vide etiam Matth. cap. 18. v. 7. c. 28. v. 4. Luc. 19. v. 3. c. 21. v. 26. c. 22. v. 45. Joan. 21. v. 6. Act. 20. v. 9. &c.

VI. Interdum abundat. Matth. 26. v. 58. Luc. 16. v. 23. ἀπὸ μακρόθεν, *procul*, quod Luc. 18. v. 13. ſimpliciter dicitur μακρόθεν.

VII. In compoſitione ſignificat 1°. *inde, ex eo*, Luc 6. v. 35. μηδὲν ἀπελπίζοντες, *nihil inde ſperantes*, Vulg. 2°. *intenſionem*, Philipp. 3. v. 20. *Unde & Salvatorem* ἀπεκδεχόμεθα, *ſollicite & vehementer exſpectamus.* 3°. *ſeparationem*, Joan. 16. v. 2. ἀποσυνάγωγος, *ex ſynagoga excluſus.* 4°. *privationem*, Matth. 15. v. 10. Marc. 6. v. 16. ἀποκεφαλίζειν *decollare.* 1. Pet. 2. v. 24. ἀπογενόμενοι, *mortui*, q. d. denati, vita privati.

IV. Διά.

I. PER, de via, ordine, tempore, &c. Luc. 17. v. 11. Act. 14. v. 22. Heb. 2. v. 5. &c.

II. POST. Marc. 2. v. 1. *Et iterum intravit* (Jeſus) *Capharnaum* δι' ἡμερῶν, *poſt dies aliquot.*

Act. 24. v. 17. δι' ἐτῶν δὲ πλειόνων, *poſt annos autem plures.* Sic Plut. διὰ ἔτους τρίτου, *poſt tertium annum.*

III. IN. Rom. 2. v. 27. *Judicabit te præputium..... τὸν διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς, qui in litera & circumciſione prævaricator Legis es.*

Ibid. cap. 4. v. 11. *Ut ſit pater omnium credentium* δι' ἀκροβυστίας, *in præputio.*

Heb. 7. v. 9. διὰ Ἀβραάμ, *in Abrahamo decimatus eſt Levi.*

Alia exempla vide Rom. 7. v. 4. Gal. 4. v. 13. 1. Tim. 2. v. 15. 2. Pet. 3. vv. 5. 12.

Sic in Sophocl. Tyran. νόμοι οὐρανίαν δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, *leges cæleſti in æthere generata.*

V. Εἰς.

I. AD, IN, tum de motu, tum de quiete; CONTRA, &c. Vide ſupra art. II. can. II. & IV. pagg. 583. 585.

II. DE. Vide ibid. can. IV. p. 584. col. 1.

III. CAUSAM FINALEM, vel USUM denotat. 1. Cor. 10. v. 6. *Hæc autem facta ſunt in figura* vel *exemplo noſtri*, εἰς τὸ μὴ, *ut non ſimus concupiſcentes malorum*, pro ἵνα μή. Vide etiam 1. Tim. 4. v. 3. Eph. 4. v. 19. Rom. 4. v. 18. &c.

IV. EVENTUM præter agentis intentionem & finem proprium exprimit. Luc. 2. v. 34. Ἰδοὺ, οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν, *Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael*, &c. Chriſtus enim non venit ut homines perderet, ſed ut ſervaret eos. Vide etiam Joan. 9. v. 39.

Digitized by Google

V. USQUE AD, Joan. 13. v. 1. .... εἰς τέλος, *uſque ad finem dilexit eos.* Vide inſuper Gal. 3. v. 23. Epheſ. 3. v. 19.

VI. PER, Matth. 5. v. 35. .... μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα, *neque per Jeruſalem* jurate. Vide quoque 1. Cor. 10. v. 2.

VII. PROPTER, Matth. 6. v. 34. *Nolite ergo ſolliciti eſſe* εἰς τὴν αὔριον, Vulg. *in*, alii, *propter craſtinum diem.* Vide etiam 1. Tim. 4. v. 10.

VIII. Interdum periphraſin conſtituit 1°. *Nominativi*, Matth. 19. v. 5. .... *& erunt duo* εἰς σάρκα μίαν, *in carnem unam*, hoc eſt, una caro. Vide etiam Heb. 8. v. 10. 1. Joan. 5. v. 8. 2°. *Dativi*, Coloſſ. 1. v. 20. Καὶ δι' αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι πάντα εἰς αὐτὸν, pro ἑαυτῷ, *& per ipſum* (Jeſum) *reconciliare omnia ſibi ipſi.*

VI. Ἐκ vel ἐξ.

I. Ex pro A, vel AB, notatque cauſam efficientem. Vide Matth. 1. v. 20. (& conf. Luc. 1. v. 35.) Joan. 6. v. 65. (confer v. 45.) Joan. 18. v. 3. Rom. 11. v. 36.

1. Cor. 10. v. 4. *Bibebant* ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, *ex ſpirituali conſequente*, ſeu *comitante eos petra*, *petra autem erat Chriſtus*, h. e. potus ille à Chriſto ſpirituali petra illis ſuppeditabatur, adeo ut aquæ illius miraculo eductæ auctor eſſet & ſcaturigo.

II. POST, Joan. 13. v. 4. *Surgit* (Jeſus) ἐκ τοῦ δείπνου, *à cœna*, Vulg. hoc eſt, poſt cœnam. Sic apud Eurip. in Hecuba, ἐκ δείπνου, *poſt cœnam.* Xenoph. ἐξ ἀρίστου, *poſt prandium*, &c.

III. Cum ἐκ, vel ἐξ nomini præponitur, dignitatem & excellentiam interdum ſignificat. Philip. 3. v. 5. Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων, *Hebræus ex Hebræis*, hoc eſt, non infimi apud Hebræos nominis; non vero, ut quibuſdam placet, genere Hebræus, oppoſite ad proſelytos, qui Hebræi quidem erant, ſed non genere; id enim in verbis præcedentibus dixerat Apoſtolus: ἐκ γένους Ἰσραὴλ, φυλῆς Βενιαμὶν, *ex genere Iſraëlis*, *ex tribu Benjamin.* Sic apud Heb. Amos. 6. v. 4. *qui comeditis agnos* מִצֹּאן *è grege*, & vitulos מִתּוֹךְ *è medio armenti*, ſeu *ſaginarii*, i. optimos, pinguiſſimos, &c. Hinc in compoſitione illa præpoſitio vehementiam interdum notat, ut ἐκπλήσσεσθαι *percelli*, Matth. 7. v. 28. ἐξηρτισμένος, *perfecte inſtructus*, 2. Tim. 3. v. 17. &, ſecundum nonnullos, ἐκπορνεύσασαι, Jud. v. 7. *in ſcortationem penitus effuſæ.*

VII. Ἐν.

I. IN, de quiete, & interdum etiam de motu. Vide pag. 584. Can. III. coll. 1. 2.

II. DE, Rom. 11. v. 2. *An neſcitis quid* ἐν Ἡλίᾳ, *in Elia dicat Scriptura?* h. e. de Elia. Vide etiam 2. Tim. 1. v. 13. Philip. 1. v. 30. &c.

III. A vel AB, Luc. 4. v. 1. *Et actus eſt* (Jeſus) ἐν τῷ πνεύματι, *in Spiritu in deſertum*, h. e. *à Spiritu*, Vulg. ibi enim ἐν πνεύματι, eſt pro ὑπὸ τοῦ πνεύματος, ut apud Matth. 4. v. 1. exponitur.

IV. CUM, Matth. 3. v. 11. *Ego baptizo vos* ἐν ὕδατι, *in aqua*, h. e. cum aqua, aut ſine præpoſitione, quæ apud Latinos vulgo negligitur, aqua.

Luc. 14. v. 34. *Si ſal infatuatum fuerit*, ἐν τίνι, *in quo*, h. e. *quo ſalietur?* (ipſum ſal, confer Marc. 9. v. ult.) Vide inſuper Luc. 11. v. 20. c. 22. v. 49. &c.

Idem ſæpe ſignificat ἐν cum ad comitatum exprimendum adhibetur. Vide Matth. 6. v. 29. c. 11. v. 21. 2. Cor. 13. v. 4. Epheſ. 6. v. 2. 1. Theſſ. 4. v. 16. 2. Pet. 1. vv. 5. 6. 7. Jud. v. 14. &c.

V. PER, Rom. 5. v. 9. *Juſtificati* ἐν τῷ αἵματι, *in ſanguine ejus*, h. e. per ſanguinem ejus. Sic Gal. 1. v. 16. c. 3. v. 11. Vide etiam Coloſſ. 2. v. 18. &c.

Ita in juramentis, Matth. 5. v. 34. *Non jurare, neque* ἐν τῷ οὐρανῷ, *in cœlo*, *neque* ἐν τῇ γῇ, *in terra*, h. e. *per cœlum*, *per terram*, ut interpretatur Vulg.

VI. PROPTER, Matth. 6. v. 7. *Putant enim*, *quod* ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν, *in multiloquio ſuo exaudiantur*, h. e. propter multiloquium ſuum. Vide cap. 11. v. 6. c. 26. vv. 31. 33. Act. 7. v. 29. Epheſ. 1. vv. 3. 4. &c.

VII. POST, Luc. 9. v. 36. καὶ ἐν τῷ γενέσθαι τὴν φωνὴν, *& cum fieret hæc vox*, h. e. poſtquam facta eſt. Vide etiam c. 11. v. 37. c. 14. v. 1. &c.

VIII. INTER, Luc. 16. v. 15. *Quia*, *quod*

Digitized by Google

ἐν ἀνθρώποις, *in hominibus*, h. e. *inter homines altum eſt*, &c. Vide etiam 1. Tim. 4. v. 15. &c.

Ceterum præpoſitio illa tot ſignificationibus in N. Teſtamento gaudet, quia reſpondet Hebraicæ ב, quæ pene innumeros ſenſus habet, ut in art. præcedenti vidimus.

In compoſitione, verbo interdum jungitur, cum ptæponenda eſſet nomini, ut Act. 3. v. 25. *τῷ σπέρματί σε ἐνευλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς*, pro *ἐν σπέρματί σου ἐνευλογηθήσονται*, *in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ*. Vel ſubintelligenda eſt illa præpoſitio, quam exhibet mſ. Alexand.

Interdum abundat, Act. 4. v. 12. *Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum ἐν ἀνθρώποις*, *in hominibus*, i. hominibus, vel inter homines, ut ſupra num. VIII.

VIII. Ἐπί.

I. IN, de loco, ſubjecto, inſtrumento, &c. Matth. 6. v. 10. cap. 14. v. 11. Marc. 2. v. 4. &c.

II. AD, de loco, ſubjecto, &c. Luc. 1. v. 17. c. 3. v. 2. c. 10. v. 9. Item de cauſa finali, Matth. 26. v. 50. *Amice ἐφ' ᾧ πάρει; ad quid veniſti?* Epheſ. 2. v. 10. *Creati ſumus in Chriſto Jeſu, ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς, in bonis operibus*, h. e. ad bona opera exercenda, *quæ præparavit Deus*, &c.

III. AD, APUD, ſine motu, Matth. 9. v. 9. Luc. 24. v. 22. Marc. 13. v. 9.

IV. JUXTA, SECUS, Matth. 21. v. 19. *Et videns ficum ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, juxta viam*, paululum tamen longe ab ea, ut habet Marc. 11. v. 13. ubi legitur *μακρόθεν*, quod de diſtantia non ita magna accipitur, Matth. 27. v. 55. Marc. 5. v. 6. c. 13. v. 40. Luc. 18. v. 13.

V. CUM, Apoc. 7. v. 15. *σκηνώσει ἐπ' αὐτοὺς, habitabit cum illis*, pro *μετ' αὐτῶν*, quod legitur c. 21. v. 3.

VI. SUPER, SUPRA; idque tum de loco, perſona, & re, Matth. 24. vv. 2. 3. &c. tum de ſtatu & excellentia ac dignitate, Matth. 24. v. 47. c. 25. v. 23. Luc. 1. v. 33. &c.

VII. CONTRA, Luc. 11. v. 17. *Πᾶσα βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν διαμερισθεῖσα ἐρημοῦται, καὶ οἶκος ἐπὶ οἶκον, πίπτει*, *Omne regnum in*, vel *contra ſe diviſum deſolabitur, & domus contra domum* (diviſa) *cadet*. Vel *domus ſupra domum cadet*, ut Vulg. Vide etiam cap. 9. v. 5. Epheſ. 5. v. 6.

VIII. SUB, 1°. De perſona, Marc. 2. v. 26. *ἐπὶ Ἀβιάθαρ, ſub Abiathar*, hoc eſt, ejus tempore. Vide inſuper Luc. 3. v. 2. cap. 4. v. 27.

Huc etiam referunt quidam 1. Tim. 6. v. 13...... *& Chriſto Jeſu, qui teſtimonium reddidit ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, ſub Pontio Pilato.* Et illud Heb. 9. v. 17. *Teſtamentum enim ἐπὶ νεκροῖς, ſub mortuis confirmatum eſt*, h. e. tempore, quo teſtator obiit; ſequitur enim: *alioquin nondum valet, dum vivit, qui teſtatus eſt.* Confer etiam v. 16. Alii ἐπὶ in hoc contextu per *poſt* exponunt.

2°. De tempore, Matth. 1. v. 11. *Joſias autem genuit Jechoniam* (non immediate, ſed mediante Joakimo patre ejus, 1. Paral. 3. vv. 15. 16. qui Joakim, cum indignus fuerit ſepultura regum Juda, Jerem. 22. v. 8. dignus etiam Matthæo viſus non eſt, qui Chriſti genealogiæ insereretur) *& fratres ejus* (i. & fratrem ejus, nempe Sedeciam, 1. Paral. 3. v. 16. Vel ſi alios fratres habuit, de his ſilet Scriptura Hebraïca) *ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος*, *ſub*, vel *circa tranſmigrationem Babylonis*; nam Joſias ante illam mortuus eſt, 2. Paral. 34. v. 28. ea enim tantummodo incœpit ſub Joakimo ejus filio, continuata eſt ſub Jechonia filio Joakim, & conſummata ſub Sedecia Jechoniæ patruo. Vide 4. Reg. c. 24. & 2. Paral. c. 36. In quibuſdam codd. mſſ. quos vide apud D. Millium & alios, legitur: *Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακείμ· Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν*, &c. *Joſias autem genuit Joakim: Joakim autem genuit Jechoniam*, &c. Hoc additamento complentur duæ teſſaradecades, quæ à Davide ad Chriſtum uſque à S. Matth. memorantur, quæque alioquin videntur deficere, niſi ſanctiſſima Chriſti mater in genealogia cenſeatur, quem ei honorem decernunt nonnulli præ aliis mulieribus, quæ in genealogiis locum non habent, quod ex illa ſine viri conſortio natus ſit Chriſtus.

IX. SECUNDUM, DE, Luc. 1. v. 59. καὶ

ἐκάλουν αὐτὸν ἐπὶ τῷ ὀνόματι, *& vocabant eum ſecundum nomen*, vel *de nomine patris ſui*, *Zachariam*. Vide etiam c. 5. v. 5.

X. PER, Act. 3. v. 16. καὶ ἐπὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, *& per fidem nominis ejus* (Chriſti), &c.

XI. PROPTER, Luc. 1. v. 29. *Quæ cum vidiſſet* (Vulg. *audiſſet*, pro ἰδοῦσα legebat ἀκούσασα, ut habent codd. quidam mſſ.) *turbata eſt* ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ, *propter ſermonem ejus*. Vide etiam c. 9. v. 43. Apoc. 1. v. 7. Heb. 7. v. 11. &c.

Huc etiam referunt illud Act. 11. v. 19. *Et illi quidem, qui diſperſi fuerant à tribulatione*, ſeu *perſequutione, quæ facta eſt* ἐπὶ Στεφάνῳ, *propter Stephanum*, vel *occaſione Stephani*.

Denique illa præpoſitio interdum abundat. Act. 10. v. 16. ἐπὶ τρὶς, Vulg. *per ter*, hoc eſt, ter. Vide inſuper 1. Cor. 8. v. 11.

IX. Κατά.

I. CONTRA, Rom. 8. v. 32. 1. Pet. 2. v. 11. &c.

II. AD, de loco, Luc. 10. v. 32. &c. De re, aut perſona, Act. 17. v. 28. *Sicut & quidam* τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν, *poëtarum veſtrorum dixerunt*.

III. IN pro εἰς, Marc. 14. v. 3. *Effudit illud* κατὰ τῆς κεφαλῆς, *in*, vel *ſuper caput ejus*. Vide etiam Gal. 2. v. 11. 2. Tim. 1. v. 1. &c. Pro ἐν, de loco, Act. 22. v. 19. &c. De tempore, Luc. 11. v. 3. &c. De re quacunque, Matth. 1. v. 20. κατ' ὄναρ, *in ſomno*, Heb. 11. v. 13. κατὰ πίστιν, *in fide*. Diſtributive, Marc. 15. v. 6. κατὰ ἑορτὴν, *in ſingulis feſtis*. Luc. 21. v. 11. κατὰ τόπους, *in ſingulis locis*. Act. 16. v. 5. καθ' ἡμέραν, *ſingulis diebus*, *quotidie*. 1. Cor. 16. v. 2. κατὰ μίαν σαββάτων, *primo quoque die Sabbathi*, ſeu hebdomadis. Vide etiam Tit. 1. v. 5. Act. 20. v. 20. &c. ubi *per* exponitur.

IV. EX, Marc. 5. v. 13. *Et impetu ruit ſe grex* κατὰ τοῦ κρημνοῦ, *ex præcipitio in mare*. Tit. 3. v. 5. κατὰ ἔλεον, *ex miſericordia*. Philem. v. 14. κατὰ ἀνάγκην, *ex neceſſitate*, &c.

V. PER, de loco, Act. 9. v. 42. καθ' ὅλης τῆς Ἰόππης, *per totam Joppen*. Vide etiam cap. 21. v. 21. De tempore, Apoc. 22. v. 2. κατὰ μῆνα ἕκαστον, *per ſingulos menſes*. De jurejurando, Heb. 6. v. 13. ὤμοσε καθ' ἑαυτοῦ, *juravit per ſemetipſum*. De cauſa & modo agendi, Marc. 1. v. 27. κατ' ἐξουσίαν, *per poteſtatem*. 1. Tim. 5. v. 21. κατὰ πρόσκλισιν, *per inclinationem*, h. e. ut reddit Vulg. *in alteram partem declinando*.

VI. ANTE, Luc. 2. v. 31. *Quod paraſti* κατὰ πρόσωπον, *ante faciem omnium populorum*.

VII. PROPTER, Philip. 4. v. 11. οὐχ ὅτι καθ' ὑστέρησιν λέγω, *non quaſi propter penuriam dico*.

VIII. DE, 1. Cor. 15. v. 15. ὅτι ἐμαρτυρήσαμεν κατὰ τοῦ Θεοῦ, *quoniam teſtimonium diximus de Deo*, &c. Vide etiam Tit. 1. v. 9.

IX. SECUNDUM, Luc. 6. v. 23. κατὰ ταῦτα γὰρ ἐποίουν τοῖς προφήταις οἱ πατέρες αὐτῶν, *ſecundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum*. Vide etiam Rom. 8. v. 1. cap. 9. v. 11. 2. Cor. 11. v. 29. 1. Tim. 1. v. 11. &c.

X. Inſervit periphraſi 1°. Adjectivi, Act. 25. v. 23. τοῖς κατ' ἐξοχὴν οὖσι τῆς πόλεως, *urbis proceribus*. 2. Cor. 8. v. 2. ἡ κατὰ βάθος πτωχεία, *profunda egeſtas*. 2°. Adverbii, κατὰ κράτος, *fortiter*, Act. 19. v. 20. καθ' ὃν τρόπον, *quemadmodum*, Act. 15. v. 11. κατ' ἰδίαν, *ſeorſim*, Marc. 9. v. 31. κατ' ὄνομα, *nominatim*, Joan. 10. v. 3. εἷς καθ' εἷς, *ſingulatim*, Marc. 14. v. 19. & Joan. 8. v. 9. ubi pro καθ' ἕνα legitur καθ' εἷς in nominandi caſu ex Hebræa dialecto, in qua nomina ſunt ἄκλιτα, *indeclinabilia*.

XI. In compoſitione, modo *contra* ſignificat, ut καταφρονεῖν, *contemnere*, Matth. 6. v. 24. κατηγορεῖσθαι, *accuſari*, cap. 27. v. 12. καταγινώσκειν, *condemnare*, 1. Joan. 3. v. 20. &c. Modo ſignificationem intendit, ut κατεσθίειν, καταφαγεῖν, *devorare*, Matth. 13. v. 4. c. 23. v. 14. Modo verbi ſimplicis ſignificationi nihil addit, ut καταγγέλλειν, *nuntiare*, Act. 13. v. 5. &c. κατακυριεύειν, *dominari*, Matth. 20. v. 25. &c. Confer Luc. 22. v. 25.

XII. Denique illa præpoſitio interdum deficit, ut Matth. 4. v. 15. ὁδὸν θαλάσσης, pro καθ' ὁδὸν, *ſecundum*, *juxta viam maris*.

X. Μετά.

I. CUM, Matth. 12. v. 30. &c.

II. APUD, Joan. 3. v. 26. *Magiſter, qui eras* μετὰ σοῦ, *apud te trans Jordanem*, &c.

Digitized by Google

quamvis vulgaris ſignificatio *cum* hîc etiam retineri poſſit.

III. CORAM, ANTE, Act. 2. v. 28. *Implebis me lætitia μετ̀ τοῦ προσώπου σου, coram vultu tuo*, h. e. coram te, ſeu cum intuebor te.

IV. INTER, Luc. 24. v. 5. *Quid quæritis viventem μετ̀ τῶν νεκρῶν, inter mortuos?*

V. PER, Act. 14. v. 27. *Retulerunt quanta feciſſet Deus μετ' αὐτῶν, per eos.* Vide etiam cap. 15. v. 4.

VI. CONTRA, Apoc. 11. v. 7. *Faciet bellum μετ' αὐτῶν, contra eos.*

VII. POST, Joan. 3. v. 22. Μετὰ ταῦτα, *Poſt hæc venit Jeſus*, &c. Vide Act. 7. v. 4. cap. 13. v. 15. cap. 28. v. 11. &c.

Interdum tamen μετ̀, cum de tempore ſermo eſt, ſignificat *intra.* Exempla vide in art. II. §. II. pag. 586. coll. 1. 2.

VIII. Cum infinitivo conſtructa exponitur *poſtquam*, & infinitivus in tempus finitum convertitur. Act. 7. v. 4. Μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τ̀ πατέρα αὐτοῦ, *poſtquam mortuus eſt pater ejus*, &c. Vide cap. 15. v. 13. &c.

IX. In compoſitione illa præpoſitio ſignificat 1°. *Trans*, ut μεταβαίνειν *tranſire*, Matth. 11. v. 1. &c. 2°. *Ad*, ut μετακαλεῖσθαι, *advocare, accerſere*, Act. 7. v. 14. 3°. *Circum*, ut μετάγω, *circumago*, μετάγεσθαι, *circumagi*, Jac. 3. vv. 3. 4. 4°. *Cum*, ut μετέχειν, *participare*, 1. Cor. 9. vv. 10. 12. &c.

XI. Παρά.

I. A, vel AB, Joan. 6. v. 45. &c.

II. AD, Matth. 15. vv. 29. 30. &c.

III. APUD, Luc. 1. v. 30. c. 5. v. 1. &c.

IV. JUXTA, Matth. 4. v. 18. c. 20. v. 30. &c.

V. IN, Matth. 13. vv. 4. 19. Joan. 14. v. 23. &c.

VI. PRÆTER, ULTRA, Luc. 3. v. 13. *Nihil amplius* παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν, πράσσετε, *præter*, vel *ultra id, quod vobis conſtitutum eſt, facite.* Vide etiam 1. Cor. 3. v. 11. &c.

VII. CONTRA, Act. 18. v. 13. παρὰ τ̀ νόμον, *contra legem hic perſuadet hominibus colere Deum.* Vide inſuper Rom. 1. vv. 25. 26. c. 4. v. 18. &c.

VIII. PRÆ, Luc. 13. v. 2. *Putatis, quod hi Galilæi* παρὰ πάντας τοὺς Γαλιλαίους, *præ omnibus Galilæis peccatores fuerint.* Vide etiam v. 4. Rom. 14. v. 5. Heb. 1. vv. 4. 9. &c.

IX. PROPTER, 1. Cor. 12. v. 16. οὐ παρὰ τοῦτο, *num propter hoc* (Vulg. *ideo*) *non eſt de corpore?*

X. MINUS, de numero; 2. Cor. 11. v. 24. *A Judæis quinquies quadraginta* (plagas) παρὰ μίαν, *una minus, accepi.*

XI. SUPRA, MAGIS QUAM, Rom. 1. v. 25. *Et ſervierunt creaturæ* παρὰ τ̀ κτίσαντα, *magis quam creatori.* Vide etiam cap. 14. v. 5. Heb. 1. v. 9.

In compoſitione ſignificat 1°. *Ad*, Matth. 2. v. 1. παραγίνομαι, *adſum.* 2°. *Trans*, Matth. 5. v. 2. παραβαίνω, *tranſgredior.* 3°. *Comparationem*, Matth. 4. v. 30. παραβάλλω, *confero, comparo.* 4°. Significationem auget, Matth. 1. v. 19. παραδειγματίζω, *ignominiæ expono.* Vulg. *traduco.*

XII. Περί.

I. DE. Joan. 1. v. 22. c. 5. v. 46. &c.

II. PRO, de utilitate. Matth. 26. v. 28. Marc. 14. v. 24. &c.

III. PER, Rom. 8. v. 3. περὶ ἁμαρτίας, *per peccatum condemnavit peccatum in carne*, hoc eſt, peccatum deſtruxit per carnem Chriſti, *quem fecit pro nobis peccatum*, h. e. hoſtiam pro peccato, 2. Cor. 5. v. ult. Tit. 2. v. 7. περὶ πάντα, *per omnia* (Vulg. *in omnibus*) *te ipſum præbe exemplum bonorum operum*, &c.

IV. PROPTER, Luc. 19. v. 37. περὶ πασῶν ὧν εἶδον δυνάμεων, *propter omnes, quas viderant, virtutes.* Vide etiam Joan. 6. v. 61. &c.

V. CONTRA, Joan. 6. v. 41. *Murmurabant ergo Judæi* περὶ αὐτοῦ, *contra illum*, &c.

VI. CUM, Act. 21. v. 8. *Altera autem die exeuntes* οἱ περὶ τ̀ Παῦλον, *qui erant cum Paulo*; quæ verba (*οἱ περὶ τ̀ Παῦλον*) Latinus interpres non reddidit, ut diximus ſupra pag. 425. col. 2. initio.

VII. CIRCUM, de loco, Act. 28. v. 7. Apoc. 15. v. 6. De tempore, Act. 22. v. 6. De alia re, 1. Tim. 6. v. 4.

In compoſitione ſignificat 1°. *Circum*, ut περιάγειν, *circumire*, Matth. 4. v. 23. 2°. Signi-

Digitized by Google

ficationem auget, ut: περίλυπος, *valde triſtis, admodum dolens*, &c.

XIII. Πρός.

I. AD, Joan. 14. v. 12. 1. Cor. 7. v. 3. &c.

II. APUD, Matth. 13. v. 56. Marc. 14. v. 49. &c.

III. PROPE AD, Joan. 18. v. 16. *Petrus autem ſtabat* πρὸς τῇ θύρᾳ ἔξω, *prope ad oſtium foris.*

IV. USQUE AD, Apoc. 1. v. 13. *Et præcinctum* πρὸς τοῖς μαστοῖς, *uſque ad*, vel ſimpliciter *ad*, *verſus mammas zona aurea.*

V. CONTRA, ADVERSUS, Luc. 20. v. 19. *Cognoverunt enim, quod* πρὸς αὐτοὺς, *adverſus ſe dixerit ſimilitudinem hanc.* Vide etiam Act. 9. v. 5. &c. & ſupra art. II. §. I. can. IV. pag. 585. col. 1.

VI. ERGA, 2. Tim. 2. v. 24. *Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe* πρὸς πάντας, *erga omnes.*

VII. DE, Heb. 1. v. 7. Καὶ πρὸς μὲν τοὺς ἀγγέλους λέγει, *Et de angelis quidem dicit*, &c. Vide etiam v. 8. c. 4. v. 13. &c. & ſupra art. II. §. I. can. IV. pag. 584. col. 1.

VIII. EX, Ephes. 3. v. 4. πρὸς ὃ, *ex quo*, Vulg. *prout poteſtis legentes intelligere*, &c.

IX. PRO, Act. 27. v. 34. τοῦτο γὰρ πρὸς τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ὑπάρχει, *hoc enim pro veſtra ſalute eſt.*

X. SECUNDUM, 2. Cor. 5. v. 10. πρὸς ἃ ἔπραξεν, *ſecundum ea, quæ fecit*; Vulg. *prout geſſit.* Vide etiam Gal. 2. vv. 2. 14.

XI. PROPTER, Matth. 19. v. 8. πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν, *propter duritiam cordis veſtri*, &c.

XII. CIRCITER, FERE, Luc. 24. v. 29. *Mane nobiſcum, quoniam* πρὸς ἑσπέραν ἐστὶ, *fere veſpera eſt.* Vulg. *adveſperaſcit.*

XIII. Illa præpoſitio in comparatione uſurpatur, Rom. 8. v. 18. *Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis*, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν, *comparatæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

XIV. Cum infinitivo conſtructa denotat 1°. Cauſam finalem, & exponitur per *ut.* Matth. 6. v. 1..... πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς, *ut videamini ab eis.* Vide etiam c. 13. v. 30. 2°. Quandoque eventum, Marc. 13. v. 22..... πρὸς τὸ ἀποπλανᾶν, *ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos*, hoc eſt, unde fiet ut ſeducantur, &c. 3°. Adjunctum aliquod, ſeu rei conditionem, Matth. 5. v. 28. *Qui viderit mulierem* πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, *ad concupiſcendam eam*, hoc eſt, ita ut eam concupiſcat.

XV. In compoſitione vel *ad* ſignificat, ut προσέρχεσθαι, *accedere*, Matth. 4. v. 3. προστίθεσθαι, *adjici*, cap. 6. v. 33. &c. Vel certum reſpectum addit verbo, ut προσαιτεῖν, *mendicare*, Marc. 10. v. 46.

XIV. Σὺν vel Ξύν.

I. CUM, Matth. 27. v. 38. &c.

II. PRO, Act. 14. v. 4. *Et alii quidem erant* σὺν τοῖς Ἰουδαίοις, *cum Judæis, alii vero* σὺν τοῖς ἀποστόλοις, *cum apoſtolis*, h. e. pro Judæis, pro apoſtolis.

III. APUD, Luc. 1. v. 56. *Manſit autem Maria* σὺν αὐτῇ, *apud eam*, Vulg. *cum ea tribus circiter menſibus.* Vide etiam Philip. 1. v. 23. ubi tamen σὺν exponi etiam poteſt *cum*, ut reddidit Vulg.

IV. Illa præpoſitio interdum deficit. Vide in artic. II. §. III. pag. 588. col. 2. Quandoque etiam deeſt apud profanos. Thucyd. πορευόμενος χιλίοις ὁπλίταις ἐς τὰ ἐπὶ Θρᾴκης, *profectus* (σὺν cum) *mille armatis in Thraciam.*

V. In compoſitione vel retinet ſignificationem *cum*, ut συνευδοκεῖν, *conſentire, comprobare*, Luc. 11. v. 48. Vel nihil ſignificat, ut συνήδομαι, *delector*, Rom. 7. v. 22. ubi tamen Vulg. *condelector* tranſtulit.

XV. Ὑπέρ.

I. PRO, notatque 1°. Cauſam, ut Philip. 2. v. 13. *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle & perficere*, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, *pro bona voluntate*, vel *pro beneplacito ſuo.* 2°. Commodum, ut Joan. 6. v. 51. *Caro mea, quam ego dabo* ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, *pro mundi vita.*

Rom. 5. v. 8. *Chriſtus* ὑπὲρ ἡμῶν, *pro nobis mortuus eſt*, &c. Et ſic in ſexcentis Scripturæ locis.

Huc

Digitized by Google

Huc pertinet Col. 1. v. 24. *Gaudeo in paſſionibus meis* ὑπὲρ ὑμῶν *pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea,* ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ, *pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* Chriſtus plene ſatisfecit pro nobis patri ſuo, nec quidquam deeſt paſſionum ex parte ejus; at deeſt aliquid ex parte membrorum, nempe fidelium, in quibus patitur, cum & ipſi patiuntur & exagitantur ab improbis. Unde Paulus eum perſequutus dicitur, cum in eum credentes inſectaretur, Act. 9. v. 4. Idem ex perſequutore factus apoſtolus, & Chriſti membrum, *adimplet*, melius ex mſ. noſtro cod. Sangermanenſi & Claromontano, *ſupplet*, quæ deſunt paſſionum Chriſti, cum in confirmandis in fide Coloſſenſibus patitur. Cum abundant in eo paſſiones Chriſti, & tribulatur pro Corinthiorum exhortatione & ſalute, 2. Cor. 1. vv. 5. 6. Cum pro Evangelio annuntiando laborat uſque ad vincula, & omnia ſuſtinet propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, 2. Tim. 2. vv. 9. & 10. &c.

II. SUPER. Tum de *loco*, tum de *ſtatu.* 1°. De loco, 1. Cor. 15. v. 29. *Quid facient, qui baptizantur* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *ſuper mortuos,* hoc eſt, mortuorum ſepulchra, ſupra quæ Chriſtianos olim baptizatos fuiſſe in ſignum fidei & confeſſionis de reſurrectione mortuorum ſcribit Glaſſius poſt Lutherum, Flaccium, &c. qui gratis id aſſerunt. Vide ſupra pag. 428. coll. 1. 2. aliam verſiculi hujus expoſitionem, quæ eſt doctiſſimi *Harduini* S. J. quamque ſequenti poſtponit in epiſtola ad nobiliſſ. virum D. *Delanghenmantel* Canonicum Auguſtanum, quæ exſtat in operibus ſelectis eruditiſſimi illius Jeſuitæ Amſtelodami MDCC. IX. editis, pag. 237. In ea itaque epiſtola ſic Paulinum iſtud comma aliter exponit: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt?* « h. e. qua ſpe ducuntur ii, qui immiſſis ab adverſariis fidei Chriſtianæ moleſtiis ærumniſque, iis veluti quadam aquarum mole perfunduntur, merguntur, obruuntur, pro incredulis, pro convertendis ad Deum Chriſtumque gentibus ac Judæis: qui hac veritatis luce deſtituti, vere pro mortuis habendi ſunt? Nam & vidua, *quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*, 1. Tim. 5. v. 6. » Deinde laudat Luc. 15. v. 32. Matth. 4. v. 16. Luc. 1. v. 79. Eph. 2. v. 1. cap. 5. v. 14. Rom. 6. v. 13. &c. quibus in locis vox *mortuus* metaphorice accipitur. Probat etiam verbum *baptizari* interdum eſſe metaphoricum, & in hujus rei confirmationem affert loca Luc. 12. v. 50. *Baptiſmo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor, uſque dum perficiatur?* Et Marc. 10. v. 38. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Baptiſmo autem, ſive aquis, calamitates, ærumnas, perpeſſiones, &c. ſignificari, paſſim in Scripturis legere eſt. Unum pro omnibus exemplum affert ſcriptor celeberrimus, nempe Pſal. 123. Heb. 124. vv. 4. 5. *Forſitan aqua abſorbuiſſet nos . . . . . Forſitan pertranſiiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.* Vox itaque *mortui*, quæ in hoc Apoſtoli contextu bis ponitur, metaphorice accipitur priori loco, poſteriori vero genuinum ſuum ſenſum retinet. Ceterum poſtrema illa expoſitio doctiſſimo ſuo auctori ſic arridet, ut præ illa ſe prioris pœnitere aſſerat.

Quandoquidem locus ille obſcuriſſimus eſt, duabus eruditiſſimi Harduini expoſitionibus tertiam juvat adjungere. Ea eſt veterum quorumdam interpretum, qui exiſtimant Paulum eo loci argumentari contra eos, qui reſurrectionem negabant, quam probat ex prava nonnullorum conſuetudine, qui pro mortuis non baptizatis baptizari ſe curabant, quaſi baptiſmus ille *vicarius*, ut eum appellat Tertullianus, illis ad peccatorum remiſſionem eſſet profuturus. Sic igitur ex illo baptiſmate, quod tamen non approbat, ratiocinatur Apoſtolus: ſi mortui non reſurgunt, quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis? Quid alieni corporis ablutio prodeſt corpori, quod nunquam eſt reſurrecturum? Baptiſmi hujus meminit Tertullianus, Epiphanius, aliique Patres antiqui, quos vide laudatos in ſpeciali diatriba, quam Doctiſſimus P. *Calmetus* ſuper hunc Pauli contextum edidit, & in qua 24. diverſas interpretum ſententias commemorat.

2°. De ſtatu, Matth. 10. v. 24. *Non eſt diſcipulus* ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον, *ſupra magiſtrum, nec ſervus* ὑπὲρ τὸν κύριον αὐτοῦ, *ſuper dominum ſuum.* Vide etiam v. 37. Act. 26. v. 13. 1. Cor. 4. v. 6. &c. In hac ſignificatione comparationibus etiam inſervit, Luc. 16. v. 8. *Filii hujus ſeculi prudentiores ſunt* ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς φωτός, *ſuper filios lucis*, h. e. filiis, vel quam filii lucis.

III. De. Rom. 9. v. 27. *Iſaias autem clamat* ὑπὲρ τοῦ Ἰσραήλ, *de Iſraël.*

2. Cor. 1. v. 6. *Et ſpes noſtra firma eſt* ὑπὲρ ὑμῶν, *de vobis.*

Ibid. c. 7. v. 4. *Multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio* ὑπὲρ ὑμῶν *de vobis*, Vulg. *pro vobis.*

Ibid. c. 8. v. 22. *Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum, quem probavimus in multis ſæpe ſolicitum eſſe ....* v. 23. *ſive* ὑπὲρ Τίτου, *de Tito*, Vulg. *pro Tito*, &c. v. 24. *Oſtenſionem ergo charitatis veſtræ & noſtræ gloriæ* ὑπὲρ ὑμῶν *de vobis*, Vulg. *pro vobis*, *in illos oſtendite in faciem Eccleſiarum.*

Ibid. c. 12. v. 5. Ὑπὲρ τοῦ τοιούτου καυχήσομαι· ὑπὲρ δὲ ἐμαυτοῦ οὐ καυχήσομαι, &c. *De hujuſmodi gloriabor: de me autem non gloriabor*, &c. Vulg. *pro hujuſmodi*, &c. *pro me*, &c. Vide etiam Philip. 1. v. 7.

Eodem modo hanc præpoſitionem explicat Flaccius, & poſt eum Glaſſius, 2. Theſſ. 2. v. 1. *Rogamus autem vos, fratres,* ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου ἡμῶν, *de adventu Domini noſtri J. C. & noſtra congregatione ad ipſum*, &c. h. e. adventum Domini, quod attinet, ne putetis eum inſtare, &c. Conf. verſ. 2. 3. 4. &c. Vulg. & alii interpretantur, *per adventum*, &c.

XVI. Ὑπό.

I. Sub, subter, de loco, Joan. 1. v. 49. &c. De ſtatu, ſeu ſubjectione, Matth. 8. v. 9. &c.

II. A, vel ab, cum verbis paſſivis & neutris, Matth. 2. v. 17. &c.

III. Per, de inſtrumento, Apoc. 6. v. 8. καὶ ὑπὸ τῶν θηρίων τῆς γῆς, *& per beſtias terræ.*

IV. In compoſitione ſignificat 1°. *Sub*, ut ὑποβάλλειν, *ſubjicere*, Act. 6. v. 11. 2°. *Iterationem*, ut ὑποστρέφειν, *reverti*, Luc. 1. v. 56. 3°. *Quidlibet aliud*, ut ὑπομένειν, *tolerare*, Matth. 10. v. 22. &c. ὑποκρίνεσθαι, *ſimulare*, Luc. 20. v. 20. &c.

CAPUT VIII.

De Conjunctione.

Conjunctio vel *enuntiativa* eſt, vel *ratiocinativa.*

Enuntiativa ea eſt, qua orationis partes cohærent; idque tum *affirmative*, & hæc conjunctio *copulativa* & *conditionalis* eſt: tum *oppoſite*, & iſta conjunctio *disjunctiva* & *adverſativa* dicitur.

Ratiocinativa eſt, qua enuntiationis, ſive orationis, pars alia ex altera ratiocinando velut aſſeritur; eſtque vel *cauſalis*, qua antecedentis cauſa redditur; vel *concluſiva*, qua ex antecedente conſequens concluditur.

Sex itaque numerantur conjunctionum ſpecies. Aliæ ſiquidem ſunt I. Copulativæ. II. Conditionales. III Disjunctivæ. IV. Adverſativæ. V. Cauſales. VI. Concluſivæ. Vide ſupra pagg. 383. 384.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De Conjunctione copulativa.

CANON I.

INTER conjunctiones copulativas primum locum obtinet ו, quod præterea in verbis mutat vulgo præteritum in ſignificationem futuri, & vice verſa, futurum in ſignificationem præteriti.

Motio genuina ו copulantis eſt ſchevá, ut diximus ſupra pag. 384. in appendice, quod ſchevá retinet ante præteritum, quod commutat in ſignificationem futuri (modo præteritum iſtud non incipiat à labiali; tunc enim ו fit ſchouréq: aut modo prima ejus litera non habeat (-), nam ו afficitur (-)) ut: וְעָבַר *& tranſibit Dominus*, Exod. 12. v. 23. וּפָחַד *& expaveſcet*, Iſai. 19. v. 16. וַעֲבַדְתֶּם *& ſervietis*, Exod. 23. v. 25. Si tamen præceſſerit aliud præteritum, aut futurum pro præterito poſitum, ו iſtud præterito præfixum, copulat tantum, non vero convertit. Iſai. 41. v. 4. מִי־פָעַל וְעָשָׂה *quis fecit & operatus eſt?*

Ante futurum, ו converſivum notatur cum (-); & præterea, ſyllabæ complendæ gratia, imprimit daghéſch forte characteriſticæ, quæ ſi fuerit א in quo, utpote gutturali, daghéſch iſtud non recipitur, pro (-) ו habet (-).

Exod. 12. v. 27. וַיִּקֹּד הָעָם וַיִּשְׁתַּחֲווּ *& inclinavit ſe populus, & adoravit.* Sic paſſim וַיְהִי *& fuit*, ſine daghéſch in (י), quia ex litera ſchevá affecta ſæpius excidit, & ſemper, aut ſaltem fere ſemper, ex iſto (י) tertiæ perſonæ futuri charactere. Vide ſupra p. 29. col. 1.

3. Reg. 8. v. 20. וָאֶבְנֶה *& ædificavi.*

Excipiuntur duo, in quibus ו iſtud ante א afficitur (-) loco (-), 2. Reg. 1. v. 10. וָאֲמֹתְתֵהוּ *& occidi illum.* Ezech. 16. v. 10. וָאֲכַסֵּךְ, *& operui te.* Sed poſſunt eſſe futura pro præteritis poſita, nec per ו converſa.

Quandoque etiam adverbium temporis אָז *tunc, tum*, futuro præpoſitum, illud in præteritum mutat, ut: Exod. 15. v. 1. אָז יָשִׁיר *tunc cecinit.* Deut. 4. v. 41. אָז יַבְדִּיל *tunc diviſit*, &c. Vide ſupra pag. 546. col. 1. in fine.

Interdum tamen ו illud copulat tantum & non convertit, Iſai. 5. v. 15. וַיִּשַּׁח *& incurvabitur homo*, וַיִּשְׁפַּל *& humiliabitur vir.* Vide v. 16. c. 22. v. 7. &c.

E contrario ו converſivum, in præterito & futuro, ea convertit ſolum, non vero copulat.

Gen. 22. v. 4. *Die autem tertio* וַיִּשָּׂא *ſuſtulit Abraham oculos ſuos*, &c.

Exod. 12. v. 15. *Quicumque comederit fermentatum*, וְנִכְרְתָה *peribit anima illa de Iſraël.* Vide Num. 14. v. 37. 2. Paral. 9. v. 1. Jerem. 28. v. 7. &c. Sic in initiis librorum, ut Ruth. 1. v. 1. וַיְהִי *fuit*, &c.

CANON II.

PRÆTER hunc copulandi & convertendi uſum, ו illud plurimis etiam aliis ſignificationibus inſignitur, ac ſignificat quidem

I. ETIAM. Prov. 24. v. 27. *Præpara foris opus tuum .... poſtea* וּבָנִיתָ *etiam ædificabis domum tuam.* Poſſet etiam ו ſpectari eo loci ut ſimpliciter convertens.

Oſe. 8. v. 6. *Quia ex Iſraël* וְהוּא *etiam ipſe eſt* (vitulus Samariæ in Dan & Bethel poſitus.)

II. SI. Exod. 12. v. 13. וְרָאִיתִי *ſi videro ſanguinem, tunc tranſibo*, &c.

Jud. 6. v. 13. וְיֵשׁ *ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Vide etiam Lev. 10. v. 29.

III. AUT. Exod. 12. v. 5. *Erit autem agnus abſque macula, maſculus, anniculus,* מִן־הַכְּבָשִׂים וּמִן־הָעִזִּים תִּקָּחוּ *ex ovibus, aut ex capris accipietis.*

Exod. 21. v. 15. *Qui percuſſerit patrem ſuum,* וְאִמּוֹ Lxx. ἢ μητέρα αὐτοῦ, Vulg. *aut matrem ſuam, morte moriatur.* Conf. Matth. 15. v. 4.

Deut. 17. v. 9. *Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis,* וְאֶל־ *aut ad judicem*, &c. Conf. v. 12. ubi pro ו habetur אוֹ *aut.* Alia exempla vide 2. Reg. 2. v. 19. *ad dexteram aut ad ſiniſtram*, Prov. 30. v. 8. *paupertatem aut divitias*, &c. Iſai. 7. v. 6. *aut ponamus regem*, &c.

Huc pertinet, ſecundum quoſdam interpretes, illud Judicum 11. v. 31. *Et erit, quod egredietur è foribus domus meæ in occurſum meum, cum revertar in pace à filiis Ammon,* וְהָיָה לַיהוָה וְהַעֲלִיתִיהוּ עוֹלָה *aut erit Domino, aut offeram illud in holocauſtum*, h. e. ſi fuerit homo, conſecrabitur Domino, & cultui ejus dicabitur; ſi fuerit animal, quod ex Lege immolari poteſt, immolabitur. Qui hanc explicationem ſequuntur, contendunt filiam Jephthæ combuſtam non fuiſſe, ſed cœlibatui perpetuo addictam. Id probant ex v. 37. *dimitte me, ut .... plangam virginitatem meam*, & v. 39. *Et fecit ei* (Pater) *ſicut voverat,* וְהִיא לֹא־יָדְעָה אִישׁ *& ipſa non cognovit virum*, quandiu vixit. Verſum autem quadrageſimum ſic exponunt: *Et conſuetudo ſervata eſt, ut poſt anni circulum conveniant in unum filiæ Iſraël,* לְתַנּוֹת *ad colloquendum*, ſeu *confabulandum, cum filia Jephthæ Galaaditæ, diebus quatuor.* Contrariam ſententiam tuentur quamplurimi SS. Patres cum Græci, tum Latini. Tertull. Athanaſius, Nazianzenus, Hieronymus, Ambroſ. Chryſoſt. Auguſt. Theodor. &c. Ita veteres Judæi, & Joſeph. lib. 5. antiq. c. 9. pag. 158. F edit. Genev. 1611. θύσας τὴν παῖδα ὡλοκαύτωσεν, *mactatam filiam in holocauſtum obtulit.* Ex hac hiſtoria nata eſt Iphigeniæ à patre ſacrificatæ fabula.

Apud profan. Virg. Æneid. l. 2. vv. 36. 37.
Aut pelago Danaûm inſidias, ſuſpectaque dona
Præcipitare jubent, ſubjectiſque urere flammis.

ubi conjunctio *que* ſignificat *aut*, ut ſenſus poſtulat. Si ו repetatur, per *ſive* exponitur. Exod. 21. v. 16. *Qui furatus fuerit hominem,* וּמְכָרוֹ וְנִמְצָא *ſive vendiderit eum, ſive deprehenſus fuerit in manu ejus, morte moriatur.*

IV. SED, AUTEM, VERO. Gen. 3. v. 3. וּמִפְּרִי *de fructu vero ligni*, &c. Sic c. 30. v. 30. c. 42. v. 10. Exod. 13. v. 18. c. 14. v. 8. Iſai. 9. vv. 9. 10. c. 29. v. 13. (confer Matth. 15. v. 8.) c. 53. v. 5. Zach. 8. v. 19. Malach. 1. vv. 2. 3. &c. In N. Teſtam. καὶ ſæpe hanc ſignificationem obtinet. Exempla vide infra in conjunctione adverſativa.

V. TAMEN, ATTAMEN. Pſal. 43. Heb. 44. v. 18. *Hæc omnia venerunt ſuper nos,* וְלֹא *neque tamen obliti ſumus te.* Vide etiam Exod. 5. v. 16. Job. 3. v. 26. Prov. 21. v. 2. Jon. 2. v. 6. &c.

VI. QUANVIS. Gen. 18. v. 27. *Loquar ad Dominum meum* וְאָנֹכִי *quanvis*, Vulg. *cum ſim pulvis & cinis.* Sic c. 48. v. 14. Vide etiam 2. Reg. 9. v. 11. 2. Paral. 30. v. 19. Zach. 12. v. 8. &c.

Act. 7. verſ. 5. *Et non dedit* (Deus) *illi* (Abrahamo) *hæreditatem in ea ....* καὶ ἐπηγγείλατο, *quanvis promiſiſſet ſe illam daturum ei*, &c. Vide etiam Luc. 18. v. 7. in καὶ μακροθυμῶν, *quanvis patientiam habeat*, i. tardus videatur in ulciſcendis eorum injuriis. Sic Heb. 3. v. 9.

VII. QUIA, ENIM, NAM. Gen. 14. v. 18. *At vero Melchiſedech proferens panem & vinum,* וְהוּא Lxx. ἦν δὲ, Vulg. *erat enim Sacerdos Dei altiſſimi*, &c.

Gen. c. 20. v. 3. *En morieris propter mulierem, quam tuliſti;* וְהִוא *quia juncta eſt marito.* Vulg. *habet enim virum.*

Iſai. 39. v. 1. *In illo tempore miſit Merodach ... munera ad Ezechiam;* וַיִּשְׁמַע *audierat enim, quod ægrotaſſet & convaluiſſet.* Vide 4. Reg. 20. v. 12. ubi pro ו ponitur כִּי *quia.* Vide inſuper Gen. 30. v. 27. Iſai. 33. v. 11. c. 64. v. 4. Pſal. 59. Heb. 60. v. 12. Pſal. 107. Heb. 108. v. 13. &c.

Sic in N. Teſtam. Luc. 6. v. 32. καὶ, *nam ſi diligitis eos, qui vos diligunt*, &c.

VIII. UT. Exod. 7. vv. 16. 26. *Dimitte populum meum,* וְיַעַבְדֻנִי Lxx. ἵνα μοι λατρεύσῃ,

Vulg. *ut mihi ſerviat.* Vide etiam cap. 5. v. 1. 1. Reg. 20. v. 16. &c.

Thren. 1. v. 19. *Quæſierunt cibum ſibi* וְיָשִׁיבוּ *ut reſocillarent animam ſuam.* Cap. 3. v. 26. טוֹב וְיָחִיל *bonum eſt ut exſpectet*, &c. Vide etiam Jon. 1. v. 11. Iſai. 53. v. 2. Oſe. 2. v. 2. &c.

IX. ITAQUE. Amos 5. v. 27. וְהִגְלֵיתִי *itaque migrare vos faciam*, &c. Sic Pſal. 2. v. 10. Ezech. 18. v. ult. &c. Marc. 6. v. 12. καὶ ἐξελθόντες, *itaque exeuntes*, &c. Vide c. 10. v. 26. 1. Cor. 5. v. 12. cap. 6. v. 2. c. 12. v. 26. Gal. 4. v. 7. &c.

X. CUM. Gen. 46. v. 1. *Profectus eſt itaque Iſraël*, וְכָל *cum omnibus, quæ habebat*, Vulg.

1. Reg. 14. v. 18. *Erat enim arca Dei in die illa*, וּבְנֵי *cum filiis Iſraël*, Vulg. Sic etiam Chald. qui interpretatur עִם *cum.* Vide etiam 2. Reg. 8. v. ult. & conf. c. 20. v. 23.

XI. TUNC. Gen. 3. v. 5. *Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo*, וְנִפְקְחוּ *tunc aperientur oculi veſtri*, &c. Vulg. non expreſſit ו quod poteſt eo loci tantum convertere. Vide c. 18. v. 10. Exod. 7. v. 9. Lev. 26. v. 2. 1. Reg. 12. v. 15.

Luc. 2. v. 15. *Et cum diſcederent ab eis angeli in cœlum*, καὶ, *tunc paſtores dicebant*, &c.

Cap. 21. v. 25. καὶ ἔσται, *tunc erunt ſigna in ſole & luna*, &c. tranſit Chriſtus ab excidio Jeroſolymitano ad extremi Judicii vaticinium.

XII. DONEC. Gen. 18. vv. 4. 5.... *requieſcite ſub arbore*, וְאֶקְחָה *donec accipiens afferam fruſta panis.* Vide etiam 1. Sam. 14. v. 25.

XIII. QUUM, QUANDO. Gen. 47. v. 30. וְשָׁכַבְתִּי *quum dormiero cum patribus meis*, וּנְשָׂאתַנִי *tunc tolles me ex Ægypto.*

2. Eſd. 2. v. 6. *Et miſit me* (rex) וָאֶתְּנָה *poſtquam dediſſem ei tempus*, h. e. cum certum reditus mei tempus ipſi deſignaſſem. Vide Zach. 7. v. 2. c. 14. v. 4. &c.

Marc. 15. v. 25. *Erat autem hora tertia*, καὶ, *cum crucifixerunt eum* (Chriſtum), h. e. hora tertia deſinens, & incipiens ſexta; nam Joan. 19. v. 14. à Pilato condemnatus eſt circa horam *quaſi* ſextam, incipientem ſcilicet, quæque noſtræ horæ duodecimæ reſpondet. Judæi enim diem ab ortu ſolis ad occaſum, in quatuor partes ſeu horas dividebant, & earum quælibet tribus horis conſtabat. Prima pars ſive prima hora incipiebat oriente ſole, & durabat ad horam nonam ubi incipiebat *tertia* Judæorum. Secunda pars ab hora nona, ſeu *tertia* Judæorum, ad horam duodecimam, ſeu meridiem à quo initium ducebat *ſexta* Judæorum. Tertia pars ab hora duodecima, ſeu *ſexta* Judæorum, ad horam tertiam pomeridianam, quæ erat initium *nonæ* Judæorum. Quarta denique pars incipiebat ab hora tertia pomeridiana, ſive *nona* Judæorum, & ad ſolis occaſum deſinebat. Chriſtus itaque cruci affixus fuit hora circiter duodecima, in qua deſinebat tertia Judæorum, & incipiebat ſexta. Sic nox in quatuor vigilias dividebatur. Prima incipiebat ab occaſu ſolis ad horam nonam. Secunda ab hora nona, ad duodecimam, ſive mediam noctem. Tertia ab hora duodecima, ſive media nocte, ad tertiam poſt mediam noctem. Quarta denique ab hora tertia poſt mediam noctem, ad ortum ſolis. Judæi, cum penes ipſos erat jus armorum, noctem in tres tantum vigilias dividebant, quarum ſingulæ quatuor horis conſtabant: at poſtquam ſub Romanorum ditione fuerunt, eorum diviſionem ſequuti ſunt. Vigiliæ autem ab arte militari dictæ ſunt, quod vigiles quater in nocte, hoc eſt, ſingulis ternis horis mutarentur. Ex his porro liquet (ſi æquinoctiorum tempus excipias) noctis horas duodecim inæquales fuiſſe, utpote quæ breviores eſſent in æſtate, in hyeme longiores. Sic horæ diei longiores erant in æſtate, in hyeme breviores. De his fuſius in Kalendatio Judaïco, quod in alterius tomi libro tertio deſcribetur.

XIV. SIC, in comparationis ἀποδόσει. Vide pag. 578. col. 1.

XV. IMO, QUIN. Prov. 6. v. 16. *Sex ſunt, quæ odit Dominus;* וְשֶׁבַע *imo ſeptem deteſtatur anima ejus*; æque enim coram Deo abominabilia ſunt ſcelera, quæ priori ſenario continentur, atque illud, quod ſeptimo loco ponitur. Vide etiam c. 30. vv. 15. 18. Pſal. 7. v. 5. וָאֲחַלְּצָה *quin eripui hoſtiliter inſequentem me immerito.* Innuit David occaſiones quibus Saülem occidere potuiſſet, quæque narrantur 1. Reg. 24. v. 6. ſeqq. c. 26. v. 9.

Act. 7. v. 43. καὶ ἀνελάβετε, *imo ſuſcepiſtis*, vel *bajulaſtis tabernaculum Moloch.*

XVI. Nempe. Jerem. 40. v. 8. *Et venerunt ad Godoliam in Miſpa, & Iſmaël filius Nathaniæ*, &c. h. e. nempe Iſmaël, &c.

XVII. Inquam. Gen. 14. v. 23. *Si accepero à filo uſque ad corrigiam caligæ*, וְאִם *ſi, inquam, accepero ex omnibus, quæ tua ſunt*, &c. Vulg. *non accipiam*, idem ſenſus, juramentum enim negationem hic includit.

Iſai. 55. v. 1. *Properate, emite, & comedite*, וּלְכוּ *properate, inquam, emite abſque argento.*

Cap. 57. v. 17. הַסְתֵּר וְאֶקְצֹף *abſcondendo me, inquam, indignatus ſum*, ſeu *efferbui.*

XVIII. Id est, cum aliquid clarius exponitur. Gen. 35. v. 12. *Terram, quam dedi Abraham & Iſaac* (i. daturum me promiſi) *dabo tibi*, וּלְזַרְעֲךָ *id eſt, ſemini tuo poſt te.* Sic Lev. 5. v. 1. *Et anima, cum peccaverit*, וְשָׁמְעָה *id eſt, audierit vocem juramenti*, &c.

Num. 31. v. 6. *Et vaſa ſancta*, וַחֲצֹצְרוֹת *id eſt, tubæ clangoris in manu ejus* (erant).

1. Reg. c. 28. v. 3. *Et ſepelierunt eum* (Samuelem) *in Rama* וּבְעִירוֹ, *id eſt, in urbe ſua.* Vulg. *in Ramatha urbe ſua.* Alia exempla vide 1. Reg. 17. v. 40. 2. Reg. 17. v. 12. Iſai. 57. v. 18. Jerem. 34. v. 21. Oſe. 2. v. 15. Zach. 1. v. 4.

Matth. 13. v. 41. *Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala*, καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν, *id eſt, eos, qui faciunt iniquitatem.* Alii per *ſcandala* eos intelligunt, qui à fide deflectunt, ac prava dogmata diſſeminant; per *facientes* vero *iniquitatem*, eos, qui Chriſtianam profeſſionem morum corruptelis dedecorant.

Joan. 10. v. 33. *De bono opere* (ob bonum opus) *non lapidamus te, ſed de blaſphemia* (ob blaſphemiam), καὶ, *id eſt, quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum.* Sic Col. 2. v. 8.

Apud profanos. Heſiod. l. 2. ἔργ. ἄστρῳ καὶ κυνὸς ἀρχομένοιο, *ſidere, id eſt, cane exoriente.* Virg. l. 1. Æneid. verſ. 31.

Judicium Paridis, ſpretæque injuria formæ. id eſt, ſpretæ injuria formæ.

XIX. Qui, quæ, quod. Vide ſupra pag. 507. col. 1. in can. IV.

XX. An? utrum? nunquid? Ezech. 18. v. 13. . . . וָחָי *an vivet?* Vide etiam v. 24.

XXI. ו interdum *deficit*, interdum *abundat.*

Deficit. 1. Reg. 4. v. 8 *Hi ſunt Dii, qui percuſſerunt Ægyptum*, ſive *Ægyptios, in omni plaga* (in Ægypto), בַּמִּדְבָּר *in deſerto*, pro וּבַמִּדְבָּר, Lxx. καὶ ἐν τῇ ἐρήμῳ, *& in deſerto*, hoc eſt, in mari rubro, quod deſerto adjacet.

Pſal. 132. Heb. 133. v. 3. *Sicut ros Hermon*, שֶׁיֹּרֵד *qui deſcendit in montem Sion*, h. e. & ſicut ros, qui deſcendit in montem Sion. Mons Hermon eo loci non is eſt, qui ad fines ſeptentrionales terræ Iſraëliticæ ſitus eſt, quique centum milliarium Romanorum ſpatio à monte Sion diſtat, unde æſtivæ nives Tyrum ſolebant deferri, teſte Hieronymo, & in quem proinde ros non deſcendebat: ſed Hermon iſte non longe eſt à monte Thabor. Tanta in eum roris copia decidit, ut *Maundrellus* ſcribat ſe, cum his in locis pernoctaret, abunde didiciſſe quid eſſet ros Hermon, qui tentoria ipſius adeo copioſe perfuderat, ac ſi tota nocte pluiſſet. Vide doctiſſimum *Relandum* tom. 1. Palæſt. Sacræ, pagg. 325. 326. à quo hæc mutuati ſumus. Idem conjicit montem Sion, in quem ros Hermonis deſcendit, eſſe שִׁיאֹן Joſ. 19. v. 19. in tribu Iſſachar, non longe ab Hermone monti Thabor vicino. Cum literæ ש & צ facile commutentur, ſcribi potuit צִיּוֹן pro שִׂיאֹן aut שִׁיאֹן. Vide etiam ſupra in nom. proprio pag. 444. col. 1. Iſai. 63. v. 11. *Et recordatus eſt* (Dominus) *dierum ſæculi, Moyſi*, עַמּוֹ *populi ſui*, h. e. *& populi ſui*, Vulg. Apud Lxx. vacat *Moyſi* & *populi ſui.* Hab. 3. v. 11. *Sol, luna ſteterunt in habitaculo ſuo*, h. e. *ſol & luna*, ut conjunctionem ſupplent Lxx. & Vulg.

Abundat ו,

1°. Quando ſolummodo convertit futurum in præteritum, & vice verſa, non vero copulat. Vide ſupra pag. 611. col. 2.

2°. Quando aliis vocibus præfigitur. Gen. 20. v. 16. וְאֵת כֹּל וְנֹכַחַת, *& coram omnibus & reprehenſa fuit* (Sara), hoc eſt, reprehenſa fuit, vel eſto, ſine conjunctione &. Vulg. *mementoque te deprehenſam.* Addidit *mementoque* ad ſenſum explendum, ait Mercerus.

Digitized by Google

Lxx. ϰ̀ πάντα ἀληθευον, *& omnia vere dicito*, h. e. dicito verum deinceps, neque te ſororem Abrahami dixeris, cum ſis uxor illius. נֹכַחַת deducebant à נָכַח inuſitat. unde נְכֹחָה *æquitas, rectum, verum.* Qui vero interpretantur *& reprehenſa fuit*, vocem hanc derivant à יָכַח *arguit, reprehendit*, unde in tertia perſ. ſing. fem. præt. niphal ex forma Chald. ſupra p. 407. col. 2. in fine, נֹכָחַת & in pauſa נֹכָחַת. Aliis eſt bénoni ſingul. fem. ejuſdem conjug. ex forma ת præcedente duplici (-) pro duplici (·) ob tertiam rad. ח, & mutato priori (-) in (·) ob pauſam.

Levit. 7. v. 16. *Et die poſtero* וְהַנּוֹתָר *reliquum ex eo comedetur.*

2. Reg. 13. v. 20. *Manſit itaque Thamar* וְשֹׁמֵמָה *deſolata*, Vulg. *contabeſcens in domo Abſalom fratris ſui.* Alia exempla vide c. 15. v. 34. וַאֲנִי *ego.* Job. 23. v. 12. וְלֹא *non.* Pſal. 4. v. 4. וּדְעוּ *ſcitote.* Eccle. 5. v. 6. וַהֲבָלִים *vanitates.* Iſai. 9. v. 7. וְלָכֵן *idcirco.* Amos. 4. v. 10. וּבְאַפְּכֶם *in naſum veſtrum*, &c.

Matth. 9. v. 10. *Et factum eſt diſcumbente eo in domo, ϰ̀ ἰδὺ, ecce multi publicani*, &c. ubi ϰ̀ redundat; quare ab interpt. Latino negligitur. Vide etiam cap. 28. v. 9. Luc. 23. v. 51. Joan. 6. v. 51. Act. 1. v. 10. 1. Cor. 10. vv. 6. 9. (& confer vv. 7. 8.) 1. Joan. 1. v. 3. Jac. 2. v. 4.

3°. Sæpe ו pleonaſtice ponitur in initiis librorum, capitum, & quarumlibet ſententiarum, ubi non copulat, ſed inchoat ſermonem, idque ex uſu & proprietate Linguæ Sanctæ; quare à Qimhhi in libro Radicum vocatur וָו תְּחִלַּת הַדְּבָרִים *vav principium verborum.* Incipiunt autem ab hac litera *Exodus, Leviticus, Joſue, Judices, Ruth, quatuor libri Regum, ſecundus Paralipom. Eſdras, Eſther, Ezechiel, & Jonas.* Vulgo etiam narrationes hiſtoricæ incipiunt à וַיְהִי *& fuit*, & plurima capita ſunt, quorum ſinguli verſus ab hac litera incipiunt.

Hæc de multiplici uſu præfixi ו, quod, ut mox vidimus, per omnes fere orationis partes vagatur; unde à quibuſdam, nec male, *Proteus* appellatur.

CANON III.

Pro conjunctione copulativa aliæ interdum uſurpantur particulæ.

I. Relativum אֲשֶׁר *qui, quæ, quod.* Eccle. 5. v. 17. *Hoc itaque viſum eſt mihi* טוֹב אֲשֶׁר־יָפֶה *bonum & pulchrum comedere*, &c. pro וְיָפֶה.

Oſe. 12. v. 9. ... *in omnibus laboribus meis non invenient* עָוֹן אֲשֶׁר־חֵטְא *iniquitatem & peccatum*, i. non invenietur. Vulg. *iniquitatem, quam peccavi*, videtur legiſſe חָטָאתִי *peccans fui.* Sic etiam Lxx. ſed verterunt in 3. perſ. δἰ ἀδικίας ἃς ἥμαρτεν, *propter iniquitates, quas peccavit.*

II. Præpoſitio עִם *cum.* 1. Reg. 16. v. 12. *Erat autem* (David) *rufus* עִם־יְפֵה *& pulcher aſpectu*, Vulg. Sic c. 17. v. 42.

Nah. 3. v. 12. *Omnes munitiones tuæ* (ſunt ſicut) *ficus*, עִם־בִּכּוּרִים *& primitivi fructus; ſi concuſſæ fuerint* (ficus illæ), *cadent in os comedentis.* Sic pari facilitate munitiones tuæ corruent ante hoſtes tuos, cum te in obſidione concutient.

CANON IV.

In copulativa enuntiatione contingit quandoque ἀσύνθετον, ſeu copulativa omittitur in pluribus membris, cum vel ſemel poni debuiſſet. E contrario quandoque πολυσύνθετον eſt, ſeu pluries quam neceſſe erat, conjunctio copulativa repetitur.

I. Conjunctio omittitur. Exod. 15. v. 9. *Dixit inimicus: perſequar, comprehendam, dividam ſpolia, implebitur*, ſeu *explebitur eis anima mea, evaginabo gladium, interficiet eos manus mea*; pro *perſequar & comprehendam*, Vulg. Hoc aſyntheto hoſtium victoriam ſibi polli-

Digitized by Google

centium confidentia innuitur. Alia exempla vide Jud. 5. v. 27. 1. Reg. 15. v. 6. 1. Cor. 12. v. 4. ſeqq. 1. Theſſ. 5. v. 14. ſeqq.

II. Conjunctio repetitur. Gen. 25. v. 34. *Et Jacob dedit Eſavo panem, & juſculum*, ſeu *edulium lentium, & comedit ille, & bibit, & ſurrexit, & abiit, & contemſit Eſau primogenita ſua.* Vide c. 43. v. 8. Joſ. 7. vv. 11. 24. 4. Reg. 2. v. 14. Pſal. 106. Heb. 107. v. 35. ſeqq. Iſai. 37. v. 37. Joan. 10. vv. 27. 28. 1. Cor. 13. vv. 1. 2. 3. &c.

Conjunctionis copulativæ repetitio diſtributionem nonnunquam denotat. Pſal. 75. Heb. 76. v. 7. *Ab increpatione tua, Deus Jacob*, נִרְדָּם וְרֶכֶב וָסוּס *conſopitus eſt & currus & equus*, h. e. cum currus, tum equus. Seu conſopiti ſunt, vel perierunt tam qui currus, quam qui equos aſcendebant. Aq. ἀπὸ ἐμβριμήσεως (al. ἐπιτιμήσεως) θεὲ Ἰακὼβ, κατεφέρετο καὶ ἅρμα, καὶ ἵππος, *à fremitu* (al. *ab increpatione*), *Deus Jacob, dejiciebatur & currus & equus.* Symm. ἀπὸ ἐμβριμήσεώς σου, θεὲ Ἰακὼβ, ἐκαρώθη καὶ ἅρμα, καὶ ἵππος, *à fremitu tuo, Deus Jacob, ſoporatus eſt & currus & equus.* LXX. ἀπὸ ἐπιτιμήσεώς σου, ὁ θεὸς Ἰακὼβ, ἐνύσταξαν οἱ ἐπιβεβηκότες τοὺς ἵππους, Vulg. Lat. *ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt* [*omnes*] *qui aſcenderunt equos.* Pro וְרֶכֶב וָסוּס videntur legiſſe רֹכְבֵי סוּס (qui) *aſcendent equum*, i. aſcendunt, vel aſcendebant, cum (י) loco prioris ו, poſteriori ו conjuncto cum voce præcedenti, & mutato ſingulari in pluralem numerum. S. Hieron. *Ab increpatione tua, Deus Jacob, conſopitus eſt currus & equus.* Neglexit prius ו, quod ſupervacaneum eſſe docet etiam R. Salomon.

Gen. 36. v. 24. *Et filii Sebeon* וְאַיָּה וַעֲנָה *& Aiia & Ana.* Vulg. *Aia & Ana*, omiſſo priori ו. Vide etiam Ezech. 42. v. 11.

CANON V.

CONJUNCTIO copulativa non ſolum conjungit, ſed interdum in eo, cui additur, ſingulare aliquid deſignat, & per adverbia *maxime, præſertim, potiſſimum*, &c. exponenda eſt.

Joſ. 2. v. 1. *Ite & conſiderate terram, & Jericho*, h. e. & potiſſimum Jericho.

2. Eſd. 8. v. 15. *Ut prædicent in univerſis urbibus, & in Jeruſalem*, h. e. præſertim in Jeruſalem. Alia exempla ſunt 2. Reg. 2. v. 30. 2. Paralip. 26. v. 10. Pſal. 17. Heb. 18. v. 1. Jerem. 4. v. 3. Soph. 1. v. 4. Zach. 2. v. 2. Prov. 6. v. 16. de quo ultimo loco vide ſupra pag. 613. col. 1.

Marc. 16. v. 7. *Sed ite, dicite diſcipulis ejus, & Petro*, h. e. & cumprimis Petro. Vide etiam c. 3. vv. 7. 8. Act. 1. v. 14. c. 26. v. 22. 1. Cor. 9. v. 5.

Sic in profanis. Virg. Æneid. 3. v. 87.

..... *relliquias Danaûm, atque immitis Achillei.*

Conjunctio copulativa quandoque affectum emphatice exprimit, ac inſtar *interjectionis* eſt.

Act. 23. v. 3. καὶ, *& tu ſedens judicas me*, &c. ubi affectus Pauli indignantis exprimitur. Vide etiam 2. Cor. 2. v. 2.

Virg. Æneid. l. 1. v. 52.

.... *& quiſquam numen Junonis adoret Præterea?*

CANON VI.

COPULATIVÆ אַף & גַּם *etiam*, præter copulandi officium, quandoque non carent emphaſi; eaque de iis in ſpecie notanda ſunt.

I. Augendæ & intendendæ ſententiæ inſerviunt. Gen. 18. v. 23. הַאַף *an etiam perdes juſtum cum impio?* Vide etiam cap. 31. v. 15. Levit. 26. vv. 28. 29.

Sic in N. Teſt. καὶ *&*, *etiam*. Apoc. 1. v. 7. *Et videbit eum* (Jeſum) *omnis oculus*, καὶ *etiam qui eum pupugerunt*. Cap. 2. v. 13. *neque negaſti fidem meam*, καὶ *etiam in diebus illis*, &c. Vide etiam Matth. 10. v. 30. καὶ *etiam capilli*, &c. Luc. 19. v. 42. *Quia ſi cognoviſſet* καὶ σὺ, *etiam tu*, &c.

II. אַף כִּי in collatione rerum affirmativa, valet *quanto magis*; in negativa, *quanto minus*.

In affirmativa. Deut. 31. v. 27. *Adhuc vivente me .... ſemper contentioſe egiſtis contra Dominum*: וְאַף כִּי *quanto magis cum mortuus fuero*. Sic 1. Reg. 14. v. 30. Prov. 11. v. 31. cap. 15. v. 11.

In negativa. 3. Reg. 8. v. 27. *Si cælum & cæli cælorum te capere non poſſunt*: אַף כִּי *quanto minus domus hæc, quam ædificavi?* Sic Job. 9. v. 14.

Extra comparationem, אַף כִּי ſignificat *eo quod*, *quia*. Prov. 21. v. 27. *Hoſtiæ impiorum abominabiles* (ſunt coram Domino) אַף כִּי בְזִמָּה *quia in ſcelere*, Vulg. *ex ſcelere offeruntur*.

Gen. 3. v. 1. אַף כִּי varie ab interpretibus redditur. Lxx. τί ὅτι, Vulg. *cur præcepit vobis Deus*, &c. Chald. בְּקוּשְׁטָא *in veritate*, *verumne eſt*, *quod præcepit vobis Deus*, &c. Interpretationum illarum alterutram ſequuntur doctiores.

גַּם כִּי *etiam quia*, ſignificat quoque *etiamſi*, *etſi*, *quamvis*. Pſal. 22. Heb. 23. v. 4. גַּם כִּי *etiamſi ambulavero in medio umbræ mortis*, &c. Et ſola conjunctio גַּם, Pſal. 94. Heb. 95. v. 9. *ubi tentaverunt me patres veſtri*, *probaverunt*, ſeu *tentaverunt* (me inquam), גַּם *etiamſi vidiſſent opera mea* plena prodigiis; quomodo ſcilicet eduxiſſem eos ex *Ægypto*, ſcidiſſem mare, manna pluiſſem, petram rupiſſem, &c. Eodem ſenſu exponendum eſt καὶ, in hoc verſiculo, qui Heb. 3. v. 9. ab Apoſtolo laudatur.

III. גַּם *etiam* interdum repetitur, nec ſine emphaſi. Gen. 50. v. 9. *Habuit quoque* (Joſeph) *in comitatu* גַּם רֶכֶב גַּם פָּרָשִׁים *etiam currum*, (Vulg. *currus*,) *etiam equites*, h. e. tum currus, tum equites. Sic Exod. 12. v. 31.

Conjunctio אַף interdum cum altera ו pleonaſtice conjungitur. Levit. 26. v. 42. *Et recordabor fœderis mei* (cum) *Jacob*, וְאַף *& etiam fœderis mei* (cum) *Iſaac*, וְאַף *& etiam fœderis mei* (cum) *Abraham*, h. e. *cum Jacob*, *& Iſaac*, *& Abraham*, Vulg. Ad duas illas conjunctiones interdum accedit tertia גַּם, Ibid. v. 44. וְאַף גַּם־זֹאת *& etiam quoque hoc*, pro, attamen.

Sic apud profanos conjunctio *etiam* interdum abundat. Terent. Hecy. Act. 5. Scen. 1. v. 7. *Ego pol quoque etiam timida ſum*, &c. v. 35. *Ego quoque etiam credidi.*

ARTICULUS II.

De Conjunctione conditionali.

CANON I.

PRO conjunctione conditionali *ſi*, aliæ orationis partes interdum uſurpantur.

I. In Veteri Teſtamento pronomen relativum אֲשֶׁר *qui*, *quæ*, *quod*. Levit. 4. v. 22. אֲשֶׁר נָשִׂיא יֶחֱטָא, Lxx. ἐὰν ὁ ἄρχων ἁμάρτῃ, Vulg. *ſi peccaverit princeps*, &c. Conf. vv. 3. 27. ubi in ſimili loquutione eſt אִם. Vide etiam Exod. 21. v. 13. Deut. 11. v. 27. (& confer v. 28. ubi pro אֲשֶׁר legitur אִם). 3. Reg. 8. v. 31. אֵת אֲשֶׁר *ſi peccaverit quis in proximum ſuum*, &c. cujus loco 2. Paral. 6. v. 22. habetur אם *ſi*.

II. In N. Teſt. μήποτε *ne quando*, interdum accipitur pro εἴποτε, *ſi quando*, vel εἰ ἄρα, *ſi forte*; tuncque negativa particula affirmative intelligenda eſt. Luc. 3. v. 15. *Exiſtimante autem populo*, *& cogitantibus omnibus in cordibus ſuis*, μήποτε, *ne forte ipſe eſſet*

Chriſtus, hoc eſt, ſi forte, num ipſe eſſet Chriſtus. Vide 2. Tim. 2. v. 25.

Huic ſimile eſt εἰ δὲ μήγε, *quod ſi non*, quæ voculæ ſubjiciuntur non ſolum affirmativis ſententiis, ut Luc. 10. v. 6. Joan. 14. vv. 2. 11. Apoc. 2. vv. 5.16. verum etiam negativis, ubi contra quam ſonant, affirmative accipiendæ ſunt. Matth. 9. v. 17. *Neque mittunt vinum novum in utres veteres*, εἰ δὲ μήγε, *quod ſi non, rumpuntur utres*, &c. hoc eſt, *ſin autem*, vel ut Vulg. *alioquin*, ſive *quod ſi* nimirum mittant vinum novum, &c. Sic Matth. 6. v. 1. Marc. 2. vv. 21. 22. 2. Cor. 11. v. 16.

III. In eod. Novo Teſt. ὅταν *cum*. Luc 17. v. 10. *Sic & vos*, ὅταν *cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus*, &c. h. e. ſi feceritis; ad eam enim perfectionem in hac vita perveniri non poteſt.

CANON II.

CONDITIONALIS *ſi* aliam quandoque ſignificationem obtinet, poniturque ſæpiſſime,

I. Pro adverbio interrogandi. Jud. 9. v. 2. *Quid vobis eſt melius, ut dominentur veſtri ſeptuaginta viri, omnes filii Jerobaal*, אִם *an ut dominetur unus vir?*

Job. 6. v. 5. אִם *an mugiet bos, cum ante præſepe plenum ſteterit?* Vide vv. 6. 12. c. 7. v. 12. c. 10. vv. 4. 5. Iſai. 66. v. 9. Thren. 5. v. ult. Et cum præfixo ה interrogativo, Job. 6. v. 13. הַאִם *nonne* אֵין *nullum auxilium meum in me eſt?* h. e. omni prorſus auxilio deſtituor. Vulg. *Ecce non eſt auxilium mihi in me*, Quidam è contrario hæc affirmative accipiunt, *nunquid non auxilium meum in me eſt?* ſed ſenſus Vulg. commodior videtur,

In N. Teſt. Matth. 12. v. 10. cap. 19. v. 3. εἰ ἔξεστιν, *ſi licet*, h. e. an licet? Vide Marc. 15. v. 44. Luc. 13. v. 23. cap. 14. v. 3. c. 22. v. 49. Act. 1. v. 6. c. 4. v. 19. c. 19. v. 1. Phil. 1. v. 21. &c. Et ſic etiam apud profanos,

II. Pro adverbio negandi, quod fit in formulis juramenti ellipticis, cum membrum orationis conditionalis, quod mali imprecationem continet (ſi jurans fallat), per apoſiopeſin reticetur; tuncque conditionalis, ſenſum quod attinet, idem eſt ac *non*. Gen. 14. v. 22. *Levo manum meam ad Dominum*, &c. id eſt, juro. V. 23. אִם *ſi à filo uſque ad corrigiam caligæ*, וְאִם *ſi, inquam, accepero ex omnibus, quæ tua ſunt*, h. e. juro quod *non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt*, Vulg. 3. Reg. 1. v. 51. *Juret mihi rex Salomon hodie*, אִם *ſi interficiet ſervum ſuum gladio*, h. e. *quod non interficiat*, Vulg. Alia exempla vide Gen. 21. v. 23. cap. 26. v. 29. Deut. 1. v. 34. Jud. 5. v. 8. 1. Reg. 3. v. 14. Pſal. 94. Heb. 95. v. 11. &c.

In N. Teſt. Marc. 8. v. 12. *Amen dico vobis, ει ſi dabitur generationi iſti ſignum*, h. e. non dabitur, ut Syrus habet eo loci, & ut legitur Matth. 16 v. 4. *ſignum non dabitur ei.*

Quandoque negativa לֹא in hac loquendi formula uſurpatur. Ezech. 14. v. 18. *Vivo ego, dicit Dominus*, לֹא *non liberabunt filios neque filias*, pro אִם *ſi liberabunt*. E contrario אִם־לֹא nonnunquam affirmativum ſenſum habet, 3. Reg. 20. v. 23. *Pugnemus contra eos in campeſtribus*, אִם־לֹא *ſi non prævalebimus eis*, h. e. certe prævalebimus. Vulg. *& obtinebimus eos*, Vide etiam Gen. 24. vv. 37. 38. Iſai. 14. v. 24. Jerem. 22. v. 6. Ezech. 3. v. 6. &c.

Pro אִם־לֹא quandoque eſt 1°. Copulativa ו, quæ tunc vertitur *quia*. Ezech. 35. v. 11. *Vivo ego, dicit Dominus Deus*, וְעָשִׂיתִי *quia faciam juxta iram tuam*, &c. 2°. כִּי *quia, quoniam*. 3. Reg. 2. v. 23. *Juravit itaque rex Salomon .... Hæc faciat mihi Deus & hæc addat*, כִּי *quia contra animam ſuam loquutus eſt Adonias verbum hoc*, pro אִם־לֹא *ſi non contra animam ſuam*, &c. Vide Ruth. 1. v. 17. Jerem. 22. v. 5.

Ezech. 35. v. 6. *Vivo ego, dicit Dominus*, כִּי *quoniam ſanguini tradam te*, pro, ſi non ſanguini tradam te. Aliter vero explicandæ ſunt illæ particulæ, quæ ibidem ſequuntur, nempe

per *quia.* אִם־לֹא *quia non odiſti ſanguinem* (fundere), *ſanguis perſequetur te.* Aliter Vulg. *Et cum ſanguinem oderis*, &c. Per ſanguinem intelligit Iſraëlitas Idumæorum fratres; unde Symm. τὸ αἷμα σε ἐμίσησας, *ſanguinem tuum odiſti*, i. Iſraëlitas cum quibus communem patrem habes Iſaacum. Vide Hieron. comm. in h. l. tom. 3. nov. edit. col. 948.

III. Pro conjunctione cauſali *quia.* Job. 14. v. 5. אִם *quia breves dies hominis ſunt*, &c.

Sic εἰ ſignificat *quod*, Act. 26. v. 8. *Quid incredibile judicatur apud vos, εἰ quod Deus mortuos ſuſcitat?* Vide v. 23. 1. Tim. 5. v. 10. Marc. 15. v. 44. Heb. 7. v. 15. Item *cum*, *quandoquidem*, Act. 4. v. 9. εἰ ἡμεῖς, *quandoquidem nos hodie dijudicamur*, &c. Vide etiam cap. 11. v. 17. Rom. 8. v. 31. c. 11. v. 17. 1. Pet. 1. v. 17. &c.

Sic etiam אִם, pro *quandoquidem* ponitur, Pſal. 138. Heb. 139. v. 19. אִם *Si occideris, Deus, peccatores*, &c. h. e. quandoquidem occiſurus es, &c.

IV. Pro adverbio indeterminati temporis ὅταν *cum, poſtquam.* Iſai. 4. v. 3. *Omnis, qui relictus fuerit in Sion .... ſanctus vocabitur ....* V. 4. אִם *ſi abluerit Dominus ſordes filiarum Sion*, hoc eſt, poſtquam abluerit, &c. Vide Prov. 3. v. 24. Amos 7. v. 2. &c. Joan. 14. v. 3. καὶ ἐὰν *& ſi abiero, & præparavero vobis locum*, &c. hoc eſt, cum abiero, &c. Vide 1. Joan. 3. v. 2. &c. Sic illud Virg. l. 5. Æneid. vv. 64. 65.

Præterea, ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, &c. i. poſtquam extulerit, Donato interprete.

Quidam opinantur conditionalem ἐὰν *ſi*, affirmative ſignificare *vere, utique, certe*, &c. quam ſententiam probare nituntur ex Joan. c. 21. v. 22. ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σε; *certe volo eum manere donec veniam, quid ad te?* quare, inquiunt, Vulg. interpr. Lat. tranſtulit *ſic.* At mendum eſſe graphicum pro *ſi* agnoſcunt interpretum doctiſſimi. Maldonatus inter alios fatetur *locum hunc incredibili ſcriptorum negligentia eſſe contaminatum.* Et Janſenius Gandavenſis *corruptionem adeo certam eſſe* ſcribit, *ut protervus eſſe videatur, qui inveteratum errorem agnoſcere nolit, aut agnitum corrigere.* Et ſane Lucas Brugenſis 7. antiquiſſimos codices Latinos memorat, in quibus *ſi*, non *ſic* legitur; atque ita habent Biblia Polyglotta Philippi II. Hiſpaniarum Regis. Præterea conjunctio ἐὰν 42. vicibus (hoc loco non connumerato) in Joanne exſtat, & 223. vicibus in N. Teſt. præter Joannem, & ubique conditionem exprimit, aut ſaltem ſignificationem affirmativam & abſolutam ne unus quidem admittit locus. Inſuper tractatores Græci hunc contextum hypothetice exponunt. Vide Chryſoſt. Cyrill. &c. Denique cum Joannes ſcribit v. 23. *& non dixit ei Jeſus: non moritur*, &c. aperte declarat primam propoſitionem, *ſi eum volo manere*, hypotheticam eſſe, non vero abſolutam & affirmativam, *certe volo eum manere*, &c. alioquin periret oppoſitio, & in errore firmarentur diſcipuli; quid enim aliud Chriſtus dixiſſet aſſerendo ſe velle Joannem manere donec veniret, quam eum non moriturum? Vide R. P. *Calmet* in h. l. diatribam.

CANON III.

CONJUNCTIO conditionalis quandoque deeſt, quandoque etiam redundat.

DEEST. Gen. 42. v. 38. וּקְרָאָהוּ *Et* (ſi) *quid ei* (Benjamin) *adverſi acciderit in via*, &c. pro וְאִם. Sic

Levit. 10. v. 19. וְאָכַלְתִּי *&* (ſi) *comediſſem hoſtiam pro peccato hodie, an placuiſſet* (illud) *in oculis Domini?*

Deut. 30. v. 8. וְאַתָּה *Tu autem* (ſi) *reverſus fueris*, &c. Sequitur v. 9. *Tum abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum*, &c.

Matth. 18. v. 21. *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* hoc eſt, ſi peccaverit in me frater meus, quoties dimittam ei? in hoc enim contextu adverbium

interrogandi *quoties* extra locum ſuum ponitur.

REDUNDAT אִם quando aliis particulis otioſe conjungitur, ut Gen. 28. v. 15. עַד אֲשֶׁר אִם *uſque quo ſi*, pro עַד אֲשֶׁר *uſquequo*, *donec*, &c. Cap. 47. v. 18. בִּלְתִּי אִם *præter ſi*, pro ſolo בִּלְתִּי *præter*. Ezech. 20. v. 39. אַחַר אִם pro אַחַר אֲשֶׁר אִם *poſteaquam*, ubi אֲשֶׁר ſubauditur, & abundat אִם; vel, ut aliis placet, אִם ponitur pro אֲשֶׁר.

ARTICULUS III.

De Conjunctione disjunctiva.

CANON I.

CONJUNCTIO disjunctiva *aut*, *ſive*, non ſemper ſeparandi, ſed interdum diſtinguendi tantum, imo & conjungendi vim habet.

Levit. 4. v. 22. *Si peccaverit princeps....* V. 23. אוֹ־הוֹדַע *aut notum factum fuit ei peccatum ejus*, &c. Lxx. καὶ γνωσθῇ αὐτῷ ἡ ἁμαρτία, *& notum fuerit ei peccatum.* Vulg. *& poſtea intellexerit peccatum ſuum.*

Prov. 30. v. 29. *Tria ſunt, quæ bene gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter.* Vel *imo quatuor*, &c. vide ſupra pag. 613. col. 2. num. XV. V. 30. *Leo fortiſſimus beſtiarum*, &c. V. 31. זַרְזִיר מָתְנַיִם אוֹ־תָיִשׁ *gallus ſuccinctus lumbos, aut aries*, i. *& aries*, Vulg. וּמֶלֶךְ אַלְקוּם עִמּוֹ *& rex, cum quo ſtare*, ſeu *comparare ſe nemo poteſt.* Vox אַלְקוּם quanvis in Maſſora non recenſeatur inter eas, quæ conjunctim ſcribuntur, & diviſim leguntur; in duas tamen dividenda eſt hoc modo: אַל קוּם. Præterea videtur eſſe ellipſis τοῦ אֲשֶׁר, ſic: וּמֶלֶךְ אֲשֶׁר אַל קוּם עִמּוֹ *& rex, cum quo non* (licet) *ſtare*, ſeu *componere ſe*; vel cui reſiſtere nemo poteſt; hunc enim ſenſum admittit etiam Hebræus. Vulg. *nec eſt rex, qui reſiſtat ei*, arieti ſive hirco; quæ expoſitio commoda non videtur, in ea ſiquidem ex quatuor, quæ bene gradiuntur, tria tantum recenſentur.

De voce זַרְזִיר non minor eſt inter eruditos controverſia. Cumque uno hoc in loco legatur, non ab re fuerit veterum interpretum verſiones adſcribere. Lxx. ὡς ἀλέκτωρ ἐμπεριπατῶν, *ſicut gallus circumincedens.* Aq. Theod. ἀλεκτρυὼν νώτῳ, *gallus dorſo*, ſupple cum Sym. περιεσφιγμένος, *ſuccinctus.* Sym. περιεσφιγμένος τὴν ὀσφὺν, *ſuccinctus lumbos*, repetita ἀπὸ κοινοῦ voce ἀλέκτωρ, ſive ἀλεκτρυὼν, *gallus.* Vulg. *gallus ſuccinctus lumbos.* Videtur & nomen, & etymologiam nominis expreſſiſſe; זְרִי enim Chaldaice *accingere* ſignificat. Chald. Syrus, & Arabs זַרְזִיר *gallum* etiam interpretantur. Per gallum autem lumbos ſuccinctum, alii intelligunt gallum fortem ac robuſtum; alii gallum ad pugnam, &c. procedentem.

Huc etiam refert Glaſſius Matth. 5. v. 17. *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem*, ἢ *aut prophetas*, i. & prophetas; non enim ſeparatur lex à prophetis; quanvis enim diſtinctæ, ejuſdem tamen Scripturæ ſacræ partes ſunt, quæ conjunguntur. Vide etiam 1. Cor. 12. v. 13. c. 13. v. 8. c. 15. v. 11. &c.

CANON II.

DISJUNCTIVA particula interdum deficit.

1. Reg. c. 20. v. 12. *Si inveſtigavero ſententiam patris mei, craſtino perendie*, hoc eſt, *vel perendie*, Vulg.

4. Reg. 9. v. 32. *Et inclinaverunt ſe ad eum* (Jehu) *duo tres eunuchi*, hoc eſt, *duo vel tres eunuchi*, Vulg. Vide Iſai. 17. v. 6. c. 38. v. 14.

Digitized by Google

Jerem. 11. v. 19. *Ego autem quaſi agnus bos, qui ducitur ad mactandum*, h. e. agnus aut bos. Vulg. *agnus manſuetus*, ex uſu linguæ Arabicæ, in qua אָלַף (unde אַלּוּף) *manſuefacere* ſignificat, & אַלּוּף familiare eſt ovis epitheton. [Lxx. ἀρνίον ἄκακον, *agnus innocens.*

Notandus eſt uſus disjunctivæ particulæ ἢ *aut* in argumentationibus. Matth. 7. v. 9. *Aut quis eſt ex vobis, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei?* Hic Chriſtus tranſit ad alium argumentationis locum; nam illius præcepti *petite & dabitur vobis*, &c. duplex affertur confirmatio: prior à natura Dei, à quo, utpote optimo, *omnis qui petit* (ut par eſt), *accipit*, &c. poſterior à comparatione naturæ hominum, q. d. aut ſi hoc non capitis, conſiderate naturam veſtram, *quis eſt ex vobis*, &c. Eundem uſum particulæ, *aut* vide cap. 12. v. 29. c. 20. v. 15. c. 26. v. 53.

ARTICULUS IV.

De Conjunctione adverſativa.

CANON I.

Pro adverſativa *ſed*, aliæ etiam particulæ uſurpantur.

I. Conjunctio copulativa ו, cujus exempla pro Veteri Teſtamento, vide ſupra pag. 612. col. 2. num. IV. Ex Novo,

Matth. 11. v. 19. ϗ ἐδικαιώθη, *ſed juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis*, Phariſæi me reprehendunt, inquit Chriſtus æterna Dei ſapientia, ſed tamen juſtitiæ teſtimonium conſequor à filiis meis, h. e. electis, qui ſunt veri ſapientes. Significatio nativa τοῦ ϗ retineri etiam poteſt hoc modo: *& condemnata eſt ſapientia à filiis ſuis*, h. e. à Judæis, qui ejus diſcipuli eſſe debuerant; verbum enim δικαιοῦν Atticis *condemnare* ſignificat, & nomen *filius* pro diſcipulo ſæpe in Scripturis uſurpatur, ut *filii prophetarum*, h. e. diſcipuli. Vide ſupra pag. 491. col. 2.

Matth. 12. v. 39. *Generatio mala & adultera ſignum quærit*, ϗ *ſed ſignum non dabitur ei*, &c. Alia exempla vide Matth. 1. v. 25. c. 13. v. 22. Joan. 5. v. 40. Act. 10. v. 28. 1. Cor. 5. v. 10. c. 16. v. 12. 1. Theſſ. 2. v. 18. Heb. 10. v. 38. 1. Joan. 2. v. 20. Apoc. 20. v. 9.

II. Conjunctio cauſalis כִּי *quia.* Pſal. 36. Heb. 37. v. 19. *Non confundentur* (juſti, ſeu immaculati) *in tempore malo*.... V. 20. כִּי *ſed peccatores peribunt.*

Pſal. 129. Heb. 130. v. 4. כִּי *ſed apud te eſt propitiatio*, &c.

Jerem. 48. v. 45. *In umbra Heſebon ſteterunt*.... כִּי *ſed ignis egreſſus eſt de Heſebon*, &c. Vide etiam Exod. 5. v. 11. Jud. 1. v. 19. Iſai. 2. v. 6. &c.

Act. 8. v. 39. ἐπορεύετο γὰρ, *ibat autem*, &c. Vulg. Philip. 3. v. 20. ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, *noſtra autem converſatio in cœlis eſt*, Vulg.

Adverſativa *ſed* quandoque deeſt. Iſai. 1. v. 3. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſraël me non cognovit*, h. e. ſed Iſraël, vel ut Vulg. *Iſraël autem*, &c.

CANON II.

Pro adverſativa *atqui*, & *attamen*, interdum uſurpatur concluſiva לָכֵן *propterea*, *idcirco*.

I. Pro *atqui*. Gen. 4. v. 15. *Dixitque ei* (Caino) *Dominus:* לָכֵן *atqui omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur.* Vulg. *nequaquam ita fiet*, &c. pro לָכֵן legebat לֹא כֵן *non*

ſic, nequaquam. S. Hieron. in epiſt. ad Damaſum, tom. 2. col. 563. nov. edit. ſic verba Hebraïca legit, aut potius librariorum ignorantia ſic eum illa partim mendoſe legentem exhibet: VAIOMER LO ADONAI LOCHEN CHOL OREG CAIN SOBATHAIM IOCCAMO. In fine vocis יֻקָּם adjunxit ו ſequentis dictionis וַיָּשֶׂם. Vel in ejus exemplari addebatur ו paragogicum, aut affixum; vel denique error eſt amanuenſium, qui ſcripſerunt *ioccamo* pro *ioccam.* Aquila, *Et dixit ei Dominus: propterea omnis, qui occiderit Cain, ſeptempliciter ulciſcetur,* legeb. לָכֵן. Sym. *Et dixit ei Dominus: non ſic, ſed omnis, qui occiderit Cain, hebdomas* (forte hebdomos) *ſive ſeptimus vindicabitur*, legeb. לֹא כֵן. Lxx. Theod. *καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ κύριος, οὐχ οὕτως, πᾶς ὁ ἀποκτείνας Κάϊν, ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει, & dixit ei Dominus: non ſic, ſed omnis, qui occiderit Cain, ſeptem vindictas exſolvet*, legebant לֹא כֵן, ut Sym. Sic Hieron. Aq. Sym. & Theod. verſiones Latine refert in epiſtola illa, in qua ſequutus Hebræos שִׁבְעָתַיִם *ſeptuplum, ſeptempliciter, ſepties*, exponit, non de pœnis illius, qui occiderit Cain; ſed de Caïno ipſo in ſeptima generatione occiſo; volunt enim Hebræi eum interfectum fuiſſe à Lamecho, qui ſeptimus eſt ab Adam. *Verum Deus nolens*, inquit S. Doctor, *eum* (Cainum) *compendio mortis finire cruciatus, nec tradens pœnæ, qua ſe ipſe damnaverat, ait:* non ſic, *id eſt, non, ut æſtimas, morieris, & mortem pro remedio accipies: verum vives uſque ad ſeptimam generationem, & conſcientiæ tuæ igne torquberis; ita ut quicumque te occiderit ſecundum duplicem intelligentiam, aut in ſeptima generatione, aut ſeptimo te liberet cruciatu. Non quod ipſe, qui occiderit Cain, ſeptem ultionibus ſubjiciendus ſit; ſed quod ſeptem vindictas, quæ in Cain tanto tempore cucurrerunt, ſolvat interfector, occidens eum, qui vitæ fuerat derelictus ad pœnam.* Huic expoſitioni favere videtur v. 24. *ſeptuplum ultio dabitur de Cain.* Secundum hanc explicationem voces כָּל־הֹרֵג per ablativum abſolutum, ut vocant, exponendæ ſunt, *quovis occidente, Cain ſeptuplum*, ſeu *ſepties*, h. e. *in ſeptima generatione punietur.* Alii tamen Caïni interfectorem pœnis illis ſubjiciendum putant, & numerum certum pro incerto poſitum arbitrantur, hoc modo: omnis qui occiderit Cain, gravius ipſo punietur, utpote qui ejus exemplo & ſuppliciis ab homicidio perpetrando deterritus non fuerit. Eodem ſenſu dicitur v. 24. *De Lamech vero ſeptuagies ſepties* ultio dabitur, h. e. qui occiderit Lamechum longe adhuc gravioribus, ſuppliciis afficietur.

II. Pro *attamen.* Oſe. 2. v. 14. לָכֵן *attamen ecce ego lactabo eam, & ducam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*, h. e. quanvis populus Iſraëliticus (de quo ſub uxoris adulteræ imagine loquitur Deus) à me receſſerit, ut Diis alienis ſerviret; attamen lactabo eum, ducam in ſolitudinem, & cordi ejus jucunda eloquar, ſeu conſolabor eum. Phraſis enim *loqui ad cor*, conſolari ſignificat.

Huc referunt quidam illud Joan. 7. v. 22. *διὰ τοῦτο, propterea*, h. e. *attamen Moyſes dedit vobis circumciſionem*, &c. ita ut novum argumentum incipiat, quo adverſariorum opinio convellatur. Sed Theophylactus, cum quibuſdam interpretibus, has voces cum præcedentibus ſic conjungit: *unum opus feci, & omnes miramini διὰ τοῦτο, propter hoc.* Poſtea incipit aliud argumentum, *Moyſes dedit vobis circumciſionem*, &c. Quidam ſubintelligunt *audite*, ſic: *Propterea audite*, &c.

CANON III.

Pro adverſativa *quanvis*, *etſi*, ſæpius cauſalis כִּי *quia* ponitur.

Gen. 8. v. 21. *Nequaquam ultra maledicam terræ propter hominem*, כִּי *quia figmentum cordis humani eſt in malum à pueritia ſua*, ſeu, ut Vulg. *ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*, hoc eſt, quanvis ſenſus & cogitatio, &c.

Ibid. cap. 47. v. 15. *Da nobis panes; quare morimur coram te*, כִּי *quia deficit pecunia?* hoc

Digitized by Google

eſt, quamvis deficiat pecunia.

Ibid. c. 48. v. 14. *Intelligere fecit manus ſuas* (Jacob, ſive Iſraël) h. e. ſciens & conſulto direxit eas, poſita dextera ſuper caput Ephraim, ſiniſtra vero ſuper caput Manaſſe, כִּי *quia*, id eſt, *quamvis Manaſſe eſſet primogenitus*, ut explicat Aben-Eſra.

Exod. 13. v. 17. *Non eos* (Iſraëlitas) *duxit Deus per viam terræ Philiſthiim*, כִּי *quamvis vicina eſſet*. Vulg. *quæ vicina eſt.*

Joſue 17. v. 18. *Expelles Chananæum*, כִּי *quamvis currus ferati ſint ei*, כִּי *quamvis robuſtus ſit.* Alia exempla vide 1. Paral. 26. v. 10. 2. Paral. 28. v. 21. Prov. 6. v. 35. Iſai. 54. v. 10. Jerem. 4. v. 30. Hab. 3. v. 17. Zach. 9. v. 2. Nah. 2. v. 2. Pſal. 70. Heb. 71. v. 15. &c.

Luc. 23. v. 40. *Neque tu times Deum*, ὅτι *quamvis in eadem damnatione ſis.* Sic Joan. 8. v. 45.

Act. 1. v. 16. *Qui* (Judas) *fuit dux eorum qui comprehenderunt Jeſum*, v. 17. ὅτι *quamvis connumeratus eſſet in nobis*, &c.

Denique particula adverſativa Græca μὲν *quidem*, interdum in oratione abundat; quare nec eam ſequitur δὲ, quæ illi reſpondere ſolet.

Act. 1. v. 1. Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην, *Primum quidem ſermonem habui*, &c. Vide etiam cap. 3. vv. 21. 22. Quandoque etiam δὲ, conjunctio adverſativa non eſt, ſed particula exegetica, aut confirmativa δὴ *ſane*, *nimirum*. Gal. 2. v. 4. διὰ δὲ, *nimirum propter irreptitios*, Vulg. *ſubintroductos fratres*, &c.

ARTICULUS V.

De Conjunctione cauſali.

CANON I.

CONJUNCTIO cauſalis *quia*, *enim*, non ſemper notat cauſam rei; ſed ſæpe rationem concluſionis.

Matth. 16. v. 2. *Facto veſpere dicitis: ſerenum erit; rubicundum enim eſt cœlum.* V. 3. *Et mane: hodie tempeſtas; rutilat enim triſte cœlum.* Cœlum rubicundum cauſa non eſt ſerenitatis, ſed ſignum. Sic v. 3. cœlum rutilans tempeſtatem non efficit, ſed denotat.

Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Remiſſionis multorum peccatorum cauſa non fuit multa dilectio; ſed è contrario, ideo multum dilexit mulier illa peccatrix, quia multa illi peccata remiſſa fuerant. Quod liquet cum ex ipſa parabola, tum ex verbis ſequentibus: *cui autem minus dimittitur, minus diligit.*

Joan. 16. v. 27. *Ipſe pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia ego à Deo exivi.* Senſus eſt: ideo vos me amaſtis, &c. quia pater meus amat vos; qui enim amat filium, amat & patrem. Porro ex 1. Joan. 4. vv. 10. & 19. Deus prior dilexit nos, & non viciſſim.

1. Cor. 10. v. 5. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto.* Hæc proſtratio conſequens & effectus eſt diſplicentiæ, ſeu reprobationis Divinæ, non cauſa, quæ peccatum eſt, v. 6. & ſeqq. Alia exempla vide Joan. 10. v. 26. 1. Joan. 3. v. 14. &c.

CANON II.

CONJUNCTIO cauſalis *quia*, *quod*, &c. aliis etiam modis, quam per כִּי exprimitur.

I. Copulativa ו, vide ſupra pag. 612. col. 2. num. VII.

II. Conditionali *ſi*, vide ſupra pag. 619. col. 1. num. III.

Digitized by Google

III. Concluſiva עַל־כֵּן *quapropter, ideo.* Pſal. 44. Heb. 45. v. 8. *Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem,* עַל־כֵּן *quia unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis;* non enim Deus Pater unxit filium ſuum Chriſtum, quia recte adminiſtravit regnum; ſed ideo unxit, ut recte illud adminiſtraret. Conf. Iſai. 61. v. 1. Luc. 4. v. 18. Eodem ſenſu accipitur עַל־כֵּן Gen. 38. v. 26. Jud. 6. v. 22.

IV. Pronomine אֲשֶׁר *quod.* Gen. 34. v. 13. אֲשֶׁר *quia polluerat* (Sichem) *Dinam ſororem eorum.* Vide v. 27. c. 24. v. 3. 3. Reg. 15. v. 13. Pſal. 8. v. 2. Pſal. 30. Heb. 31. v. 8.

V. עֵקֶב אֲשֶׁר *propterea, quod.* Gen. 22. v. 18. *Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ,* עֵקֶב אֲשֶׁר *quia obediſti voci meæ.* Sic c. 26. v. 5. Num. 14. v. 24. Amos 4. v. 12.

VI. Præpoſitione תַּחַת *ſub*, &c. vide ſupra pag. 590. in §. VI. col. 2. num. III.

VI. Apud Græcos præpoſitionibus ἐν, διὰ, ἀντὶ, cum pronomine relativo, ut: ἐν ᾧ, *eo quod infirmabatur per carnem*, &c. Rom. 8. v. 3. ἐφ' ᾧ, *eo quod omnes peccaverunt*, ibid. c. 5. v. 12. 2. Cor. 5. v. 4. δι' ὧν, *ex eo quod maxima*, &c. 2. Pet. 1. v. 4. ubi Vulg. *per quem*, legebat δι' οὗ, ut habet mſ. Stephani. ἀνθ' ὧν, *eo quod non credidiſti*, &c. Luc. 1. v. 20. Vide etiam cap. 19. v. 44. & ſupra pag. 603. col. 1. initio.

CANON III.

CONJUNCTIO cauſalis כִּי, ὅτι, *quia, quod*, interdum alias etiam ſignificationes obtinet, poniturque

I. Pro pronomine אֲשֶׁר *qui, quæ, quod.* Vide ſupra pag. 607. col. 2. in can. IV. num. II.

II. Pro adverbio temporis indeterminati *quum, quando.* Vide ſupra pag. 563. can. IV.

III. Pro conjunctione adverſativa *ſed.* Vide ſupra pag. 621. col. 2. *Attamen*, Iſai. 39. v. 8. c. 66. v. 8. *Quamvis*, ſupra pag. 622. can. III.

IV. Pro particula interrogativa. Iſai. 36. v. 19. *Ubi eſt Deus Emath & Arphad...* וְכִי *numquid liberaverunt Samariam de manu mea?* Vulg.

Marc. 9. v. 11. ὅτι, *quid ergo dicunt Phariſæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primum?* Vide etiam v. 28.

Hæc autem conjunctio ὅτι, interdum explicativa eſt ſignificans *nempe.* Matth. 26. v. 54. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ*, ὅτι *nempe, ſic oportet fieri?* Vide Rom. 9. v. 30. 1. Cor. 11. v. 23. &c.

CANON IV.

CONJUNCTIO cauſalis & explanativa *quia, quod*, &c. quandoque deeſt, quandoque etiam redundat.

DEEST. Gen. 17. v. 14. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: pactum meum irritum fecit*, h. e. *quia pactum meum irritum fecit*, Vulg.

Exod. 29. v. 14. *Carnes vero vituli, & corium, & fimum combureris foris extra caſtra, oblatio eſt pro peccato*, h. e. quia oblatio eſt pro peccato, ſive, ut Vulg. *eo quod pro peccato ſit* (oblatio).

Pſal. 9. v. 21. *Ut ſciant gentes, homines ſunt*, hoc eſt, *quoniam homines ſunt*, Vulg. i. ſe homines eſſe; qui infinitivus cum accuſativo rariſſimus eſt. Exſtat exemplum Gen. 2. v. 18. לֹא־טוֹב הֱיוֹת הָאָדָם לְבַדּוֹ *non eſt bonum eſſe hominem ſolum.* Vulgo autem hæc loquutio effertur per nominativum cum verbo finito, addita conjunctione כִּי, אֲשֶׁר, vel שֶׁ. Alia exempla conjunctionis cauſalis deficientis vide Pſal. 114. Heb. 115. v. 9. Zach. 8. v. 23. &c.

REDUNDAT. Ruth. 3. v. 12. וְעַתָּה כִּי אָמְנָם כִּי אִם גֹּאֵל אָנֹכִי *Jam igitur vere*, ſeu verum eſt, *quia propinquus ego ſum*, ubi prius כִּי redundat,

Digitized by Google

redundat, ſicuti אם, quod idcirco puncto vocali deſtituitur.

Zach. 3. v. 8. *Audi, Jeſu, Sacerdos magne ....* כִּי־הִנְנִי *quia ecce ego adducam ſervum meum Orientem*, i. Meſſiam, pro, ecce ego, &c. Vide Dan. 6. v. 14. ubi Chaldaïcum דִּי *quod*, pleonaſticum quoque eſt.

Matth. 1. v. 18. *Chriſti autem generatio ſic erat:* μνηστευθείσης γὰρ, *cum enim deſponſata eſſet mater ejus Maria Joſeph*, &c. hoc eſt, *cum eſſet deſponſata*, &c. Vulg.

1. Joan. 3. v. 20. *Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum*, ὅτι *quia major eſt Deus corde noſtro*, hoc eſt, *major eſt Deus*, &c. Vulg. neglecta cauſali particula.

Huc pertinet, quando duplex cauſalis conjunctio ponitur, cum una ſufficeret. Lev. 26. v. 43. יַעַן וּבְיַעַן *quia & quia judicia mea ſpreverunt*, pro, quia judicia mea ſpreverunt, ſive, ut Vulg. *eo quod abjecerint judicia mea.* Vide Ezech. 13. verſ. 10. Sic conjunguntur יַעַן כִּי & יַעַן אֲשֶׁר, *propterea quod.*

In Novo Teſtamento particula ὅτι ſæpiſſime redundat, nec Latine vertenda eſt. Matth. 4. v. 6. *Scriptum eſt enim:* ὅτι *quia angelis ſuis mandavit de te*, &c. pro, ſcriptum eſt enim angelis ſuis, &c.

Apoc. 3. v. 17. *Quia dicis:* ὅτι *quod dives ſum*, &c. h. e. quia dicis: dives ſum; hæc enim ad angelum Laodicææ Eccleſiæ pertinent, non ad Chriſtum. Alia exempla vide Matth. 7. v. 23. cap. 9. v. 18. c. 20. v. 7. c. 21. v. 3. c. 26. vv. 65. 72. Marc. 1. v. 40. c. 3. v. 21. cap. 14. vv. 58. 69. 71. Luc. 4. vv. 11. 21. 43. cap. 5. v. 26. c. 6. v. 5. cap. 7. vv. 4. 16. c. 12. v. 55. c. 19. vv. 7. 9. 40. 42. c. 20. v. 6. c. 21. v. 8. cap. 24. v. 7. Joan. 1. v. 20. cap. 4. v. 17. cap. 9. v. 41. Act. 3. v. 22. Rom. 3. vv. 8. 10. c. 10. vv. 5. 9. c. 14. v. 11. Gal. 1. v. 23. Jac. 1. v. 13. Quidam originem particulæ hujus redundantis deducunt ex Chaldæo-Syriaſmo, in quo conjunctio inſeparabilis ד, cui Græcum ὅτι reſpondet, ſæpiſſime occurrit ac πλεονάζει. In quibuſdam tamen locis ὅτι non male reddi poteſt, *certe, utique.*

Denique Glaſſius cum aliis quibuſdam interpretibus exiſtimat כִּי eſſe quoque nomen ſubſtantivum, *aduſtionem* ſignificans, Iſai. 3. v. 24. כִּי־תַחַת יֹפִי *aduſtio pro pulchritudine.* Huic interpretationi favet, quod in eodem verſu præpoſitio תַּחַת quater cum duobus nominibus ſubſtantivis componatur, proindeque vero ſimile ſit כִּי eſſe quoque ſubſtantivum formæ רִי, quod cum præpoſito ב legitur בְּרִי *in irrigatione*, ut interpretantur nonnulli, Job. 37. v. 11. ubi Lxx. tranſtulerunt ἐκλεκτὸν *electum.* Vulg. *frumentum*; is & Lxx. legebant בַּר, aut בָּרַר à בַּר *elegit, purgavit*, &c. neglecto (י) τῷ ברי utpote paragogico, aut potius antiqua vocali *e*; & ſpectata litera ב ut radicali. Sym. καρπὸν *fructum* reddidit, quia legebat פְּרִי. Ad prædictum Iſaïæ locum quod attinet, Aquila, forte etiam & Sym. (vide Hexapla noſtri D. Bern. de *Montfaucon*, tom. 2. pag. 94. col. 2. initio), כִּי interpretatur ὅτι *quia.* Lxx. ἢ &. Vulg. *quoque.*

CANON V.

CONJUNCTIO cauſalis לְמַעַן ἵνα, *ut*, & quæ illi reſpondent, non ſemper notant cauſam rei finalem, ſed ſæpius conſequentiam duntaxat, aut eventum.

Exod. 11. v. 9. *Non audiet vos Pharao, ut multa ſigna fiant in terra Ægypti*, h. e. quia non audiet vos Pharao, inde conſequetur ut multiplicentur ſigna ſive portenta, &c.

Exod. 17. v. 3. *Cur feciſti nos exire de Ægypto, ut occideres nos?* &c. h. e. ita ut ex noſtro exitu ſequatur mors noſtra.

Pſal. 50. Heb. 51. v. 6. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas*, ſive *purus ſis, cum judicaris*, ſive *judicaveris*, h. e. ex eo quod tibi peccaverim, & peccatum meum mihi condonaveris, ſequetur te juſtum in ſermonibus tuis, & purum, i. veracem in judiciis tuis agnitum iri; quandoquidem per prophetas tuos promiſiſti veniam reſipiſcentibus, è quo-

rum numero ego ſum. Confer Ezech. 18. vv. 21. 22. *Si impius egerit pœnitentiam*, &c. Alia exempla vide Num. 32. v. 14. Jerem. 7. v. 18. c. 27. v. 15. Oſe. 8. v. 4. Amos. 2. v. 7. &c.

In Novo Teſtamento. Matth. 23. v. 34. *Ecce ego mitto ad vos prophetas .... & ex illis occidetis* .... V. 35. *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus*, &c. h. e. unde eveniet, ut ſuper vos omnis illius ſanguinis reatus ac pœna veniat, uti v. 36. explicatur.

Joan. 9. v. 2. *Quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* h. e. ex quo natus eſt cœcus.

Ibidem v. 3. *Reſpondit Jeſus: neque iſte peccavit, neque parentes ejus; ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo*, i. ſed ex eo, quod cœcus natus eſt, manifeſta fiet Dei potentia & bonitas in ejus ſanatione à me præſtanda. Non ideo itaque homo iſte cœcus natus eſt, ut manifeſta fierent opera Dei in ipſo; ſed ex eo, quod talis natus ſit, manifeſta facta ſunt opera Dei in ejus ſanatione.

Ibidem v. 39. *In judicium ego in hunc mundum veni, ut, qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant*, h. e. ſequetur ex adventu meo in hunc mundum, ut, qui in negotio ſalutis oculatos ſe eſſe putant, Juſto Judicio excœcentur. Quanvis autem hæc duo cohæreant: *ut, qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant*, voces tamen *in judicium*, &c. ſpectant tantum ad poſteriorem commatis hujus partem, *& qui vident, cæci fiant.* Chriſtus enim non venit ad excœcandos & judicandos, ſed ad illuminandos homines, Joan. 1. v. 9. cap. 3. v. 17. c. 12. v. 47.

Sic Matth. 11. v. 25. *Confiteor tibi, pater .... quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*, h. e. confiteor tibi, pater, ſeu gratias tibi ago, quod cum abſconderis myſteria verbi tui ſapientibus hujus ſæculi, tamen ea revelaveris humilibus & ſimplicibus. Pro poſteriori itaque, non pro priori, Chriſtus patri ſuo gratias agit, quanvis illa duo membra cohæreant. Vide etiam Rom. 6. v. 17. 1. Tim. 1. vv. 12. 13. &c.

Rom. 1. v. 20. *Inviſibilia enim ipſius* (Dei) *à creatura*, ſive *creatione mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur .... εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, ut ſint inexcuſabiles*, h. e. ex quo ſequitur eos eſſe inexcuſabiles, ſeu, ut Vulg. *ita ut ſint inexcuſabiles.*

1. Cor. 11. v. 19. *Oportet & hæreſes eſſe, ut, & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Non ideo neceſſe eſt eſſe hæreſes, ut, qui probati ſunt, manifeſti fiant: ſed ex eo, quod ſunt hæreſes, qui probati ſunt, cognoſcuntur.

Huc pertinent illa Scripturæ loca, in quibus hoc vel illud malum dicitur factum, *ut implerentur Scripturæ*; non enim ideo mala futura ſunt, quia Scriptura illa prædicit: ſed quia futura ſunt ex agentium malitia, Deo ad finem bonum ea permittente, à prophetis prænuntiantur.

Matth. 27. v. 35. *Poſtquam crucifixerunt eum* (Jeſum), *diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes, ut impleretur, quod dictum eſt per prophetam: diviſerunt ſibi veſtimenta mea*, &c. h. e. ſic evenit illud, quod olim prænuntiatum fuerat à Davide, Pſal. 21. Heb. 22. v. 19.

Joan. 12. v. 37. *Cum autem tanta ſigna feciſſet* (Jeſus) *coram eis, non crediderunt in eum*, v. 38. *ut ſermo Iſaïæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui noſtro*, &c. h. e. ſic verum comprobatum eſt Iſaiæ vaticinium.

Ibid. v. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: excæcavit oculos eorum*, &c. Iſaiæ ſermo cauſa non fuit impotentiæ illius ad credendum, ſed excœcatio & induratio Judæorum.

Ibid. c. 15. v. 24. *Nunc autem & viderunt & oderunt & me & patrem meum.* V. 25. ἀλλ' ἵνα, *ut impleatur ſermo, qui ſcriptus eſt in Lege eorum*, &c. Non ideo Judæi oderunt Chriſtum & patrem ejus, ut impleretur ſermo, qui ſcriptus eſt, &c. ſed ex eo quod illum & patrem ejus oderint, impletus eſt. Vide etiam c. 17. v. 12. &c.

Denique pro conjunctione cauſali לְמַעַן *ut*, uſurpatur interdum אֲשֶׁר.

Joſ. 3. v. 7. אֲשֶׁר יֵדְעוּן *Ut ſciant, quod ſicut cum Moyſe fui, ita & tecum ſim.* Vide Gen. 11. v. 7. Exod. 20. v. 25. Ruth. 3. v. 1. Sic שֶׁ, Eccle. 5. v. 14.

ARTICULUS VI.

De Conjunctione concluſiva.

MONOCANON.

Pro conjunctione concluſiva לָכֵן, עַל־כֵּן *igitur, ergo*, &c. aliæ etiam particulæ interdum uſurpantur.

I. Cauſalis כִּי *quia.* Gen. 22. v. 16. *Per memetipſum juravi, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem*, &c. V. 17. כִּי *igitur benedicens benedicam tibi*, &c. Lxx. ἦ μὴν *certe benedicens benedicam tibi.* Vulg. *benedicam tibi*, neglecta particula כִּי, uti eam hoc in loco ſupervacaneam eſſe arbitrantur interpretes quidam doctiſſimi.

1. Reg. 2. v. 25. *Et non audierunt* (filii Heli) *vocem patris ſui*, כִּי *quapropter voluit*, h. e. *decrevit Dominus occidere eos.*

Oſe. 9. v. 15. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal*, כִּי *idcirco ibi exoſos habui eos.*

Pſal. 115. Heb. 116. v. 1. *Credidi*, כִּי Lxx. & Apoſtolus 2. Cor. 4. v. 13. διὸ, Vulg. *propter quod loquutus ſum.*

Sic etiam explicant quidam illud Luc. 7. v. 47. de quo ſupra pag. 623. col. 1. in art. V. *Remittuntur ei peccata multa*, ὅτι *idcirco, quapropter dilexit multum.*

II. Adverbium temporis וְעַתָּה *& nunc.* Gen. 4. v. 11. וְעַתָּה *igitur maledictus eris ſuper terram.*

Ibid. c. 21. v. 23. וְעַתָּה *jura ergo per Deum*, &c. Vulg.

Pſal. 2. v. 10. וְעַתָּה *itaque, reges, intelligite*, &c.

III. Adverſativa ἀλλὰ *ſed.* 2. Cor. 8. v. 7. ἀλλὰ *itaque ſicut in omnibus abundatis fide*, &c. (videte) ἵνα *ut & in hac gratia abundetis.*

Gal. 2. v. 14. ἀλλ' ὅτε εἶδον, *itaque cum vidiſſem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii*, &c. Eadem particula adverſativa frequenter etiam apud Atticos uſurpatur pro ὥστε *itaque.*

Item πλὴν *veruntamen.* Matth. 11. vv. 22. 24. πλὴν λέγω ὑμῖν, *quapropter dico vobis.* Vide c. 26. v. 64.

Luc. 6. v. 35. πλὴν *itaque diligite inimicos veſtros*, &c.

Ibid. c. 12. v. 31. πλὴν *igitur quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Epheſ. 5. v. 33. πλὴν *itaque & vos ſinguli, unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat.*

IV. Præpoſitio cum pronomine demonſtrativo. Matth. 19. v. 5. ἕνεκεν τούτου, *propter hoc relinquet homo*, &c. i. quapropter, igitur; reſpondet enim Heb. עַל־כֵּן Gen. 2. v. 24. Sic διὰ τοῦτο, Joan. 12. v. 39. διὰ τοῦτο, *propter hoc*, i. *ergo non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias*, &c. Iſaiæ autem vaticinium cauſa non erat, cur Judæi illi credere non poſſent, ſed eorum malitia, ex qua factum eſt ut Iſaias prædixerit fore ut cor eorum excœcaretur, &c. Vide ſupra pag. 623. art. V. can. I.

V. Adverbium ſimilitudinis οὕτως *ſic*, Apoc. 3. v. 16. οὕτως *itaque, quia tepidus es*, &c.

Notandum concluſivam οὖν *igitur*, nonnunquam redundare. Matth. 7. v. 12. *Omnia* οὖν *ergo, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, pro, omnia, quæcunque vultis, &c. nihil enim præcedit, ex quo concluſio hæc elici poſſit; ſed eſt ſimplex mandatum à ſuperioribus ſenſu diſtinctum.

Interdum etiam οὖν tranſitioni inſervit. Joan. 9. v. 18. *Non crediderunt* οὖν *ergo Judæi de illo, quia cæcus fuiſſet*, &c. pro, non crediderunt autem, &c. 1. Cor. 14. v. 23. ἐὰν οὖν *ſi ergo conveniat univerſa Eccleſia in unum*, &c. Vulg. h. e. ſi autem conveniat, &c. quanvis etiam particula concluſiva hîc retineri poſſit.

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Interjectione.

EX Interjectionibus aliæ ſunt *obſecrantis*, aliæ *hortantis*, ſeu *excitantis*, aliæ *abominantis*, aliæ *comminantis* & quandoque *prædicentis*, *deplorantis*, ac *dolentis*, aliæ denique *inſultantis* & *exprobrantis*.

I. *Obſecrantis interjectiones.*

Obſecrantis interjectiones ſunt

1°. נָא *quæſo*, *obſecro*. Gen. 18. v. 30. אַל־נָא *ne*, *quæſo*, *iraſcatur Dominus meus*, &c. Vide etiam Num. 12. v. 12. &c.

Interdum etiam נָא eſt temporis particula *nunc*. Vide exempla Gen. 18. v. 27. Cant. 3. v. 2. &c. Sæpius tamen à Vulg. ut particula expletiva negligitur. Semel nomen eſt, quod *crudum* ex uſu linguæ Arabicæ ſignificat, Exod. 12. v. 9. *Non comedetis ex eo* (agno paſchali) נָא *crudum*, &c.

Ex hac particula natum videtur *ναὶ* Græcorum, quod præter communem *aſſeverandi* ſignificationem, *obſecrantis* etiam eſt particula apud Nonnum in Joan. 13. v. 9. Euripid. in Hippol. Ariſtoph. in Nub. &c. &, ut quibuſdam placet, Matth. 15. v. 27. Philem. v. 20. Apoc. 22. v. 20.

2°. אָנָּא, & ſexies cum ה in fine, ſecundum Maſſoram, אָנָּה. Pſal. 117. Heb. 118. v. 25. אָנָּא יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָּא S. Hieron. *obſecro*, *Domine*, *ſalva*, *obſecro*. Aq. Sym. Theod. & V. edit. teſte Hieron. in epiſt. ad Damaſum, tom. 4. nov. edit. col. 146. 1. part. *ὦ δὴ*, *κύριε*, *σῶσον δὴ*, *obſecro*, *ô Domine*, *ſalva*, *obſecro*. Lxx. & VI. edit. *ὦ κύριε*, *σῶσον δὴ*, *ô Domine*, *ſalva*, *obſecro*. Vulg. Lat. *ô Domine*, *ſalvum me fac*. Ex הוֹשִׁיעָה נָּא facta eſt per eliſionem vox *OSANNA*, vel *HOSANNA*, Matth. 21. v. 9. Marc. 11. v. 9. Joan. 12. v. 14. Vide ſupra pag. 30. col. 1. eaque corrupta eſt pro *OSIANNA*, ut ſcribit S. Doctor in epiſtola mox laudata, in qua pro הוֹשִׁיעָה נָּא, quod in hodierno textu conſpicitur, legebat הוֹשִׁיעַ אָנָּא, ut liquet ex col. 148. ubi ſic loquitur: *OSI* (הוֹשִׁיעַ) *ergo SALVIFICA interpretatur*; *ANNA* (אָנָּא) *interjectio deprecantis eſt. Si ex duobus his velis compoſitum verbum facere, dices OSIANNA, ſive, ut nos loquimur, OSANNA, media vocali litera eliſa*, (nempe ע, quæ S. Doctori erat vocalis) *ſicut facere ſolemus in verſibus Virgilii, quando pro* Mene incœpto deſiſtere victam, *ſcandimus*: Menincœpto; *Aleph namque litera verbi ſequentis prima*, (אָנָּא) *extremam prioris verbi* (הוֹשִׁיעַ) *Ain veniens excludit*. Aliæ etiam diſcrepantiæ in hac epiſtola obſervantur, quæ vel ex codicum diverſitate repetendæ ſunt, vel potius ex maximis S. Doctoris occupationibus, per quas, dum hæc ſcriberet, codicem ſuum non licuit inſpicere.

3°. בִּי. Gen. 43. v. 20. *Et dixerunt*: בִּי *quæſo*, vel *quæſumus*, *Domine*, &c. Vulg. *oramus Domine*, &c.

Jud. 6. v. 15. *Qui* (Gedeon) *reſpondens ait*: בִּי *Obſecro*, *mi Domine*, *in quo liberabo Iſraël?*

1. Reg. 1. v. 26. *Et ait* (Anna): בִּי *Obſecro*, *mi Domine*, *vivit* (vel vivat) *anima tua*, &c. Vulg.

4°. לוּ. Gen. 23. v. 13. לוּ *quæſo*, *ut audias me*, &c. Vulg.

II. *Hortantis* ſeu *excitantis interjectio.*

Hortantis, ſeu excitantis interjectio quandoque eſt הַב *da*, à verbo Chald. יְהַב *dedit*, unde imperativus הַב, & cum ה paragogico הָבָה, vide ſupra pag. 234. col. 1. Gen. 11. v. 3. *Dixitque alter ad proximum ſuum*; הָבָה *age*-

Digitized by Google

dum, vel *agite*, *faciamus lateres*, &c. Lxx. δεῦτε, Vulg. *venite*; qui imperativi, in hac loquutione, hortantis particulæ ſunt. Sic vv. 4. 7. Exod. 1. v. 10. quibus in locis Lxx. δεῦτε, Vulg. *venite* interpretantur. Quidam alios etiam imperativos huc referunt, ut לְכָה *ito*, h. e. age, Gen. 19. v. 32. לְכוּ *ite*, ſeu agite, Oſe. 6. v. 1. Pſal. 94. Heb. 95. v. 1. &c. בֹּאוּ *venite*, Deut. 1. v. 8. &c. h. e. agite. קוּמִי *ſurge*, Iſai. 60. v. 1. &c. קוּמוּ *ſurgite*, Neh. ſeu 2. Eſd. 9. v. 5. hoc eſt, agite, rumpite moras, &c.

III. *Abominantis interjectio.*

Abominantis interjectio eſt חָלִילָה *abſit!* à verbo חִלֵּל in piél *profanavit*; unde חָלִילָה idem eſt ac τὸ βέβηλον, *profanum*, ſicuti Aquila interpretatur. Hæc autem interjectio uſurpatur, vel abſolute, ut 1. Reg. 14. v. 45. חָלִילָה *abſit*. Vide etiam cap. 20. v. 2. &c. Vel cum nominibus ac pronominibus, Gen. 18. v. 25. חָלִילָה לְּךָ *abſit tibi*. C. 44. v. 7. חָלִילָה לַעֲבָדֶיךָ *abſit à ſervis tuis*.

Majorem abominationem denotat, *vel* cum repetitur, ut 2. Reg. 20. v. 20. *Reſpondenſque Joab ait:* חָלִילָה חָלִילָה *abſit, abſit à me*, &c. *Vel* cum nomen Dei adjicitur, 3. Reg. 21. v. 3. חָלִילָה לִּי מֵיְהוָה *abſit mihi à Domino*. 1. Paral. 11. v. 19. חָלִילָה לִּי מֵאֱלֹהַי *abſit mihi à Deo meo*. Præpoſitio מ interdum in hac phraſi deſideratur, 2. Reg. 23. v. 17. *Et dixit:* חָלִילָה לִּי יְהוָה, pro, מֵיְהוָה, *abſit mihi à Domino, ut hoc faciam*, &c. Cum alio nomine aut pronomine ſimplicem abominationem ſignificat, Joſ. 22. v. 29. חָלִילָה לָּנוּ מִמֶּנּוּ *abſit nobis ab hoc*, ſupple ſcelere. Vulg. *abſit à nobis hoc ſcelus*.

Interpretes Græci hanc interjectionem diverſimode interpretantur. Aq. βέβηλον, *profanum*, ut diximus ſupra. Sym. ἀπίων, Vulg. *abſit*. Lxx. vel μηδαμῶς, *nequaquam*; vel μὴ γένοιτο, *non fiat*; vel ἵλεώς μοι ὁ Θεὸς, *propitius ſit mihi Deus*, ſi prima perſona loquatur. Unde patet ratio loquutionis hujus, Matth. 16. v. 22. ἵλεώς σοι, κύριε, *propitius ſit tibi* (Deus), *Domine*, h. e. *abſit à te*, ut optime reddidit Vulg. Vox *Deus* ſubintelligitur etiam in Græca Lxx. verſione, Gen. 43. v. 23. ἵλεως ὑμῖν, *propitius ſit vobis* (Deus).

IV. *Comminantis, &c. interjectio.*

Comminantis interjectio eſt אוֹי, vel הוֹי, Græc. οὐαὶ, *væ!* quæ tamen lugentis & dolentis ſignificationem interdum etiam obtinet.

1°. Comminantis & ſimul prædicentis particula eſt in prophetarum & Chriſti ad impios vaticiniis. Iſai. 1. v. 4. הוֹי *væ genti peccatrici!* &c.

Matth. 11. v. 21. οὐαὶ *væ tibi Corozain!* &c.

Cap. 23. v. 13. οὐαὶ *væ vobis, Scribæ & Phariſæi!* Vide vv. 14. 15. 16. 23. 25. 27. 29.

Comminantis, prædicentis, & deplorantis particula eſt, Matth. 26. v. 24. οὐαὶ *væ autem homini illi, per quem filius hominis traditur*, Vulg. *tradetur*, &c. Vide etiam Marc. 14. v. 21. Luc. 22. v. 22.

2°. Dolentis ac lugentis. Iſai. 6. v. 5. אוֹי לִי *Heu mihi, quia tacui!* Vulg. *væ mihi*.

Jerem. 22. v. 18. הוֹי אָחִי *heu; frater mi!*

Matth. 24. v. 19. οὐαὶ, *væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*.

Interdum ſcribitur אִי pro אוֹי. Eccle. 4. v. 10. וְאִילוֹ *& væ ſibi*, vel *ei*, i. *ſoli*, Vulg. Vox illa ex duabus componitur, nempe ex אִי & לוֹ, ſed conjunctim ſcribitur, ut liquet ex Maſſora, quæ illam inter quinque dictiones duobus accentibus (*mounábh* & *reviá*) notatas recenſet. Male igitur in quibuſdam codd. ſeparatim ſcribitur וְאִי לוֹ.

Ibid. c. 10. v. 16. אִי־לָךְ אֶרֶץ *væ tibi, terra, cujus rex puer eſt*, &c.

V. *Inſultantis interjectio.*

Inſultantis & exprobrantis interjectio eſt הֶאָח, *vah!* Pſal. 34. Heb. 35. v. 21. *Et dilataverunt contra me os ſuum, dicentes:* הֶאָח הֶאָח, Lxx. εὖγε εὖγε, Vulg. Lat. *euge euge*. Sic v. 25.

Pſal. 38. Heb. 39. v. 16. *Qui dicunt mihi:* הֶאָח הֶאָח, Aq. ἀὰ, ἀὰ; Lxx. Symm. εὖγε εὖγε, Vulg. Lat. *euge euge*. S. Hieron. *vah, vah!*

Ezech. 36. v. 2. *Hæc dicit Dominus Deus: eo quod dixerit inimicus de vobis:* הֶאָח, Lxx. εὖγε, Vulg. *euge*, &c.

Marc. 15. v. 29. οὐὰ *vah, qui deſtruis templum*, &c.

MANTISSA

De voce Hebraïca סֶלָה Sela, *&* *Græca* ΔΙΑΨΑΛΜΑ Diapſalma.

Interjectionibus vocem סֶלָה, quam Lxx. Sym. & Theod. interpretantur διάψαλμα, ſubjungimus, quod ea interpretibus non paucis exclamationis nota, ac interjectionis ſpecies eſſe videatur. Alii aliter ſentiunt. Juvat audire S. Hieronymum in epiſt. ad Marcellam, tom. 2. nov. edit. col. 706. & ſeqq. ubi diverſas affert de hac voce veterum ſententias.

Quidam Diapſalma *commutationem metri dixerunt eſſe; alii pauſationem ſpiritus; nonnulli alterius ſenſus exordium. Sunt, qui rythmi diſtinctionem; & quia pſalmi tunc temporis juncta voce ad organum canebantur, cujuſdam muſicæ varietatis exiſtiment ſilentium. Nobis nihil horum videtur, quum Aquila, qui verborum diligentiſſimus explicator eſt, SELA, hoc eſt*, Diapſalma, *quod ex Samech, Lamed, He, ſcribitur, SEMPER tranſtulerit: & inveniamus in pſalmorum quoque fine* Diapſalma *poſitum, ut eſt illud in tertio.....* Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua, *SELA; id eſt, SEMPER. Et vigeſimo tertio:* Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ, *SEMPER. E contra, in pſalmis multorum verſuum penitus non inveniatur: in triceſimo videlicet ſexto, & ſeptuageſimo ſeptimo, & in centeſimo decimo octavo. Rurſus nonus pſalmus diſtinguitur cantico Diapſalmatis; cum utique, ſicut quibuſdam videtur, Diapſalma indicium ſilentii eſſe non poſſit. Ex quo animadvertimus hoc verbum (Sela) ſuperiora pariter inferioraque connectere; aut certe docere ſempiterna eſſe, quæ dicta ſunt; ut eſt illud in tertio:* Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo ſuo, *SEMPER. Et rurſum:* Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte ſancto ſuo, *SEMPER. Et in quarto:* Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *SEMPER. Et alibi:* Quæ dicitis in cordibus veſtris; & in cubilibus veſtris compungimini, *SEMPER. Et in Abacuc:* Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan, *SEMPER. Et infra:* Juramenta tribubus, quæ loquutus es, *SEMPER.*

Scire autem debemus, apud Hebræos in fine librorum, unum è tribus ſolere ſubnecti: ut aut AMEN ſcribant, aut SELA, aut SALOM, quod exprimit pacem.... Igitur ut ſolemus nos completis opuſculis, ad diſtinctionem rei alterius ſequentis, medium interponere explicit, *aut* feliciter, *aut aliquid iſtiuſmodi: ita & Hebræi, ut, quæ ſcripta ſunt, roborentur, facere ſolent; ut dicant AMEN, aut IN SEMPITERNUM: aut ſcribenda commemorant, ut ponant SELA, aut tranſacta feliciter proteſtantur, PACEM in ultimo ſubnotantes.*

Hanc epiſtolam ſuam claudit Hieronymus fragmento Origenis, qui in eo ſcribit ſe diligentiſſime obſervaſſe, ubi in Hebræo habetur *Sela*, Septuaginta, Theodotionem, & Symmachum tranſtuliſſe *diapſalma*; alios vero Græcos interpretes, *ſemper*, aut aliquid iſtiuſmodi. Poſtea Pſalmorum loca quædam profert, in quibus revera Lxx. Theod. & Sym. *Sela* interpretantur *διάψαλμα diapſalma*, Aq. & V. edit. *ἀεὶ ſemper*, VI. vero, *διαπαντὸς perpetuo, εἰς τέλος in finem*, quod idem eſt ac *ſemper*. Fragmentum iſtud, cujus meminit *Martianæus* noſter in notis Hieronymianæ illi epiſtolæ ſubjectis, col. 707. quodque ex codice Regio 1807. Græce & Latine edidit noſter itidem D. Bernardus *de Montfaucon*, in prælimin. Hexapl. Origenis, tom. I. pag. 80. col. 1. hîc referre, Hebræorum philologorum gratia, operæ pretium eſſe exiſtimo. Πολλάκις ζητήσας τὴν αἰτίαν ὅτι γέγραπται μεταξὺ τῶν ψαλμῶν, διάψαλμα, ὕστερον παρατηρήσας ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ, καὶ συνεξετάζων αὐτῷ τὸ Ἑλληνικὸν, εὗρον ὅτι ὅπου τὸ Ἑβραϊστὶ σελ (סֶלָה), Ἑλληνιστὶ δὲ, ἀεὶ, ἤ τι τοιοῦτο ἰσοδυναμοῦν, ἐκεῖ οἱ Ο καὶ Θεοδοτίων, καὶ Σύμμαχος ἔταξαν τὸ διάψαλμα. οὐ χεῖρον δὲ παραδείγματι τὸ λεγόμενον βεβαιῶσαι· οἷον ἐν τῷ οδ ψαλμῷ, οὗ ἡ ἀρχή· ἐξομολογησόμεθά σοι ὁ Θεὸς,

Digitized by Google

ἐξομολογησόμεθά σοι, καὶ ἐπικαλεσόμεθα τὸ ὄνομά σου· μετὰ τὸ, ἐγὼ ἐστερέωσα τοὺς στύλους αὐτῆς, παρὰ τοῖς Ο καὶ Θεοδοτίωνι, καὶ Συμμάχῳ, ἐστὶ, διάψαλμα· ἀντὶ δὲ τούτου, παρὰ μὲν Ἀκύλᾳ· ἐγὼ ἐσταθμισάμην τοὺς στύλους αὐτῆς ἀεί. ἐν δὲ τῇ ε ἐγώ εἰμι ἡτοίμασα τοὺς στύλους αὐτῆς ἀεί. ἐν δὲ ς. ἐγὼ ἐστερέωσα τοὺς στύλους αὐτῆς διαπαντός. ἔκειτο δὲ ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ μετὰ τὸ ἀμμουδὰ (עַמּוּדֶיהָ), ὅ ἐστι, στύλους αὐτῆς, τὸ σὲλ (סֶלָה). πάλιν τε αὖ ἐν τῷ οε, ὗ ἀρχή· γνωστὸς ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ὁ Θεὸς, εὑρήκαμεν παρὰ τοῖς Ο καὶ Θεοδοτίωνι μετὰ τὸ, ὅπλα, καὶ ῥομφαίαν, καὶ πόλεμον, διάψαλμα. παρὰ δὲ Συμμάχῳ μετὰ τὸ, ἀσπίδα, καὶ μάχαιραν, καὶ πόλεμον, ὁμοίως διάψαλμα. ἀντὶ δὲ τούτου παρὰ μὲν Ἀκύλᾳ μετὰ θυρεὸν, καὶ πόλεμον, καὶ μάχαιραν, τὸ ἀεί. ἐν δὲ τῇ ε. μετὰ ὅπλον, καὶ ῥομφαίαν, καὶ πόλεμον, τὸ ἀεί. ἐν δὲ τῇ ς. μετὰ τὸ, ὅπλον, καὶ ῥομφαίαν, καὶ πόλεμον, τὸ, εἰς τέλος· ἦν δὲ πάλιν ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ μετὰ τὸ, οὐμαλαμα (וּמִלְחָמָה), ὅ ἐστιν, καὶ πόλεμον, τὸ, σὲλ (סֶלָה). καὶ ἔτι ἐν τῷ αὐτῷ ψαλμῷ, μετὰ τὸ τοῦ σῶσαι πάντας τοὺς πραεῖς τῆς γῆς, ὁ Σύμμαχος ὁμοίως διάψαλμα. παρὰ δὲ τῷ Ἀκύλᾳ μετὰ τὸ, πάντας τοὺς πραεῖς τῆς γῆς, τὸ ἀεί. οὕτω δὲ καὶ ἐν τῇ πέμπτῃ μετὰ τὸ, πάντας τοὺς πραεῖς τῆς γῆς, τὸ ἀεί. ἐν δὲ τῇ ἕκτῃ μετὰ τὸ, τοῦ σῶσαι τοὺς πραεῖς τῆς γῆς, τὸ, εἰς τέλος. καὶ ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ μετὰ τὸ, ἀνὶη ἄρς (עַנְוֵי־אֶרֶץ) ὅ ἐστι πραεῖς τῆς γῆς, τὸ σὲλ (סֶלָה). καὶ οὕτως ἀδιάπτωτον ἀγέρτες τῆς τοιαύτης παρατήρησιν, ταῦτα ἐσημειωσάμεθα. πότερον δὲ μουσικοῦ τινος μέλους, ἢ ῥυθμοῦ γινομένης ἐναλλαγῆς ἔγραψαν τὸ διάψαλμα οἱ ἑρμηνεύσαντες, ἢ ἄλλως κινηθέντες, καὶ σὺ ἐπισκέψῃ. Hæc Origenis Græca ita ſe ad verbum latina feciſſe, epiſtola ſuperius laudata, profitetur Hieronymus. *Sæpe quærens cauſas, cur in quibuſdam Pſalmis interponatur DIAPSALMA, obſervavi diligentiſſime in Hebræo, & cum Græco contuli, invenique quis ubi lingua Hebræa SELA* (Græc. *SEL*) *habet, Græca vero SEMPER, aut aliquid iſtiuſmodi; ibi Septuaginta & Theodotion, & Symmachus tranſtulerunt DIAPSALMA. Neque vero nocet exemplis affirmare, quod dicimus. In ſeptuageſimo quarto Pſalmo, cujus principium eſt :* Confitebimur tibi, Deus, confitebimur (Græc. tibi) & invocabimus nomen tuum : *& poſt illud :* ego confirmavi columnas ejus, *apud Septuaginta, & Theodotionem, & Symmachum eſt, DIAPSALMA : pro quo apud Aquilam :* ponderavi columnas ejus, *SEMPER. In quinta autem editione :* ego ſum, qui paravi columnas ejus *SEMPER. In ſexta vero :* ego firmavi columnas ejus *JUGITER. Porro in Hebräico habet poſt*, amuda, *quod eſt* columnas ejus, *SELA* (Græc. *SEL*). *Et rurſum in ſeptuageſimo quinto, cujus principium eſt :* Notus in Judæa Deus, *invenimus apud Septuaginta & Theodotionem, poſt*, ſcutum, & frameam, & bellum; *DIAPSALMA. Apud Symmachum, poſt*, clypeum, & gladium, & bellum, *ſimiliter DIAPSALMA. Pro quo apud Aquilam, poſt*, clypeum, & gladium, & bellum, *SEMPER. In ſexta vero, poſt*, ſcutum, & gladium, & bellum, *IN FINEM. Itaque rurſum in Hebräico, poſt*, umalama, *quod eſt* & bellum, *SELA* (Græc. *SEL*). *Et in eodem Pſalmo, poſt illum locum :* ut ſalvos faceret [Græc. omnes] mites terræ, *DIAPSALMA: apud Symmachum ſimiliter, DIAPSALMA : & apud Aquilam [poſt illud :* omnes mites terræ*] SEMPER: necnon & apud quintam [poſt illud :* omnes mites terræ*] SEMPER. In ſexta vero [poſt illud :* ad ſalvandum mites terræ*] IN FINEM. Et in Hebräico, poſt, ANIE ARES* (Græc. ἈΝΙΉ ἌΡΣ), *quod eſt*, mites terræ, *SELA* (Græc. *SEL*). *Atque ita cum talem uniuſcujuſque editionis opinionem reperiſſemus, hæc annotavimus. Utrum autem cujuſdam muſicæ cantilenæ, aut rythmi immutationem, qui interpretati ſunt DIAPSALMA, ſenſerint, aliudve intellexerint, tuo judicio derelinquo.*

Quanvis fragmentum iſtud Origenis ad verbum ſe tranſtuliſſe dicat Hieronymus: ea tamen neglexit, quæ uncinis includuntur, utpote quæ eadem eſſent verba repetita; ſolamque varietatem interpretationis vocis סֶלָה attendit. Neque etiam Græca Origenis mendo carent; σὲλ enim ſphalma graphicum eſt pro σέλα, ut legunt Hieronymus, & Judæi cum veteres, tum recentiores. ἄρς quoque error eſt, pro ἄρες, uti vocem hanc alibi legit ipſe Origenes. Vide Hexaplorum ejus fragmenta. Corruptum etiam videtur ἀμμουδά, S. Hier. *amuda*, pro *ammoudeha*, niſi lectum olim fuerit עמודה in ſingul. numero, pro

hodierno עַמּוּדֶיהָ. Sanius non eſt verbum *ὑμάλαμα*, S. Hieron. *umalama*, ut in poſtrema editione ad Græcum Origenis reſtituit *Martianaus*; nam in aliis exemplaribus legitur *omalana*, vel *omalaama*, cum *o* pro *u*, vel *ou*. Denique *ἀνίε*, S. Hieron. *anie*, mendoſum eſt pro *ἄνυν anve*; niſi in ſuo codice legerit Origenes עֲנִי cum (י) pro ו, (ut ad ejus Græcum notavimus), quod tamen vero ſimile non eſt, cum nomen iſtud *pauperes & afflictos* ſignificet, ut illud interpretantur Aq. Pſal. 11. Heb. 12. v. 6. &c. Sym. Job. 24. v. 9. &c. עֲנָו autem, quod in exemplaribus hodiernis legitur, *mites & manſuetos* exprimit, ut & eo loci à Lxx. Aq. V[æ]. VI[æ]. editt. auctoribus, necnon à S. Hieronymo transfertur. In quibuſdam etiam S. Hieronymi codicibus vox illa cum ſequente *ares* jungitur, & unam cum ea efficit, ſic: *anīares.*

Hæc circa iſtud Origenis fragmentum obſervanda duximus, ut conſtaret quo fundamento nitantur argumenta ex Hebræis vocibus Græco aut Latino charactere apud SS. Patres ſcriptis, & amanuenſium imperitia corruptis petita, quibus Maſſorethicam punctationem oppugnant recentiores quidam. Sed iſtud argumentum alias urgebimus.

Alia duo fragmenta Græca, in quibus vocis *Diapſalma* expoſitiones partim ſuperius ex Hieronymo poſitæ, partim aliæ afferuntur, vide in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis, ubi etiam laudatur Greg. Nyſſ. tract. 2. in Pſal. cap. 10. & Chronicon Alexandrinum pag. 202.

Ex his omnibus vocis סֶלָה interpretationibus, commodior videtur, quam afferunt Aquila, & V[æ]. ac VI[æ]. editionis auctores, quamque ſequutus eſt Hieronymus in ſuo Pſalterio, in quo verbum illud *SEMPER* interpretatur; iſque ſenſus adprime convenit quatuor & Septuaginta Scripturæ locis, in quibus legitur סֶלָה.

Paraphraſtes Chald. Habac. 3. v. 3. transtulit בִּגְבוּרַת עָלְמִין *in potentia ſæculorum.* Idem vv. 9. 13. לְעָלְמִין *in ſæcula.* Et ſic ſæpiſſime in Pſalmis. At in Pſal. 43. Heb. 44. v. 9. interpretatus eſt לְעָלְמֵי עָלְמִין *in ſæcula ſæculorum.* Syrus Pſal. 3. v. 9. *in ſæculum*, Pſal. 4. v. 3. *in ſæcula.* Vulg. ipſe interpres Pſal. 61. Heb. 62. v. 9. *in æternum.* Alibi vocem illam omiſit, quod eam ad muſicam pertinere crediderit. Non deſunt etiam Thalmudis loca, quibus evincitur סֶלָה *in æternum* ſignificare. Unum laudaſſe ſufficiat. In Erouvin c. 5. paulo poſt medium legitur: *Traditio eſt ſcholæ R. Eliezer, filii Jacobi: omnis locus, in quo dictum eſt SELA, non eſt ei interruptio æternitatis.* Vide etiam de hac voce R. P. *Calmeti* diatribam.

Syntaxis ſimplicis, & tomi I. finis.

Digitized by Google

CC5640483

Digitized by Google

Digitized by Google